R 53
4) 11
32

C. 21
C. 6

Del coll.o de la Comp.a de Jesus de la Concepcion

HISTORIAE AVGVSTAE SCRIPTORES LATINI MINORES;

QVI AVGVSTORVM, NEC NON ET CÆSARVM TYRANNORVMQVE in Romano Imperio vitas ad posteritatem litterarum monumentis propagarunt:

Suetonius Tranquillus:
Ælius Spartianus:
Iulius Capitolinus:
Vulcatius Gallicanus:
Ælius Lampridius:
Trebellius Pollio:
Flauius Vopiscus:
Ammianus Marcellinus.

Adiecti sunt & recentiores historiæ continuatores,
Pomponius Lætus,
Ioann. Baptista Egnatius. Item
Ausonii Burdeg. Epigrammata in Cæsares Romanos:
Imperatorum catalogus:
Romanæ vrbis descriptio.

Additæ in eosdem Adnotationes Ioannis Baptistæ Egnatii, & Erasmi Roterodami; cum Henrici Glareani & Theodori Pulmani adnotationibus in Suetonium. Adhæc Græcorum, quæ allegantur, interpretatio noua: & rerum verborumque notatu digniorum INDEX amplissimus: opera Friderici Sylburgii. auctoris damnati, hoc tamen eius opus permittitur.

Tomus alter.



FRANCOFVRDI
Apud Andreæ Wecheli heredes,
Claudium Marnium, & Ioann. Aubrium:
M D L X X X V I I I:
Cum S. Cæsareæ Maiestatis priuilegio.

INDEX AVCTORVM QVI A SVETONIO CETERISQVE AVGVSTÆ HISTORIÆ SCRIPTORIBVS CITANTVR.

SVMMA PRIVILEGII.

S. Cæsareæ Maiestatis priuilegio cautum est Andreæ Wecheli heredibus, Claudio Marnio & Ioanni Aubrio, ne quis institutum ab eis Romanæ historiæ syntagma, a Friderico Sylburgio recognitum, Notationibusque, Indicibus, & aliis accessionibus auctum, per decem annorum spatium, a prima editionis die computandum, intra fines sacri Romani imperii, regnorumque & dominiorum Cæsareæ Maiestati hereditariorum, eodem aut diuerso charactere formave, recudere, aut alio recudendum dare, vel alibi expressum importare, vendere, distrahere, aperte vel occulte, absque supradictorum Wecheli heredum voluntate ac consensu præsumat. Qui secus fecerit, is non solum libris impressis, sed etiam decem auri puri marchis sine vlla venia mulctabitur, vt latius declaratum est in diplomate Cæsareo, dato Pragæ Kal. Iulii, anno MDLXXXVIII.

Rudolphus.

Iacobus Curtius a Senftenau.

Ad mandatum S. Cæs. Maiestatis proprium.

A. Bene.

ILLVSTR. AC GENER. DÑO,

MAVRICIO, HASSIAE

ADIVNCTORVMQVE COMITAtuum Principi, domino ac patrono suo clementissimo,

FRIDERICVS SYLBVRGIVS S. & F. P.

MIRE *Xenophontem laudant veteres,* MAVRICI *generosissime, quod Musas cum Marte coniunxerit. sed magis Alexandrum suspiciunt; qui domi ac foris, præter philosophos, Homeri quoq; poesin perpetuo sibi comitē adsciuerit; idq; tam arcta familiaritate, vt illam etiā noctu ceruicali cum pugione subiceret. Omnium vero maxime admirantur Cæsarē, Augustū, Adrianū, M. Antoninum, Alexandrum Seuerum, Iulianum, & quosdā alios Rom. imperii principes; qui, licet totius orbis curam sustinerent, succisiuis tamen horis non modo lectioni, sed etiam disputationibus ac lucubrationibus operam impenderint. Merito igitur tuus quoq; parens illustrissimus hac tempestate summæ omnibus & admirationi est & venerationi, quod prudentia, sapientia, eximiaq; cum humanæ tum diuinæ philosophiæ cognitione, ita inter excelsi ordinis principes eminet, vt vere in eum quadret Homericum illud de excellentib. ingeniis decantari solitum,* οἶος πέπνυται. *Sed hæc ei peculiaris ac sempiterna laus est, quod, cum insignes illi principes aut nullos aut degeneres post se filios reliquerint, ipse hoc operam dedit, vt & ceterarum laudū, & singularis eruditionis successorem institueret. Siquidem a teneris annis te ad excellentium principum ducumq; imitationem sic adsuefecit, vt non tantum orationes eorum, aut narrationes rerum ab eis gestarum, decenti pronuntiatione ac gestu pene puer exprimeres, sed etiam fortia facinora manu interdum, aduersus eos quos tibi æmulos opponebat, repræsentares. In iuris vero ac legum cognitione sic exercet, vt in thesibus ponendis ac defendēdis palmā superiorib. & æqualib. plerumq; adimas, inferiores autem ad æmulationem accendas. In ceteris disciplinis ita exacuit, vt in primo pubertatis limine virilem maturitatem præstes. Testantur id legati, qui ab exteris principib. in aulam veniunt: testantur principes & academiæ, quas inuisis. medi[illegible]enim orationibus compellatus, ex tempore tanta & prudentia & facundia respondere soles, vt etiam exercitatis viris cum stupore ruborem quendā incutias. Adhæc venando, iaculādo, aliisq; militaris rei præludiis, sic te idem pater imbuit, vt cum animi politie, corporis quoq; agilitas ac dexteritas in te succrescat. Deniq; mirifica institutionis sollertia id effecit, vt quæ in constantis ætatis heroibus*

veteres tantopere prædicant, tu in adolescentia sis consecutus, nimirum γνῶναί τε τὰ δέοντα, καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα: & μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων. Quoniam autem humana philosophia sine diuina cæca est, in sacris quoq; litteris ita te exercet, vt cum huius ætatis tum superiorum quoque temporum controuersiis perspectis, inter errorum diuerticula, rectum veritatis tramitem sequi discas. Hæc patris in te ad remp. informãdo diligentia atque industria, vt superiora secula pene superat, ita præsenti pariter & futuro æuo luculentissimũ exemplum præbet. Tibi ergo MAVRICI generosissime hoc restat, vt, cum secundũ Deum optimi prudentissimique patris beneficio tantos in vera virtutis studio progressus feceris, reliquum eius curriculum pari, vel potius ardentiori tenore persequaris, atque eo contẽdas, vt, quem in primæuo ætatis flore promittis, in adulta ætate solidè præstes, pium, cordatum, ac fortem principem; auitamque ac paternam gloriam illustrib. virtutum ornamentis non tantum adæques, sed etiam superes. Quam ad rem etsi me longe peritiores habes cohortatores: tamen ego quoque, cum ortus nexu me ad istius officii partem aliquam obstrictum esse considerarem, aliquid pro mea tenuitatis modulo in medium proferre volui, meamque erga te obseruantiam ac studium euidenti aliquo documento declarare. Quia ergo magis ad vetera instauranda quam ad noua condenda me applicui, tale tibi volumen dicandum censui, quod exemplis iuxta & præceptis te adaugere posset. In quo genere licet multa extent vetustatis monumenta, vix tamen vllum magis est idoneum quam quod nunc illustri tuo nomini inscriptũ in publicum emisi. Vitas enim continet eius imperii principum, quo nec diuturnius nec augustius vllum nouimus, Rom. scilicet nominis; cui Deus ita fauit, vt & superiora imperia omnia ei subieceriti, & filium suum ad humanæ salutis reparationem sub eo nasci, diaboloq; ac morte triumphata gloriosam in cælos victoriam reportare voluerit. Huius inquam imperii principes volumen hoc cõplectitur; nec legitimos solummodo, Augustos & Cæsares, verum eos etiam qui vel priuata ambitione, vel factiosorum instigatione principatu affectato, Tyranni sunt appellati. In eo ceu speculo videbis, diuinam prouidentiam admirabili quadam vicissitudine nunc subditos per principes, nunc principes per subditos, extulisse aut depressisse: atque eos quidem qui considerato stationis munere se Dei in terris administros ac reip. patres exhibuerunt, multiplicib. virtutum præmiis remunerasse; contra, eos qui functionis suæ obliti, ad priuatam libidinem omnia retulerunt, etiam in hac vita meritis, & quidem contumeliosissimis interdum, suppliciis affecisse: ac rursum illis virtutum præcones, his autem probrorum decantatores, excitasse. Vbi si forte mireris abominandarũ turpitudinum memoriam non abolitam fuisse, sed litterarum monumentis ad posteros propagatam, atque adeo etiam ad maximi nominis principes perscriptam: considerabis hoc quoque singulari Dei consilio factum esse. Vt enim veterum nonnulli instinctu quodam numinis iuuentutem ad ganeas, popinas, ac prostibulorum fornices nonnunquam deducebant, vt visa turpitudinum fœditate, declinare illas incauta mentes discerent: ita idem Deus in sacris pariter ac profanis litteris, sceleratorum nobis & probra & pœnas ob oculos ponit, vt fugere illa satagamus. Vt autem contagium minus inficiat, recte de quorumdam consilio a lectione vitæ improbæ, velut ad antidotum quoddam, digredieris ad vitam probati principis; vt Augusti, Vespasiani, Traiani,

iani, Antonini Pii, Antonini Philosophi; item Claudii, Taciti, Probi. Quod si litteratos cognoscere iuuat, exemplo est tota pene primorum Cæsarum familia: sed præ ceteris excellunt Adrianus, Antoninus Philosophus, Iulianus. Sin ætatis affinitas allicit, habes quæ in Germanico, Tito Vespasiano, Alexandro, Gordiano, ac Numeriano, cum voluptate pariter ac fructu lectites. Quin & malorum quidam inter initia laudabilis imperii spem aliquam præbuere; vt Tiberius, Caligula, Domitianus, Caracalla. & Nero ipse primis annis ita se laudabilib. factis promisit, vt etiam Traianus dictitarit paucos quinquennium Neronis attigisse. Gallienus que, perditus alioqui, vt doctrinæ, ita industriæ quoque ac fortitudinis, insignia nonnumquam edidit specimina. vt hic quoque inter vepres rosas quasdam, quamquam raras, inuenire liceat. De sacris rebus etsi parum sincere plerisque in locis scribitur, velut a paganis: referūtur tamen de Christo, de episcopis, presbyteris, sacerdotibus, & aliis ad Christianā religionē pertinentib. quædā scitu non indigna. vt diuini spiritus scintillas aliquas etiam in superstitionum tenebris emicuisse videas. Id porro opus vt tuis atque adeo omnium vsibus inseruiret commodius, operam dedi vt prodiret quam emendatissimum. Quam ad rem cum a vetustis libris nihil esset auxilii, vulgatarum editionum optimis quibusque inter se collatis, lectionis quam rectissime constituendæ suppetias inde petii. Veteribus auctoribus duos e recentiorum numero addidi: vt eorum quæ desiderantur, aliqua esset expletio & continuatio. In locos mendosos, suspectos, aut obscuros, quæ a doctissimis viris adnotata sunt, adieci. Quibus meas quoque notationes adiungere decreueram, cum iis quæ a præstantiss. quibusdam viris ad operis expolitionem nuper sunt communicata. Sed temporis breuitas ea in tertii tomi editionem coegit reiicere. Interea vt aliquis saltem operi comitatus a me accederet; Græca Latine reddidi; & in fine Indicem adieci locupletissimum; quo, quidquid aut rerum aut verborum ad antiquitatis cognitionem cōferre videbatur, copiosissime, quantum locus & tempus ferebat, exposui. Denique, quidquid ad operis exornationem hoc semestri spatio adhibere licuit, pro mea virili in medium contuli. Tu MAVRICI *generosissime operam eam serena fronte accipe. quæ etsi tanta non est quanta celsitudinem tuam decet: est tamen mei erga te studii atque obseruantiæ sat clarum argumentum.* DEVS *opt. max. qui vnus omnium bonorum fons est, faxit vt vberrimos inde fructus capias, atq; in instituto vitæ cursu non modo Traiani bonitatem, Augustique felicitatem; (quæ olim principibus suis precabatur populus Romanus) sed etiam sacris litteris celebratas dotes, Salomonis sapientiam, Dauidisque pietatem, constantiam, fortitudinem, plenissime consequare. Francof. in Museo Wecheliano, Id. Sept. a.* MDLXXXVIII.

FRIDERICVS SYLBVRGIVS
LECTORI S.

IN HOC tomo quid a me sit præstitum, si requiris amice lector, paucis accipe. Suetonii recentiores editiones inter se contuli, Belgicam scilicet Theodori Pulmanni, & Gallicam Henrici Stephani. quæ si quid mouerent scrupuli, adii vetustiores, Venetam Egnatii, & Basileensem Erasmi. In Ælio Spartiano, Iulio Capitolino, Vulcatio Gallicano, Ælio Lampridio, Trebellio Pollione, Flauio Vopisco, præter Stephaneam, Erasmianam, & Egnatianam editionem, consului nonnumquam Venetam veterem, e qua Egnatiana videtur promanasse. In Ammiano Marcellino, etsi maxima ex parte secutus sum editionem Sebastiani Gryphii & Henrici Stephani: tamen interdum etiam antiquiores inspexi. Inter quas primas quidem merito sibi vindicat Roberti Stephani editio: dedit tamen & Frobeniana vetus interdum haud pœnitendam emendationis materiam: quamquam plerisque in locis deprauata, & fine quoq; trunca, vt quæ in XXVI libro desinat. Sed omnium maxime in auctore isto me adiuuerunt ea quæ clarissimus atq; amplissimus vir, Erricus Memmius, per Ioannem Opsopœum ad nos misit. Misit idem etiã ad superiorum auctorũ emendationem egregias suppetias: itidemq; cetera Galliæ ornamenta, Claudius Puteanus, Nicolaus Faber, Petrus & Franciscus Pithœi; quin & Iurisconsultorum decus Iacobus Cuiacius, per eundem Opsopœum contribuerunt quæ ad huius tomi expolitionem vel ex antiquis libris, vel ex ingenio habebant adnotata. Verum ea, cum paulo serius ad nos venissent, in præsenti, ob temporis angustiam, non potuerunt a nobis publicari: ideoque differenda fuerunt in tertium tomum; qui, vt confidimus, Deo iuuante, breui subsequetur. Interea, vt aliqua editionis constaret ratio, Egnatii, Erasmi, Glareani & Pulmani adnotationes, superiorum editionum exemplo visum est operi adiungere: quippe quarũ comitatus passim multum lucis affert; in non nullis vero locis etiam plane est necessarius. Quib. vt aliquid etiam de nostro accederet, primum Græca, quæ sine interpretatione pleru mq; sunt inserta, Latine reddidi. Deinde Indicem adieci copiosissimum, non rerum modo, sed etiam verborum & phrasewn notatu digniorum, ex quo, quantæ sint huius operis diuitiæ, luculenter cognoscetur. Inuenient ibi non solum historici, verum etiam Iurisconsulti, medici, mathematici, rhetores, grammatici, quin & theologi, atque adeo pene omnium disciplinarum professores, quod ipsorum vsibus inseruire queat. In quo concinnando id quoq; passim est spectatum, vt locus locum nunc explicaret, nunc confirmaret, nonnumquam etiam corrigeret, nec quidquam omitteretur quod Antiquitatis cognitionem vel in rebus vel in verbis posset adiuuare. Spero autem futurum vt antedictas suppetias, e Gallia ad nos missas, accessione haud aspernanda amplificem. Nam ex aliis etiam locis auxilia exspecto: nominatim a Fuluio Vrsino, Vberto Gifanio, Theodoro Cantero, quin & Criticorum principem Lipsium aliquid præter ea quæ iam dudum publicauit, e thesauris suis subministraturum confido. Cui contributioni si alii quoq; se addere velint socios, parem nobiscum a republ. inibunt gratiam. Porro quod attinet ad notas in cõtextu subinde interiectas, asterisci ad Notationes ablegãt, vel nostras, vel alienas: in Suetonio autem passim remittunt ad luculentissimos Torrentii commentarios, seorsum a Plantino editos. Vncí, ea quæ includunt, a quibusdam editionibus abesse indicant de quibus in Notarum libello dicetur suo loco. Numerales notæ exteriori margini appositæ, in Suetonio capitum seriem commonstrant: in Ammiano autem indicant annos ab vrbe condita. consulatuum enim seriem satis accurate notauit Ammianus. In ceteris autem, quia consulatus & rarius exprimuntur, & minus diligenter, annorum ista notatio a nobis est omissa. Quos nosse qui requiret, apud Cassiodorum nullo negotio inueniet in eius enim margine primum ex Sigonio, deinde ex Panuinio annorum decadas vel eicadas adscripsimus. Auctorum qui passim in hoc tomo citantur, catalogum ab initio posui. e quo intelliges quot veterum scripta, cum Græca tum Latina, interierint. Errata, quæ partim exemplaris, partim operarum culpa sunt commissa, in calce adnotaui: quæ quidem grauioris momenti esse videbantur. leuiuscula per se quisq; cernere poterit.

Hæc fere sunt de quibus monendus videbare, lector. Tu nostram hanc operam boni consule, ac vale.

ILLVST.

ILLVSTRISSIMIS SAXONIÆ DVCIBVS, FEDERICO SACRI IMPERII ELECTORI, EIVSQVE PATRVELI GEORGIO,

ERASMVS ROTERODAMVS S. D.

VT AB his viris, quos fortunæ calculus mundi gubernaculis admouit, FEDERICE ac GEORGI, Ducum incorruptissimi, haud exegerim anxiam atque exactam scholasticarum disciplinarum cognitionem: in quibus qui consenuerint, eos fere sensu etiam communi carere videmus, tantum abest, ut tractandis rerum habenis sint idonei: ita vehementer ab istis dissentio, qui Reges prorsus ab omni librorum commercio, ceu re noxia, ablegant: perinde quasi hoc demum vere regium sit, Nihil omnino vel scire, vel agere, præter aleam, venatus, moriones, & his etiam sordidiores voluptates. Cum quibus enim amicis libentius confabuletur cordatus & pius princeps, quam cum iis, qui & semper præsto sunt, & sapiunt plurimum, & nihil loquuntur ad gratiam? Verum nullis ex libris, mea sententia, plus utilitatis capi posit, quam ex eorum monumentis, qui res publice priuatimque gestas, bona fide posteris prodiderunt; præsertim si regalis philosophiæ decretis imbutus huc accesserit. Etenim qui in hoc munere, rerum gerendarum exemplum, quam gestarum fidem spectare maluerunt, hactenus modo prosunt, quod boni principis simulacrum oculis subiiciunt; si qui tamen id scite vereque effinxerunt. Ceterum ex bonæ fidei scriptoribus, super alias innumeras, hæc præcipua capitur utilitas, quod non alia res æque, vel bonorum Regum animos ad res cum laude gerendas accendit, vel tyrannorum cupiditates cohibet ac refrenat: dum utrique cernunt, horum litteris suam vitam omnem, mox in totius orbis, immo sæculorum omnium theatrum producendam; &, quidquid nunc vel in abdito patrant, vel adscito fuco prætexunt, vel metu dissimulari cogunt verius quam ignorari, paullo post clarissima in luce sub oculis omnium traducendum, cum iam metu pariter ac spe libera posteritas, nec ullo corrupta studio, magno consensu recte factis applaudet, paríque libertate his diuersa explodet, exsibilabitque. Nec enim arbitror, quemquam tyrannum, sic penitus omnem hominis sensum exuisse, ut vitam sibi iucundam ducat, si norit suum nomen apud posteros omnium ætatum ac nationum tam inuisum & exsecrabile fore, quam est Caligulæ, Neronis, Commodi, Heliogabali: ad quorum mentionem, ceu portentorum verius, quam principum, nemo iam non despuit, non abominatur, non detestatur. Nam Vitellius viuus etiam male gesti imperii pœnas dignas dedit: quas & Nero daturus erat, ni supplicii fœditate deterritus, ipse sui carnifex esse maluisset. Quod quidem exemplum utinam in hæc usque tempora duraret. Nunc enim nihil est impunitius quam quod nulla satis grauis animaduersio pensare queat, male obiti magistratus culpa. Iam in ceteris historiæ dotibus, quantum alius quisque tribuendum putet, ipse viderit suo arbitratu. Illud opinor apud eruditos omnes in confesso esse, quod ad narrationis fidem attinet, primas deberi Suetonio: qui, ut quidam non infestiuiter dixit, prorsus ea libertate scripsit Cæsarum vitas, qua vixerunt ipsi. Propemodum æquarunt Suetonium hac sane laude, Ælius Spartianus, Iulius Capitolinus, Ælius Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio, Flauius Vopiscus: licet eloquentiæ viribus sermonisque politie multo inferiores. Proinde mihi quidem digni videbantur, ut eorum lucubrationes studiosi summa fide seruarent: quorum fide factum est, ut tantarum rerum tam certa memoria duret in hanc usque nostram ætatem. Ac Suetonium quidem nescio quo Deo propitio, & antehac non ita passim deprauatum, nunc eruditorum, meaque opera purum, ni fallor, & integrum habemus: suffragante mihi ad hoc negotii, peruetusto quodam codice, quem e Bibliotheca monasterii, apud Neruios olim, nunc Tornacenses, vulgato cognomine D. Martini, nobis exhibuit nobilissimus ille Gulielmus Montioius, qui id temporis regias vices ea in urbe gerebat. Reliquos, quoniam nullo huiusmodi præsidio subleuabamur, quod unum licuit, multo certe minus deprauatos dedimus. Eosque omnes vestri nominis lenocinio orbi commendare visum est, vel vestro in me studio, vel erga bonas litteras animi propensione, ut id auderem, prouocato, quo videlicet viri imaginibus & opibus clari, magis ac magis in his philosophari consuescant, & velut ad speculum vitam moresque componere. Primum enim, dum videmus mutatum orbis Romani statum, tanto sanguinis humani impendio constitisse, ea res pium certe principem a temere nouandis rebus deterrebit. Deinde spectare est operæpretium, quam æstuariis vicibus, euripi nusquam ri-

tu, res humanæ sursum ac deorsum voluantur, ni solida principum sapientia, & incorrupta virtus fluxum hunc sistat inhibeatque. Quin & illud subit admirari, in tanto principum numero vix paucos exstitisse tolerabiles, paucissimos probos, plerosque non improbos modo, verum etiam ostenta mera, merasque pestes humani generis; multos etiam mente captos. O nouam sæculi calamitatem, cum vni furiosæ bestiæ totus seruiret orbis, & ingemiscens eamdem caneret cantionem, quam seruus Carion apud Aristophanem, ὡς ἀργαλέον! Et tamen huiusmodi portenta, parricidiis, sacrilegiis, incestis, breuiter nullo non dedecorum genere impurata, templis, aris, ac diuinis honoribus donabat hominum adulatio, fortuna, vel magis sceleribus tribuens quod virtuti dari consueuit. Quis post hæc recte factis grassetur ad nominis immortalitatem, si cælum datur iis, qui indigni erant vt terram contingerent? Nam quod Domitianus, & Commodus, vterq; sceleratissimus, Dei vocabulum viui etiam vsurparunt, quis non videt manifestariæ cuiusdam insaniæ fuisse, verius quam impudentiæ? Porro quib. de caussis hoc acciderit, nondum mihi satis liquet: siue quod ipsa fortunæ magnitudo plurimas res secũ defert, quæ bene nata, recteque instituta ingenia queant corrumpere. Id quod facilius credet, qui perpenderit, Neronis adolescentiam laudatissimæ indolis fuisse, &, quo non alius adhuc fuit orbi pestilentior, optimi tamen principis spem initio de se præbuisse. Tum ab hoc multo post, Bassianum Getæ fratrem, dum priuatus ageret, virum integrum ac sanctum, pessimum egisse principem: siue quod, vt quædam nauigia, immodice magna vastaque, regi non queunt, ita totius orbis imperium maius est quam vt vnius hominis animo sustineri possit; cum perdifficile sit domum etiam vnam recte administrare. Itaque qui maxime cupit optima, tamen Maronis illud cogitur dicere, Fertur equis auriga, nec audit currus habenas. Quod (opinor) intelligens Octauius Augustus, vir eruditus ac perspicax, &, quod in Cæsaribus rarum comperies, perpetuo sanus, non semel de deponenda Imperii mole cogitauit: & fecisset, si nactus fuisset in cuius humeros citra publici status perniciem onus reclinare potuisset. Siue id iis rebus magis adscribendum est, quas permultas quidem, at non omnes tamen in Aureliano recenset Flauius Vopiscus. Et tamen in tanta malorum principum turba, reperias licet dignas sancto principe cogitationes, audias voces absoluto principe dignas; comperias exempla in quibus nihil desideres. Inter Ethnicos inuenies, qui Christiano animo respub. gererent Imperium, non sibi; qui tam laboriosæ administrationis non aliud spectarent præmium, quam vt de rebus humanis bene mererentur; qui publicam vtilitatem liberorum affectibus, immo suæ suorumque incolumitati præferrent. O nos felices, si Christiani principes suæ quisq; ditioni præstarent animum, quem Traianus, quem Antonini duo, quem Aurelius Alexander, orbi terrarum præstiterunt! Quin illud etiam mirandum, repertos qui ad Imperatorem de Imperatoribus non solum libere, verum etiam contumeliose scribere auderent. Nam hodie id quidam exigunt, vt de sceleratissimis quoque Regibus honorifice scribamus: id agentes, ne quando libertatis exemplum in ipsos recidat. Sed multo magis ad rem pertinet, in his contemplari nomen illud Imperii, quod & olim orbi sacrosanctum augustumq; fuit, & nunc etiamnum multorum affectibus religiosum ac venerabile est, cum nihil fere supersit, præter inanem magni nominis vmbram, quam fœdis initiis in mundum irrepserit, primum in Iulio scelerate, mox in Octauio, Lepido & Antonio sceleratius. Quid non potest Fortunæ libido in rebus humanis? Potestas ea quam postea Diis æquauit hominum consensus, impietate, cædibus, parricidiis, incestis, tyrannide, condita consecrataque fuit. Hic felicibus auspiciis cœpit illa Regibus adorata maiestas: ac sceleratius fere propagata fuit, quã nata. Fœda barbarorum militum colluuies non suffragiis, sed insanis tumultibus dominum orbi dabat; nec alia succedendi lex, nisi mactato superiore. His auibus auspicabantur Imperium: quod nihilo secius tamen interim emendum erat, quanticumque inexplebili militum auaritiæ libuisset. Nec satis erat in vnum sæuire caput. Ad liberos, ad affines, ad amicos omnes crudelissima lanıena proferebatur: ac sæpenumero reciprocantibus, vt fit, vindictæ vicibus, quos viros, quas matronas effera immanitas indigne laniabat! Sæpe pluribus hinc & hinc imperium ad se trahentibus, miscebantur omnia. Ita semper ad nouum Imperii successorem, totus terrarum orbis concutiebatur. Summa rerum in manibus erat non Senatus, non populi Romani, sed mercenarii facinorosique militis. Nec aliter imperare licuit, neque diutius imperare licuit, quam illis belluis collibuisset, qui nec bonos nec malos principes diu ferre poterant. Alius parcior erat, alius profusior, alius eruditior quã vellent; alius matri obsequentior, alius militaris disciplinæ tenacior, alius imbellis, alius immodice bellator, alius in Senatum propensior; alii cognomẽ obstabat militi parum gratiosum, alii affinitas. Quãlibet leuis caussa, satis erat istis ad iugulandum orbis principem. Denique, vt nihil esset caussa, expediebat illis subinde mutare principem. Insatiabilis habendi fames, ad res nouandas incitabat.

Trucidabatur

Trucidabatur vt inutilis, quem iam exsuxerant: accersebatur alius, qui exhauriretur, mox & ipse trucidandus. Atq; hisce reb. factum est, vt non nullorum Imperium paucis modo mensibus, non nullorum paucissimis etiam diebus finiretur. vt me quidẽ inter legendum crebro subeat admiratio, fuisse vllos qui vellent Imperii vices capessere, cum tot exemplis didicissent quib legibus esset suscipiendum. Et hoc honoris sic venditum, immo locatum, Imperium vocabant. O miserum ac deplorandum illorum temporum statum! Oppressa Senatus auctoritate, oppressis legib. oppressa populi Romani libertate, sic creato principi seruiebat orbis, princeps ipse seruiebat iis qualem nemo vir probus domi vellet habere seruum. Imperatorem timebat Senatus: Imperator scelestam illam militum turbam formidabat. Imperator leges dabat Regibus: at huic leges dabant conducticii milites. Summa rerum orbis, ab armata paucorum temeritate pendebat. O magnificam & exoptandam omnibus monarchiam! Et tamen nescio quo pacto, velut ex composito, conueniebat inter Cæsares & milites Cæsarum dominos, quos legimus aliquoties se decimari passos ab iis quos mox erant suo arbitratu iugulaturi: quasi vices alternas inter se pacti, dominandi ac seruiendi. Hæc cum ita habeant, neq; enim negari potest: illud oportet expẽdere, num eiusmodi sit nobis optandum imperium, si tam olim obsoletum, votis liceat restituere. Quod si nemo sanus optaturus sit, quanto minus quodiam multis sæculis maxima ex parte sit antiquatum exstinctumq;, magno rerum humanarum tumultu, summaq; Christiani sanguinis iactura, vindicandũ ac reuocandum videtur? præsertim cum inter ethnicos etiam hoc animo repertus sit Otho, vt potius duxerit spontanea morte vitam abrumpere, quam imperium tot hominũ vita mercari: vir vel ob hoc ipsum dignus Imperio, si fortuna virtuti faueret. An parum est, suum quamq; regionem habere dominum, nisi singulæ rursus alium haberent dominum, conduplicata populi seruitute? Nec hæc dixerim, quod negem optimũ esse respubl statũ monarchiam, si modo is ad æterni Numinis exemplum, quantum potentia ceteris antecellit, tantumdem vincat & bonitate sapientiaq;: sed partim quod, vt sunt hominum ingenia, haud scio an huiusmodi quispiam possit contingere; partim quod, etiam si maxime contingat, non arbitror capacem esse tantæ dicionis vnius mortalis animum. Etenim qui vectigalibus exigendis tantum agit Imperatorem, is quiduis est potius quam Imperator. Non desiderabit orbis monarcham, si Christianos principes inter se iunget cõcordia. Verus & vnicus orbis monarcha CHRISTVS *est in cuius edicta si nostri principes consenserint, sub vno principe vere florebunt vniuersa: sin humanis cupiditatib. res gerẽtur, æterna rerum vicissitudine semper fluctuabimus iactabimurq;. Et tamen maximam huius felicitatis partem ipsi nobis præstare possumus, si concordibus studiis ad id quod per se optimum est, cõtendamus. Atq; ego sane ita demum arbitror felices fore respublicas, si principes sancte Christianeq; instituti, simulatq; susceperint regnum, pariter & animum regno dignũ suscipiant, publicis cõmodis metiãtur consilia omnia, ab omni tyrannidis specie, velut a peste, abhorreant, ac pro se quisq; certet, quod sortitus est regni, non amplius, sed melius successori tradere, omnes pariter adnitantur, ne bellũ vllũ sit, potius quam vt bello vincãt; neq; vllis sit opus copiis, magis quã vt his rebus sint instructi, pacis artibus magni videri studeant, quæ consiliis animiq; viribus constant. Equidem si quid nouari possit absq; rerum tumultu, iudicarim ad publicam orbis Christiani tranquillitatem magnopere pertinere, si certis fœderibus ex vsu publico sua cuiq; dicionis pomæria præscribantur quæ semel constituta, nullis affinitatib. aut pactis, vel contrahi possint, vel proferri, prorsus antiquato veterum titulorum iure, quos quisq; pro re nata, bello affectato, solet prætexere. Quod si quis forte clamitet, ius nescio quod suum adimi principibus: is illud mihi secum reputet velim, num æquum censeat, ob huiusmodi iura, quæ siue habet aliquis fortassis, siue fingit, orbem Christianum impiis ac parricidalibus armis sine fine collidi, tot innoxios aut interimi, aut perdi, tot immeritas fœminas affligi corrumpiq;, deniq; totam illam malorum tragœdiam, quæ bellum omne secum defert, in vitam hominum inuehi. Nam his fontibus omnia fere bella, quæ nostra memoria vidimus profecta esse constat. Verum hæc non tantum* [illegible] *videri possint, verum etiam impudentius ad vos scripta, Principes vt magnos, ita cum primis sapientes, ad hæc, quod est insita fortuna rarissimum, librorum etiam præsidiis cum primis instructos. Siquidem tuas eximias Federice dotes, cum sint insigniter insignes, non mirum si fama celebritas ad nos vsq; deuexit. Te vero, illustrissime Georgi, patrueli laudatissimo per omnia similem, ac vere Germanum, e propinquo cognoui, dum Phrysiam nobis finitimam administrares. Bene valete Principes vere felices, stemmatis quidem illustrissimi, sed ornamentis animi longe illustriores. Istos animos vobis seruet Christus optimus maximus: vos orbi Christiano, vestriq; similes, nobis complures velit exsistere. Antuerpiæ, Nonis Iuniis, Anno* M D X V I I.

INDEX EORVM QVÆ AVGVSTÆ HISTORIÆ TOMO CONTINENTVR.

INDEX PVRPVRATORVM A SVETONIO CETERISQVE AVCTORIBVS VETERIBVS DESCRIPTORVM,

Augustorum scilicet, Cæsarum, & Tyrannorum

Qui vero a veteribus auctoribus descripti non sunt, eorū & nomina e Reusneri catalogo peti possunt, 605, 18. & vitæ legi partim apud Egnatium, 561, partim apud Lætum 520.

C. SVETO-

C. Suetonii Tranquilli vita, a Philippo Beroaldo conscripta.

Caius Suetonius Tranquillus, *patrem habuit Suetonium cognomento Lenem, tertiadecimæ legionis Tribunum, & angusticlauium, qui interfuit bello Othoniano. A patre filius Tranquilli cognomen accepisse creditur. Nã cum ille* Lenis *sit cognominatus, hic eodem significato, non eodem verbo, dictus est* Tranquillus. *Floruit sub Adriano, vtpote illius magister epistolarum. Verum fortuna, quæ lubrica est, refragante, successor ei mox datus; quod apud Sabinam Imperatoris vxorem familiarius egisse ferebatur, quam reuerentia domus aulicæ postularet. Vsus est contubernio Plinii posterioris: a quo in epistolis admonetur ad volumina edenda, quæ perfecta absolutaque appellat. Cum esset vir doctrina compositiore, & elegantia floridiore præditus, scripsit libellum De Grammaticis & Rhetoribus quem D. Hieronymus secutus est, texens Catalogum scriptorum ecclesiasticorum. De genere vestium, de ludicra historia, libros cõcinnasse memoratur: quorum testimonio vtuntur eruditi. Idem de Vitiis corporalibus, & de Prætoribus volumina condidit luculenta. Inprimis vero ad posteros transmisit duodecim Cæsarum vitas, valde quidem probandas graphiceque conscriptas. in quo styli genere primas confeßione eruditorum haud dubie occupauit. Opus est emunctum, refertumque eruditione haudquaquam triuiali, & compositißimo ordine distinctum. vnde emendatißimus & candidißimus scriptor meruit appellari. cui, vt scribit Flauius Vopiscus, familiare fuit amare breuitatem. Ausonius in epistolio ad Paullinum, librorum meminit, quos numero treis Suetonius de Regibus scripsit. In hoc vero Cæsarum opere, quod eruditorum manibus continenter teritur, est opido quam tersus, & sincerißima scriptione præcellens. adeo, vt de Suetonio dicere merito poßimus, id quod Zeuxis pictor de se ipso prodidit: Inuisurum aliquem facilius quam imitaturum.*

Suetonii scipta, ex Suida.

Τράγκυλλος, ὁ Σουητώνιος χρηματίσας, γραμματικὸς Ῥωμαῖος, ἔγραψε περὶ τῶν παρ᾽ Ἕλλησι παιδιῶν βιβλίον α΄· περὶ τῶν παρὰ Ῥωμαίοις θεωρικῶν καὶ ἀγώνων βιβλία β΄· περὶ τοῦ κατὰ Ῥωμαίους ἐνιαυτοῦ βιβλίον α΄· περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων, α΄· περὶ τῆς Κικέρωνος πολιτείας, α΄· ἀντιλέγει δὲ τῷ Διδύμῳ· περὶ ὀνομάτων κυρίων καὶ ἰδεῶν ἐσθημάτων καὶ ὑποδημάτων, καὶ τῶν ἄλλων οἷς τις ἀμφιέννυται· περὶ δυσφήμων λέξεων, ἤτοι βλασφημιῶν, καὶ πόθεν ἑκάστη· περὶ Ῥώμης, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ νομίμων καὶ ἠθῶν, βιβλία β΄· συγγενικὸν Καισάρων· περιέχει δὲ καὶ βίους καὶ διαδοχὰς αὐτῶν ἀπὸ Ἰουλίου ἕως Δομετιανοῦ βιβλία η΄· στέμμα Ῥωμαίων ἀνδρῶν ἐπισήμων. id est:

Tranquillus, qui Suetonius est appellatus, grammaticus Romanus, scripsit de ludis Græcanicis lib. I: De spectaculis & certaminib. Romanis lib. II: De anno Romano lib. I: De signis quæ in libris vsurpantur, (seu De notis librariis) lib. I. De Ciceronis Republica lib. I, in quo aduersus Didymum disputat. De propriis nominib. ac speciebus vestium & calciamentorum, cæterorumq; quib. aliquis amicitur. De infamib. vocabulis seu probris, & vnde quodq; tractũ sit: De Roma Romanisq; institutis ac moribus lib. II: De Cæsarum gente libros VIII quib. & vitæ illorum continentur, & successiones, a Iulio vsq; ad Domitianum: Stemma virorum apud Romanos insignium.

Hæc Suidas, in quib. nota VIII tantum Cæsareæ historiæ libros nominari. Quæ distinctio si Suidæ est, videntur priores sex libri dicati esse Cæsarum genti, Iulio scilicet, Augusto, Tiberio, Caio, Claudio, Neroni: septimus autem, Galbæ, Othoni, Vitellio, octauus, Vespasiano, & filiis eius, Tito ac Domitiano. In eodem Suidæ loco, a principio & θεωρικῶν retineri potest, & θεωριῶν pro eo substitui. In fine autem, pro singulari στέμμα pluraliter legendum videtur στέμματα. nisi forte per *Stemma virorum apud Romanos insignium*, intelligi Suidas voluit Coronam seu contextum virorum illustrium. nam Suetonium de viris illustrib. scripsisse, cum alii testantur, tum S. Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum. Eodemque respexisse videtur Agellius lib. 15, c. 4, cum ait, Ventidium Bassum Suetonius Tranquillus præpositum esse a M. Antonio prouinciis Orientalibus, Parthosque in Syriam introrumpentes, tribus ab eo prœliis fusos scribit: eumque primum omnium de Parthis triũphasse, & morte obita publico funere sepultũ esse. Ad libros περὶ παιδιῶν pertinet, quod idẽ Agellius lib. 9, cap. 7, refert his verbis, De fidibus rarius dictu & mirabilius est, quã rem & alii docti viri, & Suetonius etiam Tranquillus in libro Ludicræ historiæ primo, satis compertũ esse, satisq; super ea re constare, affirmat, neruias in fidibus brumali die, alias digitis pelli, alias sonare.

INDEX CAPITVM CÆSAREÆ
Historiæ a Suetonio conscriptæ.

Gesta

TIBERIVS, III.

CALIGVLA, IIII.

CLAVDIVS, V.

NERO, VI.

Gesta

IOANN. LVD. VIVES RVFFALDO SVO S.

SVETONIVM esse acephalum, vt Curtium, vt aliquot Orationes Ciceronis, vt nuper etiam Tacitum, duobus potissimum argumentis colligitur: tum quod non solet gentis ac familiæ originem prætermittere Cæsaris eius, cuius vitam exorditur, de Iulia nulla mentio, cum sit maxime illustris, & memoratu digna: tum quod in vetustis exemplaribus hoc habetur initium, *Annum agens sextumdecimum*, prætermisso Cæsaris nomine, vt appareat prius fuisse de illo locutum. Nos igitur, quandoquidem spes non est, quod desideratur, fore vt aliquādo exsistat, ex veterum scriptorum lectione, quantum industria ac studio consequi potuimus, eum locum studiosæ iuuentuti expleuimus. Si quando idipsum in lucem prodierit quod Suetonius scripsit, facilis erit tantuli mei laboris iactura. Suetonii phrasin æmulatus sum, & obseruationis diligentiam. Cui non satisfecero, næ is haud magnum acceperit damnum exiguæ chartulæ, & breuissimi temporis, quod perdiderit nostris legendis. Si cui placuero, is satis hoc ipso nobis præstiterit. sin displicuero, ab hoc veniam petimus audaciæ. Dicamus tibi Hieronyme Ruffalde, auditorum meorum probissimo, ac proinde carissimo. Vale. Louanii, MDXXI.

ADDITA SVETONIO IN VITA C. IVLII CÆSARIS, PER LVD. VIVEM.

De gente Iulia, 1.

GENTEM *Iuliam pro indubitato creditur ab Iulo Æneæ filio manasse, qui Lauinio relicto, Albam Longam condidit in qua & regnauit. Eo mortuo, cum ad Ascanium Lauiniæ atque Æneæ filium Latinum redisset regnum, cura sacrorum cærimoniarumque Latinæ ac Troianæ gentis, penes sobolem Iuli mansit, ex qua sunt Iulii. Hos cum aliis quibusdam nobilissimis Latii familiis Tullus Hostilius Romanus rex, postquam Albam diruisset, Romam transtulit, ac in patres cooptauit. Sero ad magistratus emerserunt, nempe inter Patricios maiorum gentium fere postremi, anno V. C. altero & trecentesimo, C. Iulio Decemuiro legibus scribendis, priore eius ce magistratus lectione. Omnis dehinc generis honores nacta, mansit in Patriciatu & ordine Senatorio, mediocrib. opibus, nullo insigniter præstanti viro factisque præclaris illustrior.*

Cæsarum familia, 2.

IN *Iulia gente familia fuit* CAESARVM *quā ratione cognominis, haud liquet, nec cui primum contigerit. Nam ante Cæsarem Dictatorem, patremque eius, & auum, Iulii Cæsares fuerunt: vt ille qui Punico bello secundo, a Senatu ad Crispinum consulem de Dictatore dicendo missus est. Cæsares vero consuetus Romanus sermo cognominarat eos, qui vel cæso matris vtero, vel cum cæsarie nascerentur, vel oculis essent cæsiis. Addunt quidam, de elephanto in Africa occiso, quem indigenæ Cæsarem vocent, eamque ob caussam cognomen hoc primum auo Dictatoris contigisse. Sed qui hoc tradunt, infimæ sunt auctoritatis, nempe, Spartianus & Seruius. Neque enim sola illius progenies ex Iuliis hoc cognomen habuit, sed alii, & ante eum multo, & cum eo gentiles illius plerique. Consules ante Dictatorem fuerunt, Sext. Iulius Cæsar, cum L. Marcio Philippo, initio belli socialis. Sequente anno L. Cæsar cum Rutilio Lupo. nec ante hos clarius quisquam fuit Cæsarū, aut summo magistratu Romæ functus. Multis post annis Consulatum ex eadem familia adeptus est L. Cæsar Sexti filius, frater patruelis L. Iulii Cæsaris, qui Dictatorem progenuit. hic ad Præturam tantum peruenit. Pisis, dum mane calciaretur, exstinctus, nullo manifesto morbo.*

Ortus Cæsaris, & educatio, 3.

Natus est Cæsar Romæ, C. Mario & L. Valerio Flacco COSS. *ad IIII Idus Quinctiles, qui mensis post eius mortem lege Antonia Iulius est ea caussa dictus. educatus apud Aureliam matrem, C. Cottæ filiam, & Iuliam amitam, Marii coniugem: vnde illi patricio amor plebeiæ factionis, & odium Sullæ. Litteras Latinas Græcasque, tum & præcepta dicendi edoctus est a M. Antonio Gryphone, homine Gallo, qui magni ingenii vir, ac singularis memoriæ, præterea moribus comis, & natura facilis, primo in ædibus L. Cæsaris patris Græcam Latinamque grammaticam & rhetoricen docuit: hinc in suis ipsius, multa discentium liberalitate consecutus, cum numquam pacisceretur de mercede. Fuit Cæsar admirabili docilitate, & ad dicendi facultatem appositus: sermo eius Latinus, excultus est domestica consuetudine ab Aurelia matre, quæ pure ac eleganter Romane loquebatur, vt Muciæ, Læliæ, Corneliæ, & aliæ primariæ matronæ: in quarum familiis insignes oratores exstiterunt.*

C. SVETONII TRANQVILLI XII CÆSARES.

D. IVLIVS CÆSAR, I.

ANNVM agens Cæsar XVI, patrem amisit: sequentibusque COSS. flamen Dialis destinatus, dimissa Cossutia, quæ familia equestri, sed admodum diues Prætextato desponsata fuerat, Corneliam Cinnæ *IIII cos. filiam duxit vxorem: ex qua illi mox Iulia nata est: neque vt repudiaret [illam,] compelli a Dictatore Sulla vllo modo potuit. Quare & sacerdotio, & vxoris dote, & gẽtilicijs hereditatibus multatus, diuersarum partium habebatur: vt etiam discedere e medio, &, quamquam morbo quartanæ aggrauante, prope per singulas noctes commutare latebras cogeretur, seq; ab inquisitoribus pecunia redimere: donec per virgines Vestales, perque Mamercum Æmilium, & Aurelium Cottam, propinquos & affines suos, veniam impetrauit. Satis constat Sullam, cum deprecantibus amicissimis & ornatissimis viris aliquamdiu denegasset, atq; illi pertinaciter contenderent, expugnatum tandem proclamasse, siue diuinitus, siue aliqua coniectura, Vincerent, ac sibi haberent, dummodo scirent eum, quem incolumem tantopere cuperent, quandoque optimatium partibus, quas secum simul defendissent, exitio futurũ. nam Cæsari multos Marios inesse.

STIPENDIA prima in Asia fecit, M. Thermi Prætoris contubernio: a quo ad accersendam classem in Bithyniam missus, desedit apud Nicomedem; non sine rumore prostratæ regi pudicitiæ: quem rumorem auxit, intra paucos *rursus dies repetita Bithynia, per caussam exigendæ pecuniæ, quæ deberetur cuidam libertino clienti suo. Reliqua militia, secundiore fama fuit: & a Thermo in expugnatione Mitylena- 673 rum *ciuica donatus est.

MERVIT & sub Seruilio Isaurico in Cilicia; sed breui tempore. Nam Sullæ morte comperta, simul spe nouæ dissensionis, quæ per M. Lepidum mouebatur, Romam propere rediit; & Lepidi quidem societate, quamquam magnis conditionibus inuitaretur, abstinuit: cum ingenio eius diffisus, tum occasione, quam minorem opinione offenderat.

CETERVM composita seditione ciuili, Cornelium Dolabellam, consularem & triumphalem [virum] repetundarum postulauit: absolutoque, Rhodum secedere statuit, & ad declinandã inuidiam, & vt per otium ac requiem *Apollonio Moloni, clarissimo tunc dicendi magistro, operam daret. Huc dum hibernis iam mensibus traiicit, circa *Pharmacusam insulam a prædonibus captus est, mansitque apud eos non sine summa indignatione prope XL. dies, cum vno *medico, & cubiculariis duobus. Nam comites seruosq; ceteros in initio statim ad expediendas pecunias, quibus redimeretur, dimiserat. Numeratis deinde L. talentis, expositus in litore, non distulit quin e vestigio classe deducta persequeretur abeuntes; ac redactos in potestatem, supplicio, quod illis sæpe minatus inter iocum fuerat, afficeret. Vastante regiones proximas Mithridate, ne desidere in discrimine sociorum videretur, ab Rhodo, quo pertenderat, transit in Asiam: auxiliisque contractis, & præfecto regis prouincia expulso, nutanteis ac dubias ciuitates retinuit in fide.

*TRIBVNATV militum, qui primus Romam reuerso per suffragia populi honor obtigit, *auctores restituendæ tribunitiæ potestatis, cuius vim Sulla diminuerat,

enixissime iuuit. Lucio etiam Cinnæ, vxoris fratri, & qui cum eo ciuili discordia Lepidum secuti, post necem cos. ad Sertorium confugerant, reditum in ciuitatem rogatione Plotia confecit; habuitque & ipse super ea re concionem.

QVÆSTOR Iuliam amitam, vxoremq. Corneliam, defunctas laudauit * e more pro rostris. sed in amitæ quidem laudatione, de eius ac patris sui vtraq; origine sic refert: *Amitæ meæ Iuliæ maternum genus ab regibus ortum, paternum cum dijs immortalibus coniunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marcij * Reges, quo nomine fuit mater. a Venere, Iulij; cuius gentis familia est nostra. Est ergo in genere & sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent; & cærimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges.* In Corneliæ autem locum Pompeiam duxit, Qu. Pompeij filiam, L. Sullæ neptem: cum qua deinde diuortium fecit, adulteratam opinatus a P. Clodio: quem inter publicas cærimonias penetrasse ad eam muliebri veste, tam constans fama erat, vt Senatus quęstionem de pollutis sacris decreuerit.

QVÆSTORI vlterior Hispania obuenit. vbi cum mandato * Prætoris iure dicundo conuentus circumiret, Gadeisque venisset, animaduersa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit: & quasi pertæsus ignauiam suam, quod nihil dum a se memorabile actum esset in ætate qua iam Alexander orbem terrarum subegisset, missionem continuo efflagitauit, ad captandas quamprimum maiorum rerũ occasiones * in vrbe. Etiam confusum eum somnio proximæ noctis (nam visus erat per quietem matri stuprum intulisse) coniectores ad amplissimam spem incitauerũt, arbitrium orbis terrarum portendi interpretantes: * quando mater, quam subiectam sibi vidisset, non alia esset quam terra, quæ omnium parens haberetur.

DECEDENS ergo ante tempus, * colonias Latinas de petenda ciuitate agitantes adiit: & ad audendum aliquid concitasset, nisi COSS. conscriptas in * Ciliciã legiones paullisper ob id ipsum retinuissent. Nec eo secius maiora mox in vrbe molitus est.

SIQVIDEM ante paucos dies, quam Ædilitatem iniret, venit in suspicionem cõspirasse cum M. Crasso consulari, item P. Sulla, & * P. Autronio, post designationem consulatus, ambitus condemnatis: vt principio anni Senatum adorirentur, & trucidatis quos placitum esset, Dictaturam Crassus inuaderet, ipse ab eo magister equitũ diceretur; constitutaque ad arbitrium republica Sullæ & Autronio consulatus restitueretur. Meminerunt huius coniurationis Tanusius Geminus in historia, M. Bibulus in edictis, C. Curio pater in Orationibus. De hac significare videtur & Cicero in quadam ad * Axium epistola, referens Cæsarem in consulatu confirmasse regnum, de quo Ædilis cogitarat. * Tanusius adiicit, Crassum pœnitentia vel metu diem cædi destinatum non * obiisse; & idcirco ne Cæsarem quidem signum, quod ab eo dari conuenerat, dedisse. Conuenisse autem Curio ait, vt togam de humero deiiceret. Idem Curio, sed & M. * Actorius Naso, auctores sunt, conspirasse eum etiam cũ Cn. Pisone adolescẽte: cui ob suspicionẽ vrbanę coniurationis, prouincia Hispania vltro extra ordinẽ data sit: pactũque, vt simul foris ille, ipse Romæ ad res nouas cõsurgerẽt, per * Lambranos & Transpadanos: destitutum vtriusque consilium morte Pisonis.

ÆDILIS, præter comitium, ac forum, basilicasque, etiam Capitolium ornauit porticibus ad tempus exstructis: in quibus, abundante rerum copia, pars apparatus exponeretur. Venationes autem ludosque, & cum collega, & separatim edidit. quo factum est vt communium quoque impensarum solus gratiam caperet; nec dissimularet collega eius M. Bibulus, euenisse sibi quod Polluci. vt enim geminis fratribus ædes in foro constituta, tantum Castoris vocaretur: ita suam Cæsarisque munificentiã, vnius Cæsaris dici. Adiecit insuper Cæsar etiam * gladiatorium munus: sed aliquanto paucioribus, quam destinauerat, * paribus. Nam cum multiplici vndique familia comparata inimicos exterruisset, cautum est de numero gladiatorum, quo ne maiorem cuiquam habere [Romæ] liceret.

CONCILIATO populi fauore, tentauit per partem tribunorum, vt sibi Ægyptus prouincia plebiscito daretur: nactus extraordinarij Imperij occasionem, quod Alexãdrini regem suum, socium atque amicum a Senatu appellatum, expulerant, resque vulgo improbabatur. nec obtinuit, aduersante * optimatium factione. quorum auctoritatem vt quibus posset modis inuicem diminueret, tropæa C. Marij de Iugurtha,

deque

deque Cimbris atque Teutonis, olim a Sulla disiecta, restituit: atque in exercenda de sicariis quæstione, eos quoque sicariorum numero habuit, qui proscriptione ob [relata] ciuium Romanorum capita, pecunias ex ærario acceperant; quamquam exceptos Corneliis legibus.

SVBORNAVIT etiam qui C Rabirio perduellionis diem diceret: quo præcipuo 12
*adiutore, aliquot ante annos L. Saturnini seditiosum Tribunatum Senatus coercuerat: ac sorte iudex in reum ductus, tam cupide condemnauit, vt ad populum prouocanti nihil æque ac iudicis acerbitas profuerit.

DEPOSITA prouinciæ spe, Pontificatum maximum petiit, non sine profusissima 13
largitione. In qua reputans magnitudinem æris alieni, cum mâne ad comitia descenderet, prædixisse matri osculanti fertur, domum se nisi Pontificem non reuersurum. atque ita potentissimos duos competitores, multumque [&] ætate ac dignitate antecedentes superauit, vt plura ipse in eorum tribubus suffragia, quam vterque in omnibus, tulerit.

PRÆTOR creatus, detecta coniuratione Catilinæ, Senatuque vniuerso in socios 14
facinoris vltimam statuente pœnam, solus municipatim diuidendos custodiendosq; publicatis bonis censuit. Quin & tantum metum iniecit asperiora suadentibus, identidem ostentans quanta eos in posterum a plebe Romana maneret inuidia, vt D. *Silanum COS. designatum non piguerit sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire; velut grauius atque ipse sensisset exceptam: obtinuissetque, adeo transductis ad se iam pluribus, & in his *Ciceronis Consulis fratre, nisi labantem ordinem confirmasset M. Catonis oratio. Ac ne sic quidem impedire rem destitit, quoadusque manus equitum Romanorum, quæ armata præsidij caussa circumstabat, immoderatius perseueräti necem comminata est, etiam strictos gladios vsque eo intentans, vt sedentem vnà proximi deseruerint, vix pauci complexu togaque obiecta protexerint. Tunc plane deterritus non modo cessit, *sed etiam in reliquum anni tempus curia abstinuit.

PRIMO Præturæ die, Q Catulum de refectione Capitolij ad disquisitionem po- 15
puli vocauit, rogatione promulgata, qua curationẽ eam in alium trãsferebat. Verum impar optimatiũ conspirationi, quos, relicto statim nouorũ Consulũ officio, *frequẽtes obstinatosq; ad resistendum concurrisse cernebat, hanc quidẽ actionẽ deposuit.

CETERVM Cæcilio Metello tribuno plebis, turbulentissimas leges aduersus col 16
legatum intercessionem ferenti, auctorem propugnatoremq; se pertinacissime præstitit, donec ambo administratione reip decreto patrum summouerentur. Ac nihilo minus permanere in magistratu, & ius dicere ausus, vt comperit paratos qui vi ac per arma prohiberent, dimissis lictoribus, abiectaque pretexta, domum clam refugit, pro conditione temporum quieturus. Multitudinem quoque biduo post sponte & vltro confluentem, operamq; sibi in asserenda dignitate tumultuosius pollicentẽ compescuit. Quod cum præter opinionem euenisset, Senatus ob eundem cœtum festinato coactus, gratias ei per primores viros egit: accitumque in Curiam, & amplissimis verbis collaudatum, in integrum restituit, inducto priore decreto.

RECIDIT rursus in discrimẽ aliud, inter socios Catilinæ nominatus, & apud No- 17
uium Nigrum *Quæstorem a L. *Vettio indice, & in Senatu a Q. Curio; cui, quod primus consilia coniuratorum detexerat, constituta erant publice præmia. Curius e Catilina se cognouisse dicebat: Vettius etiam chirographum eius Catilinæ datũ pollicebatur. Id vero Cæsar nullo modo tolerandum existimans, cum implorato Ciceronis testimonio, quædam se de coniuratione vltro ad eum detulisse docuisset, ne Curio præmia darentur, effecit: Vettium *pignoribus captis, & direpta supellectile male *multatum, ac pro rostris in concione pæne discerptum, coniecit in carcerem. *Eôdẽ Nouium Quæstorẽ; quod compellari apud se maiorem potestatem passus esset.

Ex Prætura vlteriorem sortitus Hispaniam, retinentes creditores interuentu spõ- 18
sorum remouit: ac neque more, neque iure, antequã *prouinciæ ordinarentur, profectus est. Incertum, metune iudicij, quod priuato parabatur; an quo maturius sociis implorantibus subueniret. pacataque prouincia, pari festinatione, nõ exspectato successore, ad triumphum simul Consulatumque decessit. Sed, cum *editis iam comitiis

rario eius haberi nō posset, nisi priuatus introisset vrbē; & ambienti vt legibus solueretur, multi contradicerēt: coactus est triumphū, ne Cōsulatu excluderetur, dimittere.

19 E DVOBVS [Consulatus] competitoribus, L. Lucceio, M. que Bibulo, Lucceium sibi adiunxit; pactus vt is, quoniam inferior gratia esset, pecuniaque polleret, nūmos de suo communi nomine per centurias pronuntiaret. Qua cognita re, optimates, quos metus ceperat, nihil non ausurum eum in summo Magistratu, concordi & cōsentiente collega, auctores Bibulo fuerunt tantumdem pollicendi: ac plerique pecunias contulerunt; ne Catone quidem abnuente eam largitionem e rep. fieri. Igitur cum Bibulo Consul *creatus est. Eandem ob caussam opera *optimatibus data est, vt prouinciæ futuris COSS. minimi negotij, id est *siluæ callesque decernerentur. Qua maxime iniuria instinctus, omnibus officiis Cnæum Pompeium affectatus est. *offensum patribus, quod Mithridate rege victo, *cunctantius cōfirmarentur acta sua: Pompeioque M. Crassum reconciliauit, veterē inimicum ex Consulatu, quem summa discordia simul gesserant: ac societatem cum vtroq; iniit, ne quid ageretur in rep. quod displicuisset vlli e tribus.

20 INITO bonore, primus omnium instituit, vt tam Senatus quam populi diurna acta conficerentur, & publicarentur. Antiquum etiam retulit morem, vt quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, lictores ponè sequerentur. Lege autem agraria promulgata, obnuntiantem collegam armis foro expulit. ac postero die in Senatu conquestum, nec quoquam reperto, qui super tali consternatione referre, aut censere aliquid auderet, qualia multa sæpe in leuioribus turbis decreta erant, in eam coegit desperationem, vt, quoad potestate abiret, domo abditus nihil aliud quam per edicta obnuntiaret. Vnus ex eo tempore omnia in rep. & ad arbitrium administrauit. vt non nulli vrbanorum, cum quid per iocum *testandi gratia signarent, non Cæsare & Bibulo, sed Iulio & Cæsare COSS. actum scriberent; *bis eundem præponentes, nomine, atque cognomine: vtque vulgò mox ferrentur hi versus; *Non Bibulo* **quidquam nuper, sed Cæsare, factum est: Nam Bibulo fieri Consule nil memini.* *Campum Stellatem, maioribus consecratum, agrumque Campanum ad subsidia reip. vectigalem relictum, diuisit extra sortem, [ac] XX millibus ciuium, quibus terni pluresue liberi essent. Publicanos remissionem petentes, tertia mercedum parte releuauit: ac ne in locatione nouorum vectigalium immoderatius *licitarentur, propalam monuit. Cetera item quæ cuique libuissent, dilargitus est, contradicente nullo, ac, si conaretur quis, absterrito. M. Catonem interpellantem extrahi Curia per lictorem, ducique in carcerem iussit. L. Lucullo liberius resistenti, tantum calumniarum metum iniecit, vt ad genua vltro sibi *accideret. Cicerone in iudicio quodam deplorante temporū statum, P. Clodium inimicum eius, frustra iampridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die, horaque nona *traduxit. Postremo in vniuersos diuersæ factionis *inductum præmiis, vt se de inferenda Pompeio nece sollicitatum a quibusdam profiteretur, productusque pro Rostris auctores ex compacto nominaret: *sed vno atque altero frustra, nec sine suspicione fraudis nominatis, desperans tam præcipitis consilij euentum, intercepisse veneno *indicem creditur.

21 SVB idem tempus Calpurniam L. Pisonis filiam, successuri sibi in Consulatu, duxit vxorem: suamque Iuliam, Cn. Pompeio collocauit, repudiato priore sponso Seruilio Cæpione, cuius vel præcipua opera paullo ante Bibulū impugnauerat. Ac post nouam affinitatem, Pompeium primúm rogare sententiam cœpit; cum Crassum soleret, essetque consuetudo, vt quem ordinem interrogandi sententias COS. Kalend. Ianuariis instituisset, eum toto anno conseruaret.

22 SOCERO igitur generoque suffragantibus, ex omni prouinciarum copia Gallias potissimum elegit; cuius emolumēto & opportunitate idonea sit materia triumphorum. & initio quidem Galliam Cisalpinam, Illyrico adiecto, lege Vatinia accepit: mox per Senatum Comatam quoque: veritis patribus, ne si ipsi negassent, populus & hanc daret. Quo gaudio elatus, non temperauit quin paucos post dies frequenti Curia iactaret, inuitis & gementibus aduersariis adeptum se quæ concupisset: proinde ex eo insultaturum omnium capitibus: ac negante quodam per contumeliam, facile hoc vlli feminæ fore, responderit, quasi alludens, in *Assyria quoque regnasse Semiramim, magnamque Asiæ partem Amazonas tenuisse quondam.

FVNCTVS

FVNCTVS Consulatu, C. Memmio L. que Domitio Prætoribus, de superioris anni actis referentibus, cognitionem Senatui detulit: nec illo suscipiente, triduoque per irritas altercationes absumto, in prouinciam abiit: & statim Quæstor eius in præiudicium *aliquot criminibus arreptus est. Mox & ipse a L. Antistio tribuno plebis postulatus, appellato demum collegio, obtinuit, cum reip. caussa abesset, reus ne fieret. Ad securitatem ergo posteri temporis, in magno negotio habuit, obligare semper annuos magistratus; & *e competitoribus non alios adiuuare, aut ad honorem pati peruenire, quam qui sibi *pepigissent propugnaturos absentiam suam. cuius pacti non dubitauit a quibusdam iusiurandum, atque etiam *syngrapham exigere.

SED cum L. Domitius Consulatus candidatus, palam minaretur, COS. se effecturum quod Prætor nequisset, ademturumque ei exercitus: Crassum Pompeiumque in vrbem prouinciæ suæ Lucam extractos compulit, vt detrudendi Domitij caussa Consulatum alterum peterent, *& vt in quinquennium sibi Imperium propagaretur. perfecitq; vtrumque. Qua fiducia ad legiones, quas a rep. acceperat, [alias publico,] alias priuato sumtu addidit. vnam etiam ex Transalpinis cõscriptam, vocabulo quoque Gallico (**alauda* enim appellabatur) quam disciplina cultuque Romano institutam, & ornatam, postea vniuersam ciuitate donauit. Nec deinde vlla belli occasione, ne iniusti quidem ac periculosi, abstinuit, tam fœderatis, quam infestis ac feris gẽtibus vltro lacessitis: adeo vt Senatus quondam legatos ad explorandum statum Galliarum mittendos decreuerit, ac non nulli dedendum eum hostibus censuerint. Sed prospere decedentibus rebus, & sæpius, & plurium quam quisquam vnquam dierũ, supplicationes impetrauit.

GESSIT autem IX annis, quibus in Imperio fuit, hæc fere. Omnem *Galliam*, quæ a *saltu Pyrenæo, Alpibusque, & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, patetque circumitu ad *bis & tricies centum millia passuum, præter socias ac bene meritas ciuitates, in prouinciæ formam redegit, eique CCCC LLS in singulos annos stipendij nomine imposuit. *Germanos*, qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum ponte fabricato aggressus, maximis affecit cladibus. Aggressus [est] & *Britannos*, ignotos antea: superatisque pecunias & obsides imperauit. Per tot successus ter, nec amplius, aduersum casum expertus: in Britannia, classe vi tempestatis prope absumta: & in Gallia, ad Gergouiam legione fusa: & in Germanorum finibus, Titurio & *Arunculeio legatis per insidias cæsis.

Eodem temporis spatio matrem primo, deinde filiam, nec multo post, *neptem amisit. *Interimque consternata P. Clodij cæde rep. cum Senatus vnum cos. nominatimque Cn. Pompeium fieri censuisset, egit cum Tribunis plebis collegam se Pompeio destinantibus, id potius ad populum ferrent, vt absenti sibi, [&] quandocumque Imperij tempus expleri cœpisset, petitio secundi Consulatus daretur: ne ea caussa maturius, & imperfecto adhuc bello decederet. Quod vt adeptus est, altiora iam meditans, & spei plenus, nullum largitionis aut officiorum in quemquam genus publice priuatimque omisit. Forum de manubiis incohauit: cuius area super *LLS millies cõstitit. Munus populo epulumque pronuntiauit in filiæ memoriam: quod ante eum nemo [fecit.] Quorũ vt quammaxima exspectatio esset, ea quæ ad epulum pertinerent, quamuis macellariis oblocata, etiam domesticatim apparabat. Gladiatores notos, sicubi infestis spectatoribus dimicarent, vi rapiendos reseruandosque mandabat. Tirones neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos, ac etiam per senatores armorum peritos erudiebat; precibus enitens, quod epistolis eius ostenditur, vt disciplinam singulorum susciperent, ipsique dictata exercẽtibus darent. Legionibus stipendium in perpetuum duplicauit. Frumentum, quoties copia esset, etiam sine modo mensuraque præbuit; ac singula interdum mancipia & prædia viritim dedit.

AD retinendam autem Pompeij necessitudinem ac voluntatem, Octauiam sororis suæ neptem, quæ C. Marcello nupta erat, conditione ei detulit, sibique filiam eius in matrimonium petiit, Fausto Sullæ destinatam. *Omnibus vero circa eum, atque etiam parte magna Senatus, *gratuito, aut leui fenore obstrictis, ex reliquo quoq; ordinum genere vel inuitatos, vel sponte ad se commeantes, vberrimo congiario pro-

sequebatur: libertos insuper seruulosque cuiusque, prout domino patronoue gratus quis esset. Tum reorum aut obæratorum, aut prodigæ iuuentutis, subsidium vnicũ ac promtissimum erat: nisi quos grauior criminũ, vel inopiæ luxuriæue vis vrgeret, quam vt subueniri posset a se. His plane palam bello ciuili opus esse dicebat.

NEC minore studio reges atque prouincias per terrarum orbem alliciebat; aliis captiuorum millia dono offerens, aliis citra Senatus populique auctoritatem quò vellent, & quoties vellent, *auxilia submittens: superque Italiæ, Galliarumque & Hispaniarum, Asiæ quoque & Græciæ potentissimas vrbes præcipuis operibus exornans: donec attonitis iam omnibus, & quorsum illa tenderent reputantibus, M. Claudius Marcellus COS. edicto præfatus de summa se *rep. acturum, retulit ad Senatum, vt ei succederetur ante tempus: quoniam bello confecto pax esset, ac dimitti deberet victor exercitus: & ne absentis ratio comitiis haberetur, quando *ne plebiscito, Pompeius postea abrogasset. Acciderat autem, vt is legem de iure Magistratuum ferens, eo capite quo a petitione honorum absentes submouebat, ne Cæsarem quidem exciperet per obliuionem. ac mox lege iam in æs incisa, & in ærarium condita, corrigeret errorem. Nec contentus Marcellus prouincias Cæsari & priuilegium eripere, retulit etiam vt colonis, quos rogatione Vatinia Nouumcomum deduxisset, ciuitas adimeretur: quod per ambitionem, & vltra præscriptum data esset.

COMMOTVS his Cæsar, ac iudicans, quod sæpe ex eo auditum ferunt, difficilius se principem ciuitatis a primo ordine in secundum, quam ex secundo in nouissimum detrudi, summa ope restitit, partim per intercessores Tribunos, partim per Seruium Sulpicium alterum Consulem. Insequenti quoque anno C. Marcello, qui fratri patrueli suo Marco in Consulatu successerat, eadem tentante, collegam eius Æmilium Paullum, C.que Curionem violentissimum Tribunorum, ingenti mercede defensores parauit. Sed cum obstinatius omnia agi videret, & designatos etiam coss. e parte diuersa, Senatum litteris deprecatus est, ne sibi beneficium populi *adimeretur: aut vt ceteri quoque Imperatores ab exercitibus discederent: confisus, vt putant, facilius se, simulatque libuisset, veteranos conuocaturum, quam Pompeium nouos milites. Cum aduersariis autem pepigit, vt dimissis octo legionibus, Transalpinaque Gallia, duæ sibi legiones, & Cisalpina prouincia, vel etiam vna legio cum Illyrico concederetur, quoad COS. fieret.

VERVM neque Senatu interueniente, & aduersariis negantibus vllam se de rep. facturos pactionem, transiit in citeriorem Galliam: *conuentibusque peractis, Rauennæ substitit; bello vindicaturus, si quid de Tribunis plebis intercedentibus pro se, grauius [a Senatu constitutum esset. Et prætextum quidem illi ciuilium armorum hoc fuit. Caussas autem alias fuisse opinantur. Cnæus Pompeius ita dictitabat, quod neque opera consummare quæ instituerat; neque populi exspectationem, quam de aduentu suo fecerat, priuatis opibus explere posset; turbare omnia ac permiscere voluisse. Alij timuisse dicunt, ne eorum quæ primo Cõsulatu aduersus auspicia legesque & intercessiones gessisset, rationem reddere cogeretur: cum M. Cato identidem, nec sine iureiurando denuntiaret, delaturum se nomen eius, simulac primúm exercitum dimisisset; cumque vulgo fore prędicarent, vt si priuatus redisset, Milonis exemplo, circumpositis armatis, caussam apud iudices diceret. Quod probabilius facit *Asinius Pollio, Pharsalica acie cæsos profligatosque aduersarios prospicientem, hæc eum ad verbum dixisse referens, **Hæc voluerunt. tantis rebus gestis, C. Cæsar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petissem.* Quidam putant captum Imperij consuetudine, *pensitatisque suis & inimicorum viribus, vsum occasione rapiendæ dominationis, quam ætate prima concupisset. Quod existimasse videbatur & Cicero, scribens de Officiis tertio libro, semper Cæsarem in ore habuisse eos [in Phœnissis; Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι Κάλλιστον ἀδικεῖν· τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.] Euripidis versus quos sic ipse conuertit, *Nam si violandum est ius, Imperij gratia Violandum est: aliis rebus pietatem colas.*

CVM ergo sublatam Tribunorum intercessionem, ipsosq; vrbe cessisse nuntiatũ est, præmissis confestim clam cohortibus, ne qua suspicio moueretur, & spectaculo publico per dissimulationem interfuit; & *formam, qua ludum gladiatorium erat ædifica-

dificaturus, considerauit; & ex consuetudine conuiuio se frequenti dedit. Dein post Solis occasum, mulis e proximo pistrino ad vehiculum iunctis, occultissimũ iter modico comitatu ingressus est: & *cum luminibus exstinctis decessisset via, diu errabundus, tandem ad lucem duce reperto, per angustissimos tramites pedibus euasit. consecutusq; cohortes ad Rubiconem flumen, qui prouinciæ eius finis erat, paullum constitit: ac reputans quãtum moliretur, conuersus ad proximos, *Etiam nunc*, inquit, *regredi possumus: quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt*.

CVNCTANTI ostentũ tale factũ est. Quidam eximia magnitudine & forma, in proximo sedens repente apparuit, arũdine canens, ad quem audiendũ, cum præter pastores, plurimi etiã ex stationibus milites cõcurrissent, interq; eos & *æneatores, rapta ab vno tuba prosiluit ad flumen: & ingenti spiritu classicũ exorsus, pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæsar, *Eatur*, inquit, *quò deorum ostẽta, & inimicorum iniquitas vocat*. **Iacta est alea*, inquit.

ATQVE ita traiecto exercitu, adhibitis Tribunis pl. *qui pulsi superuenerãt, pro cõcione fidem militũ flens, ac veste a pectore discissa, inuocauit. Existimatur etiã equestres census pollicitus singulis: quod accidit opinione falsa. Nam cum in alloquendo exhortandoq; sæpius digitũ læuæ manus ostentans, affirmaret se ad satisfaciendũ omnib⁹, per quos dignitatẽ suam defẽsurus esset, anulũ quoq; æquo animo detractutũ sibi: extrema cõcio, cui facili⁹ erat videre cõcionantẽ, q̃ audire, pro dicto accepit quod visu suspicabatur: promissumque ius anulorum cum millibus *cccc, fama distulit.

ORDO & summa rerum, quas deinceps gessit, sic [se] habent. Picenum, Vmbriã, Etruriam occupauit: & L. Domitio, qui per tumultum successor ei nominatus, Corfinium præsidio tenebat, in deditionem redacto atque dimisso, secundum superum mare* Brundisium tetendit; quò COSS. Pompeiusque confugerant, quam primum transfretaturi. Hos frustra per omnes moras exitu prohibere conatus, Romam iter conuertit: appellatisque de rep. patribus, validissimas Pompeij copias, quæ sub tribus legatis M. Petreio, & L. Afranio, & M. Varrone in Hispania erãt, inuasit; professus ante inter suos, ire se ad exercitum sine duce, & inde reuersurũ ad ducẽ sine exercitu. Et quamquam obsidione Massiliæ, quæ sibi in itinere portas clauserat, summaque frumentariæ rei penuria retardante, breui tamen omnia subegit.

HINC vrbe repetita, in Macedoniam transgressus, Pompeium per quatuor pæne menseis maximis obsessum operibus, ad extremum Pharsalico prœlio fudit: & fugiẽtem Alexandriam persequutus, vt occisum deprehendit, cum Ptolemæo rege, a quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum sane difficillimum gessit: neque loco neque tempore æquo, sed hieme anni, & intra mœnia copiosissimi ac sollertissimi hostis, inops ipse rerum omnium, atque imparatus. Regnum Ægypti victor, Cleopatræ fratrique eius minori permisit: veritus prouinciam facere, nequandoq; violẽtiorem Præsidem nacta, nouarum rerum materia esset. Ab Alexandria in Syriam, & inde Pontum transiit, vrgentibus de Pharnace nuntiis: quem Mithridatis Magni filium, ac tunc occasione temporum bellantem, iamque multiplici successu præferocem, intra quinctum quam adfuerat diem, quatuor, quibus in conspectum venit, horis, vna profligauit acie: crebro commemorans Pompeij felicitatem, cui præcipua militiæ laus de tam imbelli genere hostium contigisset. Dehinc Scipionem ac Iubã, reliquias partium in Africa refouenteis, deuicit, Pompeij liberos in Hispania.

OMNIBVS ciuilibus bellis nullam cladem, nisi per legatos suos, passus est: quorũ C. Curio in Africa periit; C. Antonius in Illyrico in aduersariorum deuenit potestatem: P. Dolabella classem in eodem Illyrico; Cn. Domitius Caluinus in Ponto exercitum amiserunt. Ipse prosperrime semper, ac ne ancipiti quidem vnquam fortuna, præterquam bis, dimicauit: semel ad Dyrrhachium, vbi pulsus, non instante Pompeio, negauit eum vincere scire: iterum in Hispania vltimo prœlio: cum desperatis rebus, etiam de consciscenda nece cogitauit.

CONFECTIS bellis, quinquies triumphauit: post deuictum Scipionem quater eodem mense, sed interiectis diebus: & rursus semel, post superatos Pompeij liberos. Primum & excellentissimum triumphum egit Gallicum, sequentem, Alexandrinũ, deinde Ponticum: huic proximum Africanum; nouissimum Hispaniensem, diuerso

quemque apparatu, & instrumento. Gallici triumphi die Velabrum *præteruehēs, pæne curru excussus est, axe *defracto. Adscenditque Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra *lychnuchos gestantibus. Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum; VENI, VIDI, VICI: non acta belli significantem, sicut ceteris; sed celeriter confecti notam.

VETERANIS legionibus prædæ nomine in pedites singulos super bina LLS, quæ initio ciuilis tumultus numerauerat, [quaterna: in equites] vicena quaterna millia nummûm dedit. Assignauit & agros; sed non continuos; ne quis possessorum expelleretur. Populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, *trecenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim diuisit: & hoc amplius, centenos pro mora. Annuam etiam habitationem Romæ vsque ad bina millia nummûm, in Italia non vltra quingenos sestertios remisit. Adiecit epulum ac visceratione; & post Hispaniensem victoriam duo prandia. Nam cum prius parce, neque pro liberalitate sua præbitum iudicaret, quincto post die aliud largissimum præbuit.

EDIDIT spectacula varij generis; munus *gladiatorum; ludos etiam regionatim vrbe tota, & quidem per omnium linguarum histriones. Item Circenses, athletas, naumachiam. Munere *in foro depugnauit Furius Leptinus stirpe prætoria: & *A. Calpenus Senator quondam actorque caussarum. *Pyrrhicham saltauerunt Asiæ Bithyniæque principum liberi. Ludis *Decimus Laberius eques Romanus mimum suum egit: *donatusque est quingentis sestertiis, & anulo aureo. sessum in quatuordecim scena per orchestram transiit. Circensibus, spatio Circi ab vtraq; parte producto, & in gyrum *Euripo addito, quadrigas, bigasque, & equos desultorios agitauerunt nobilissimi iuuenes. Troiam lusit turma duplex, maiorum minorumque puerorum. Venationes editæ per dies quinque: ac nouissime pugna diuisa in duas acies. quingenis peditibus, elephātis vicenis, tricenis equitibus hinc & inde cōmissis. Nam quo laxius dimicaretur, sublatæ metæ, inque earum locū bina castra ex aduerso constituta erant. Athletæ, stadio ad tempus exstructo, in regione Martij campi certauerunt per triduum. Nauali prœlio *in morem cocbleæ defosso lacu, biremes ac triremes, quadriremesque, Tyriæ & Ægyptiæ classes, magno pugnatorum numero cōflixerunt. Ad quæ omnia spectacula tantum vndique confluxit hominum, vt plerique aduenæ aut inter vicos, aut inter vias tabernaculis positis manerent. ac sæpe pręturba elisi exanimatique sint plurimi, & in his duo Senatores.

CONVERSVS hinc ad ordinandum reip. statum, fastos correxit, iam pridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, vt neque messium feriæ *æstate, neque vindemiarum autumno competerent. Annumq; ad cursum Solis accommodauit, vt CCCLXV dierum esset: & *intercalario mense sublato, vnus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quo autem magis in posterum e Kalendis Ianuariis nobis temporum ratio congrueret, inter Nouembrem ac Decembrem mensem, interiecit duos alios: fuitque is annus, quo hæc constituebantur, XV mensium, cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat.

SENATVM suppleuit, patricios allegit: Prætorum, Ædilium, Quæstorum, minorum etiam magistratuum numerum ampliauit: nudatos opere censorio, aut sententia iudicum de ambitu condemnatos restituit. Comitia cum populo partitus est: vt exceptis Consulatus competitoribus, de cetero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, *pronuntiarentur; pro parte altera, quos ipse dedisset. Et edebat per libellos *circum tribus missos scriptura breui; *Cæsar dictator illi tribui. Commendo vobis illum, & illum; vt vestro suffragio suam dignitatē teneant.* Admisit ad honores & proscriptorum liberos. Iudicia ad duo genera iudicum redegit, equestris ordinis, ac Senatorij. Tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit. Recensum populi, nec more nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit: atq; ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico, ad cētum quinquaginta retraxit. Ac ne qui noui cœtus recensionis caussa moueri quandoque possent, instituit, quotannis in demortuorum locum ex his qui recensiti non essent, subsortitio a Prætore fieret.

OCTOGINTA autem ciuium millibus in transmarinas colonias distributis, vt

exhaustæ

exhaustæ quoque *vrbis frequentia suppeteret, sanxit: Ne quis ciuis maior annis viginti, *minor ue decem, qui sacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abesset: Neu quis *Senatoris filius, nisi contubernalis aut comes Magistratus peregre proficisceretur: Neue hi qui pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberent. Omnesque medicinam Romæ professos, & liberalium artium doctores, quo libentius & ipsi vrbem incolerent, & ceteri appeterent, ciuitate donauit. De pecuniis mutuis, *disiecta nouarum tabularum exspectatione, quæ crebro mouebatur, decreuit tandem, vt debitores creditoribus satisfacerent, per æstimationem possessionum, quanti quasque ante ciuile bellum comparassent, *deducto summæ æris alieni, si quid vsuræ nomine numeratum aut perscriptum fuisset: qua conditione quarta pars fere crediti deperibat. Cuncta collegia, præter antiquitus constituta, *detraxit. Pœnas facinorum auxit: & cum locupletes eo facilius scelere se obligarent, quod integris patrimoniis exsulabant, parricidas, [vt Cicero scribit,] bonis omnibus, reliquos dimidia parte multauit.

IVS laboriosissime ac seuerissime dixit. Repetundarum conuictos etiam ordine 43
Senatorio mouit. Diremit nuptias Prætorij viri: qui digressam a marito post biduũ statim duxerat, quamuis sine probri suspicione. Peregrinarum mercium portoria instituit. Lecticarum vsum item cõchyliatæ vestis, & margaritarum, nisi certis personis & ætatibus, perque certos dies, ademit. Legem præcipue sumtuariam exercuit; dispositis circa macellum custodibus, qui opsonia contra vetitum retinerent, deportarentq; ad se, submissis non numquam lictoribus atque militibus: qui si qua custodes fefellissent, iam apposita e triclinio auferrent.

NAM de ornanda instruendaque vrbe, item de tuendo ampliandoque Imperio, 44
plura ac maiora in dies destinabat. In primis Martis templum, quantum nusquam esset, exstruere, repleto & complanato lacu, in quo naumachiæ spectaculum ediderat; Theatrumq; summæ magnitudinis Tarpeio monti accubans. Ius ciuile ad certum modum redigere, atq; ex immensa diffusaq; legum copia, optima quæque & necessaria in paucissimos cõferre libros. Bibliothecas *Græcas & Latinas, quas maximas posset, publicare; data M. Varroni cura comparandarum ac *dirigendarum. Siccare *Pontinas paludes; emittere Fucinum lacum: viam munire, a mari supero per Apẽnini dorsum ad Tiberim vsque: perfodere Isthmum, Dacos, qui se in Pontũ & Thraciam effuderant, coercere: mox Parthis inferre bellũ per Armeniã minorem, nec nisi ante expertos aggredi prœlio. Talia agentẽ atq; meditantẽ mors præuenit: de qua prius q̃ dicã, ea quæ ad formã & habitũ, & cultũ, & mores, nec minus quæ ad ciuilia & bellica eius studia pertineant, non alienum erit summatim exponere.

FVISSE traditur excelsa statura, colore cãdido, teretibus membris, ore paulo ple- 45
niore, nigris vegetisq; oculis, valetudine prospera: nisi quod tempore extremo repẽte animo linqui, atq; etiam per *somniũ exterreri solebat. Comitiali quoque morbo bis inter res *gerẽdas correptus est. Circa corporis curã morosior: vt non solum tonderetur diligenter, ac raderetur, sed velleretur etiã: vt quidam exprobrauerũt. Caluitij vero deformitatem iniquissime ferre, obtrectatorũ sæpe iocis obnoxiam expertus: ideoq; & deficientem capillum reuocare a vertice assueuerat: & ex omnibus decretis sibi a Senatu populoq; honoribus, nõ aliud aut recepit aut vsurpauit libẽtius, quam ius laureæ coronæ perpetuo gestandæ. Etiam cultu notabilem ferunt. Vsum enim lato clauo ad manus fimbriato, nec vt vmquam aliter quam super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura. Vnde emanasse Sullæ dictum [constat] optimates sæpius admonentis, vt male præcinctum puerum cauerent.

HABITAVIT primo in Sabura modicis ædibus: post autem Pontificatum ma- 46
ximum, in sacra via domo publica. Munditiarum lautitiarumque studiosissimum multi prodiderunt. Villam in Nemorẽsi a fundamentis incboatam, magnoq; sumtu absolutam, quia nõ tota ad animum ei responderat, totam diruisse, quamquam tenuem adhuc & obæratum: in expeditionibus tessellata & sectilia pauimenta circumtulisse.

BRITANNIAM petisse spe margaritarum: quarum amplitudinem conferentẽ, 47
interdum sua manu exegisse pondus. Gemmas, toreumata, signa, tabulas operis

anni qui, semper animosissime comparasse; seruitia recentiora politioraque immenso pretio, & cuius ipsum etiam puderet, sic vt rationibus [quoque] vetaret inferri.

48 CONVIVATVM assidue per prouincias duobus tricliniis: vno, quo *sagati palliatiue; altero, quo togati cum illustrioribus prouinciarum discumberent. Domesticam disciplinam in paruis [ac maioribus] rebus diligenter adeo seuereque rexit, vt pistorem, alium quam sibi panem, conuiuis subiicientem, compedibus vinxerit: libertum gratissimum, ob adulteratam equitis Romani vxorem, quamuis nullo *querente, capitali pœna affecerit.

49 PVDICITIÆ eius famam, nihil quidem preter Nicomedis contubernium læsit; graui tamen & perenni opprobrio, & ad omnium conuitia exposito. Omitto Calui Licinij notissimos versus; *Bithynia quidquid Et pædicator Cæsaris vmquam habuit.* Præterea actiones Dolabellæ, & Curionis patris: in quibus eum Dolabella *pellicem reginæ, spondam interiorem regiæ lecticæ*; ac Curio *stabulum Nicomedis, & Bithynicum fornicem* dicunt. Missa etiam facio edicta Bibuli, quibus proscripsit collegam suum, *Bithynicam reginam*: eique regem antea fuisse cordi, nunc esse regnum. Quo tempore, vt M. Brutus refert, Octauius etiam quidam, valetudine mentis liberius dicax, conuentu maximo cum Pompeium regem appellasset, ipsum reginam salutauit. *Sed C. Memmius etiam ad cyathum & vinum Nicomedi stetisse obiecit, cum reliquis exoletis, pleno conuiuio accubãtibus non nullis vrbicis negotiatoribus; quorum refert nomina. Cicero vero, non contentus in quibusdam epistolis scripsisse, a satellitibus eum in cubiculum regium *eductum, in aureo lecto, veste purpurea decubuisse, floremque ætatis a Venere *orti, in Bithynia contaminatum: quondam etiam in Senatu defendenti *Nysæ caussam filiæ Nicomedis, beneficiaque regis in se commemoranti; *Remoue*, inquit, *istæc oro: *quando notum est, & quid ille tibi, & quid illi* tu dederis.* Gallico denique triumpho milites eius, inter cetera carmina, qualia currum prosequentes ioculariter canunt, etiam vulgatissimum illud pronuntiauerunt: *Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem. Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias: Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.*

50 PRONVM & sumtuosum in libidines fuisse, constans opinio est; plurimasque & illustres feminas corrupisse; in quibus Postumiam Seruij Sulpicij, Lolliam Auli Gabinij, Tertullam M. Crassi, etiam Cn. Pompeij Muciam. Nam certe Pompeio, & a Curionibus patre ac filio, & a multis exprobratum est, quod cuius caussa post tres liberos exegisset vxorem, & quem gemens Ægisthum appellare cõsuesset, eius postea filiam potentiæ cupiditate in matrimonium recepisset. Sed ante alias dilexit M. Bruti matrem Seruiliam: cui & *proximo suo Consulatu sexagies HS. margaritam mercatus est: & bello ciuili super alias donationes, amplissima prædia ex auctionibus hastæ *minimo addixit. cum quidem plerisque vilitatem mirantibus, facetissime Cicero, *Quo melius*, inquit, *emitum sciatis, Tertia deducta est.* existimabatur enim Seruilia, etiam filiam suam Tertiam Cæsari conciliare.

51 NE prouincialibus quidem matrimoniis abstinuisse, vel hoc disticho apparet, iactato æque a militibus per Gallicum triumphum; *Vrbani seruate vxores: mœchum caluum adducimus. *Auro in Gallia stuprum emisti. hic sumsisti mutuum.*

52 DILEXIT & reginas: inter quas *Eunoen Mauram, Bogudis vxorem; cui, maritoque eius, plurima & immẽsa tribuit; vt *Naso scripsit; sed maxime Cleopatram; cum qua & conuiuia in primam lucem sæpe protraxit, & eadem naue *thalamego pæne Æthiopia tenus Ægyptum penetrauit, nisi exercitus sequi recusasset. quam denique accitam in vrbem, non nisi maximis honoribus præmiisque auctam remisit, filiumque natum appellare nomine suo passus est. quem quidem non nulli Græcorum, similem quoque *Cæsaris & forma & incessu tradiderunt: M. Antonius agnitũ etiam ab eo, Senatui affirmauit: *quæ scire C. Matiũ, & C. Oppiũ, reliquosq; Cæsaris amicos: quorũ C. Oppius, quasi plane defensione ac patrocinio res egeret, librũ edidit, non esse Cæsaris filium, quem Cleopatra dicat. *Heluius Cinna Trib. pleb. plerisq; confessus est, habuisse se scriptã paratamq; legẽ, quam Cæsar ferre iussisset, cum ipse abesset, vti vxores liberorũ quærẽdorũ caussa, quas & quot ducere *vellẽt, liceret. Ac ne cui dubium omnino sit, & impudicitiæ eum & adulteriorũ flagrasse infamia,

Curio pater quadam eum oratione, omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem appellat.

VINI parcissimum, ne inimici quidem negauerunt. *Verbum M. Catonis est; Vnum ex omnibus Cæsarem, ad euertendam remp. sobrium accessisse. Nam circa victum C. Oppius adeo indifferentem docet, vt *quondam ab hospite conditum oleū, pro viridi appositum, aspernantibus ceteris, solum etiam largius dicat appetisse, ne hospitem aut negligentiæ aut rusticitatis videretur arguere.

ABSTINENTIAM neque in Imperiis, neque in Magistratibus præstitit. Vt enim quidam monumentis suis testati sunt, in Hispania a Proconsule & a sociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium æris alieni: & Lusitanorum quædam opida, quamquam nec imperata detrectarent, & aduenienti portas patefacerent, diripuit hostiliter. In Gallia fana templaque deûm donis referta expilauit, vrbes diruit, sæpius ob prædam, quam ob delictum. vnde factum vt auro abundaret, ternisque millibus nummûm in libras promercale, per Italiam prouinciasque *diuenderet. In primo Consulatu tria millia pondo auri furatus e Capitolio, tantundem inaurati æris reposuit. Societates ac regna pretio dedit: vt qui vni Ptolemæo prope sex millia talentorum suo Pompeiiq; nomine abstulerit. Postea vero euidentissimis rapinis, ac sacrilegiis, & onera bellorum ciuilium, & triumphorum ac munerum sustinuit impendia.

ELOQVENTIA *militari, qua re aut æquauit præstantissimorum gloriam, aut excessit, post accusationem Dolabellæ, haud dubie principibus patronis annumeratus est. Certe Cicero ad Brutum, oratores enumerans, negat se videre cui Cæsar debeat cedere: atque eum elegantem, splendidam quoque, ac etiam magnificam ac generosam quodam modo rationē dicendi tenere. & ad Cornelium Nepotem de eodem ita scripsit; *Quid?* *oratorum quem huic antepones eorum qui nihil aliud egerunt? Quis sententiis aut acutior, aut crebrior? Quis verbis aut ornatior, aut elegantior?* Genus eloquentiæ dumtaxat adolescens adhuc Strabonis Cæsaris sequutus videtur: cuius etiā ex oratione, quæ inscribitur pro Sardis, ad verbum nonnulla transtulit in Diuinationem suam. Pronuntiasse autem dicitur voce acuta, ardenti motu, gestuque non sine venustate. *Orationes* aliquas reliquit: inter quas temere quædam feruntur. Pro Q. Metello, quam non immerito Augustus *existimat magis ab actuariis exceptam, male subsequentibus verba dicentis, quam ab ipso editam. Nam in quibusdam exēplaribus inuenio, ne inscriptam quidem pro Metello, sed *quam scripsit Metello; cum ex persona Cæsaris sermo sit, Metellum, seque aduersus communium obtrectatorū criminationes purgantis. Apud milites quoque in Hispania, idem Augustus [orationem esse] vix ipsius putat: quæ tamen duplex fertur: vna, quasi priore habita prœlio; altera, posteriore; quo Asinius Pollio ne tempus quidem concionandi habuisse eum dicit, subita hostium incursione.

RELIQVIT & rerum suarum *commentarios*, Gallici ciuilisq; belli Pompeiani. Nā Alexandrini, Africiq; & Hispaniensis, incertus auctor est. Alij [enim] Oppiū putant, alij Hirtium: qui etiam Gallici belli nouissimum imperfectumq; librum suppleuerit. De Commentariis Cæsaris Cicero *in eodē libro sic refert; *Cōmentarios scripsit valde quidem probandos nudi sunt, recti, & venusti, omni ornatu orationis, tamquam veste detracta sed dum voluit alios habere paratam vnde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui illa *volunt calamistris inurere; sanos quidem homines a scribēdo deterruit.* De iisdem Commentariis Hirtius ita prædicat; *Adeo probantur omnium iudicio, vt prærepta, non præbita facultas scriptoribus videatur. Cuius tamen rei maior nostra quam reliquorum est admiratio. Ceteri enim quam bene atque emendate, nos etiā quam facile atq; celeriter eos perscripserit, scimus.* Pollio Asinius parum diligenter, parumque integra veritate compositos putat: cum Cæsar pleraque & quæ per alios erāt gesta, temere crediderit; & quæ per se, vel consulto, vel etiam memoria lapsus, perperam ediderit: existimatq; rescripturū & correcturū fuisse. Reliquit & *de Analogia* libros duos, & *Anticatones* totidē; ac præterea poema quod inscribitur *Iter*. Quorū librorū primos in trāsitu Alpiū, cum ex citeriore Gallia, cōuentib⁹ peractis, ad exercitū rediret; sequētes, sub tēpus Mundēsis prœlij fecit: nouissimū, dum ab vrbe in Hispaniam vlteriorem IIII & XX die peruenit. *Epistolæ* quoque eius ad Senatum exstant

quas primum videtur ad paginas & formam memorialis libelli conuertisse; cum antea coss. & duces nonnisi transuersa charta scriptas mitterent. Exstant & ad Ciceronem, item ad familiares domesticis de rebus. in quibus si qua occultius perferenda erant, per notas scripsit; id est, sic structo litterarum ordine, vt nullum verbum effici posset: quæ si quis inuestigare & persequi vellet, quartam elementorum litteram, id est, d pro a, & perinde reliquas *commutet. *Feruntur & a puero, & ab adolescentulo quædam scripta: vt *laudes Herculis, Tragœdia Oedipi:* item * *Dicta collectanea.* quos omnes libellos vetuit Augustus publicari [in] epistola, quam breuem admodum ac simplicem ad Pompeium *Macrum, cui ordinandas bibliothecas, delegauerat, misit.

ARMORVM & equitandi peritissimus, laboris vltra fidem patiens erat: in agmine non numquam equo, sæpius pedibus anteibat capite detecto, seu Sol, seu imber esset. Longissimas vias incredibili celeritate confecit; expeditus meritoria *rheda centena passuum millia in singulos dies; si flumina morarentur, nando traiiciens, vel innixus inflatis vtribus: vt persæpe nuntios de se præuenerit.

IN obeundis expeditionibus, dubium cautior[ne,] an audentior. Exercitum neq; per insidiosa itinera duxit vmquam, nisi perspeculatus locorum situs: neque in Britanniam transuexit, nisi ante per se portus & nauigationem, & accessum ad insulam explorasset. At idem, *obsessione castrorum in Germania nuntiata, per stationes hostium Gallico habitu penetrauit ad suos. A Brundisio *Dyrrhachium inter oppositas classes hieme transmisit. Cessantibusque copiis, quas subsequi iusserat, cum ad accersendas [eas] frustra sæpe misisset, nouissime ipse clam noctu paruulum nauigium solus obuoluto capite conscendit: neque aut quis esset ante detexit, aut gubernatorem cedere aduersæ tempestati passus est, quam pæne obrutus fluctibus.

NE religione quidem vlla a quoquam incepto absterritus vmquam, vel retardatus est. Cum immolanti aufugisset hostia, profectionem aduersus Scipionem & Iubam non distulit. Prolapsus etiam [in] egressu nauis, verso ad melius omine, *Teneo te*, inquit, *Africa.* Ad eludendas autem vaticinationes, quibus felix & inuictum in ea prouincia fataliter Scipionum nomen ferebatur, despectissimum quendam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium vitæ * Saluitoni cognomen erat, secum in castris habuit.

PROELIA non *tantum destinatò, sed ex occasione sumebat: ac sæpe ab itinere statim, interdum spurcissimis tempestatibus, cum minime quis moturum *putaret: nec nisi tempore extremo, ad dimicandum *cunctantior factus est: quo sæpius vicisset, hoc minus experiendos casus opinans: nihilque se tantum acquisiturum victoria, „ quantum auferre calamitas posset. Nullum vmquam hostem fudit, *quem non castris quoque exueret: ita nullum spatium perterritis dabat. Ancipiti prœlio equos dimittebat, & in primis suum; quo maior permanendi necessitas imponeretur, auxilio fugæ erepto.

VTEBATVR autem equo insigni, pedibus prope humanis, & in modum digitorum vngulis fissis: quem natum apud se, cum haruspices Imperium orbis terræ significare domino pronuntiassent, magna cura aluit: nec patientem sessoris alterius, primus adscendit: cuius etiam instar pro æde Veneris genitricis postea dedicauit.

INCLINATAM aciem solus sæpe restituit, obsistens fugientibus, retinensq; singulos, & contortis faucibus conuertens in hostem: & quidem adeo plerumque trepidos, vt *aquilifer moranti cuspide sit comminatus, alius in manu detinentis reliquerit signum.

NON minora illa constantiæ eius, [immo maiora etiam] indicia fuerunt. Post aciē Pharsalicam, cum præmissis in Asiam copiis, per angustias Hellesponti *vectoria nauicula traiiceret, L. Cassium partis aduersæ, cum decem rostratis nauibus obuium sibi, neque refugit; & comminus tendens, vltro ad deditionem hortatus, supplicem ad se recepit.

ALEXANDRIÆ circa oppugnationem pontis, eruptione hostium *subita compulsus in scapham, pluribus eōdem præcipitantibus, cum desilisset in mare, nando per CC passus euasit ad proximam nauem, elata læua, ne libelli, quos tenebat, madefierent. paludamentum mordicus trahens, ne spolio poteretur hostis.

MILITEM neque a moribus, neque a *fortuna probabat, sed tantum a viribus: tractabatque pari seueritate atque indulgentia. Non enim vbiq; *ac semper, sed cum hostis in proximo esset, coercebat: tum maxime exactor grauissimus disciplinæ; vt neque itineris, neque prœlij tempus denuntiaret; sed paratum, & intentum, momentis omnibus, quò vellet, subito educeret. Quod etiam sine caussa plerumq, faciebat; præcipue pluuiis & festis diebus. Ac subinde obseruandum se admonens, repente interdiu vel nocte subtrahebat: augebatque iter, vt serius subsequentes defatigaret. 65

FAMA vero hostilium copiarum perterritos, non negando minuendoue, sed insuper amplificando *ementiendoque confirmabat. Itaque cum exspectatio aduentus Iubæ terribilis esset, conuocatis ad concionem militibus, *Scitote*, inquit, *paucissimis his diebus regem affuturum cum* X *legionibus, equitum* XXX, *leuis armaturæ* C *millibus, elephātis* CCC. *Proinde desinant quidam quærere vltra, aut opinari; mihique, qui compertum habeo, credant: aut quidem vetustissima naue impositos, quocumque vento, in quascumque terras, *iubebo auehi.* 66

DELICTA neq; obseruabat omnia, neque pro *modo exsequebatur: sed desertorum ac seditiosorum & inquisitor & punitor acerrimus, conniuebat in ceteris. Ac nonnumquam post magnam pugnam atque victoriam remisso officiorum munere, licentiam omnem passim lasciuiendi permittebat: iactare solitus, milites suos etiā vnguentatos bene pugnare posse: nec milites eos pro concione, sed blandiori nomine commilitones appellabat: habebatque tam cultos, vt argento & auro politis armis ornaret: simul & ad speciem, & quo tenaciores eorum in prœlio essent, metu damni. Diligebat quoque vsque adeo, vt audita clade Tituriana, barbam capillumque summiserit; nec ante demiserit quam vindicasset. Quibus rebus & deuotissimos sibi, & fortissimos reddidit. 67

INGRESSO ciuile bellum, Centuriones cuiusque legionis singulos equites e viatico suo obtulerunt; [&] vniuersi milites gratuitam, & sine frumento stipendioque operam, cum tenuiorum tutelam locupletiores in se contulissent. Neq; in tam diuturno spatio quisquam omnino desciuit: plerique capti concessam sibi sub conditione vitam, si militare aduersus eum vellent, recusarunt. Famem, & ceteras necessitates, cum non obsiderētur modo, sed etiā si alios ipsi obsiderēt, tantopere tolerabant, vt Dyrrhachina munitione Pompeius, viso genere panis ex herba, quo sustinebātur, cum feris sibi rem esse dixerit; amouerique o ocius, nec cuiquam ostēdi iusserit: ne patientia & pertinacia hostis, animi suorum frangerentur. Quāta fortitudine dimicauerint, testimonio est, quod aduerso semel apud Dyrrhachium prœlio, pœnam in se vltro depoposcerunt: vt consolandos eos magis Imperator, quam puniendos habuerit. Ceteris prœliis innumeras aduersariorum copias, multis partibus ipsi pauciores, facile superauerunt. Denique vna sextæ legionis cohors, præposita castello, quatuor Pompeij legiones per aliquot horas sustinuit, pæne omnis confixa multitudine *hostilium sagittarum, quarum C ac XXX millia intra vallum reperta sunt. Nec mirum, si quis singulorum facta respiciat, vel *Cassij Scæuæ centurionis, vel C. Acilij militis; ne de pluribus referam. Scæua excusso oculo, transfixus femore & humero, C & XX ictibus scuto perforato, custodiam portæ commissi castelli retinuit. Acilius, nauali ad Massiliam prœlio, iniecta in puppem hostiū dextra, & abscissa, memorabile illud apud Græcos Cynegiri exemplū imitatus, transiluit in nauē *vmbone obuios agens. 68

SEDITIONEM per X annos Gallicis bellis nullam omnino mouerunt, ciuilibus aliquas, sed vt celeriter ad officium redierint, nec tam indulgētia ducis, quam auctoritate. Non enim cessit vmquam tumultuantibus; atque etiam obuiam semper iit: & nonam quidem legionem apud Placentiam quamquam *adhuc in armis Pompeius esset, totam cum ignominia missam fecit: ægreq; post multas & supplices preces, nec nisi exacta de sontibus pœna, restituit. 69

DECVMANOS autem Romæ, cum ingētibus minis, summoque etiam vrbis periculo missionem & præmia flagitantes, ardente tunc in Africa bello, neq; adire cunctatus est, quamquam deterrentibus amicis, neq; dimittere: sed vna voce, qua *Quirites eos pro militibus appellarat, tam facile circumegit & flexit, vt ei milites esse cōfestim responderint, & quamuis recusantem vltro in Africā sint secuti: ac sic quoque 70

ſeditioſiſſimum quemque & prædæ, & agri deſtinati tertia parte multauit.

71 STVDIVM & fides erga clientes, ne iuueni quidem defuerunt. Maſintham nobilem iuuenem, cum aduerſus Hiempſalem regem tam enixe defendiſſet, vt Iubæ regis filio in altercatione barbam inuaſerit, ſtipendiarium quoque *pronuntiatum, & abſtrahentibus ſtatim eripuit, occultauitque apud ſe diu, & mox ex Prætura proficiſcens in Hiſpaniam, inter officia ſtatim proſequentium, faſceſque lictorum, lectica ſua auexit.

72 AMICOS tanta ſemper facilitate indulgentiaque tractauit, vt C. Oppio comitãti ſe per ſiluestre iter, correptoque ſubita valetudine, & *in diuerſorio loco, quod vnum erat, ceſſerit; & ipſe humi ac ſub *diuo cubuerit. Iam autem rerum potens, quoſdam etiam infimi generis ad ampliſſimos honores prouexit. Cum ob id culparetur, profeſſus eſt palam; *ſi graſſatorum & ſicariorum ope in tuenda ſua dignitate vſus eſſet, talibus quoque ſe parem gratiam relaturum.

73 SIMVLTATES contra nullos tam graues* excepit vmquam, vt non occaſione oblata libens deponeret. C. Memmij, cuius aſperrimis orationibus, nõ minore acerbitate reſcripſerat, etiam ſuffragator mox in petitione Cõſulatus fuit. C. Caluo, poſt famoſa epigrãmáta de reconciliatione per amicos agenti, vltro ac prior ſcripſit. Valerium Catullum, a quo ſibi verſiculis de Mamurra perpetua ſtigmata impoſita non diſſimulauerat, ſatisfacientem, eadem die adhibuit cenæ: hoſpitioq; patris eius, ſicut conſueuerat, vti perſeuerauit.

74 SED & in vlciſcendo natura leniſſimus. piratas, a quibus captus eſt, cum in deditionem redegiſſet, quoniam ſuffixurum ſe cruci ante iurauerat, iugulari prius iuſſit, deinde ſuffigi. Cornelio Phagitæ, cuius quondam nocturnas inſidias æger ac latens, ne perduceretur ad Sullam, vix præmio dato euaſerat, numquam nocere *ſuſtinuit. Philemonem a manu *ſeruum, qui necem ſuam per venenum inimicis promiſerat, non grauius quam ſimplici morte, puniit. In P. Clodium, Pompeiæ vxoris ſuæ adulterum, atque eadem de cauſſa pollutarum cærimoniarum reum, teſtis citatus, negauit ſe quidquam comperiſſe: quamuis & mater Aurelia, & ſoror Iulia, apud eoſdem iudices, omnia ex fide retuliſſent. Interrogatuſque, cur igitur repudiaſſet vxorem. *Quoniam*, inquit, *meos tam ſuſpicione, quam crimine iudico carere oportere.*

75 MODERATIONEM vero clementiamque, tum in adminiſtratione, tum in victoria belli ciuilis, admirabilem exhibuit. Denuntiante Pompeio, pro hoſtibus ſe habiturum, qui reip. defuiſſent; ipſe medios, & neutrius partis, ſuorum ſibi numero futuros pronuntiauit. Quibus autem ex commendatione Pompeij, ordines dederat, poteſtatem tranſeundi ad eum omnibus fecit. Motis apud Ilerdam deditionis conditionibus, cum aſſiduo inter vtraſque partes vſu atque commercio, Afranius ac Petreius deprehenſos intra caſtra Iulianos ſubita pœnitentia interfeciſſent, admiſſam in ſe perfidiam non ſuſtinuit imitari. Acie Pharſalica proclamauit, vt ciuibus parceretur: deincepſque nemini non ſuorum, quem vellet, vnum partis aduerſæ ſeruare conceſſit. nec vlli periiſſe, niſi in prœlio reperiuntur; exceptis dumtaxat Afranio, & Fauſto, & L. Cæſare iuuene: ac ne hos quidem voluntate ipſius interemtos putant. *Quorum tamen & Afranius & Fauſtus, priores poſt impetratam veniam rebellauerunt, & *Cæſaris libertis, ſeruiſque eius ferro & igni crudelem in modum enectis, beſtias quoque ad munus *populi comparatas contrucidauerant. Denique tempore extremo, etiam quibus nondum ignouerat, cunctis in Italiam redire permiſit, Magiſtratuſque & Imperia capere. Sed & ſtatuas L. Sullæ atque Pompeij, a plebe diſiectas, repoſuit. Ac ſi qua poſthac aut cogitarentur grauius aduerſus ſe, aut dicerentur, inhibere maluit quam vindicare. Itaq; & detectas coniurationes, conuentuſque nocturnos, non vltra arguit, quam vt edicto oſtenderet eſſe ſibi notas & acerbe loquentibus ſatis habuit pro concione denuntiare, ne perſeuerarent. *Aulique Cæcinæ criminoſiſſimo libro, & *Pitholai carminibus maledicentiſſimis laceratam exiſtimationem ſuam ciuili animo tulit.

76 PRÆGRAVANT tamen cetera facta dictaque eius, vt & abuſus dominatione, & iure cæſus exiſtimetur. Non enim honores modo nimios recepit, [vt] continuum Conſulatum, perpetuam Dictaturam, Præfecturamque morum, inſuper prænomen

Impe-

Imperatoris, cognomen Patris patriæ, statuam inter reges, suggestum in orchestra: sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est, sedem auream in Curia & pro Tribunali, *thensam, & ferculum Circensi pompa, templa, aras, simulacra, iuxta deos, puluinar, flaminem, *Lupercos, appellationem mensis e suo nomine, ac non nullos honores ad libidinem cepit, & dedit. Tertium & quartum Consulatum titulo tenus gessit, contentus Dictaturæ potestate decretæ cum *Consulatibus simul: atque vtroque anno binos Consules substituit sibi in ternos nouissimos menses: ita vt medio tempore comitia nulla habuerit, præter Tribunorum, & Ædilium plebis: Præfectosque pro Prætoribus constituerit, qui præsente se res vrbanas administrarent. Pridie autem Kal. Ianuarias, repentina cos. morte cessantem honorem, in paucas horas petenti dedit. Eadem licentia, spreto patriæ more, Magistratus in plures annos ordinauit. Decem prætoriis viris Consularia ornamenta tribuit. Ciuitate donatos, & quosdam e semibarbaris Gallorum, recepit in Curiam. Præterea monetæ, publicisque vectigalibus, *peculiares seruos præposuit. Trium legionum, quas Alexandriæ relinquebat, curam & imperium *Rufini liberti sui filio, suo exoleto, demandauit.

Nec minoris impotentiæ voces propalam edebat, vt *T. Ampius scribit; *Nihil 77
amplius remp. esse, appellationem modo, sine corpore ac specie: *Sullam nescisse literas, qui Dictaturam deposuerit: Debere homines consideratius iam loqui secum, ac pro legibus habere quæ dicat. Eoque arrogantiæ progressus est, vt *haruspice tristia & sine corde exta sacro quondam nuntiante, futura diceret lætiora, cum vellet: nec pro ostento ducendum si pecudi cor defuisset.

Verum præcipuam & *inexpiabilẽ sibi inuidiã hinc maxime mouit. Adeuntes 78
se cum *pluribus honorificentissimisque decretis, vniuersos P. C sedens pro æde Veneris genitricis excepit. Quidam putant retentum a Cornelio Balbo, cum conaretur assurgere: alij, ne conatum quidem omnino, sed etiam admonentem C. Trebatium vt assurgeret, minus familiari vultu respexisse. Idque factum eius tanto intolerabilius est visum, quod ipse triumphanti, & subsellia tribunicia prætereuchenti sibi, vnum e collegio Pontium Aquilam non assurrexisse, adeo indignatus sit, vt proclamauerit, *Repete ergo a me Aquila remp. Tribunus*: & nec destiterit per continuos dies quidquam cuiquam, nisi sub exceptione polliceri, *si tamen per Pontium Aquilã licuerit*.

Adiecit ad tam insignem despecti Senatus contumeliam, multo arrogantius 79
factum. Nam cum sacrificio Latinarum reuertente eo, inter immodicas ac nouas populi acclamationes, quidam e turba statuæ eius coronam lauream cãdida fascia præligatam imposuisset; & Trib. plebis Epidius Marullus, Cæsetiusque Flauus coronæ fasciam detrahi, hominemque duci in vincula iussissent; dolens seu parum prospere motam regni mẽtionem, siue (vt *ferebat) ereptam sibi gloriam recusandi, Tribunos grauiter increpitos potestate priuauit: neque ex eo infamiam affectati etiam regij nominis discutere *voluit: quamquam & *plebi regem se salutanti, Cæsarem se, non regem esse responderit: & Lupercalibus, pro Rostris a cos. Antonio admotum sæpius capiti suo diadema repulerit, atq; in Capitolium Ioui opt. max. miserit. Quinetiam varia fama percrebuit, migraturum Alexandriam vel Ilium, translatis simul opibus Imperij, exhaustaque Italia; delectibus & procuratione vrbis amicis permissa. Proximo autem Senatu [percrebuit fama,] L. Cottam xvvirûm sententiam dicturũ, vt, quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos, nisi a rege, non posse vinci, Cæsar rex appellaretur.

Quæ *caussa coniurationis maturandi fuit destinata negotia, ne assentiri necesse es- 80
set. Consilia igitur dispersim antea habita, & quæ sæpe bini terniue ceperant, in vnũ omnes contulerunt: ne populo quidem iam præsenti statu læto, sed clam palamque detrectante dominationem, atque assertores flagitante. Peregrinis in Senatum allectis libellus propositus est; *Bonum factum, ne quis Senatori nouo Curiam monstrare velit*. & illa vulgo canebantur; *Gallos Cæsar in triumphum ducit: *iidem in Curia Galli bracas deposuerunt, latum clauum sumserunt*. Q. Maximo suffecto, *trimestrique cos. Theatrum introeunte, cum lictor animaduerti ex more iussisset, ab vniuersis conclamatum est; non esse Consulem eum *post remotos Cæsetium & Marullum Tribu-

nos. Reperta sunt proximis comitiis complura suffragia, COSS. eos declarantium. Subscripsere quidam L. Bruti statuæ, *Vtinam viueres.* item ipsius Cæsaris [statuæ,] *Brutus, quia reges eiecit,* COS *primus factus est: Hic, quia* COSS. *eiecit, rex postremo factus est.* Conspiratum est in eum a LX amplius, C. Cassio, M. que & *D. Bruto principibus *conspirationis. qui primum cunctati, vtrumne illum in campo per comitia tribus ad suffragia vocantem, partibus diuisis e ponte deiicerent, atque exceptum trucidarent; an in sacra via, vel in aditu Theatri adorirentur: postquam Senatus Idibus Martiis in Pompeij curiam edictus est, facile tempus & locum prætulerunt.

81 SED Cæsari futura cædes euidentibus prodigiis denuntiata est. Paucos ante menses, cum in colonia Capua deducti lege Iulia coloni, ad exstruendas villas sepulchra vetustissima *disiicerent; idque eo studiosius facerent, quod aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant: tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capys conditor Capuæ sepultus, inuenta est, conscripta litteris verbisque Græcis hac sententia, *Quando ossa Capyis detecta essent, *fore vt Iulo prognatus manu cõsanguineorum necaretur, magnisque mox Italiæ cladibus vindicaretur. Cuius rei, ne quis fabulosam aut commenticiam putet, auctor est Cornelius Balbus, familiarissimus Cæsaris. Proximis diebus equorum greges, quos in traiiciendo *Rubicone flumine consecrarat, ac vagos [&] sine custode dimiserat, *comperit pertinacissime pabulo abstinere, vbertimque flere. Et immolantem haruspex *Spurina monuit, caueret periculum quod non vltra Martias Idus proferretur. Pridie autem easdem Idus, auem regaliolum cum laureo ramulo Pompeianæ Curiæ se inferentem, volucres varij generis ex proximo nemore persequutæ, ibidem discerpserunt. Ea vero nocte cui illuxit dies cædis, & ipse sibi visus est per quietem interdum supra nubes volitare, aliàs cum Ioue *dextras iungere. Et Calpurnia vxor imaginata est, collabi fastigium domus, maritumque in gremio suo confodi: ac subito cubiculi fores sponte patuerunt. Ob hæc simul, & ob infirmam valetudinem, diu cunctatus an se contineret, & quæ apud Senatum proposuerat, agere differret: tandem D. Bruto adhortante, ne frequentes, ac iam dudum opperienteis destitueret, quincta fere hora progressus est, libellumque insidiarum indicem, ab *obuio quodam porrectum, libellis ceteris, quos *sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus commiscuit. Dein pluribus hostiis cæsis, cum litare non posset, introiit Curiam, spreta religione, Spurinamque irridens, & vt falsum arguens, quod sine vlla noxa Idus Martiæ adessent: quamquam is venisse quidem eas diceret, sed non præteriisse.

82 ASSIDENTEM conspirati, specie officij circumsteterunt: illicoq; Cimber *Tillius, qui primas partes susceperat, quasi aliquid rogaturus, propius accessit: renuentique, & gestu in aliud tempus differenti, ab vtroque humero togam apprehendit: deinde clamantem, *Ista quidem vis est,* *alter Cassius aduersum vulnerat, paullum infra iugulum. *Cæsar Cassij brachium *abreptum graphio traiecit: conatusque prosilire, alio vulnere tardatus est. vtque animaduertit vndique se strictis pugionibus peti, toga caput obuoluit: simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata. Atq; ita III & XX plagis confossus est; vno modo ad primũ ictũ gemitu sine voce edito. Etsi tradiderũt quidã, M. Bruto irruenti dixisse, *καὶ σὺ τέκνον. Exanimis diffugientibus cunctis aliquamdiu iacuit, donec lecticæ impositum, dependente brachio, tres seruuli domum retulerunt. Nec in tot vulneribus, vt *Antistius medicus existimabat, letbale vllum repertum est, nisi quod secundo loco in pectore acceperat. Fuerat animus coniuratis, corpus occisi in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere: sed metu M. Antonij consulis, & Magistri equitum Lepidi, destiterunt.

83 POSTVLANTE ergo L. Pisone socero, testamentum eius aperitur, recitaturque in Antonij domo; quod Idibus Septembribus proximis in Lauicano suo fecerat, demãdaueratque virgini Vestali *Maximæ. Q. Tubero tradit, heredem ab eo scribi solitum ex Consulatu ipsius primo, vsque ad initium ciuilis belli Cn. Pompeiũ: idq; militibus pro concione recitatũ. Sed nouissimo testamento tres instituit heredes sororũ nepotes, *C. Octauium ex dodrante, & L. Pinatium, & Q. Pedium ex quadrante; reliquos in ima cera. C. Octauiũ etiam in familiam nomẽq; adoptauit: *pluresq; percussorũ in tutoribus filij, si quis sibi nasceretur, nominauit. D. Brutũ etiam in secundis

heredit s.

heredib⁹. Populo hortos circa Tiberim publice, & viritim trecenos sestertios legauit.

84 FVNERE indicto, rogus exstructus est in Martio campo iuxta Iuliæ tumulum: & pro Rostris aurata ædes ad simulactum templi Veneris genitricis collocata: intraque lectus eburneus, auro ac purpura stratus: & ad caput tropæum, cum veste in qua fuerat occisus. Præferentibus munera, quia suffecturus dies non videbatur, præceptum est, vt omisso ordine, quibus quisque vellet itineribus vrbis, portaret in campum. Inter ludos cantata sunt quædam ad miserationem, & inuidiam cædis eius, accommodata ex Pacuuij Armorum iudicio* *Men' me seruasse, vt essent qui me perderent?* & ex Electra *Attilij ad similem sententiam. Laudationis loco cos. Antonius per præconem pronuntiauit Sen. conf. quo omnia ei diuina simul atque humana decreuerat: item iusiurandum, quo se cuncti pro salute vnius adstrinxerant: quibus perpauca *a se verba addidit. Lectum *pro Rostris in forum Magistratus & honoribus functi detulerunt. Quem cum pars in Capitolini Iouis cella cremare, pars in curia Pompeij destinaret, repente duo quidam gladiis succincti, ac bina iacula gestantes, ardentibus cereis succẽderunt: confestimque circumstantium turba virgulta arida, & cum subsellijs tribunalia, quidquid præterea ad *manum aderat, congessit: deinde tibicines, & scenici artifices, vestem quam ex instrumento triumphorum ad præsentem vsum induerant, detractam sibi atque discissam iniecere flammæ; & veteranorum militum legionarij arma sua, quibus exculti funus celebrabant: matronæ etiam pleræque ornamenta sua, quæ gerebant; & liberorum bullas atque prætextas. In summo publico luctu, exterarum gentium multitudo circulatim suo quæque more lamentata est: præcipueque Iudæi, qui etiam noctibus continuis bustum frequentarunt.

85 PLEBS statim a funere ad domũ Bruti & Cassij cum facibus tetendit: atque ægre repulsa, obuium sibi Heluium Cinnam, per errorem nominis, quasi Cornelius esset is quem grauiter pridie concionatum de Cæsare requirebat, occidit: caputque eius præfixum hastæ circumtulit. Postea solidam columnam prope XX pedum, lapidis Numidici, in foro statuit: scripsitque, PARENTI PATRIÆ. Apud *eam longo tẽpore sacrificare, vota suscipere, controuersias quasdam interposito per Cæsarem iureiurando distrahere perseuerauit.

86 SVSPICIONEM Cæsar quibusdam suorum reliquit, neque voluisse se diutius viuere, neque curasse, quod valetudine minus prospera vteretur: ideoque & quæ religiones monerent, & quæ renuntiarent amici, neglexisse. Sunt qui putent confisum eum nouissimo illo Senat. conf. ac iureiurando, etiam custodias Hispanorũ cum gladiis inspectantium se remouisse. *Alij e diuerso *opinantur, insidias vndique imminẽtes subire semel confessum satius esse, quam cauere semper. Alij ferunt dicere solitum, non tam sua, quam Reip. interesse, vti saluus esset: se iampridem potentiæ gloriæque abunde adeptum, rempublicam, si quid sibi euenirer, neque quietam fore, & aliquanto deteriore conditione ciuilia bella subituram.

87 ILLVD plane inter omnes fere constitit, talem ei mortem pæne ex sententia obtigisse. Nam & quondam cum apud Xenophontem legisset, Cyrum vltima valetudine, mandasse quædam de funere suo, aspernatus tam lentum mortis genus, subitã sibi celeremq; optauerat. Et pridie quam occideretur, in sermone nato super cenam apud M. Lepidum, quisnam esset finis vitæ commodissimus, repentinum inopinatumque *prætulerat.

88 PERIIT VI & L ætatis anno: atque in deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium, sed & persuasione vulgi. Siquidem ludis, quos primo *consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa vndecimam horam. creditumque est, animam esse Cæsaris in cælum recepti: & hac de caussa simulacro eius in vertice additur stella. Curiam in qua occisus est, obstrui placuit; Idusq; Martias parricidium nominari, ac ne vmquam eo die Senatus ageretur.

89 PERCVSSORVM autem fere, neque triennio quisquam amplius superuixit, neque sua morte defunctus est. Damnati omnes; alius alio casu perijt; pars naufragio, pars prœlio: non nulli semet eodem illo pugione, quo Cæsarem violauerant, interemerunt.

C. SVETONII TRANQVILLI

D. *OCTAVIVS CÆSAR AVGVSTVS, II.

1 GENTEM Octauiam Velitris præcipuam olim fuisse, multa declarant. Nam & vicus celeberrima parte opidi, iampridem Octauius vocabatur: & ostendebatur ara *Octauio consecrata: qui bello dux finitimo, cum forte Marti rem diuinam faceret, nuntiata repente hostis incursione, semicruda exsta rapta foco *prosecuit: atque ita prœlium ingressus, victor rediit. Decretum etiã publicum exstabat, quo cauebatur, vt *quoque anno in posterũ simili modo exsta Marti redderentur, reliquiæque ad Octauios referrentur.

2 EA gens a Tarquinio Prisco rege, inter *minores gentes allecta [in Senatum] mox a *Ser. Tullio in patricias transducta, procedente tempore ad plebem se contulit: ac rursus *magna vi per D. Iulium in patriciatum rediit. Primus ex hac magistratum populi suffragio cepit C. Rufus. Is quæstorius Cn. & C. procreauit: a quibus duplex Octauiorum familia defluxit, conditione diuersa. Siquidem Cn. & deinceps ab eo reliqui omnes, functi sunt honoribus summis: at Caius, eiusque posteri, seu fortuna, seu voluntate, in equestri ordine constitere, vsque ad Augusti patrem. Proauus Augusti, secundo Punico bello stipendia in Sicilia Tribunus militum fecit, Æmilio *Papo Imperatore. Auus, municipalibus magisteriis contentus, abundante patrimonio, tranquillissime senuit. Sed hæc alij. Ipse Augustus, nihil amplius quam equestri familia ortum se scribit, vetere ac locuplete, & in qua primus Senator pater suus fuerit. M. Antonius libertinum ei proauum exprobrat *restionem, ex pago Thurino, auum argentarium. Nec quidquam vltra de paternis Augusti maioribus reperi.

3 *OCTAVIVS pater, a principio ætatis, & re & *æstimatione magna fuit. vt equidẽ mirer, hunc quoque a non nullis argentarium, atque etiam inter *diuisores operasq; campestres proditum. Amplis enim innutritus opibus, honores & adeptus est facile, & egregie administrauit. Ex Prætura Macedoniam sortitus, fugitiuos, residuam Spartaci & Catilinæ manum, Thurinum agrum tenentes, in itinere deleuit, negotio sibi in Senatu extra ordinem dato. Prouinciæ præfuit non minore iustitia quam fortitudine. Namque Bessis ac Thracibus magno prœlio fusis, ita socios tractauit, vt epistolæ M. Tullij Ciceronis exstent, quibus *Q. fratrem eodem tempore parum secunda fama *Proconsularum Asiæ administrantem, hortatur & monet, imitetur in promerendis sociis vicinum suum Octauium.

4 DECEDENS Macedonia, priusquam profiteri se candidatum Consulatus posset, morte obiit repentina, superstitibus liberis, Octauia maiore, quam ex *Ancharia; & Octauia minore, item Augusto, quos ex *Atia tulerat. Atia, M. Atio Balbo, & Iulia sorore C. Cæsaris, genita est. Balbus, paterna stirpe Aricinus, multis in familia Senatoriis imaginibus, a matre Magnum Pompeium arctissimo contingebat gradu: functusque honore Præturæ, inter XX viros agrum Campanum plebi Iulia lege diuisit. Verum M Antonius, despiciens etiam maternam Augusti originem, proauum eius Afri generis fuisse, & modo vnguentariam tabernam, modo pistrinum Ariciæ exercuisse obiicit. Cassius quidem Parmensis quadam epistola, non tantum vt pistoris, sed etiam vt nũmularij nepotẽ, sic taxat Augustũ: *Materna tibi farina siquidẽ ex crudissimo Ariciæ pistrino, hanc pinsit manibus collybo decoloratis Nerulonensis mensarius.*

NATVS

5 NATVS est Augustus, [M. Tullio] Cicerone & Antonio coss. IX Kal. Octobris, paullo ante Solis exortum, regione Palatij, ad capita bubula, vbi nunc sacrarium *habetur, aliquanto post, quam excessit, constitutum. Nam, vt Senatus actis continetur, cum C. *Lectorius adolescens patricij generis, in deprecanda grauiore adulterij pœna, præter ætatem atque natales, hoc quoque patribus cōscriptis allegaret, se esse possessorem ac velut æditumm soli, quod primum D. Augustus nascens attigisset; peteretque donari, quasi proprio suo ac peculiari deo: decretum est, vt ea pars domus cōsecraretur.

6 NVTRIMENTORVM eius ostenditur adhuc locus in auito suburbano iuxta Velitras permodicus, & cellæ penuariæ instar: tenetque vicinitatem opinio, tamquam & natus ibi sit. Huc introire, nisi necessario & caste, religio est: concepta opinione veteri, quasi temere adeuntibus horror quidam & metus *obiiciatur: sed & mox cōfirmata est. Nam cum possessor villæ nouus, seu forte, seu tentandi caussa, cubitum se eò contulisset; euenit vt post paucissimas noctis horas, exturbatus inde subita vi & incerta, pæne semianimis cum strato simul ante fores inueniretur.

7 INFANTI cognomen THVRINO inditum est, in memoriam maiorum originis: vel quod in regione Thurina, recens eo nato, pater Octauius aduersus fugitiuos prospere rem gesserat. Thurinum cognominatum, satis certa probatione tradiderim, nactus puerilem *imagunculam eius æream veterem, *ferreis ac pæne iam exolescētibus litteris hoc nomine inscriptam: quæ dono a me principi data, inter cubiculares colitur. Sed & a M. Antonio in epistolis per cōtumeliam sæpe Thurinus appellatur: & ipse nihil amplius quam mirari se rescribit, pro opprobrio nomen prius sibi obiici. Postea C. CÆSARIS, & deinde AVGVSTI cognomen assumsit: alterum, testamēto maioris auunculi; alterum, Munatij Planci sententia: cum, quibusdam censentibus, Romulum appellari oportere, quasi & ipsum conditorem vrbis, præualuisset vt Augustus potius vocaretur; non tantum nouo, sed etiam ampliore cognomine: quod loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, *augusta* dicantur, ab auctu, vel ab auium gestu gustuue; sicut etiam Ennius docet scribens, *Augusto augurio postquā inclyta condita Roma est.*

8 QVADRIMVS, patrem amisit: duodecimum annum agens, auiam Iuliam defūctam pro concione laudauit. Quadriennio post, virili toga sumpta, militaribus donis triumpho Cæsaris Africano donatus est, quamquam expers belli, propter ætatē. Profectum mox auunculum in Hispanias, aduersus Cn. Pompeij liberos, vix tum firmus a graui valetudine, per infestas hostibus vias paucissimis comitibus, naufragio etiam facto, subsequutus, magnopere demeruit, approbata cito etiam morum indole super itineris industriam. Cæsare post receptas Hispanias expeditionem *in Dacos, & inde in Parthos destinante, præmissus Apolloniam, studiis vacauit. Vtque primum occisum eum, heredemque se comperit, diu cunctatus, an proximas legiones imploraret, id quidem consilium, vt præceps immaturumque, omisit: ceterum vrbe repetita, hereditatem adiit, dubitante matre; vitrico vero, Marcio Philippo consulari, multum dissuadente. Atque ab eo tempore exercitibus comparatis, primum cum M. Antonio, M que Lepido, dein tantum cum Antonio per duodecim fere annos, nouissime per quatuor & XL solus remp. tenuit.

9 PROPOSITA vitæ eius velut summa, partes *sigillatim, neque per tempora, sed per species exsequar: quo distinctius demonstrari cognoscique possint. Bella ciuilia quinque gessit; Mutinense, Philippense, Perusinum, Siculum, Actiacum. Ex quibus primum ac nouissimum aduersus M Antonium: secundum, aduersum Brutum & Cassium: tertium, aduersum L. Antonium Triumuiri fratrem: quartum, aduersus Sex. Pompeium, Cn. [Pompeij] filium. Omnium bellorum initium & caussam hinc sumsit; nihil conuenientius ducens, quam necem auunculi vindicare, tuerique acta.

10 CONFESTIM, vt Apollonia rediit, Brutum Cassiumque, *etiam necopinantes, & quia præuisum periculum subterfugerant, legibus aggredi, reosque cædis absentes deferre statuit. Ludos autem victoriæ Cæsaris non audentibus facere quibus obtigerat id munus, ipse edidit. Et quo constantius cetera quoque exsequeretur, in locū

Trib. plebis forte demortui, candidatum [petitorem] se ostendit; quamquam Patricius, [nec dum Senator.] Sed aduersante conatibus suis M. Antonio Consule, quem vel præcipuum adiutorem sperauerat; ac ne publicum quidem & translaticium [ius] vlla in re sibi sine pactione grauissimæ mercedis impertiente, ad optimates se contulit: quibus eum inuisum sentiebat, maxime quod D. Brutum obsessum Mutinæ, prouincia a Cæsare data, & per Senatum confirmata, expellere armis niteretur. Hortantibus itaque non nullis, percussores ei subornauit. Hac fraude deprehensa, periculum inuicem metuens, veteranos simul in suum ac reip. auxilium, quanta potuit largitione, contraxit. Iussusque comparato exercitui pro prætore præesse, & cum Hirtio ac Pansa, qui Consulatum *susceperant, D. Bruto opem ferre, demandatum bellum tertio mense confecit duobus prœliis. Priore Antonius eum fugisse scribit, ac sine paludamento equoque post biduum demum apparuisse. Sequenti satis constat nõ modo ducis, sed etiam militis functum munere. atque in media dimicatione, aquilifero legionis suæ grauiter saucio, aquilam humeris subiisse, diuque portasse.

11 Hoc bello cum Hirtius in acie, Pansaque [paulo] post ex vulnere periissent; rumor increbuit, ambos opera eius occisos, vt Antonio fugato, rep. coss. orbata, solus victores exercitus occuparet. Pansæ quidem adeo suspecta mors fuit, vt Glyco medicus custoditus sit, quasi venenum vulneri indidisset. Adiicit his Aquilius Niger, alterum e coss. Hirtium in pugnæ tumultu ab ipso interemtum.

12 Sed vt cognouit, Antonium post fugam a M. Lepido receptum, ceterosq; duces & exercitus consentire pro *patribus, caussam optimatium sine cunctatione deseruit; ad prætextum mutatæ voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus: quasi alij se puerum, alij ornandum tollendumque iactassent; *ne aut sibi, aut veteranis par gratia referretur. Et quo magis pœnitentiam prioris sectæ approbaret, Nursinos grandi pecunia, & quam pendere nequirent, multatos, extorres egit oppido: quod Mutinensi acie interemtorum ciuium tumulo publice exstructo adscripserant, pro libertate eos occubuisse.

13 Inita cum Antonio & Lepido societate, Philippense quoque bellum, quamquã inualidus atq; æger duplici prœlio transegit. quorum priore castris exutus, vix ad Antonij cornu fuga euaserat. Nec successum victoriæ moderatus est: sed capite Bruti Romam misso, vt statuę Cæsaris summitteretur, in splendidissimum quemque captiuum non sine *verborum contumelia *sæuit. vt quidem vni simpliciter sepulturam precanti respondisse dicatur, Iam istam in volucrum *potestatem fore: alios, patrem & filium, pro vita rogantes, sortiri vel *micare iussisse, vt alterutri concederetur: ac spectasse vtrumque morientem, cum patre, qui se obtulerat, occiso, filius quoque *voluntaria occubuisset nece. Quare ceteri, [&] in his M. Fauonius ille Catonis æmulus, cum catenati producerentur, Imperatore Antonio honorifice salutato, hunc fœdissimo conuitio coram proscidetunt. Partitis post victoriam officiis, cum Antonius Orientem ordinandum, ipse veteranos in Italiam reducendos, & municipalibus agris *collocandos recepisset: neque veteranorum, neque *possessorũ gratiam tenuit; alteris pelli se, alteris non pro spe meritorum tractari querentibus.

14 Quo tempore L. Antonium, fiducia Consulatus quem gerebat, ac fraternæ potentiæ, res nouas molientem, confugere Perusiam coegit, & ad deditionẽ fame cõpulit: non tamen sine magnis suis & ante bellum, & in bello discriminibus. Nam cum spectaculo ludorum, gregarium militem in XIIII *ordinibus sedentem excitari per apparitorẽ iussisset; rumore ab obtrectatoribus dilato, quasi eundem mox discruciatum necasset: minimum abfuit quin periret, concursu & indignatione turbæ militaris. Saluti fuit, quod qui desiderabatur, repente comparuit incolumis ac sine iniuria. Circa Perusinum autem murum sacrificans, pæne interceptus est a manu gladiatorum, *quæ oppido eruperat.

15 Pervsia capta, in plurimos animaduertit, orare veniam, vel excusare se conantibus vna voce occurrens, Moriendum esse. Scribunt quidam, *trecentos ex dediticiis electos vtriusque ordinis, ad aram diuo Iulio exstructam, Idibus Martiis hostiarum more mactatos. Exstiterunt qui traderent, *consulto eum ad arma isse, vt occulti aduersarij, & quos metus magis quam voluntas contineret, facultate L. Antonij

ducis

ducis præbita, detegerentur; deuictisque bis & confiscatis, promissa veteranis præ-
mia soluerentur.

Bellvm Siculum inchoauit in primis; sed diu traxit, intermissum sæpius; modo 16
reparandarum classium caussa, quas tempestatibus duplici naufragio, & quidem per
æstatem amiserat: modo pace facta, flagitante populo ob interclusos commeatus, fa-
memque ingrauescentem: donec nauibus ex integro fabricatis, ac xx seruorum mil
libus manumissis, & *ad remum datis, portum Iulium apud Baias, immisso in Lucri-
num & Auernum lacum mari, effecit. In quo cum *hieme tota copias exercuisset,
Pompeium inter Mylas & Naulochum superauit, sub horam pugnæ tam arcto repē-
te somno *deuictus, vt ad dandum signum ab amicis excitaretur. vnde præbitam An
tonio materiam putem exprobrandi, ne rectis quidem oculis eum adspicere potuisse
instructam aciem; verum *supinum cælum intuentem, stupidum cubuisse, nec prius
surrexisse, ac militibus in conspectum venisse, quam a M. Agrippa fugatæ sint hostiū
naues. Alij dictum factumque eius criminantur, quasi classibus tempestate perdi-
tis exclamauerit, etiam inuito Neptuno victoriam se adepturum. Ac die Circensium
proximo, sollenni pompæ, simulacrum dei detraxit: nec temere plura ac maiora pe-
ricula vllo alio bello adiit. Traiecto in Siciliam exercitu, cum partem reliquam co-
piarum continenti repeteret, oppressus ex improuiso a Demochare & Apollopha-
ne præfectis Pompeij, vno demum nauigio ægerrime effugit. *Item cum præter
Locros Rhegium pedibus iret, & prospectis biremibus Pompeianis terram legenti-
bus, suas ratus, descendisset ad litus, pæne exceptus est. Tunc etiam per deuios trami-
tes refugientem, seruus Æmilij Paulli, comitis eius, dolens proscriptum olim ab eo
patrē Paullum, & quasi occasione vltionis oblata, interficere conatus est. Post Pom-
peij fugam, collegarum alterum M. Lepidum, quem ex Africa in auxilium euocarat,
superbientem xx legionum fiducia, summasque sibi partes terrore ac minis vindi-
cantem, spoliauit exercitu: supplicemque concessa vita, *Circeiis in perpetuum re-
legauit. M. Antonij societatem, semper dubiam & incertam, reconciliationibusque
variis male *focillatam, abrupit tandem. Et quo magis degenerasse eum a ciuili mo-
re approbaret, testamentum, quod is Romæ *etiam de Cleopatræ liberis inter here-
des nuncupatis reliquerat, aperiendum recitandumque pro concione curauit. Re-
misit tamen hosti iudicato necessitudines amicosque omnes; atque inter alios C. So-
sium, & *T. Domitium, tunc adhuc coss. Bononiensibus quoque publice, quod in
Antoniorum clientela antiquitus erant, *gratiam fecit coniurandi cum tota Italia pro
partibus *suis. Nec multo post nauali prœlio apud Actium vicit, in serum dimica-
tione protracta, vt in naui victor pernoctauerit.

Ab Actio cum Samum insulam in hiberna se recepisset, turbatus nuntiis de sedi- 17
tione militum, præmia & missionem poscentium, quos ex omni numero cōfecta vi-
ctoria Brundisium præmiserat, *repetit Italiam, tempestate in traiectu bis conflicta-
tus: primo, inter promontoria Peloponnesi atque Ætoliæ: rursus, circa montes Ce-
raunios: vtrobique parte Liburnicarum demersa; simulque eius in qua vehebatur,
fusis armamentis, & gubernaculo *diffracto. Nec amplius quam septem & xx dies,
donec desideria militum ordinarentur, Brundisij commoratus, Asiæ Syriæque cir-
cuitu Ægyptum petit. Obsessaque Alexandria, quo Antonius cum Cleopatra con-
fugerat, breui potitus est. Et Antonium quidem seras conditiones pacis tentantem,
ad mortem adegit, *viditque mortuum: Cleopatræ, quam seruatam triumpho ma-
gnopere cupiebat, etiam Psyllos admouit, qui venenum ac virus exsugerent: quod
periisse morsu aspidis putabatur. Ambobus communem sepulturæ honorem tribuit,
ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici iussit. Antonium iuuenē, maiorem de duo-
bus Fuluia genitis, simulacro D. Iulij, ad quod post multas & irritas preces confuge-
rat, abreptum interemit. Item Cæsarionem, quem ex Cæsare patre Cleopatra con-
cepisse prædicabat, retractum e fuga supplicio affecit. Reliquos Antonij reginæque
communes liberos, non secus ac necessitudine iunctos sibi, & conseruauit, & mox
pro conditione cuiusque sustinuit ac fouit.

Per idem tempus, conditorium & corpus Magni Alexandri, cum prolatum e 18
penetrali subiecisset oculis, corona aurea imposita, ac floribus aspersis veneratus

est: consultusque, num & Ptolemæum inspicere vellet, regem ait se voluisse videre, non mortuos. Ægyptum in prouinciæ formam redactā, vt feraciorem habilioremque annonæ vrbicæ redderet, fossas omnes, in quas Nilus exæstuat, oblimatas longa vetustate, militari opere detersit. Quoque Actiacæ victoriæ memoria celebratior in posterum esset, vrbem Nicopolim apud Actium condidit: ludosque illic Quinquennales cōstituit: & ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum, quibus fuerat vsus, exornatum naualibus spoliis, Neptuno ac Marti consecrauit.

19 TVMVLTVS post hæc, ac etiam rerum nouarum initia, coniurationesque complures, prius quam inualescerent, indicio detectas compressit. & alias alio tempore: Lepidi iuuenis; deinde Varronis Murenæ, & Fannij Cæpionis; mox *M. Genucij; exin Plautij Rufi, Luciique Paulli progeneri sui; ac præter has L. *Audasij falsarum tabularum rei, ac neque ætate neque corpore integri; *item Asinij Epicadi ex gente Parthina hybridæ; ad extremum Telephi *mulieris serui nomenclatoris. nam ne vltimæ quidem sortis hominum conspiratione & periculo caruit. Audasius atque Epicadus Iuliam filiam, & Agrippam nepotem, ex insulis, quibus continebantur, rapere: ad extremum Telephus, quasi debita sibi fato dominatione, & ipsum, & Senatum aggredi destinauerant. Quinetiam quōdam iuxta cubiculum eius, lixa quidam ex Illyrico exercitu, ianitoribus deceptis, noctu deprehensus est, cultro venatorio cinctus: imposne mentis, an simulata dementia, incertum. nihil enim exprimi quæstione potuit.

20 EXTERNA bella duo omnino per se gessit: Dalmaticum, adolescens adhuc; & Antonio deuicto, Cantabricum. Dalmatico etiam vulnera *excepit. vna acie dextrū genu lapide ictus; altera [autem] & crus, & vtrumq; brachium ruina pontis consauciatus. Reliqua per legatos administrauit: vt tamen quibusdam Pannonicis atque Germanicis aut interueniret, aut non longe abesset, Rauennam, vel Mediolanum, vel Aquileiam vsque ab vrbe progrediens.

21 DOMVIT autem partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni: item Rhætiam, & Vindelicos, ac Salassos, gentes *inalpinas. Coercuit & Dacorum incursiones, tribus eorum ducibus cum magna copia cæsis: Germanosq; vltra Albim *fluuium summouit: ex quibus Sueuos & Sicambros dedentes se, traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocauit. Alias item nationes male quietas, ad obsequium redegit. Nec vlli genti sine iustis & necessariis caussis bellum intulit. Tantumque abfuit a cupiditate quoquo modo Imperium vel bellicam gloriam augendi, vt quorundam barbarorum principes in æde Martis vltoris iurare coegerit, mansuros se in fide, ac pace, quam peterent: a quibusdam vero nouum genus obsidum feminas exigere tētauerit, quod negligere *marum pignora sentiebat. & tamen potestatē semper omnibus fecit, quoties vellent, obsides recipiendi. Neque aut crebrius aut perfidiosius rebellantes, grauiore vmquam multatus est pœna, quam vt captiuos sub lege venumdaret, ne in vicina regione seruirent, neue intra XXX annum liberarentur. Qua virtutis moderationisque fama, Indos etiam ac Scythas, auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiā suam populique Romani vltro per legatos petendam. Parthi quoque *& Armeniam vindicāti facile cesserūt; & signa militaria, quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt: obsidesque insuper obtulerunt: denique pluribus quondam de regno concertantibus, non nisi ab ipso electum comprobauerunt.

22 IANVM *Quirinum, semel atque iterum a condita Vrbe ante memoriam suam clausum, *in multo breuiore temporis spatio, terra marique *pace parta, *tertio clausit. Bis ouans ingressus est vrbem; post Philippense, & rursus post Siculum bellum. Curules triumphos treis egit; Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum: continuo triduo omnes.

23 GRAVES ignominias cladesque, duas omnino, nec alibi quam in Germania, accepit; Lollianam, & Varianam: sed Lollianam, maioris infamiæ quam detrimenti; Varianam, pæne exitiabilem, tribus legionibus cum duce, legatisque, *& auxiliis omnibus cæsis. Hac nuntiata, excubias per vrbem indixit, ne quis tumultus exsisteret: & Præsidibus prouinciarum prorogauit Imperium, vt *& a peritis, & assuetis socij *continerentur

rinerentur. Vouit & magnos ludos Ioui opt. max. si remp. in meliorem statum vertisset: quod factum Cimbrico Marsicoque bello erat. Adeo *namque consternatum ferunt, vt per continuos menses barba capilloque summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans; *Quinctili Vare, legiones redde*: diemq; cladis quotannis mæstum habuerit ac lugubrem.

In re militari & commutauit multa, & instituit: atque etiam ad antiquum morē 24
non nulla reuocauit. disciplinam seuerissime rexit. ne legatorum quidem cuiquam, nisi grauate, *hibernisque demum mensibus, permisit vxorem intervisere. Equitē Ro. quod duobus filiis adolescentibus, caussa detrectandi sacramenti pollices amputasset, ipsum, bonaque subiecit hastæ: quem tamen, quod imminere emtioni publicanos videbat, liberto suo addixit, vt relegatum in agros pro libero esse sineret. Decimam legionem, contumacius parentem, cum ignominia totam *dimisit: item alias immodeste missionem postulantes, citra commoda emeritorum *præmiorum exauctorauit. Cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pauit: Centuriones statione deserta, itidem vt manipulares, capitali animaduersione puniit. Pro cetero delictorum genere, variis ignominiis affecit: vt stare per totū diem iuberet ante Prætorium; interdum tunicatos, discinctosque, nonnumquam cum decempedis; vel etiam cespitem portantes.

Neque post bella ciuilia, aut in concione, aut per edictum, vllos militum *commi- 25
litones* appellabat, sed *milites*. ac ne a filiis quidem aut priuignis suis Imperio præditis, aliter appellari passus est: ambitiosius id existimans, quam aut ratio militaris, aut temporum quies, aut sua domusque suæ maiestas postularet. Libertino milite, præterquam Romæ incendiorum caussa, et si tumultus in grauiore annona metueretur, bis vsus est: semel, ad præsidium coloniarum Illyricum contingentium. iterum, ad tutelam ripæ Rheni fluminis. eosque seruos adhuc, viris feminisque *periculosioribus indictos, ac sine mora manumissos, sub priore vexillo habuit, neque aut commistos cū ingenuis, aut eodem modo armatos. *Dona militaria aliquanto facilius, phaleras & torques, quicquid auro argentoq; constaret, quam vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat: has quam parcissime, & sine ambitione, ac sæpe etiam caligatis tribuit. M. Agrippam in *Cilicia post naualem victoriam cæruleo vexillo donauit. Solos triumphales, quamquam & socios expeditionū, & participes victoriarum suarum, numquam donis impertiendos putauit: quod ipsi quoq; ius habuissent tribuendi ea quibus vellent. Nihil autē minus in *perfecto duce, quam festinationem temeritatemque cōuenire arbitrabatur. *Crebro itaque illa iactabat: Σπεῦδε βραδέως· ἀσφαλὴς γάρ ἐσθ' ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης. Et *Sat celeriter fieri, quidquid fiat satis bene*. Prœlium quidem aut bellum suscipiendum omnino negabat, nisi cum maior emolumenti spes, quam damni metus ostenderetur. Nam minima commoda non minimo sectantes discrimine, similes aiebat esse aureo hamo piscantibus; cuius abrupti damnum nulla captura pensari posset.

Magistratvs atque honores, & ante tempus, & quosdā noui generis, per- 26
petuosque cepit. Consulatum XX ætatis anno inuasit, admotis hostiliter ad vrbem legionibus, missisque qui sibi nomine exercitus deposcerent. cum quidem cunctante Senatu, Cornelius centurio princeps legationis, reiecto sagulo ostendens gladij capulum, non dubitasset in Curia dicere; *Hic faciet, si vos non feceritis*. Secundum Cōsulatum post IX annos, tertium anno interiecto gessit: sequentes vsque ad XI continuauit. Multisque mox, cum deferrentur, recusatis, duodecimum magno, [id est] septemdecim annorum interuallo, & rursus tertiumdecimum biēnio post vltro petiit: vt Caium & Lucium filios, amplissimo *præditos magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in forum. Quinque medios consulatus, a sexto ad vndecimum, annuos gessit: ceteros autem *sex, aut nouem, aut sex, aut quatuor, aut tribus mensibus: secundum vero, paucissimis horis. Nam die Kalendarum Ianuarij, cum mane pro æde Capitolini Iouis paullulum curuli sella præsedisset, honore abiit, suffecto alio in locum suum. Nec omnes Romæ, sed quartum *Consulatum in Asia, quinctum in insula Samo, octauum & nonum Tarracone iniit.

Trivmviratvm reipublicæ constituendæ, per decem annos admi- 27

nistrauit: in quo restitit quidem aliquamdiu collegis, ne qua fieret proscriptio; sed inceptam vtroque acerbius exercuit. Namque illis in multorum sæpe personam per gratiã & preces exorabilibus, solus magnopere contendit ne cui parceretur. proscripsitque etiam C. Toranium tutorem suum, eundemque collegam patris sui Octauij in ædilitate. Iunius Saturninus hoc amplius tradit: Cum peracta proscriptione, M. Lepidus in Senatu excusasset præterita, & spem clemẽtiæ in posterum fecisset; quoniam satis pœnarum exactum esset: hunc e diuerso professum, ita modum se proscribendi statuisse, vt omnia sibi reliquerit libera: in cuius tamen pertinaciæ pœnitentiã, postea T. Iunium Philopœmenem, quod patronum suum proscriptum celasse olim diceretur, equestri dignitate *decorauit. In eadem hac potestate multiplici flagrauit inuidia. Nam & Pinarium equitẽ R. cùm concionante se, admissa turba paganorũ, apud milites subscribere quædam animaduertisset, curiosum ac speculatorẽ ratus, coram se confodi imperauit. Et Tedium Afrũ cos designatum, quia factũ quoddã suum maligno sermone carpsisset, tantis *perterruit minis, vt is se præcipitauerit. Et *Q Gallum Prætorem, in officio salutationis, tabellas duplices veste tectas tenentẽ, suspicatus gladium occulere; nec quidquam statim, ne aliud inueniretur, ausus inquirere; paullo post per Centuriones *militum raptum e Tribunali, seruilem in modum torsit: ac *fatentem nihil, iussit occidi, prius oculis eius sua manu effossis: quem tamen scribit colloquio petito insidiatum sibi; coniectumque a se in custodiam, deinde vrbe interdicta dimissum, naufragio vel latronum insidiis perisse. Tribuniciam potestatem perpetuam recepit: in qua semel atque iterum per singula lustra collegam sibi cooptauit. Recepit & morum legumque regimen æque perpetuum. quo iure, quamquam sine censuræ honore, censum tamen populi ter egit: primum ac tertium cum collega, medium solus.

28 De reddenda rep. bis cogitauit: primo, post oppressum statim Antoniũ, memor, obiectum ab eo sibi sæpius, quasi per ipsum staret ne redderetur: ac rursus, tædio diuturnæ valetudinis, cum etiam Magistratibus *ac Senatu domum accitis *Rationarium Imperij tradidit. Sed reputans & se priuatum non sine periculo fore, & illam plurium arbitrio [temere] committi, in retinenda perseuerauit: dubium euentu meliore, an voluntate. *quam voluntatem cum præsidens identidẽ præ se ferret, quodã etiam edicto his verbis testatus est: *Ita mihi saluam ac sospitem remp. sistere in sua sede liceat, atque eius rei fructum percipere quem peto, vt optimi status auctor dicar: & moriens vt feram mecum spem, mansura in vestigio suo fundamenta reip. quæ iecero.* Fecitque ipse se compotem voti; nisus omni modo, ne quem noui status pœniteret. Vrbem *namque pro maiestate Imperij ornatam, & inundationibus incendiisque obnoxiam, excoluit adeo, vt iure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset. Tutam vero, quantum prouideri humana ratione potuit, etiam in posterum præstitit.

29 PVBLICA opera plurima exstruxit: ex quibus vel præcipua, forum cum æde Martis vltoris, templum Apollinis in Palatio, ædem tonantis Iouis in Capitolio. Fori exstruendi caussa fuit, hominum & iudiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere. Itaque *festinantius, nec dum perfecta Martis æde publicatum est, cautumque, vt separatim in eo publica iudicia, & sortitiones iudicum fierent. Ædem Marti bello Philippensi pro vltione paterna suscepto vouerat. Sanxit ergo, vt de bellis triumphisque heic consuleretur Senatus: prouincias cum Imperio petituri, hinc deducerentur: quique victores redissent, huc insignia triumphorum inferrent. Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitauit, quã fulmine ictam desiderari a deo, haruspices *pronuntiarent. Addita porticus cum bibliotheca Latina Græcaque: quo loco iam senior sæpe etiam Senatum habuit, decuriasque iudicum recognouit. Tonanti Ioui ædem consecrauit, liberatus periculo, cum in expeditione Cantabrica, per nocturnũ iter lecticam eius fulgor *perstrinxisset, seruumque prælucentem exanimasset. Quædam etiam opera sub nomine alieno, nepotum scilicet & vxoris sororisque, fecit: vt porticum basilicamque Lucij & Caij. item porticus Liuiæ & Octauiæ, Theatrumque Marcelli. Sed & ceteros principes viros sæpe hortatus est, vt pro facultate quisque monumentis vel nouis, vel refectis & excultis, vrbem adornarent. Multaq; a multis exstructa sunt: sicut a Marcio

Philippo

Philippo ædes Herculis,& Musarum : a L. Cornificio, ædes Dianæ : ab Asinio Pollione, atrium libertatis: a Munatio Planco, ædes Saturni: a Cornelio Balbo, Theatrũ: a Statilio Tauro, Amphitheatrum: a M. vero Agrippa, complura & egregia.

SPATIVM vrbis in regiones vicosque diuisit: instituitque vt illas annui Magistra- 30
tus sortito tuerentur; hos, magistri e plebe cuiusque viciniæ electi. Aduersus incendia, excubias nocturnas vigilesque commentus est. Ad coercendas inundationes, aluenm Tiberis laxauit ac repurgauit, completum olim ruderibus, & ædificiorũ prolapsionibus coarctatum. Quo autem facilius vndique vrbs adiretur, desumta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit. Ædes sacras vetustate collapsas, aut incendio absumtas, refecit: easque & ceteras opulentissimis donis adornauit: vtpote qui in cellam Capitolini Iouis XVI millia pondo auri, gemmasq; ac margaritas quingenties LLS. vna donatione contulerit.

POSTQVAM vero Pontificatum maximum, quem numquam viuo Lepido au- 31
ferre sustinuerat, mortuo demum suscepit: quidquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus, vulgo ferebatur, supra duo millia contracta vndique cremauit: ac solos retinuit Sibyllinos: hos quoque delectu habito: condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi. *Annum a D. Iulio ordinatum, sed postea negligentia conturbatum atque confusum, rursus ad pristinam rationem redegit: in cuius ordinationem, Sextilem mensem *e suo cognomine nuncupauit, magis quam Septembrem, quo erat natus: quia hoc sibi & primus Consulatus, & insignes victoriæ obtigissent. Sacerdotum & numerum, & dignitatem, sed & commoda auxit: præcipue Vestalium virginum. Cumque in demortuæ locum aliam capi oporteret, ambirentque multi ne filias in sortem darent: adiurauit, si cuiusquam neptium suarum competeret ætas, oblaturum se fuisse eam. Non nulla etiam ex antiquis cærimoniis paullatim abolita restituit: vt Salutis augurium, Diale flaminium, sacrum *Lupercale, ludos Sæculares & Compitalicios. Lupercalibus vetuit currere imberbes. Item, Sæcularibus ludis iuuenes vtriusque sexus prohibuit vllum nocturnũ spectaculũ frequentare; nisi cum aliquo maiore natu propinquorũ. Compitales Lares ornare bis anno instituit, vernis floribus, & æstiuis. Proximum a dis immortalibus honorem memoriæ Ducum præstitit, qui Imperium populi R. ex minimo maximum reddidissent. Itaque & opera cuiusque, manentibus titulis, restituit: & statuas omnium triumphali effigie in vtraque fori sui porticu dedicauit. Professus est edicto, commentum id se, vt illorum velut exemplar, & ipse dum viueret, & insequentium ætatum principes exigerentur a ciuibus. Pompeij quoque statuam contra Theatri eius *regiam, marmoreo Iano *supposuit, translatam e Curia, in qua C. Cæsar fuerat occisus.

PLERAQVE pessimi exempli correxit, quæ in perniciem publicam, aut ex con- 32
suetudine licentiaque bellorum ciuilium durauerant, aut per pacem etiam exstiterant. Nam & grassatorum plurimi palam se ferebant succincti ferro, quasi tuendi sui caussa: & rapti per agros viatores sine discrimine, liberi, seruique ergastulis possessorum supprimebantur; & plurimæ factiones, titulo collegij noui, ad nullius non facinoris societatem coibant. Igitur grassatores, dispositis per opportuna loca stationibus, inhibuit: ergastula recognouit, collegia, præter antiqua [& legitima] dissoluit: tabulas veterum *ærarij debitorum,* vel præcipuam calumniandi materiam, exussit: loca in vrbe publica iuris ambigui, possessoribus adiudicauit: diuturnorum reorum, & ex quorum sordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quæreretur, nomina aboleuit; conditione proposita, vt si quem quis *repetere vellet, par periculũ pœnæ subiret. Ne quod autem maleficium negotiumue, impunitate vel mora elaberetur, XXX *amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, *actui rerum accommodauit. Ad tres iudicum decurias, quartam *addixit ex inferiore censu; quæ *ducenariorum* vocaretur, iudicaretque de leuioribus summis. Iudices *a tricesimo ætatis anno allegit: id est, quinquennio maturius quam solebant. At plerisque iudicandi munus detrectantibus, vix concessit vt singulis decuriis per vices annua vacatio esset; & vt solitæ agi Nouembri ac Decembri mense res omitterentur.

33 IPSE ius dixit assidue, & in noctem non nunquam: si parum corpore valeret, lectica pro Tribunali collocata; vel etiam domi cubans. Dixit autem ius non diligẽ- ria modo summa, sed & lenitate. Siquidem manifesti parricidij reum, ne *culeo insueretur, quòd non nisi confessi afficiebantur hac pœna, ita fertur interrogasse: *Certe *patrem tuum non occidisti?* Et cum de falso testamento ageretur, omnesque *signatores lege Cornelia tenerentur, non tantum duas tabellas, damnatoriam & absolutoriam, simul cognoscentibus dedit, sed tertiam quoque, qua ignosceretur iis quos fraude ad signandum, vel errore inductos constitisset. Appellationes quotannis, vrbanorum quidem litigatorum, Prætori *delegauit vrbano, at prouincialium, consularibus viris, quos singulos cuiusque prouinciæ negotiis præposuisset.

34 LEGES retractauit, & quasdam ex integro sanxit: vt sumtuariam, [&] de adulteriis & de *pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus. Hanc cum aliquãto quam ceteras seuerius emendasset, præ tumultu recusantium perferre non potuit, nisi adẽpta demum lenitaue parte pœnarum; & vacatione triennij data, auctisq; præmiis. Sic quoque abolitionem eius, publico spectaculo pertinaciter postulante equite, accitos Germanici liberos, receptosque partim ad se, partim in patris gremium ostentauit: manu vultuque significans, ne grauarentur imitari iuuenis exemplum. *Cumque etiam immaturitate sponsarum, & matrimoniorum crebra mutatione, vim legis eludi sentiret, tempus sponsas habendi coarctauit: diuortiis modum imposuit.

35 SENATORVM affluentem numerum deformi & incondita turba (erant enim super mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam & præmiũ allecti, quos *abortiuos* vulgus vocabat) ad modum pristinum & splendorem redegit duabus lectionibus: prima, ipsorum arbitratu, quo vir virum legit. secunda, suo & Agrippæ: quo tempore æstimatur lorica sub veste munitus, ferroque cinctus præsedisse, decem valentissimis Senatorij ordinis amicis sellam [suam] circumstantibus. *Cordus Cremutius scribit, ne admissum quidem tunc quemquam Senatorum nisi solum, & prætentato sinu. Quosdam ad excusandi se verecundiam compulit, seruauitque etiam excusantibus insigne vestis, & spectandi in orchestra, epulandique publice ius. Quo autem lecti probatique & religiosius, & minore molestia senatoria munera fungerentur, sanxit, vt prius quam considêret quisquam, thure ac mero supplicaret apud aram eius dei in cuius templo coiretur, &, ne plus quam bis in mense legitimus Senatus ageretur, Kalendis scilicet & Idibus: neue Septembri Octobriue mense vllos adesse alios necesse esset, quam sorte ductos, per quorum numerum decreta confici possent: sibique instituit consilia sortiri *semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis ante tractaret. Sententias de maiore negotio, non more *neque ordine, sed prout libuisset, *prærogabat: vt perinde quisque animum intenderet, ac si *censendum magis quam assentiendum esset.

36 AVCTOR & aliarum rerum fuit: in queis, ne acta Senatus publicarentur: ne Magistratus deposito honore statim in prouincias mitterentur: vt Proconsulibus ad mulos, & tabernacula, quæ publice locari solebant, certa pecunia constitueretur: vt cura ærarij a Quæstoribus vrbanis ad Prætorios Prætoresue transiret: vt centumuiralem hastam, quam Quæstura functi consueuerant cogere, decemuiri cogerent.

37 QVOQVE plures partem administrandæ reipublicæ caperent, *noua officia excogitauit: curam operum publicorum, *viarum, aquarum, aluei Tiberis, frumenti populo diuidendi, Præfecturam vrbis, Triumuiratum legendi Senatus; & alterum, recognoscendi turmas equitum, quotiescumque opus esset. Censores crean desitos longo interuallõ creauit: numerum Prætorum auxit. Exegit etiam, vt quoties Consulatus sibi daretur, binos pro singulis collegas haberet. nec obtinuit: reclamantibus cunctis, satis maiestatem eius imminui, quod honorem eum non solus, sed cum altero *gereret.

38 NEC parcior in bellica virtute honoranda, *super XXX ducibus iustos triumphos, & aliquanto pluribus triumphalia ornamẽta decernẽda curauit. Liberis Senatorũ, quo celerius reip. assuescerent, protinus *virilem togã, latum clauum induere, & Curiæ interesse permisit: militiamque auspicantibus, non Tribunatum modo legionũ,

sed

ſed & Præfecturas alarum dedit. Ac ne quis expers caſtrorum eſſet, binos plerumq; laticlauios præpoſuit ſingulis alis. Equitum turmas frequēter recognouit, poſt longam intercapedinem reducto more tranſuectionis. Sed neque detrahi quemquam in tranſuehendo ab accuſatore paſſus eſt: quod fieri ſolebat. Et ſenio, vel aliqua corporis labe inſignibus, permiſit, præmiſſo in ordine equo, ad reſpondendum, quoties citarentur, pedibus venire. mox reddendi equi gratiam fecit eis, qui maiores annorū quinque & *triginta, retinere eum nollent.

39 IMPETRATISQVE * a Senatoribus decem adiutoribus, vnumquemque equitum rationem vitæ reddere coegit: atque ex improbatis alios pœna, alios ignominia notauit: plures admonitione, ſed varia. Leniſſimum genus admonitionis fuit, *traditio coram pugillarium, quos taciti, & ibidem ſtatim legerent. Notauitque aliquos, quod pecunias leuioribus vſuris mutuati, grauiore fenore collocaſſent.

40 COMITIIS Tribuniciis ſi deeſſent candidati, Senatores ex equitibus Romanis creauit. ita vt poteſtate tranſacta, in vtro vellent ordine, manerent. Cum autem plerique equitum, attrito bellis ciuilibus *matrimonio, ſpectare ludos e quatuordecim nō auderēt, metu pœnæ theatralis: pronuntiauit, non teneri ea, quibus ipſis, parētibuſue, equeſter cenſus vnquam fuiſſet. *Populi R. cenſum vicatim egit. Ac ne plebs frumentationum cauſſa frequentius a negotiis auocaretur, ter in annum *quaternūm menſium teſſeras dare deſtinauit: ſed deſideranti conſuetudinem veterem, conceſſit rurſus vt ſui *quiſque menſis acciperet. *Comitiorum quoque priſtinum ius reduxit: ac multiplici pœna coercito ambitu, *Fabianis & Scaptienſibus tribulibus ſuis die comitiorum, ne quid a quoquam candidato *deſiderarent, ſingula millia nummûm * a ſe diuidebat. Magni præterea exiſtimans, ſincerum, [atque] ab omni colluuione peregrini ac ſeruilis ſanguinis incorruptum ſeruare populum; & *ciuitatem Romanam parciſſime dedit, & manumittendi modum terminauit. Tiberio, pro cliente Græco petenti, reſcripſit: non aliter ſe daturum, quam ſi præſens ſibi perſuaſiſſet, quam iuſtas petendi cauſſas haberet. Et Liuiæ pro quodam tributario Gallo roganti, ciuitatem negauit, immunitatem obtulit: affirmans, ſe facilius paſſurum fiſco detrahi aliquid, quam ciuitatis Romanæ vulgari honorem. Seruos non contentus multis * difficultatibus a libertate iuſta remouiſſe, cum & de numero, & de conditione ac differentia eorum, qui manumitterentur, curioſe cauiſſet, hoc quoque adiecit: ne vinctus vmquam, tortuſue quis, vllo libertatis genere ciuitatē adipiſceretur. Etiā habitum veſtitumque priſtinum reducere ſtuduit. Ac viſa quondam pro concione *pullatorum turba, indignabundus *& clamitans; *En, ait, Romanos rerum dominos, gētemque togatam.* Negotium Ædilibus dedit, ne quem poſthac paterētur in Foro Circoue, niſi poſitis lacernis, togatum conſiſtere.

41 LIBERALITATEM omnibus ordinibus per occaſiones frequenter exhibuit. Nam & inuecta vrbi Alexandrino triumpho regia gaza, tantam copiam nummariæ rei effecit, vt fenore diminuto, plurimum agrorum pretiis acceſſerit. Et poſtea quoties ex damnatorum bonis pecunia ſuperflueret, vſum eius gratuitum iis qui cauere in duplum poſſent, ad certum tempus indulſit. *Senatorum cenſum ampliauit: ac pro octingentorum millium ſumma, duodecies HS. taxauit, ſuppleuitque non habētibus. Congiaria populo frequēter dedit; ſed diuerſæ fere ſummæ modo quadringenos, modo *tricenos: non numquam ducenos, quinquagenoſque nummos. ac ne minores quidem pueros præteriit, quamuis non niſi ab vndecimo ætatis anno accipere conſueſſent. Frumentum quoque in annonæ difficultatibus ſæpe leuiſſimo, interdum nullo pretio viritim admenſus eſt; teſſeraſque nummarias duplicauit.

42 SED vt ſalubrem magis quam ambitioſum principem ſcires, querentem de inopia & caritate vini populum, ſeueriſſima coercuit *voce: ſatis prouiſum a genero ſuo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines ſitirent. Eidem [populo,] promiſſum quidem congiarium repoſcenti, bonæ fidei ſe eſſe reſpondit: non promiſſum autem flagitanti, turpitudinem & impudentiam edicto exprobrauit: affirmauitque, nō daturum ſe, quamuis dare *deſtinarat. Nec minore grauitate atque conſtantia, cum propoſito congiario multos manumiſſos, inſertoſque ciuium numero comperiſſet, negauit accepturos quibus promiſſum non eſſet: ceteriſq; minus quam promiſerat,

dedit; vt destinata summa sufficeret. Magna vero quondam sterilitate, ac difficili remedio, cum *venalicias & lanistarum familias, peregrinosq; omnes, exceptis medicis & præceptoribus, partemq; seruitiorum, vrbe expulisset: vt tandem annona cōualuit, impetum se cepisse scribit, frumentationes publicas in perpetuum abolendi; quod earum fiducia cultura agrorum *cessatat: neque tamen perseuerasse, quia certū haberet, posse per ambitionem quandoque restitui. Atque ita post hanc rem temperauit, vt nō minorem *aratorum ac negotiantium, quam populi rationē *deduceret.

43 SPECTACVLORVM & assiduitate & varietate, atque magnificentia, omnes antecessit. Fecisse ludos se ait suo nomine quater pro aliis Magistratibus, qui aut abessent, aut non sufficerent, ter & vicies. Fecitque non numquam vicatim, ac pluribus scenis per omnium linguarum histriones: non in foro modo, nec Amphitheatro, *sed in Circo & in septis. & aliquando nihil præter venationem *edidit. Athletas, exstructis in campo Martio sedilibus ligneis: item nauale prœlium circa Tiberim cauatò solo, in quo nunc Cæsarum nemus est. quibus diebus custodes in vrbe disposuit; ne raritate remanentiū, grassatoribus obnoxia esset. In Circo aurigas, cursoresque, & confectores ferarum, *& non numquam ex nobilissima iuuentute produxit. Sed & Troiæ ludum edidit frequētissime, *maiorum minorumue puerorū delectu: prisci decorique moris existimans, claræ stirpis indolem sic *notescere. In hoc ludicro *C. Nonium Asprenatem, lapsu debilitatum, aureo torque donauit: passusque est ipsum posterosque *Torquati* ferre cognomen. Mox finem fecit talia edendi, Asinio Pollione oratore grauiter inuidioseque in Curia questo Æsernini nepotis sui casum, qui & ipse crus effregerat. Ad scenicas quoque & gladiatorias operas, etiam equitibus Romanis aliquando vsus est: verum prius quam Senatus cōsulto interdiceretur. Postea nihil sane, prætterquam adolescentulum *Lucium honeste natum exhibuit: tantum vt ostenderet, quod erat bipedali minor librarum septemdecim, ac vocis immensæ. Quodam autem muneris die, Parthorum obsides, tunc primum missos, per arenam mediam ad spectaculum induxit, *superque se subsellio secundo collocauit. Solebat etiam citra spectaculorum dies, si quando quid inusitatum dignumque cognitu aduectum esset, id extra ordinem quolibet loco publicare: vt rhinocerotem, apud septa: tigrim, in scena: anguem quinquaginta cubitorum, pro comitio. Accidit votiuis Circensibus, vt correptus valetudine, lectica cubans, thensas deduceret. Rursus cōmissione ludorum, quibus Theatrum Marcelli dedicabat, euenit vt laxatis sellæ curulis compagibus, caderet supinus. Nepotum quoque suorum munere, cum consternatum ruinæ metu populum retinere & confirmare nullo modo posset, transiit e loco suo, atq; in ea parte consedit, quæ suspecta maxime erat. Spectandi confusissimū ac solutissimum morem correxit, ordinauitque, motus iniuria Senatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos consessu frequenti nemo receperat.

44 FACTO igitur decreto patrum; vt *quoties quid spectandum vsquam publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret Senatoribus: Romæ legatos liberarum sociarumque gentium vetuit in orchestra considere: cum quosdam etiam libertini generis mitti deprehendisset. Militem secreuit a populo. Maritis e plebe proprios ordines assignauit: prætextatis cuneum suum; & proximum, pædagogis: sanxitque, ne quis *pullatorum media cauea sederet. Feminis ne gladiatores quidem, quos promiscue spectari solenne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit. Solis Virginibus Vestalibus locum in Theatro separatim, & contra Prætoris Tribunal dedit. Athletarum vero spectacula *muliebrem sexum omnem adeo submouit, vt Pontificalibus ludis pugilum par postulatū, distulerit in sequentis diei matutinū tempus: edixeritque mulieres ante horam quinctam venire in Theatrum, non placere.

45 IPSE Circenses ex amicorum fere libertorumque cenaculis spectabat, interdum e puluinari. Et quidem cum coniuge ac liberis sedens, spectaculo *plurimas horas, aliquando totos dies aderat: petita venia, commendatisque qui *suam vicem præsidēdo fungerentur. Verum quoties adesset, nihil præterea agebat: seu vitandi rumoris caussa, quo patrem Cæsarem vulgo reprehensum cōmemorabat, quod inter spectādū, epistolis libellisq; legendis *ac rescribēdis vacaret. seu studio spectādi, ac voluptatesqua teneri se neq; dissimulauit vmquā, & sæpe ingenue ꝓfessus est. Itaq; corollaria

& præmia, alienis quoque muneribus ac ludis, & crebra & grandia de suo offerebat. Nullique Græco certamini interfuit, quo non pro merito certantium quemque honorauerit. Spectauit autem studiosissime pugiles, & maxime Latinos: non legitimos atque ordinarios modo, quos etiam committere cum Græcis solebat, sed & cateruarios opidanos inter angustias vicorum pugnantes temere, ac sine arte. Vniuersum denique genus operas aliquas publico spectaculo præbentium, etiam cura sua dignatus est. Athletis & conseruauit priuilegia, & ampliauit. Gladiatores sine missione edi prohibuit. *Coercitionem in histriones, Magistratibus [in] omni tempore & loco lege vetere permissam, ademit: præterquam *ludos & scenam: nec tamen eo minus aut xysticorum certationes, aut gladiatorum pugnas seuerissime semper exegit. Nam histrionum licentiam adeo compescuit, vt Stephanionem *togatarium, *cui in puerilem habitum circumtonsam matronam ministrasse compererat, per *trina Theatra virgis cæsum relegauerit: Hylam pantomimum, querente Prætore, in atrio domus suæ, nemine excluso, flagellis verberauerit: & Pyladem vrbe atque Italia submouerit, quod spectatorem, a quo exsibilabatur, demonstrasset digito, conspicuumque fecisset.

46 AD hunc modum vrbe vrbanisque rebus administratis, Italiam duodetriginta coloniarum numero, deductarum ab se, frequentauit: operibusque ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit: etiam iure ac dignatione vrbi quodam modo pro parte aliqua adæquauit: excogitato genere suffragiorum, quæ de Magistratibus vrbicis Decuriones *colonici, in sua quisque colonia ferrent, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent. Ac necubi aut honestorum deficeret copia, aut multitudinis soboles *equestrem militiam petentis, etiam ex commẽdatione publica cuiusque opidi ordinabat. At his qui e plebe regiones sibi reuisenti filios filiasue approbarent, singula nummorum millia *per singulos diuidebat.

47 PROVINCIAS validiores, & quas annuis Magistratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat, ipse suscepit: ceteras Proconsulibus sortito permisit. & tamen *non nullas commutauit interdum: atque ex vtroque genere plerasque sæpius adiit. Vrbium quasdam fœderatas, sed ad exitium licentia præcipites, libertate priuauit: alias aut ære alieno laborantes leuauit, aut terræmotu subuersas denuo condidit: aut merita erga populum R. allegantes, Latinitate vel ciuitate donauit. Non est, vt opinor, prouincia, excepta dumtaxat Africa & Sardinia, quam non adierit. In has fugato Sexto Pompeio, traicere ex Sicilia apparantem, cõtinuæ & immodicæ tempestates inhibuerunt, nec mox occasio aut caussa traiciendi fuit.

48 REGNA quibus belli iure potitus est, præter pauca, aut iisdem quibus ademerat, reddidit, aut alienigenis contribuit. *Reges, socios etiam, inter semetipsos necessitudinibus mutuis iunxit: promtissimus affinitatis cuiusq; atque amicitiæ conciliator & *fautor: nec aliter vniuersos quam membra partesque imperij, curæ habuit. Rectorem quoque solitus est apponere ætate paruis, ac mente lapsis, donec adolescerẽt, aut resipiscerent. ac plurimorum liberos & educauit simul cum suis, & instituit.

49 EX militaribus copiis legiones & auxilia prouinciatim distribuit: classem Miseni, & alteram Rauennæ, ad tutelam superi & inferi maris, collocauit. Certum numerum *partim in vrbis, partim in sui custodiam allegit; dimissa Calagurritanorum manu, quam vsque ad deuictum Antonium; item Germanorum, quam vsque ad cladẽ Varianam, inter armigeros circa se habuerat. Neque tamen vmquam plures quam tres cohortes in vrbe esse passus est: easque sine castris. reliquas in hiberna & æstiua, circa finitima opida dimittere assuêrat. Quidquid autem vbique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam adstrinxit; definitis pro gradu cuiusque, & temporibus militiæ, *& commodis missionum: ne aut ætate, aut inopia post missionem sollicitari ad res nouas possent. Vtque perpetuo, ac sine difficultate, sumtus ad tuendos eos prosequendosque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis constituit. Et quo celerius ac *sub manum annuntiari cognosciq; posset, quid in prouincia quaque gereretur: iuuenes primo modicis interuallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit. Commodius id visum est; vt qui a loco eidem perferrent litteras, interrogari quoque, si quid res exigerent, possent.

50 In diplomatibus libellisq; & epistolis signandis, initio Sphinge vsus est: mox imagine Magni Alexandri, nouissimè sua, *Dioscoridis manu sculpta: qua signare insecuti quoque principes perseuerauerũt. Ad epistolas omnes, horarum quoque momenta, nec diei modò, sed & noctis, quibus datæ significarentur, addebat.

51 Clementiæ ciuilitatisque eius multa & magna documenta sunt. Ne enumerem, quot & quos diuersarum partium, venia & incolumitate donatos, principē etiã in ciuitate locum tenere passus sit: Iunium Nouatum, & Cassium Patauinum, e plebe homines, alterum pecunia, alterum leui exsilio punire satis habuit: cum ille Agrippæ iuuenis nomine, asperrimam *de se epistolam in vulgus edidisset; hic conuiuio pleno proclamasset, neque votum sibi, neque animũ deesse cõfodiendi eum. Quadam vero cognitione, cum Æmilio Æliano Cordubensi inter cetera crimina vel maxime obiiceretur, quod male opinari de Cæsare soleret: conuersus ad accusatorem, commotoque similis; *Velim*, inquit, *hoc mihi probes, faciam, sciat AElianus, & me linguã habere. plura enim de eo loquar.* Nec quidquam vltra, aut statim, aut postea inquisiuit. Tiberio quoque de eadem re sedulo *violentius apud se per epistolam conquerenti, ita rescripsit: *AEtati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari, quemquam esse qui de me male loquatur. Satis est enim, si hoc habemus, ne quis nobis male facere possit.*

52 Templa quamuis sciret etiam Proconsulibus decerni [solere:] in nulla tamē prouincia, nisi communi suo Romæque nomine, recepit. Nam in vrbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore, atque etiam argenteas statuas olim sibi positas, conflauit omnes: ex *quibus aureas cortinas Apollini Palatino dedicauit. Dictaturã magna vi offerente populo, genu nixus, deiecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est.

53 Domini appellationē, vt maledictum & opprobrium, semper *exhorruit. Cum spectante eo ludos, pronuntiatum esset *a mimo; *O dominum æquum & bonum*: & vniuersi quasi de ipso dictum exsultantes comprobassent: statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissime corripuit edicto: dominumque se posthac appellari, ne a liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio vel ioco passus est: atque huiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit. Non temere vrbe opidoue vllo egressus, [aut quoquam ingressus est,] nisi *vespere aut noctu: ne quem officij caussa *inquietaret. In Consulatu pedibus fere, extra Consulatum sæpe *adoperta sella per publicum incessit. Promiscuis salutationibus admittebat & plebem: tanta comitate adeuntium desideria excipiens, vt quēdam ioco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, *quasi elephanto stipem. Die Senatus numquam patres, nisi in Curia salutauit, & quidem sedentes; ac nominatim singulos, nullo submonente: & discedens, eo modo sedētibus singulis vale dicebat. Officia cum multis mutuo exercuit: nec prius dies cuiusque sollennes frequentare desiit, quam *grãdior iam natu, & in turba quondam sponsaliorum die vexatus. Gallum Terrinium Senatorem, minus sibi familiarem, sed captum repente oculis, & ob id inedia mori destinantem, præsens consolando reuocauit ad vitam.

54 In Senatu verba facienti dictum est, *Non intellexi*: & ab alio, *Contradicerem tibi, si locum haberem.* Interdum ob immodicas altercationes disceptantium, e Curia per iram se proripienti, quidam ingesserunt, *Licere oportere Senatoribus de rep. loqui.* Antistius Labeo Senatus lectione, *cum triumuirum legeret, M. Lepidum, hostem olim eius, & tunc exsulantem, legit: interrogatusque ab eo, an essent alij digniores, *Suum quemq; iudicium habere* respondit. Nec ideo libertas aut cõtumacia fraudi cuiquã fuit.

55 Etiam sparsos de se in Curia famosos libellos, *nec expauit, & magna cura redarguit. Ac ne requisitis quidem auctoribus, id modo censuit, cognoscēdum posthac de iis qui libellos aut carmina, ad infamiam cuiuspiam, *sub alieno nomine edant.

56 Iocis quoque quorundam inuidiosis aut petulantibus lacessitus, contradixit edicto. Et tamen de inhibenda *testamentorum licentia, ne Senatus quidquam cõstitueret, intercessit. Quoties Magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circuibat: supplicabãtque more sollenni. Ferebat & ipse suffragium *in tribu, vt vnus e populo. Testem se in iudiciis & interrogari, & refelli, æquissimo animo patiebatur.

tiebatur. Forum angustius fecit;non ausus extorquere possessoribus proximas domos. Numquam filios suos populo commendauit, vt non adiceret, *Si merebuntur*. Eisdem prætextatis adhuc assurrectum ab vniuersis in Theatro, & a stantibus plausum, grauissime questus est. Amicos ita magnos & potentes in ciuitate esse voluit, vt tamen pari iure essent quo ceteri, legibusque iudiciariis æque tenerentur. Cum Asprenas Nonius arctius ei iunctus, caussam venefícij, accusante Cassio Seuero, diceret: consuluit Senatum, quid officij sui putaret. cunctari enim se, ne si *superesset, eriperet legibus reum: sin deesset, destituere ac prædamnare amicum existimaretur. Et consentientibus vniuersis, sedit in subsellíis per aliquot horas; verum tacitus, ac ne laudatione quidem iudiciali data. Affuit & clientibus: sicut *scrutario cuidam, euocato quondam suo, qui postulabatur iniuriarum. Vnum omnino e reorum numero, ac ne eum quidem nisi precibus, eripuit, exorato coram iudicibus accusatore: Castricium, per quem de coniuratione Murenæ cognouerat.

57 PRO quibus meritis quantopere dilectus sit, facile est æstimare. Omitto senatus consulta, quæ possunt videri vel necessitate expressa, vel verecundia. Equites Romani natalem eius sponte atque consensu, biduo semper celebrarunt. Omnes ordines in lacum Curtij quotannis ex voto pro salute eius stipem iaciebant. item Kalendis Ianuariis strenam in Capitolio etiam absenti: ex qua summa, pretiosissima deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat: vt Apollinem *sandaliarium, & Iouem tragœdum, aliaque *in restitutionem Palatinæ domus incendio absumtæ. Veterani, decuriæ, tribus, atque etiam *sigillatim e cetero genere hominum, libentes ac pro facultate quisque pecunias contulerunt: delibante tantummodo eo summarum aceruos, neque ex quoquam plus denario auferente. Reuertentem ex prouincia, non solum faustis *ominibus, sed & modulatis carminibus prosequebantur. Obseruatum etiã est, ne, quoties introiret vrbem, supplicium de quoquam sumeretur.

58 PATRIS patriæ cognomen vniuersi repentino maximoque consensu detulerũt ei: prima plebs, legatione Antium missa: dein, quia nõ recipiebat, ineunti Romæ spectacula, frequens & laureata: mox in Curia Senatus: neq; decreto, neque acclamatione, sed per Valerium Messallam id mandantibus cunctis: *Quod bonum*, inquit *faustumque sit tibi, domuique tuæ, Cæsar Auguste: (sic enim nos perpetuam felicitatem resp. & læta huic precari existimamus) Senatus te consentiens cum populo R. consalutat patriæ patrẽ.* Cui lacrymans respondit Augustus his verbis, (ipsa enim, sicut *Messalla, posui) *Compos factus votorum meorum, patres C. quid habeo aliud deos immortales precari, quam vt hunc consensum vestrum ad vltimum vitæ finem mihi perferre liceat?*

59 MEDICO Antonio Musæ, cuius opera ex ancipiti morbo conualuerat, statuam, ære collato, iuxta signum Æsculapij statuerunt. Non nulli patrum familiarum testamento cauerunt, vt ab heredibus suis *prælato victimæ titulo in Capitolium ducerentur, votumque pro se solueretur, *quod superstitem Augustum reliquissent. Quædam Italiæ ciuitates diem quo primum ad se venisset, initium anni fecerunt. Prouinciarum pleræque super templa & aras, ludos quoque quinquennales pæne oppidatim constituerunt.

60 REGES amici atque socij, & singuli in suo quisque regno, *Cæsareas* vrbes condiderunt: & cuncti simul ædem Iouis Olympici Athenis antiquitus inchoatam perficere communi sumtu destinauerunt, Genioque eius dedicare: ac sæpe regnis relictis, non Romæ modo, sed prouincias peragranti, quotidiana officia togati, ac sine regio insigni, more clientium præstiterunt.

61 QVONIAM qualis in Imperiis ac Magistratibus regendaque per terrarum orbẽ pace belloque rep. fuerit, exposui: referam nunc interiorem ac familiarem eius vitã: quibusque moribus atque fortuna domi & inter suos egerit, a iuuenta vsque ad supremum vitæ diem. Matrem amisit in primo Consulatu: sororem Octauiam L & IIII agens ætatis annum. Vtrique cum præcipua officia viuæ præstitisset, etiam defunctæ honores maximos tribuit.

62 SPONSAM *habuerat adolescens P. Seruilij Isaurici filiam: sed reconciliatus post primam discordiam Antonio, expostulantibus vtriusque militibus, vt *ex necessitudine aliqua iungerentur, priuignam eius Claudiam, Fuluiæ ex P. Clodio filiam,

duxit vxorem, vix dum nubilem. At simultate cum Fuluia socru exorta, dimisit intactam adbuc, & virginem. Mox Scriboniam in matrimonium accepit, nuptam ante duobus consularibus, & ex altero etiam matrem. Cum bac etiam diuortium fecit, pertæsus, vt scribit, morum peruersitatem eius: ac statim Liuiam Drusillam matrimonio Tiberij Neronis, & quidem prægnantem abduxit, dilexitque, *ac probauit vnice ac perseueranter.

63 Ex Scribonia Iuliam, ex Liuia nihil liberorum tulit, cum maxime cuperet. Infans, qui cōceptus erat, immaturus est editus. Iuliam primum Marcello, Octauiæ sororis suæ filio, *tantumque pueritiam egresso: deinde, vt is obiit, M. Agrippæ *nuptui dedit, exorata sorore vt sibi genero cederet. nam tunc Agrippa alteram Marcellarum habebat, & ex ea liberos. Hoc quoque defuncto, *multis, ac diu, etiam ex equestri ordine, circumspectis conditionibus, Tiberium priuignum suum elegit: coegitq; prægnantem vxorem, & ex qua iam pater erat, dimittere. M. Antonius scribit, primum eum Antonio filio suo despondisse Iuliam, dein Cotisoni Getarum regi; quo tempore sibi quoque inuicem filiam regis in matrimonium petiisset.

64 NEPOTES ex Agrippa & Iulia tres habuit, *Caium, Lucium, & Agrippā: neptes duas, Iuliam, & Agrippinam. Iuliam L. Paullo Censoris filio; Agrippinam, Germanico *sororis suæ nepoti collocauit. Caium & Lucium adoptauit domi, per *assem & libram emtos a patre Agrippa: tenerosque adhuc ad curam reip. admouit: & Consules designatos circum prouincias exercitusque dimisit. Filiam & neptes ita instituit, vt etiam *lanificio assuefaceret; vetaretque loqui aut agere quidquam, nisi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur. Extraneorum quidem cœtu adeo prohibuit, vt L. *Tucinio, claro decoroque iuueni, scripserit, Quondam parum modeste fecisse eum, *quod filiam suam Baias salutatum venisset. Nepotes & litteras, & natare, aliaque rudimenta per se plerumque docuit: ac nihil æque *laborauit, quam vt imitarentur chirographum suum. Neque cenauit *vnà nisi in imo lecto assiderent: neq; iter fecit, nisi vt vehiculo anteirent, aut circa adequitarent.

65 SED lætum eum atque fidētem & sobole & disciplina domus, fortuna destituit. Iulias [&] filiam & neptem, omnibus probris contaminatas, relegauit. Caium & Lucium in duodeuiginti mensium spatio amisit ambos. Caio in Lycia, Lucio Massiliæ defunctis. Tertium nepotem Agrippam, simulque priuignum Tiberium, adoptauit in foro, lege Curiata. Ex quibus Agrippam breui, ob ingenium sōrdidū ac ferox *abdicauit, seposuitque Surrentum. Aliquanto autem patientius mortem quam dedecora suorum tulit. Nam Caij Luciique casu non adeo fractus, de filia absens, ac libello per Quæstorem recitato, notum Senatui fecit: abstinuitque congressu hominum diu, præ pudore: etiam de necanda deliberauit. Certe cum sub idem tempus vna ex consciis, liberta *Phœbe nomine, suspendio vitam finisset maluisse se ait, Phœbes patrem fuisse. Relegatæ vsum vini, omnemq; delicatiorem cultum ademit. neque adiri a quoquam libero seruoue, nisi se consulto, permisit: & ita vt certior fieret, qua is ætate, qua statura, quo colore esset, etiam quibus corporis notis vel cicatricibus. Post quinquennium demum ex insula in continētem, lenioribusq; paullo conditionibus, transtulit eam. Nam vt omnino reuocaret, exorari nullo modo potuit. Deprecanti sæpe populo R. & pertinacius instanti, tales filias talesque coniuges pro concione imprecatus [est.] Ex nepte Iulia post damnationem editum infantem agnosci aliq; vetuit. Agrippam nihilo tractabiliorem, immo in dies amentiorem, in insulam transportauit, sepsitque insuper custodia militum. Cauit etiam Senatusconsulto, vt eodem loco in perpetuum contineretur. atque ad omnem & eius & Iuliarum mentionem ingemiscens, proclamare etiam solebat, Αἴθ' ὄφελον *ἄγαμός τ' ἔμμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι. nec aliter *eas appellare, quam treis vomicas, *aut tria carcinomata sua.

66 AMICITIAS neque facile admisit, & constantissime retinuit · [&] non tantum virtutes ac merita cuiusque digne prosequutus, sed vitia quoque & delicta dumtaxat modica perpessus. Neq. enim temere, ex omni numero in amicitia eius afflicti *reperirentur, præter *Saluidenium Rufum, quem ad Consulatum vsque, & Corneliū Gallum, quem ad Præfecturam Ægypti, ex infima vtrumque fortuna, prouexerat. Quorum alterum res nouas molientem, damnandum Senatui tradidit: alteri, ob in-

gratum

gratum & maleuolum animum, domo & prouinciis suis interdixit. Sed Gallo quoq; & accusatorum denuntiationibus, & Senatusconsultis ad necem compulso, laudauit quidem pietatem tantopere pro se indignantium: ceterum & illacrymauit, & vicem suam cōquestus est, quod sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci. Reliqui, potentia atque opibus ad finem vitæ suæ cuiusque ordinis principes floruerūt: quamquam & offensis interuenientibus. Desiderauit enim nō numquam, ne de pluribus referam, & M. Agrippæ patientiam, & Mæcenatis taciturnitatem: cum ille ex leui rigoris suspicione, & quod Marcellus sibi anteferretur, Mitylenas se, relictis omnibus contulisset [&] hic secretum de comperta Murenæ coniuratione, vxori Terentiæ prodidisset. Exegit & ipse [inuicem] ab amicis beneuolentiam mutuam, tam a defunctis, quam a viuis. Nam quamuis minime appeteret hereditates, vt qui numquam ex ignoti testamento capere quidquam sustinuerit: amicorū tamen supremo iudicio morosissime pensitauit, neq; dolore dissimulato, si parcius, aut citra honorē verborum, neque gaudio, si grate pieque quis se prosequutus fuisset. Legata, vel partes hereditatum, & a quibuscumque parentibus *relicta sibi, aut statim liberis eorum concedere, aut si pupillari ætate essent, die virilis togæ vel nuptiarum, cum incremēto restituere consueuerat.

67 PATRONVS dominusq; non minus seuerus, quam facilis & clemens, multos libertorum in honore & vsu maximo habuit: vt *Licinium Enceladum, aliosq;. *Cosmum seruum grauissime de se opinantē, non vltra quam compedibus coercuit. Diomedem dispensatorem, a quo simul ambulante, incurrenti *repētè fero apro per metum obiectus est, maluit timiditatis arguere, quam noxæ: remq; non minimi periculi, quia tamen fraus aberat, in iocum vertit. Idem *Proculum ex acceptissimis libertis, mori coëgit, compertum adulterare matronas. Thallo a manu, quod pro epistola prodita denarios IↃ accepisset, crura effregit. Pædagogum ministrosq; Caij filij, per occasionem valetudinis mortisque eius, superbe auareq; in prouincia grassantes, *oneratos graui pondere ceruicibus, præcipitauit in flumen.

68 PRIMA iuuenta variorum dedecorum infamiam subiit. Sex. Pompeius [eum] vt effeminatum insectatus est. M. Antonius adoptionem auunculi stupro meritū. Item Lucius Marci frater, quasi pudicitiam delibatam a Cæsare, A. etiam Hirtio in Hispania CCC millibus nummûm substrauerit; solitusque sit crura suburere nuce ardenti, quo mollior pilus surgeret. Sed & populus quondam vniuersus, ludorum die & accepit in contumeliam eius, & assensu maximo cōprobauit *versum in scena pronuntiatum de Gallo matris Deûm tympanizante: **Videsne, cinædus orbem digito temperat?*

69 ADVLTERIA quidem exercuisse, ne amici quidem negant: excusantes sane non libidine, sed ratione commissa: quo facilius consilia aduersariorum per cuiusque mulieres exquireret. M. Antonius super festinatas Liuiæ nuptias obiecit, & feminā consularem e triclinio *viri coram in cubiculum abductam, rursus in conuiuium rubentibus auriculis, incomtiore capillo reductam: & dimissam Scriboniam, quia liberius doluisset nimiam potentiam pellicis: & *conditiones quæsitas per amicos, qui matres familiâs, & adultas ætate virgines denudarent atque perspicerent, tamquam Thoranio mangone vendente. Scribit etiam ad ipsum hoc familiariter adhuc, nec dum *plene inimicus aut hostis: *Quid te mutauit? quod reginam ineo? vxor mea est. Nūc cœpi, an abhinc annos nouem? Tu deinde solam Drusillam inis? ita valeas, vti tu, hanc epistolam cum leges, non inieris Tertullam, aut Terentillam, aut Rufillam, aut Saluiam *Titisceniā, aut omnes. Anne refert vbi, &* in quam arrigas?*

70 CENA quoque eius secretior, in fabulis fuit, quę vulgo δωδεκάθεος vocabatur in qua, deorum dearumq; habitu discubuisse conuiuas, & ipsum pro Apolline ornatum, nō Antonij modo epistolæ, singulorum nomina amarissime *annumerātis, exprobrāt sed & sine auctore notissimi versus; *Cum primum istorum conduxit mensa choragum, Sexque deos vidit Mallia, sexque deas: Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit, Dum noua diuorum cenat adulteria: Omnia se a terris tunc Numina declinarunt, Fugit & auratos Iupiter ipse thronos.* Auxit cenæ rumorem summa tunc in ciuitate penuria ac fames. Acclamatum est postridie, frumentum omne deos comedisse,

& Cæsarem plane esse *Apollinem: sed & tortorem. quo cognomine is deus quadã in parte vrbis *colebatur.

71 NOTATVS *est vt pretiosæ supellectilis Corinthiorumque præcupidus, & aleæ indulgens. Nam & proscriptionis tempore ad statuam eius adscriptum est: *Pater argentarius, ego Corinthiarius*: cum existimaretur, quosdam propter vasa Corinthia inter proscriptos curasse referendos. Et deinde bello Siciliensi epigramma vulgatum est: *Postquam bis classe victus naues perdidit, Aliquando vt vincat, ludit assidue aleam.* Ex quibus siue criminibus, siue maledictis, infamiam impudicitiæ facillime refutauit, & præsentis & posteræ vitæ castitate. Item lautitiarum inuidiam, cum & Alexandria capta, nihil sibi præter vnum *myrrhinum calicem, ex instrumento regio retinuerit, & mox vasa aurea assiduissimi vsus conflauerit omnia. Circa libidines hæsit. Postea quoque, vt ferunt, ad vitiandas virgines promtior, quæ sibi vndique etiam ab vxore conquirerentur. Aleæ rumorem nullo modo expauit: lusitque simpliciter & palam oblectamenti caussa etiam senex: ac, præterquam Decembri mense, aliis quoque festis profestisque diebus. Nec id dubium est: autographa quadam epistola, *Cenaui*, ait, *mi Tiberi *cum iisdem. Accesserunt conuiuæ *Vinicius, & Silius pater. Inter cenam lusimus γεροντικῶς, & heri & hodie.* Talis *enim iactatis, vt quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat: quos tollebat vniuersos, qui Venerem iecerat. Et rursus aliis litteris, **Nos, mi Tiberi, Quinquatrus satis iucũde egimus. Lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem gessit. Ad summam tamen perdidit non multum, sed ex magnis detrimentis præter spem paullatim retractus est. Ego perdidi* XX *millia nummûm, meo nomine: sed cum effuse in lusu liberalis fuissem, vt soleo plerũque. Nam si, quas manus remisi cuique, exegissem, aut retinuissem quod cuique donaui, vicissem vel* L *millia. Sed hoc malo.* » BENIGNITAS *enim mea me ad cælestem gloriam efferet.* Scribit ad filiam: *Misi tibi denarios* CCL: *quos singulis conuiuis dederam, si vellent [inter se] inter cenam vel talis, vel par impar ludere.*

72 IN ceteris partibus vitæ, continentissimum fuisse constat, ac sine suspicione vllius vitij. Habitauit primo iuxta [Romanum] forum supra scalas anularias, in domo quę Calui oratoris fuerat: postea in palatio, sed nihilominus ædibus modicis Hortensianis, & neque laxitate neque cultu conspicuis: vt in quibus porticus breues essent Albanarum columnarum, & sine marmore vllo, aut insigni pauimento conclauia. Ac per annos amplius XL, eodem cubiculo hieme & æstate mansit; quamuis parum salubrem valetudini suæ vrbem hieme experiretur, assidueque in vrbe hiemaret. Si quando quid secreto aut sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in editi singularis, quem *Syracusas & τεχνύφιον vocabat. Huc transibat, aut in alicuius *libertinorum suburbanum: æger autem, in domo Mæcenatis cubabat. Ex secessibus præcipue frequentauit maritima, insulasque Campaniæ, aut proxima vrbi oppida, *Lanuuium, Præneste, Tibur: vbi etiam in porticibus Herculis templi persæpe ius dixit. Ampla & operosa prætoria grauabatur: & neptis quidem suæ Iuliæ profuse ab ea exstructa, etiam diruit ad solum: sua vero, quamuis modica, non tam statuarum tabularumque pictarum ornatu, quam xystis & nemoribus excoluit, rebusque *vetustate ac raritate notabilibus: qualia sunt Capreis immanium belluarum ferarumq; membra prægrandia, quæ dicuntur Gigantum ossa, & arma Heroum.

73 INSTRVMENTI eius & supellectilis parcimonia apparet etiam nunc, residuis lectis atque mensis, *quorum pleraque vix priuatæ elegantiæ sint. Ne toro quidem cubuisse aiunt, nisi humili, & modice instrato. *Veste non temere alia quam domestica vsus est, ab vxore & sorore, & filia, neptibusque confecta: Togis neque restrictis, neque fusis: Clauo nec laro, nec angusto: calceamẽtis altiusculis, vt procerior, quam erat, videretur. Et forensia autem, & calceos numquam nõ intra cubiculum habuit ad subitos repentinosque casus parata.

74 CONVIVABATVR [&] assidue, nec vmquam nisi recta, non sine magno ordinũ hominumque delectu. Valerius Messalla tradit, neminem vmquam libertinorum adhibitum ab eo cenæ, excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem, *post *proditam Sex. Pompeij classem. Ipse scribit inuitasse se quendã, in cuius villa maneret, qui *spe-

culator

culator suus olim fuisset. Conuiuia non numquam & serius inibat, & maturius relinquebat, cum conuiuæ & cenare inciperent prius quam ille discumberet, & permanerent digresso eo. Cenam *ternis ferculis, aut, cum abundantissime, senis præbebat; vt non nimio sumtu, ita summa comitate. Nam & ad communionem sermonis tacentes, *vel submissim fabulãtes prouocabat, & aut acroamata & histriones, aut etiã triuiales ex Circo *ludos interponebat, ac *frequentissime aretalogos.

75 Festos & sollennes dies profusissime, non numquam ioculatiter tantum celebrabat. Saturnalibus, & si quando aliâs libuisset, modo munera diuidebat, vestem, & aurum, & argentum: modo nummos omnis notæ, etiam veteres regios, ac peregrinos: interdum nihil præter cilicia & spongias, & rutabula, & *forpices, atque alia id genus, titulis obscuris & ambiguis. Solebat & *inæqualissimarum rerum sortes, & aduersas tabularum picturas in conuiuio venditare, incertoque casu spem mercantium vel frustrari, vel explere: ita vt per singulos *lectos licitatio fieret, & seu iactura seu lucrum communicaretur.

76 Cibi (nam ne hoc quidem omiserim) minimi erat, atque vulgaris fere. Secundarium panem, & pisciculos minutos, & caseum bubulum manu pressum, & ficos virides biferas, maxime appetebat: vescebaturque & ante cenam quocumque tempore & loco, quo stomachus desiderasset. Verba ipsius ex epistolis sunt: *Nos in essedo panem & palmulas gustauimus.* Et iterum; *Dum lectica ex regia domum redeo, panis vnciam cum paucis acinis vuæ duracinæ comedi.* Et rursus; *Ne Iudæus quidem, mi Tiberi, tam diligẽter sabbatis ieiunium seruat, quam ego hodie seruaui: qui in *balneo demum post horam primã noctis duas *bucceas manducaui, prius quam vngi inciperem.* Ex hac *obseruantia non numquam vel ante initium, vel post dimissum conuiuium solus cenitabat, cum pleno conuiuio nihil tangeret.

77 Vini quoque natura parcissimus erat. Non amplius ter bibere eum solitum super cenam in castris apud Mutinam, Cornelius Nepos tradit. Postea quoties largissime se inuitaret, senos sextantes non excessit: aut si excessisset, reiiciebat. Et maxime delectatus est Rhætico. Neque temere interdiu bibit. Pro potione sumebat perfusum aqua frigida panem, aut cucumeris frustum, vel lactuculæ thyrsum, aut recens *acidumue pomum succi vinosioris.

78 Post cibum meridianum, ita vt vestitus calceatusque erat, *retectis pedibus paullisper conquiescebat, opposita ad oculos manu. A cena se in lecticulam lucubratoriam recipiebat. Ibi, donec residua diurni actus, aut omnia, aut ex maxima parte cõficeret, ad multam noctem permanebat. In lectum inde transgressus, non amplius, cum plurimum, quam VII horas dormiebat: ac ne eas quidem continuas, sed vt in illo temporis spatio ter aut quater expergisceretur. Si interruptum somnum recuperare, vt euenit, non posset, lectoribus aut fabulatoribus accersitis, resumebat, producebatque vltra primam sæpe lucem. Nec in tenebris vigilauit vmquam, nisi assidente aliquo. Matutina vigilia offendebatur: ac si vel officij vel sacri caussa maturius vigilandum esset, ne id contra commodum faceret, in proximo cuiuscumque domesticorum cenaculo manebat. Sic quoque sæpe indigens somni, & dum per vicos deportaretur, & deposita lectica, inter aliquas moras condormiebat.

79 Forma fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venustissima: quamquam & omnis lenocinij negligens; & in capite comendo tam incuriosus, vt raptim compluribus simul tonsoribus operam daret, ac modo tonderet, modo raderet barbam: eoque ipso tempore aut legeret aliquid, aut etiam scriberet. Vultu erat vel in sermone, vel tacitus, adeo tranquillo serenoque, vt quidam e primoribus Galliarum confessus sit inter suos, eo se inhibitum ac *remollitum, quo minus, vt destinarat, in transitu Alpiũ, per simulationem colloquij propius admissus, in præcipitium propelleret. Oculos habuit claros ac nitidos: quibus etiam existimari volebat inesse quiddam diuini vigoris: gaudebatque, si quis sibi acrius cõtuenti, quasi ad fulgorem Solis, vultum submitteret. Sed in senecta sinistro minus vidit. Dentes raros & exiguos, & scabros: capillum leuiter inflexum, & subflauum, supercilia coniuncta; mediocres aures: nasum & a summo eminentiorem, & ab imo deductiorem: colorem inter aquilum candidumque: staturam breuẽ: (quam tamen Iulius Marathus *libertus etiam in memoriã

eius quinque pedum & dodrantis fuisse tradit) sed quæ commoditate & æquitate membrorum occuleretur. vt non nisi ex comparatione adstantis alicuius procerioris intelligi posset.

80 CORPORE traditur maculoso, dispersis per pectus atque aluum genitiuis notis, in modum & ordinem ac numerum stellarum cælestis Vrsæ: sed & callis quibusdam ex prurigine corporis, assiduoque & vehementi strigilis vsu, plurifariam *contractis, ad impetiginis formam. Coxendice, & femore, & crure sinistro, non perinde valebat, vt sæpe etiam inde claudicaret: sed remedio *arenatum atque arundinum confirmabatur. Dextræ quoque manus digitum salutarem, tam imbecillum interdum sentiebat, vt torpentem contractumque frigore, vix cornei circuli supplemento scripturæ admoueret. Questus est & de vesica, cuius dolore, calculis demum per vrinā eiectis leuabatur.

81 GRAVES & periculosas valetudines per omnem vitam aliquot expertus est: pręcipue Cantabria domita, cum etiam distillationibus *iocinore vitiato, ad desperationem redactus, contrariam & ancipitem rationem medendi necessario subiit: quia calida fomenta nō proderant, frigidis curari coactus, auctore Antonio Musa. Quasdam & anniuersarias ac tempore certo recurrentes experiebatur. Nam sub natalem suum plerumque languebat. & initio veris, præcordiorum inflatione tentabatur: austrinis autem tempestatibus, grauedine. Quare quassato corpore, neque frigora neq; æstus facile tolerabat.

82 HIEME quaternis cum pingui toga tunicis, & subuculæ thorace laneo, & feminalibus & tibialibus muniebatur: Æstate, apertis cubiculi foribus, ac sæpe in *peristylio saliente aqua, atque etiam ventilante aliquo, cubabat. Solis vero ne hiberni quidem patiens, domi quoque non nisi petasatus sub *dio spatiabatur. Itinera lectica, & noctibus fere, eaque lenta ac minuta faciebat, vt Præneste vel Tibur biduo procederet. Ac si quo peruenire mari posset, potius nauigabat. Verum tantam infirmitatem magna cura tuebatur, in primis lauandi raritate. Vngebatur etiam sæpius, sudabat ad flāmam: deinde perfundebatur egelida aqua, vel Sole multo *calefacta. At quoties neruorum caussa, marinis Albulisque calidis vtendum esset, contentus hoc erat, vt insidens ligneo solio, quod ipse Hispanico verbo *duretam* vocabat, manus ad pedes alternis iactaret.

83 EXERCITATIONES campestres equorum & armorum, statim post ciuilia bella omisit: & ad pilam primo folliculumque transiit: mox nihil aliud quam vectabatur, & deambulabat: ita vt in extremis spatiis subsultim decurreret, *sestertio vel lodicula innolutus. Animi laxandi caussa, modo piscabatur hamo: modo talis, aut *ocellatis nucibusque ludebat cum pueris minutis; quos *facie & garrulitate amabiles vndique conquirebat; præcipue Mauros, & Syros. Nam *pumilios atque distortos, & omnis generis eiusdem, vt ludibria naturæ malique ominis, abhorrebat.

84 ELOQVENTIAM studiaque liberalia, ab ætate prima [&] cupide & laboriosissime exercuit. Mutinensi bello, in tanta mole rerū, & legisse, & scripsisse, & declamasse quotidie traditur. Nam deinceps neque in Senatu, neque apud populum, neque apud milites, loquutus est vnquam, nisi meditata & composita oratione: quamuis non deficeret ad subita extemporali facultate. Ac, ne periculum memoriæ adiret, aut [in] ediscendo tempus absumeret: instituit recitare omnia. Sermones quoq; cum singulis, atque etiam cum Liuia sua grauiores, non nisi [in] scriptis, & e libello habebat, ne plus minusue loqueretur ex tempore. Pronuntiabat dulci & proprio quodā oris sono. dabatq; assidue phonasco operam: sed non numquam, infirmatis faucibus, præconis voce ad populum concionatus est.

85 MVLTA varij generis *prosa oratione composuit: ex quibus non nulla in cœtu familiarium, velut in auditorio, recitauit: sicut rescripta Bruto de Catone. Quæ volumina cum iam senior ex magna parte legisset, fatigatus, Tiberio tradidit perlegenda. Item hortationes ad philosophiam. & aliqua de vita sua, quam *XXX libris Cantabrico tenus bello, nec vltra exposuit. Poeticam summatim attigit. *vnus liber exstat scriptus ab eo hexametris versibus; cuius & argumētum & titulus est SICILIA. Exstat alter æque modicus epigrammatum, quæ fere tempore balnei meditabatur. Nā

tragœdiam

tragœdiam magno impetu exorsus, non succedente stylo aboleuit: quærentibusque
amicis quidnam Aiax ageret, respondit, Aiacem suum in spongiam incubuisse.

GENVS eloquendi secutus est elegans, & temperatum: vitatis sententiarum in- 86
eptiis, atque inconcinnitate, & reconditorum verborum, vt ipse dicit, fœtoribus.
Præcipuamque curam duxit, sensum animi quam apertissime exprimere. quod quo fa-
cilius efficeret, aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret ac moraretur, neque
præpositiones verbis addere, neque coniunctiones sæpius iterare dubitauit: quæ de-
tractæ afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent. Cacozelos, & antiqua-
rios, vt diuerso genere vitiosos, pari fastidio spreuit. * Exagitabat non numquam in
primis Mæcenatem suum: cuius μυροβρεχεῖς, vt ait, cincinnos vsquequaque persequi-
tur, & imitando per iocum irridet. * Sed nec Tiberio parcit, & exoletas interdum,
& reconditas voces aucupanti. M. quidem Antonium, vt insanum, increpat: quasi
ea scribentem, quæ mirentur potius homines, quam intelligant. Deinde, ludens ma-
lum & inconstans in eligendo genere dicendi ingenium eius, addidit hæc: *Tuque
dubitas Cimber'ne* Annius, an* Verrius Flaccus imitandi sint tibi? ita vt verbis, quæ* C.
Sallustius excerpsit ex Originibus Catonis, vtaris? an potius Asiaticorum oratorum inanibus
sententiis, verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda?* Et quadam epistola,
Agrippinæ neptis ingenium collaudans; *Sed opus est*, inquit, *dare te operam, ne moleste
scribas aut loquaris.*

QVOTIDIANO sermone quædam frequentius, & notabiliter vsurpasse eum, 87
litteræ ipsius autographæ ostentant. in quibus identidem, cum aliquos numquam so-
luturos significare vult, *Ad Kalendas Græcas* soluturos ait: & cum hortatur ferenda
esse præsentia, qualiacumque sint, * *Contenti simus hoc Catone.* & ad exprimendam
festinatæ rei velocitatem, * *Velocius quam asparagi coquantur.* Ponit assidue & pro
stulto, * *baceolum*: & pro pullo, *pulleiaceum*: & pro * cerrito, *vacerosum*: & * *vapide se
habere*, pro male: & *betizare*, pro languere: quod vulgo *lachanizare* dicitur.
Item *simus*, pro sumus: & *domos* genitiuo casu singulari, pro domus. Nec vmquam
aliter hæc duo; ne quis mendam magis quam consuetudinem putet. Notaui &
in chirographo eius illa præcipue: non diuidere verba: nec ab extrema parte ver-
suum abundantes litteras in alterum transferre; sed ibidem statim subiicit, circumdu-
citque.

ORTHOGRAPHIAM, id est, formulam rationemque scribendi a grammaticis 88
institutam, non adeo custodiit: ac videtur eorum sequi potius opinionem, qui per-
inde scribendum ac * loquendum existiment. Nam quod sæpe non litteras modo,
sed syllabas aut permutat, aut præterit, communis hominum error est. Nec ego id
notarem: nisi mihi mirum videretur, tradidisse aliquos, legato eum consulari succes-
sorem dedisse, vt rudi & indocto, cuius manu * *ixi* pro *ipsi* scriptum animaduerterit.
Quoties autem per * notam scribit, b pro a: c pro b, ac deinceps eadem ratione se-
quentes litteras ponit: pro x autem, duplex a a.

NE Græcarum quidem disciplinarum leuiore studio tenebatur: in quibus & ipsis 89
præstabat largiter, magistro dicendi vsus Apollodoro Pergameno; quem iam gran-
dem natu, Apolloniam quoque secum ab vrbe iuuenis adhuc eduxerat. Deinde
etiam eruditione varia repletus * Sperarci philosophi, filiorumque eius Dionysii &
Nicanoris, contubernium iniit: non tamen vt aut loqueretur expedite, aut compo-
nere aliquid auderet. Nam & si quid res exigeret, Latine formabat, vertendumque
alii dabat. Sed plane poematum quoque non imperitus, delectabatur etiam co-
mœdia veteri, & sæpe eam exhibuit publicis spectaculis. In euoluendis vtriusque
linguæ auctoribus, nihil æque * sectabatur, quam præcepta & exempla publice vel
priuatim salubria: eaque ad verbum * excerpta, aut ad domesticos, aut ad * exerci-
tuum prouinciarumque rectores, aut ad vrbis Magistratus plerumque mittebat: prout
quique monitione indigerent. Etiam libros totos & Senatui recitauit, & populo
notos per edictum sæpe fecit: vt orationes Q. Metelli de prole augenda, & Rutilij de
modo ædificiorum: quo magis persuaderet, vtramque rem non a se primo animad-
uersam, sed antiquis iam tunc curæ fuisse. Ingenia sæculi sui omnibus modis
fouit. Recitantes, & benigne, & patienter audiuit: nec tantum carmina & histo-

rias, sed & orationes & dialogos. Componi tamen aliquid de se, nisi & serio, & a præstantissimis, offendebatur: admonebatque Prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri.

90 Circa religiones talem accepimus. Tonitrua & fulgura paullo infirmius expauescebat: vt semper & vbique pellem vituli marini circumferret, pro remedio: atque ad omnem maioris tempestatis suspicionem, in abditum & * concameratum locum se reciperet: consternatus olim per nocturnum iter transcursu fulguris, vt * supra diximus.

91 Somnia neque sua, neque aliena de se negligebat. Philippensi acie, quamuis statuisset non egredi tabernaculum, propter valetudinem: egressus est tamen * medici somnio monitus: cessitq; res prospere, quando captis castris, lectica eius, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa atque lacerata est. Ipse per omne ver, plurima, & * formidolosissima, & vana, & irrita videbat: reliquo tempore rariora, & minus vana. Cum dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Ioui assidue frequentaret, somniauit queri Capitolinum Iouem, cultores sibi abduci: seque respondisse, Tonantem pro ianitore ei appositum: ideoque mox tintinnabulis fastigium ædis redimiuit, quod ea fere ianuis dependebant. Ex nocturno visu etiam stipem quotannis die certo emendicabat a populo, cauam manum asses porrigentibus præbens.

92 Avspicia, & * omina quidem, pro certissimis obseruabat. Si mane sibi calceus perperam, ac sinister pro dextero induceretur, vt dirum: si terra mariue ingrediente se longinquam profectionem, forte rorasset, vt lætum, maturiq; & prosperi reditus. Sed [&] ostentis præcipue mouebatur. Enatam inter iuncturas lapidum ante domum suam palmam, in compluuium deorum Penatium transtulit: vtq; * coolescceret, magnopere curauit. Apud insulam Capreas, veterrimæ ilicis dimissos iam ad terram languentesque ramos conualuisse aduentu suo, adeo lætatus est, vt eas cum republica Neapolitanorum permutauerit, Ænaria data. Obseruabat & dies quosdam, ne aut postridie * nundinas quoquam proficisceretur; aut Nonis quidquam rei seriæ * inchoaret: nihil in hoc quidem aliud deuitans, vt ad Tiberium scribit, quam δυσφημίαν * ominis.

93 Peregrinarvm cærimoniarum, sicut veteres ac * præceptas reuerentissime coluit, ita ceteras contemtui habuit. Namque Athenis initiatus, cum postea Romæ pro Tribunali de priuilegio sacerdotum Atticæ Cereris cognosceret, & quædam secretiora proponerentur: dimisso concilio & corona circumstantium, solus audiit disceptantes. At contra non modo in peragranda Ægypto paullo deflectere ad visendum Apin supersedit: sed & Caium nepotem, quod Iudæam præteruehens apud Hierosolymam * non supplicasset, collaudauit.

94 Et quoniam ad hoc ventum est, non abre fuerit subtexere quæ ei prius quam nasceretur, & ipso natali die, ac deinceps euenerint: quibus futura magnitudo eius, & perpetua felicitas sperari animaduertique posset. Velitris antiquitus tacta de cœlo parte muri, responsum est, eius oppidi ciuem quandoque rerum potiturum: qua fiducia * Velitrini, & tunc statim, & postea sæpius, pœne ad exitium sui, cum pop. R bella gerauerant: sero tandem documentis apparuit, ostentum illud Augusti potentiam portendisse. Auctor est Iulius * Marathus, ante paucos quam nasceretur menses, prodigium Romæ factum publice, quo denuntiabatur regem pop. R. Naturam parturire: Senatum exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur: eos qui grauidas vxores haberent, quo ad se quisque spem traheret, curasse ne Senatus consultum ad ærarium deferretur. In Asclepiadis Mendetis θεολογουμένων libris lego, * Atiam, cum ad sollenne Apollinis sacrũ media nocte venisset, posita in templo lectica, [dum ceteræ matronæ dormirent,] obdormisse: * draconemq; repente irrepsisse ad eam; paulloque post egressum: illamque expergefactam, quasi a concubitu mariti purificasse se. & statim in corpore eius exstitisse maculam, velut depictı draconis: nec potuisse vmquam * eximi: adeo vt mox publicis balneis perpetuo abstinuerit: Augustum natum mense decimo, & ob hoc Apollinis filium existimatum. Eadem Atia, prius quam pareret, somniauit intestina sua ferri ad sidera, explicarique per omnem

terrarũ.

terrarum & cœli ambitum. Somniauit & pater Octauius, vtero Atiæ iubar Solis exortum. Quo natus est die, cum de Catilinæ coniuratione ageretur in Curia, & Octauius ob vxoris puerperium serius adfuisset, nota ac vulgata res est, P. Nigidium comperta moræ caussa, vt horam quoque partus acceperit, affirmasse, dominum terrarum orbi natum. Octauio postea, cum per secreta Thraciæ exercitum duceret, in Liberi patris luco barbara cærimonia de filio consulenti, idem affirmatum est a sacerdotibus: quod infuso super altaria mero tantum flamæ emicuisset, vt supergressa fastigium templi, ad cælum vsque ferretur; vnique olim omnino Magno Alexandro, apud easdem aras sacrificanti, simile prouenisset ostentum. Atque etiam sequenti nocte statim videre visus est filium mortali specie ampliorem, cum fulmine & sceptro, exuuiisque Iouis opt. max. ac radiata corona super *laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus. Infans adhuc, vt scriptum apud C. Drusum exstat, repositus vespere in cunas a nutricula loco plano, postera luce non comparuit: *& diu quæsitus, tandem in altissima turri repertus est, iacens contra Solis exortum. Cum primum fari cœpisset, in auito suburbano obstrepentes forte ranas silere iussit: atque ex eo negantur ibi ranæ coaxare. Ad quartum lapidem *Campanæ viæ, in nemore prandenti, ex improuiso aquila panem ei e manu rapuit; & cum altissime *volasset, rursus ex improuiso leniter delapsa reddidit. Q. Catulus post dedicatum Capitolium, duabus continuis noctibus somniauit. prima, Iouem opt. max. prætextatis compluribus circum aram ludentibus, vnum secreuisse; atque in eius sinum signum *reip. quod manu gestaret, reposuisse. atq. insequenti animaduertisse se in gremio Capitolini Iouis eumdem puerum: quem cum detrahi iussisset, prohibitum monitu dei, tamquam is ad tutelam reip. educaretur. ac die proximo *obuium sibi Augustum, cum incognitum alias haberet, non sine admiratione contuitus, simillimum dixit puero de quo somniasset. Quidam prius somnium Catuli aliter exponunt, quasi Iupiter compluribus prætextatis tutorem a se poscentibus, vnum ex eis demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent: eiusque osculum delibatum digitis ad os suum retulisset. * M. Cicero C. Cæsarem in Capitolium prosecutus, somnium pristinæ noctis familiaribus forte narrabat: puerum facie liberali, demissum cælo catena aurea, ad fores Capitolii constitisse, eique Iouem flagellum tradidisse: deinde repente Augusto viso, quem ignotum adhuc plerisque auunculus Cæsar ad sacrificandum acciuerat, affirmauit ipsum esse cuius imago secundum quietem sibi obuersata sit. Sumenti virilem togam, tunica laticlaui resuta ex vtraque parte, ad pedes decidit. Fuerunt qui interpretarentur, non aliud significare, quam vt is ordo, cuius insigne id esset, quandoque ei subiceretur. Apud Mundam D. Iulius castris locum capiens, cum siluam cæderet, arborem palmæ repertam conseruari, vt omen victoriæ, iussit. Ex ea continuo enata soboles, adeo in paucis diebus adoleuit, vt non æquipararet modo matricem, verum etiam obtegeret, frequentaretur que columbarum nidis: quamuis id auium genus duram & asperam frondem maxime vitet. Illo & præcipue ostento motum Cæsarem ferunt, ne quem alium sibi succedere, quam sororis nepotem vellet. In secessu Apolloniæ Theogenis mathematici pergulam comite Agrippa adscenderat: cum Agrippæ, qui prior consulebat, magna & pæne incredibilia prædicerentur, reticere ipse genituram suam, nec velle edere, perseuerabat, metu ac pudore, ne minor inueniretur. Qua tamen post multas adhortationes vix & cunctanter edita, * exsiluit Theogenes, adorauitque eum. Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, vt * thema suum vulgauerit, nummumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit.

Post necem Cæsaris, reuerso ab Apollonia & ingrediente eo vrbem, [repente] 95
liquido ac puro sereno, circulus ad speciem cælestis arcus orbem Solis ambiit: ac subinde Iuliæ Cæsaris filiæ monumentum fulmine ictum est. Primo autem Consulatu ei augurium capienti, duodecim se vultures, vt Romulo, ostenderunt: & immolanti omnium victimarum *iocinora replicata intrinsecus ab ima fibra* paruerunt, nemine peritorum aliter coniectante, quam læta per hæc & magna portendi.

96 QVIN & bellorum omnium euentus ante præsensit. Contractis ad Bononiam Triumuirorum copiis, aquila tentorio eius supersedens, duos coruos hinc & inde infestantes afflixit, & ad terram dedit: notante omni exercitu, futuram quandoque inter collegas discordiam talem, qualis secuta est, *ac exitum præsagiente. In Philippis, Thessalus quidam de futura victoria nuntiauit, auctore D. Cæsare, cuius sibi species itinere auio occurrisset. Circa Perusiam, sacrificio non* litante, cum augeri hostias imperasset; ac subita eruptione hostes omnem rei diuinæ apparatum abstulissent: constitit inter haruspices, quæ periculosa & aduersa sacrificanti denuntiata essent, cuncta in ipsos* recasura, qui exta haberent. Neque aliter euenit. Pridie quam Siciliensem pugnam classe committeret, deambulanti in litore, piscis e mari exsiluit, & ad pedes iacuit. Apud Actium descendenti in aciem, asellus cum asinario occurrit: *Eutychus* homini, bestiæ *Nicon* erat nomen. Vtriusque simulacrum æneum victor posuit in templo, in quod castrorum suorum locum vertit.

97 MORS quoque eius, de qua dehinc dicam, diuinitasque post mortem, euidentissimis ostentis præcognita est. Cum lustrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila eum sæpius circumuolauit: transgressaque in vicinam ædem, super nomen Agrippæ, ad primam litteram sedit: quo animaduerso, vota, quæ in proximum lustrum suscipi mos est, collegam suum Tiberium nuncupare iussit. Nam se, quamquam conscriptis paratisque iam tabulis, negauit suscepturum quę non esset soluturus. Sub idem tempus ictu fulminis ex inscriptione statuæ eius prima nominis littera effluxit. responsum est, centum solos dies post hac victurum; quem numerum C littera notaret. futurumque vt inter deos referretur, quod *AEsar*, id est reliqua pars e Cæsaris nomine, Etrusca lingua Deus vocaretur. Tiberium igitur in Illyricum dimissurus, & Beneuentum vsque prosecuturus, cum interpellatores aliis atque aliis caussis in iure dicendo detinerent, exclamauit, quod & ipsum mox inter omnia relatum est, Non, si omnia morarentur, amplius se post hac Romæ futurum. Atque itinere* inchoato, Asturam perrexit: & inde, præter consuetudinem, de nocte ad occasionem auræ euectus est.

98 CAVSSAM valetudinis contraxit ex profluuio alui. Tunc Campaniæ ora, proximisque Insulis circuitis, Caprearum quoque secessui quatriduum impendit, remississimo ad otium & ad omnem comitatem animo. Forte Puteolanum sinum prætereuehenti, vectores nautæque de naui Alexandrina, quæ tunc* quidem appulerat, candidati coronatique, & thura libantes, fausta* omnia & eximias laudes congesserant: Per illum se viuere, per illum nauigare, libertate atque fortunis per illum frui. Quare admodum exhilaratus, quadragenos aureos comitibus diuisit: iusque iurandum, & cautionem exegit a singulis, non alio datam summam, quam in emtionem Alexandrinarum mercium absumturos. Sed & ceteros continuos dies inter varia munuscula, togas insuper ac pallia distribuit, lege proposita, vt Romani Græco, Græci Romano habitu & sermone vterentur. Spectauit assidue [&] exercentes ephebos; quorum aliqua adhuc copia ex vetere instituto Capreis erat. Iisdem etiam epulum in conspectu suo præbuit, permissa, immo exacta iocandi licentia, diripiendique pomorum & opsoniorum, rerumque* missilium. Nullo denique genere hilaritatis abstinuit. Vicinam* Capreis insulam, ἀπραγόπολιν appellabat, a desidia secedentium illuc e comitatu suo. Sed ex dilectis vnum, Masgabam nomine, quasi conditorem insulæ, κτίστην vocare consueuerat. Huius Masgabæ, ante annum defuncti, tumulum cum ex triclinio animaduertisset magna turba multisque luminibus frequentari, versum compositum extempore clare pronuntiauit; Κτίστου δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον. conuersusque ad Thrasyllum Tiberii comitem contra accubantem, & ignarum rei, interrogauit cuiusnam poetæ putaret esse. Quo hæsitante, subiecit alium, Ὁρᾷς φάεσι Μασγάβαν τιμώμενον. De hoc quoque consuluit. Cum ille nihil aliud responderet quam, cuiuscumque essent, optimos esse: cachinnum* sustulit, atque in iocos effusus est. Mox Neapolim traiecit; quamquam & tum* infirmis intestinis morbo variante: tamen & quinquennale certamen gymnicum, honori suo institutum, perspectauit: & cum Tiberio ad destinatum locum contendit. Sed in

redeundo,

redeundo, aggrauata valetudine tamdem Nolæ succubuit: reuocatumq; ex itinere Tiberium, diu secreto sermone detinuit: neque post vlli maiori negotio animum accommodauit.

99 SVPREMO die identidem exquirens, an iam de se tumultus foris esset, petito speculo, capillum sibi comi, ac malas *labentes [sibi] corrigi præcepit. Et amicos admissos percunctatus, ecquid his videretur mimum vitæ commode transegisse, adiecit & clausulam: *δότε κρότον, Καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε. Omnibus deinde dimissis, dum aduenientes ab vrbe de Drusi filia ægra interrogabat, repente in osculis Liuiæ, & in hac voce defecit: *Liuia nostri coniugii memor viue, ac vale*. sortitus exitum facilem, & qualem semper optauerat. Nam fere quoties audisset, cito ac nullo cruciatu defunctum quempiam, sibi & suis εὐθανασίαν similem (hoc enim & verbo vti solebat) precabatur. Vnum omnino ante efflatam animam signum alienatæ mentis ostendit; quod subito pauefactus, a quadraginta se iuuenibus abripi questus est. Id quoque magis præsagium, quam mentis diminutio fuit: siquidem totidem milites Prætoriani extulerunt eum in publicum.

100 OBIIT in cubiculo eodem, quo pater Octauius: duobus Sextis, Pompeio & Appuleio, COSS. XIIII Kalend. Septembris, hora diei nona, LXX & VI ætatis anno, diebus V & XXX minus. Corpus Decuriones municipiorum & coloniarum a Nola Bouillas vsque deportarunt, noctibus, propter anni tempus, cum interdium in basilica cuiusque opidi, vel in *æde sacrarum maxima, reponeretur. A Bouillis equester ordo suscepit, vrbique intulit; atque in vestibulo domus collocauit. Senatus & in funere ornando, & in memoria honoranda, eo studio certatim progressus est, vt inter alia complura censuerint quidam funus triumphali porta ducendum, *præcedente Victoria, quæ est in Curia, canentibus næniam principum liberis vtriusque sexus. Alii, exsequiarum die ponendos anulos aureos, *ferreosque sumendos: non nulli, legenda ossa per *sacerdotes summorum collegiorum. Fuit & qui suaderet appellationem mensis Augusti in Septembrem *transferendam; quod hoc genitus Augustus, illo defunctus esset. Alius, vt omne tempus *a primo die natalis vsque ad exitum eius, *seculum Augustum* appellaretur, & ita in fastos referretur. Verum adhibito honoribus modo, bifariam laudatus est, pro æde D. Iulii a Tiberio, & pro Rostris [sub] veteribus, a Druso Tiberii filio: ac Senatorum humeris delatus in campum, *crematusque. Nec defuit vir prætorius; qui se effigiem cremati euntem in cælum vidisse *iurasset. Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati, & discincti, pedibusque nudis: ac [in] Mausoleo condiderunt. Id opus inter Flaminiam viam, ripamque Tiberis, sexto suo consulatu exstruxerat: circumiectasque siluas & ambulationes in vsum populi tunc iam publicarat.

101 TESTAMENTVM, L. Planco, C. Silio COSS. III Nonas Aprilis, ante annum & IIII menses quam decederet, factum ab eo, ac duobus codicibus, partim ipsius, partim libertorum *Polybii & Hilarionis manu scriptum, depositumque *apud sex virgines Vestales, cum tribus signatis æque voluminibus protulerunt. Quæ omnia in Senatu aperta atque recitata sunt. Hæredes instituit primos, Tiberium ex parte dimidia, & sextante; Liuiam, ex parte tertia, quos & ferre nomen suum iussit: secundos, Drusum Tiberii filium ex triente; & ex partibus reliquis Germanicum, liberosque eius tres sexus virilis: tertio gradu, propinquos, amicosque complures. Legauit populo Romano quadringenties, *tribubus tricies quinquies H.S. Prætorianis militibus singula millia* nummorum; Cohortibus vrbanis quingenos, Legionariis trecenos nummos: quam summam repræsentari iussit. nam [&] confiscatam semper, repositamque habuerat. Reliqua legata varie *dedit: produxitque quædam ad vicena sestertia; quibus soluendis *annuum diem finiit, excusata rei familiaris mediocritate: nec plus peruenturum ad heredes suos, quam *millies & quingenties professus: quamuis XX proximis annis quaterdecies millies ex testamentis amicorum percepisset: quod pæne omne cum duobus paternis patrimoniis, ceterisque hereditatibus, in remp. absumsisset. Iulias, filiam neptemque, si quid his accidisset, vetuit sepulcro suo inferri. [De] tribus voluminibus vno man-

data de funere suo complexus est: altero, indicem rerum a se gestarum, quem vellet incidi in *æneis tabulis, quæ ante Mausoleum statuerentur: tertio, breuiarium totius Imperii, quantum militum sub signis vbique* essent, quantum pecuniæ in ærario & fiscis, & vectigaliorum residuis. Adiecit & libertorum seruorumque nomina, a quibus ratio exigi posset.

C. SVETONII TRANQVILLI TIBERIVS Cæsar, III.

1 PATRICIA gens CLAVDIA (fuit enim & alia plebeia, nec potentia minor, nec dignitate) orta est [ex] Regillis, opido Sabinorum. Inde Romam recens conditam, cum magna *clientum manu commigrauit, auctore Tito Tatio consorte Romuli: vel, quod magis constat, * Atta Claudio gentis principe, post reges exactos * VI fere anno, a patribus in patricios cooptata. Agrum insuper trans Anienem clientibus, *locumque sibi ad sepulturam sub Capitolio publice accepit. Deinceps procedente tempore, duo de XXX Consulatus, Dictaturas V, Censuras VII, triumphos * VI, duas ouationes adepta est. Cum prænominibus cognominibusque variis distingueretur, Lucii prænomen cōsensu repudiauit, postquam e duobus gentilibus præditis eo, alter latrocinii, cædis alter conuictus est. Inter cognomina autem, & *Neronis* assumsit; quo significatur lingua Sabina fortis ac strenuus.

2 MVLTA multorum Claudiorum egregia merita, multa etiam * secus admissa in rempubl. exstant. Sed vt præcipua commemorem, *Appius Cæcus* societatem cum rege Pyrrho, vt parum salubrem, iniri dissuasit. *Claudius Caudex*, primus freto classe transiecto, Pœnos Sicilia expulit. * *Claudius Nero*, aduenientem ex Hispania cum ingentibus copiis Asdrubalem, prius quam Hannibali fratri coniungeretur, oppressit. Contra * *Claudius Appius* Regillanus, decemuir legibus scribendis, virginem ingenuam per vim libidinis gratia, in seruitutem asserere conatus, * caussa fuit plebi secedendi rursum a patribus. *Claudius Drusus*, statua sibi cum diademate ad Appii forum posita, Italiam per clientelas occupare tentauit. *Claudius Pulcer*, apud Siciliam non pascentibus in auspicando pullis, ac per contemtum religionis mari * demersis, vt biberent, quando esse nollent, prœlium nauale iniit: superatusque, cum Dictatorem dicere a Senatu iuberetur, velut iterum illudens* crimini publico, * Gliciam viatorem suum dixit. Exstant & feminarum exempla diuersa. Æque siquidem gentis eiusdem vtraque *Claudia* fuit, & quæ nauem cum sacris matris Deûm Idææ, * adhærentem Tiberino vado extraxit, precata propalam, vt ita demum se sequeretur, si sibi pudicitia constaret: & quæ nouo more iudicium maiestatis apud populum mulier subiit; quod in conferta multitudine ægre procedente carpento, palam optauerit, vt frater suus Pulcer reuiuisceret, atque iterum classem amitteret, quo minor turba Romæ foret. Præterea * notissimum est, Claudios omnes; excepto dumtaxat P Clodio, qui ob expellendum vrbe Ciceronem, plebeio homini, atque etiam natu minori, in adoptionem se dedit; optimates assertoresque vnicos dignitatis ac potentiæ patriciorum semper fuisse; atque aduersus plebem adeo violentos ac contumaces, vt ne capitis quidem quisquam reus apud populum mutare vestem, aut deprecari sustinuerit; nonnulli in altercatione & iurgio * Tribunos plebis pulsauerint. * Etiam virgo Vestalis fratrem iniussu populi triumphantem, adscenso simul curru, vsque in Capitolium prosecuta est; ne vetare aut * interdicere [illegible]quam Tribunorum esset.

3 Ex hac stirpe Tiberius Cæsar genus trahit; & quidem vtrumque: paternum, a Tiberio Nerone, maternum, ab A[illegible] Pulcr[illegible]bo Appii Cæci filii fuerunt.

Inser-

Insertus est & *Liuiorum* familiæ, adoptato in eam materno auo. Quæ familia, quamquam plebeia, tamen & ipsa admodum floruit, octo Consulatibus, Censuris duabus, triumphis tribus; Dictatura etiam, ac Magisterio equitum honorata: clara & insignibus viris, ac maxime Salinatore *Drusisque. *Salinator*, vniuersas tribus in Censura notauit leuitatis nomine; quod, cum se post priorem Consulatum multa irrogata condemnassent, COS. iterum Censoremque fecissent. *Drusus*, hostium duce Drauso comminus trucidato, sibi posterisque suis cognomen inuenit. Traditur etiam pro Prætore ex prouincia Gallia retulisse aurum, Senonibus olim in obsidione Capitolii datum: nec * vt fama, extortum a Camillo. Eius abnepos, ob eximiam aduersus Graccos operam, *Patronus Senatus* dictus, filium reliquit, quem in simili dissensione multa varie molientem, diuersa factio per fraudem interemit.

4 PATER [vero] Tiberii, Quæstor C. Cæsaris, Alexandrino bello classi præpositus, plurimum ad victoriam contulit. Quare & Pontifex in locum P. Scipionis substitutus, & ad deducendas in Galliam colonias, in queis * Narbona & Arelate erant, missus est. Tamen Cæsare occiso, cunctis turbarum metu abolitionem *facti decernentibus, etiam de præmiis tyrannicidarum referendum censuit. Prætura deinde functus, cum exitu anni discordia inter Triumuiros exorta esset, retentis vltra iustum tempus insignibus, L. Antonium Consulem, Triumuiri fratrem, ad Perusiam secutus, deditione a ceteris facta, solus permansit in partibus: ac primo Præneste, inde Neapolim euasit: seruis[que] ad pileum frustra vocatis, in Siciliam profugit. Sed indigne ferens, nec statim se in conspectum Sex. Pompeii admissum, & fascium vsu prohibitum, ad M. Antonium traiecit in Achaiam. Cum quo, breui reconciliata inter omnes pace, Romam rediit: vxoremque Liuiam Drusillam, & tunc grauidam, & ante iam apud se *Tiberium enixam, petenti Augusto concessit. Nec multo post diem obiit, vtroque liberorum superstite, Tiberio Drusoque Neronibus.

5 TIBERIVM quidam Fundis natum existimauerunt; secuti leuem coniecturam, quod materna eius auia Fundana fuerit, & quod mox simulacrum * Felicitatis ex Senatus consulto publicatum ibi sit. Sed vt plures certioresque tradunt, natus est Romæ in palatio, XVI Kalendas Decembr. M. Æmilio Lepido *iterum, & Munatio Planco COSS. *post bellum Philippense. Sic enim in fastos actaque publica relatum est. Nec tamen desunt, qui partim antecedente anno, Hirtii ac Pansæ; partim insequente, Seruilii Isaurici Antoniique Consulatu genitum eum scribant.

6 INFANTIAM, pueritiamque habuit *luxuriosam & exercitatam. Comes vsquequaque parentum fugæ: quos quidem apud Neapolim sub irruptionem hostis nauigium clam petentes, vagitu suo pæne bis prodidit: semel, cum a nutricis vbere; item, cum a sinu matris raptim auferretur ab iis, qui pro necessitate temporis mulierculas leuare onere tentabant. Per Siciliam quoque & Achaiam circumductus, ac Lacedæmoniis publice, *qui in tutela Claudiorum erant, demandatus, digrediens inde itinere nocturno, discrimen vitæ adiit: flama repente e siluis vndique exorta, adeoque omnem comitatum circumplexa, vt Liuiæ pars vestis, & capilli amburerentur. Munera, quibus a Pompeia Sexti Pompeii sorore in Sicilia donatus est, chlamys & fibula, item bullæ aureæ, durant; ostenduntur que adhuc Baiis. Post reditum in vrbem a M. Gallio Senatore testamento adoptatus, hereditate adita, mox nomine abstinuit: quod Gallius aduersarum Augusto partium fuerat. Nouem natus annos, defunctum patrem pro Rostris laudauit. Dehinc pubescens, Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est, sinisteriore * funali equo, cum Marcellus Octauiæ filius dexteriore veheretur. Præsedit & *Actiacis ludis; & Troianis Circensibus, ductor turmæ puerorum maiorum.

7 VIRILI toga sumta, adolescentiam omnem, spatiaque insequentis ætatis vsque ad principatus initia, per hæc fere transegit. Munus gladiatorium in memoriam patris, & alterum, in aui Drusi dedit, diuersis temporibus ac locis: primum, in foro: secundum, in Amphitheatro, rudiariis quoque quibusdam reuocatis, auctoramento *centum millium. Dedit & ludos, sed absens cuncta magnifice, impensa matris ac vitrici. Agrippinam M. Agrippa genitam, neptem * Pomponii Attici

equitis Romani, ad quem sunt Ciceronis epistolæ, duxit vxorem: sublatoque ex ea filio Druso, quamquam bene conuenientem, rursumque grauidam dimittere, ac Iuliam Augusti filiam confestim coactus est ducere; non sine magno * angore animi; cum & Agrippinæ consuetudine teneretur, & Iuliæ mores improbaret: vt quam sensisset, sui quoque sub priore marito appetentem; quod sane vulgo etiam existimabatur. Sed Agrippinam & abegisse post diuortium doluit: & semel omnino ex occursu visam, adeo contentis &* tumentibus oculis prosecutus est, vt custoditum sit, ne vmquam in conspectum eius posthac veniret. Cum Iulia primo concorditer, & amore mutuo vixit: mox dissedit, & aliquanto grauius, vt etiam perpetuo secubaret, intercepto communis filii pignore, qui Aquileiæ natus, infans exstinctus est. *Drusum* fratrem in Germania amisit: cuius corpus, pedibus toto itinere prægrediens, Romam vsque peruexit.

8 CIVILIVM officiorum rudimentis regem Archelaum, Trallianos & Thessalos, varia quosque de caussa, Augusto cognoscente defendit. Pro Laodicenis, Thyatirenis, Chiis terræmotu afflictis, opemque implorantibus, Senatum deprecatus est. Fannium Cæpionem, qui cum Varrone Murena in Augustum conspirauerat, reum maiestatis apud iudices fecit, &* condemnauit. Interque hæc duplicem curam administrauit: annonæ, quæ arctior inciderat: & repurgandorum tota Italia ergastulorum; quorum domini in inuidiam venerant, quasi exceptos supprimerent, non solum viatores, sed & quos sacramenti metus ad huiusmodi latebras compulisset.

9 STIPENDIA prima, expeditione Cantabrica Tribunus militum fecit: deinde ducto ad Orientem exercitu, regnum Armeniæ Tigrani restituit, ac pro Tribunali diadema imposuit. Recepit & signa, quæ M. Crasso ademerant Parthi. Post hæc Comatam Galliam anno fere rexit, & barbarorum incursionibus, & principum discordia inquietam. *Exhinc Rhæticum Vindelicumque bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit. Rhætico atque Vindelico, gentes Alpinas: Pannonico, *Breucos & Dalmatas subegit. Germanico, XL milia dediticiorum traiecit in Galliam, iuxtaque ripam Rheni sedibus assignatis collocauit. quas ob res, & ouans, & curru vrbem ingressus est, primus (vt quidam putant) triumphalibus ornamentis honoratus, nouo, nec antea cuiquam tributo genere honoris. Magistratus & maturius inchoauit, & pæne iunctim* percucurrit, Quæsturam, Præturam, Consulatum: interpositoque tempore, COS. iterum, etiam Tribuniciam potestatem in quinquennium accepit.

10 TOT prosperis confluentibus, * integra ætate, ac valetudine prospera, statuit repente secedere, seque e medio quam longissime amouere: dubium, vxoris ne tædio, quam neque criminari aut dimittere auderet, neque vltra * perferre posset: an vt vitato assiduitatis fastidio, auctoritatem absentia tueretur, atque etiam augeret, si quando indiguisset sui Resp. Quidam existimant, adultis iam Augusti liberis, loco & quasi possessione vsurpari a se diu secundi gradus, sponte cessisse; exemplo M. Agrippæ, qui M. Marcello ad munera publica admoto, Mitylenas abierit: ne aut obstare, aut obtrectare aliquid præsens videretur. Quam caussam *& ipse, sed postea, reddidit. Tunc autem honorum satietatem, ac requiem laborum prætendens, commeatum petiit. Neque aut matri suppliciter precanti, aut vitrico, deseri se etiam in Senatu conquerenti, veniam dedit. Quin & pertinacius retinentibus, cibo per quatriduum abstinuit. Facta tandem abeundi potestate, relictis Romæ vxore & filio, confestim Ostiam descendit, ne verbo quidem cuiquam prosequentium reddito, paucosque admodum in digressu* osculatus.

11 AB Ostia oram Campaniæ legens, imbecillitate Augusti nuntiata, paullum substitit. Sed [&] increbrescente rumore, quasi ad occasionem maioris spei commoraretur, tantum non aduersis tempestatibus Rhodum enauigauit; amœnitate & salubritate insulæ iam inde captus, cum ad eam ab Armenia rediens appulisset. Heic modicis contentus ædibus, nec multo laxiore suburbano, genus vitæ ciuile admodum instituit, sine lictore aut viatore, *gymnasio interdum obambulans; mutuaque cum Græculis officia vsurpans, prope exæquo. Forte* quodam in dispo-

nend.

nendo die, mane prædixerat, quidquid *ægrorum in ciuitate esset, visitare se velle. id a proximis aliter *exceptum est: iussiq; sunt omnes ægri in publicam porticum deferri, ac per valetudinũ genera disponi. Perculsus ergo inopinata re, diu quid ageret incertus, *tamen singulos circuit: excusans factum etiam tenuissimo cuique, & ignoto. Vnum hoc tantummodo, neque prӕterea quidquam notatum est, in quo exercuisse ius Tribuniciæ potestatis visus sit. Cum circa scholas & auditoria professorum assiduus esset, moto inter antisophistas grauiore iurgio, non defuit qui eum interuenientem, & quasi studiosiorem partis alterius, conuitio incesseret. Sensim itaque regressus domum, repente cum apparitoribus prodit: citatumque pro Tribunali, voce Præconis, conuitiatorem rapi iussit in carcerem. Comperit deinde Iuliam vxorem ob libidines atque adulteria damnatam, repudiumque ei suo nomine, ex auctoritate Augusti, remissum: & quamquam lætus nuntio, tamen officii duxit, quantum in se esset, exorare *filiæ patrem frequentibus litteris, & vel vtcumque meritæ quidquid vmquam dono dedisset, concedere. Transacto autem Tribuniciæ potestatis tempore, confessus tamdem nihil aliud secessu deuitasse se, quam æmulationis cum Caio Lucioque suspicionem: petit vt sibi securo iam ab hac parte, corroboratis his, & secundum locum facile tutantibus, permitteretur reuisere necessitudines, quarum desiderio teneretur. Sed neque impetrauit; vltroque etiam admonitus est, *dimitteret omnem curam suorum, quos tam cupide reliquisset.

REMANSIT ergo Rhodi contra voluntatem; vix per matrem consecutus, vt ad velandam ignominiam, quasi legatus *ab Augusto abesset. Enimuero tunc non priuatum modo, sed etiam obnoxium *& trepidum egit, mediterraneis agris abditus, vitansque prӕternauigantium officia, quibus frequentabatur assidue, nemine cum imperio aut Magistratu tendente quoquam, quin diuerteret Rhodum. Et accesserunt maioris sollicitudinis caussæ. Namque priuignum Caium Orienti præpositum, cum visendi gratia traiecisset Samum, alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollii, comitis & rectoris eius. Venit etiam in suspicionem, per quosdam *beneficii sui Centuriones, *a commeatu castra repetentes, mandata ad complures dedisse ambigua, & quæ tentare singulorum animos ad nouas res viderentur. De qua suspicione certior ab Augusto factus, non cessauit efflagitare aliquem cuiuslibet ordinis custodem factis atque dictis suis. 12

EQVI quoque & armorum solitas exercitationes omisit: redegitque se, deposito patrio habitu, ad pallium, & crepidas: atque in tali statu biennio fere permansit, contemtior in dies & inuisior: adeo vt imagines eius & statuas *Nemausenses subuerterint; ac familiari *quodam conuiuio mentione eius orta, exstiterit qui Caio polliceretur, confestim se, si iuberet, Rhodum nauigaturum, caputque exsulis (sic enim appellabatur) relaturum. Quo præcipue, non iam metu, sed discrimine coactus est, tam suis quam matris impensissimis precibus reditum expostulare: impetrauitque, adiutus aliquantum etiam casu. Destinatum Augusto erat, nihil super ea re, nisi ex voluntate maioris filii, statuere. Is forte tunc M. Lollio offensior, facilis exorabilisque in vitricum fuit. Permittente ergo Caio, reuocatus est: verum sub conditione, ne quam partem curamue reip. attingeret. 13

REDIIT octauo post secessum anno, magna, nec incerta spe futurorum, quam & ostentis & prædictionibus ab initio ætatis conceperat. Prægnans enim Liuia, cum, an marem editura esset, variis captaret ominibus, ouum incubanti gallinæ subductum, nunc sua, nunc ministrarum manu per vices vsque eo fouit, quoad pullus insigniter cristatus exclusus est. Ac de infante Scribonius mathematicus præclara spopondit, etiam regnaturum quandoque, sed sine regio insigni, ignota scilicet tunc adhuc Cæsarum potestate. Et ingresso primam expeditionem, ac per Macedoniam ducente exercitum in Syriam, accidit vt apud Philippos sacratæ olim victricium legionum aræ, sponte *subitis collucerent ignibus: & mox cum Illyricum petens, iuxta Patauium adisset Geryonis oraculum, sorte tracta, qua monebatur vt de cõsultationibus in Aponi fontem talos aureos iaceret, euenit vt summum numerum iacti ab eo ostenderent: hodieque sub aqua visuntur hi tali. Ante paucos vero quam reuocaretur dies, aquila, numquam antea Rhodi conspecta, in culmine domus 14

eius* assedit: & pridie quam de reditu certior fieret, vestimenta mutanti tunica ardere visa est. Thrasyllum quoque mathematicum, quem vt sapientiæ professorem contubernio admouerat, tunc maxime expertus est, affirmantem naue prouisa gaudium afferri: cum quidem illum durius, & contra prædicta cadentibus rebus, vt falsum, & secretorum temere conscium, eo ipso momento dum spatiatur vna, præcipitare in mare destinasset.

15 ROMAM reuersus, deducto in forum filio Druso, statim e Carinis ac Pompeiana domo, Esquilias in hortos Mæcenatianos transmigrauit: totumque se ad quietem contulit, priuata modo officia obiens, ac publicorum munerum expers. Caio & Lucio intra *triennium defunctis, adoptatur ab Augusto simul cum fratre eorum M. Agrippa: coactus prius ipse Germanicum fratris sui filium adoptare. Nec quidquam postea pro patrefamilias egit: aut ius quod* adoptione amiserat, ex vlla parte retinuit. Nam neque donauit, neque manumisit: nec hereditatem quidem aut legata percepit vlla aliter, quam vt peculio referret accepta. Nihil ex eo tempore prætermissum est ad maiestatem eius augendam, ac multo magis postquam, Agrippa abdicato atque seposito, certum erat, vni spem successionis incumbere.

16 DATA rursus potestas Tribunicia in quinquennium: delegatus pacandæ Germaniæ status: Parthorum legati, mandatis Augusto Romæ redditis, eum quoque adire in prouinciam iussi. Sed nuntiata Illyrici defectione, transiit ad curam noui belli; quod grauissimum omnium externorum bellorum post Punica, per XV legiones, paremque auxiliorum copiam, triennio gessit, in magnis omnium rerum difficultatibus, summaque frugum inopia. Et quamquam sæpius reuocaretur, tamen perseuerauit: metuens, ne vicinus & præualens hostis instaret vltro cedentibus. Ac perseuerantiæ grande pretium tulit; toto Illyrico, quod* inter Italiam, regnumque Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen, & sinum maris Adriatici patet, perdomito, & in* dicionem redacto.

17 CVI gloriæ amplior adhuc ex opportunitate cumulus accessit. Nam sub id fere tempus Quinctilius Varus, cum tribus legionibus in Germania periit: nemine dubitante, quin victores Germani iuncturi se Pannoniis fuerint, nisi debellatum prius Illyricum esset. Quas ob res triumphus ei* decretus est, multique & magni honores. Censuerunt etiam quidam, vt *Pannonicus*, alij vt *Inuictus*, non nulli vt *Pius* cognominaretur. Sed de cognomine intercessit Augustus, *eo contentum repromittens, quod se defuncto suscepturus esset. Triumphum ipse distulit, mæsta ciuitate clade Variana. Nihilo minus vrbem prætextatus & laurea coronatus intrauit: positumque in septis Tribunal, Senatu adstante, conscendit: ac medius inter duos COSS. cum Augusto simul sedit: vnde, populo consalutato, circum templa* deductus est.

18 PROXIMO anno repetita Germania, cum animaduerteret, Varianam cladem temeritate & negligentia ducis accidisse, nihil non de* consilii sententia egit: semper alias sui arbitrii, contentusque se vno, tunc præter consuetudinem cum pluribus de ratione belli communicauit. Curam quoque solito exactiorem præstitit. Traiecturus Rhenum, commeatum omnem ad certam formulam adstrictum, non ante transmisit, quam consistens apud ripam explorasset* vehiculorum onera: ne qua* deponerentur, nisi concessa aut necessaria. Trans Rhenum vero eum vitæ ordinem tenuit, vt sedens in cæspite nudo cibum caperet: sæpe sine tentorio pernoctaret: præcepta sequentis diei omnia, & si quid subiti muneris iniungendum esset, per libellos daret: addita monitione, vt de quo quisque dubitaret, se, nec alio interprete, quacumque vel noctis hora vteretur.

19 DISCIPLINAM acerrime exegit; animaduersionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis; atque etiam legato legionis, quod paucos milites cum liberto suo trans ripam venatum misisset, ignominia notato. Prœlia, quamuis minimum fortunæ casibusq; permitteret, aliquanto constantius inibat, quoties lucubrante se subito, ac nullo propellente, decideret lumen, & extingueretur: confidens (vt aiebat) ostento, sibi ac maioribus suis in omni ducatu expertissimo. Sed re prospere gesta, non multum abfuit quin ab* Rhuteno quodam occideretur: cui

inter proximos versanti, & trepidatione detecto, tormentis expressa confessio est cogitati facinoris.

A Germania in vrbem post biennium regressus, triumphum, quem distulerat, 20
egit; prosequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat. Ac prius quam in Capitolium flecteret, descendit e curru; seq; præsidenti patri ad genua submisit. * Batonem Pannonium ducem, ingentibus donatum præmiis, Rauennam transtulit: gratiam referens, quod se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum, * passus esset euadere. Prandium * dein populo mille mensis, & congiarium * trecenos nummos viritim dedit. Dedicauit & Concordiæ ædem; item Pollucis & Castoris, suo fratrisq; nomine, de manubiis.

Ac non multo post, lege per COSS lata, vt prouincias cum Augusto communiter 21
administraret, simulq; censum ageret, condito lustro in Illyricum profectus est. Et statim ex itinere reuocatus, iam quidem affectum, sed tamen spirantem adhuc Augustum repperit: fuitque vna secreto per totum diem. Scio vulgo persuasum, quasi egresso post secretum sermonem Tiberio, vox Augusti per cubicularios excepta sit, *miserum populum Romanum, qui sub tam lentis maxillis * erit.* Nec illud quidem ignoro, aliquos tradidisse, Augustum palam nec dissimulanter morum eius * diritatem adeo improbasse, vt non numquam remissiores hilarioresque sermones superueniente eo abrumperet: sed expugnatum precibus vxoris, adoptionem non abnuisse: vel etiam ambitione tractum, vt tali successore desiderabilior ipse quandoque fieret. Adduci tamen nequeo, quin existimem, circumspectissimum & prudentissimum principem, in tanto præsertim negotio, nihil temere fecisse; sed vitiis virtutibusque Tiberii perpensis, potiores duxisse virtutes; præsertim cum & reipub. caussa adoptare se eum pro concione iurauerit; & epistolis aliquot, vt peritissimum rei militaris, vtque vnicum populi R. præsidium, prosequatur. Ex quibus in exemplum pauca hinc inde subieci. *Vale iucundissime Tiberi, & * rem gere feliciter, * ἐμοὶ καὶ ταῖς μούσαις στρατηγῶν. Iucundissime, &, ita sim felix, vir fortissime, & dux * νομιμώτατε. Vale, & ordinem æstiuorum tuorum. Ego vero, mi Tiberi, & inter tot rerum difficultates, καὶ τοσαύτην ῥᾳθυμίαν τῶν στρατευομένων, non potuisse quemquam prudentius gerere se, quam tu gesseris, existimo. Hi quoque qui tecum fuerunt omnes, confitentur versum illum in te posse dici,* Vnus homo nobis vigilando restituit rem. *Siue, inquit, quid incidit, de quo sit cogitandum diligentius, siue quid stomachor valde, medius fidius, Tiberium meum desidero: succurretque versus ille Homericus, * τούτου δ' ἑσπομένοιο, καὶ ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο Ἄμφω νοστήσαιμεν, ἐπεὶ περίοιδε νοῆσαι. Attenuatum te esse continuatione laborum, cum audio & lego, Di me perdant, nisi * cohorrescit corpus meum: teque rogo vt parcas tibi: ne, si te languere audierimus, & ego & mater tua exspiremus, & de summa imperii sui populus R. periclitetur. Nihil interest, valeam ipse, nec ne, si tu * non valebis: Deos obsecro, vt te nobis conseruent, & valere nunc & semper patiantur: si non populum R. perosi sunt.*

EXCESSVM Augusti non prius palam fecit, quam Agrippa iuuene interem- 22
to. * Hunc Tribunus militum, custos appositus, occidit; lectis codicillis, quibus vt id faceret, iubebatur. quos codicillos dubium fuit, Augustusne moriens reliquisset, quo materiam tumultus post se subduceret: an nomine Augusti Liuia, & * ea conscio Tiberio, an ignaro dictasset. Tiberius, renuntianti Tribuno factum esse quod imperasset, neque imperasse se, & redditurum eum Senatui rationem respondit; inuidiam scilicet in præsentia vitans. Nam mox silentio [rem] obliterauit.

IVRE autem Tribuniciæ potestatis coacto Senatu, inchoataque allocutione * de 23
republica, derepente, velut impar dolori, congemuit: vtque non solum vox, sed [vt] & spiritus deficeret, optauit: ac perlegendum librum Druso filio tradidit. Illatum deinde Augusti testamentum, non admissis signatoribus nisi Senatorii ordinis, ceteris extra Curiam signa agnoscentibus, * recitauit per libertum. Testamenti initium fuit: *Quoniam * sinistra fortuna Caium & Lucium filios mihi eripuit, Tiberius Cæsar mihi ex parte dimidia & sextante heres esto.* Quo & ipso aucta est suspicio opinantium, successorem adscitum eum necessitate magis quam iudicio, quando ita præfari non abstinuerit.

PRINCIPATVM, quamuis neque * occupare confestim, neque agere dubitas- 24

ſet,* & ſtatione militum, hoc eſt, vi & ſpecie dominationis aſſumta, diu tamen recuſauit: impudentiſſimo animo nunc adhortantes amicos increpans, vt ignaros quanta bellua eſſet Imperium; nunc precantem Senatum, & procumbentem ſibi ad genua, ambiguis reſponſis, & callida cunctatione ſuſpendens: vt quidam patientiam rumperent, atque vnus in tumultu proclamaret, *Aut agat, aut deſiſtat.* alter coram exprobraret, ceteros quod polliciti ſint, tarde præſtare; ſe ipſum quod præſtet, tarde polliceri. Tamdem quaſi coactus, & querens miſeram & oneroſam iniungi ſibi ſeruitutem, recepit Imperium: nec tamen aliter, quam vt depoſiturum ſe quandoque ſpem faceret. Ipſius verba ſunt* hæc, *Dum veniam ad id tempus, quo vobis æquum poßit videri, dare vos aliquam ſenectuti meæ requiem.*

25 CVNCTANDI cauſſa erat, metus vndique imminentium diſcriminum: vt ſæpe lupum ſe auribus tenere diceret. Nam & ſeruus Agrippæ, Clemens nomine, non contemnendam manum in vltionem domini compararat· & L. Scribonius Libo, vir nobilis, res nouas clam moliebatur: & duplex ſeditio militum, in Illyrico & in Germania, exorta eſt. Flagitabant ambo exercitus multa extra ordinem: ante omnia, vt æquarentur ſtipendio* prætoriani Germaniciani. Quidam etiam principem detrectabant non a ſe datum: ſummaque vi Germanicum, qui tum his præerat, ad capeſſendam temp. perurgebant, quamquam obfirmate reſiſtentem. Quem maxime caſum timens, partes ſibi, quas Senatui liberet, tuendas in rep. depopoſcit: quãdo vniuerſæ ſufficere* ſolus nemo poſſet; niſi cum altero, vel etiam cum pluribus. Simulauit & valetudinem, quo æquiore animo Germanicus celerem* ſucceſſorem, vel certe ſocietatem principatus, opperiretur. Compoſitis ſeditionibus, Clementem quoque fraude deceptum, redegit in poteſtatem: Libonem, ne quid in nouitate acerbius fieret, ſecundo demum anno in Senatu coarguit; medio temporis ſpatio tantum cauere contentus. Nam & inter Pontifices ſacrificanti ſimul, pro ſeceſpita plumbeum cultrum ſubiiciendum curauit: & ſecretũ petenti, non niſi adhibito Druſo filio, dedit: dextramque obambulantis, veluti incumbens, quoad perageretur ſermo, continuit.

26 VERVM liberatus metu, ciuilem [ſe] admodum inter initia, ac* paullo minus quam priuatum egit. Ex plurimis maximiſque honoribus, præter paucos & modicos, non recepit. Natalem ſuum plebeiis incurrentem Circenſibus, vix vnius bigę adiectione honorari paſſus eſt. Templa, flamines, ſacerdotes decerni ſibi prohibuit: etiam ſtatuas atq; imagines, niſi permittente ſe poni: permiſitq; ea ſola conditione ne inter ſimulacta deorum, ſed inter ornamenta ædium ponerentur. Interceſſit & quo minus in acta ſua iuraretur: & ne menſis September Tiberius, October Liuius vocarentur. Prænomen quoque *Imperatoris*, cognomenq; *Patris patriæ*, & ciuicam in veſtibulo coronam recuſauit. Ac ne *Augusti* quidem nomen, quamquam hereditarium, vllis niſi ad reges ac dynaſtas epiſtolis addidit. Nec amplius quam* omnino tres Conſulatus, vnum paucis diebus, alterum tribus menſibus, tertium abſens vſque in Idus Maias geſſit.

27 ADVLATIONES adeo auerſatus eſt, vt neminem Senatorum, aut officii aut negotii cauſſa, ad lecticam ſuam admiſerit: Conſularem vero, ſatisfacientem ſibi, ac per genua orare conantem, ita ſuffugerit, vt caderet ſupinus: atq; etiam, ſi quid in ſermone, vel in continua oratione blandius de ſe diceretur, non dubitaret interpellare, ac reprehendere, & commutare continuo. *Dominus* appellatus a quodam, denunniauit, ne ſe amplius contumeliæ cauſſa nominaret. Alium dicentem *ſacras eius occupationes*: & rurſus alium, *auctore eo* Senatum ſe adiiſſe, verba mutare; & pro auctore, ſuaſorem; pro ſacris, laborioſas dicere coëgit.

28 *SED aduerſus conuitia, maloſq; rumores, & famoſa de ſe ac ſuis carmina, firmus ac patiens ſubinde iactabat, *In ciuitate libera, linguam mentemque liberas eſſe debere.* Et quondam Senatu cognitionem de eiuſmodi criminibus ac reis flagitante: *Non tantum*, inquit, *otij habemus, vt implicare nos pluribus negotiis debeamus.* **Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi ſinetis. omnium inimicitiæ hoc prætextu ad vos deferentur.* Extat & ſermo eius in Senatu perciuilis:* *Si quidem locutus aliter fuerit, dabo operam vt rationem factorum meorum dictorumque reddam: ſi perſeuerauerit, inuicem eum odero.*

ATQVE

ATQVE hæc eo notabiliora erant, quod ipse in appellandis venerandisque [&] 29
singulis & vniuersis, prope excesserat humanitatis modum. Dissentiens in Curia
a * Q. Haterio, *Ignoscas*, inquit, *rogo, si quid aduersus te liberius, sicut Senator, dixero.*
Et inde omnes alloquens, dixit; *Et nunc & sæpe alias P. C. bonum & salutarem princi-
pem, quem vos tanta & tam libera potestate instruxistis, Senatui seruire debere, & vniuer-
sis ciuibus, sæpe & plerumque etiam singulis, neque id dixisse me pœnitet, & bonos, & æquos,
& fauentes vos habui dominos, & adhuc habeo.*

QVIN etiam speciem libertatis quamdam induxit, conseruatis Senatui ac Ma- 30
gistratibus, & Maiestate pristina, & potestate. neque tam paruum quidquam, neque
tam magnum publici priuatique negotij fuit, de quo non ad P. C. referretur: De
vectigalibus ac monopolijs, de exstruendis reficiendisue operibus, etiam de legendo
vel exauctorando milite, ac legionum & auxiliorum descriptione: denique quibus
Imperium prorogari, aut extraordinaria bella mandari; quid &* quam formam le-
gum litteris rescribi placeret. Præfectum alæ, de vi & rapinis reum, caussam in Se-
natu dicere coegit. Numquam Curiam, nisi solus intrauit: lectica quondam intro-
latus æger, comites a se remouit.

QVÆDAM aduersus sententiam suam decerni, ne questus quidem est. Negan- 31
te eo, destinatos Magistratus abesse oportere, vt præsentes honori acquiescerent,
Prætor designatus, liberam legationem impetrauit. Iterum * censente, * vt Tre-
bianis legatam in opus noui Theatri pecuniam, ad munitionem viæ transferre con-
cederetur, obtinere non potuit quin rata voluntas legatoris esset. Cum Senatus
consultum per discessionem forte fieret, transeuntem eum in alteram partem, in
qua pauciores erant, secutus est nemo. Cetera quoque non nisi per Magistratus,
& iure ordinario agebantur; tanta Coss. auctoritate, vt legati ex Africa adierint eos,
querentes trahi se a Cæsare, ad quem missi forent. Nec mirum: cum palam esset,
ipsum quoque eisdem [&] assurgere, & decedere via.

CORRIPVIT Consulares exercitibus præpositos, quod non de rebus gestis Se- 32
natui scriberent; quodque de tribuendis quibusdam militaribus donis ad se refer-
rent: quasi non omnium tribuendorum ipsi ius haberent. Prætorem collaudauit,
quod honore inito, consuetudinem antiquam retulisset de maioribus suis pro con-
cione memorandi. Quorundam illustrium exsequias vsque ad rogum frequenta-
uit. Parem moderationem minoribus quoque [&] personis & rebus exhibuit.
Cum Rhodiorum Magistratus, quod litteras publicas sine subscriptione ad se dede-
rant, euocasset, ne verbo quidem insectatus, * ac tantummodo iussos subscribere re-
misit. Diogenes grammaticus, disputare sabbatis Rhodi solitus, venientem, vt se
extra ordinem audiret, non admiserat; ac per seruulum suum in septimum diem
distulerat. Hunc Romæ salutandi sui caussa pro foribus adstantem, nihil amplius,
quam vt post septimum annum rediret, admonuit. Præsidibus onerandas tributo
prouincias suadentibus, rescripsit, * *Boni pastoris esse, tondere pecus, non deglubere.*

*PAVLLATIM principem exeruit, præstititq;: etsi varium diu, commodio- 33
rem tamen sæpius, & ad vtilitates publicas proniorem. Ac primo eatenus interue-
niebat, ne quid perperam fieret. Itaque & constitutiones quasdam Senatus rescidit:
& Magistratibus pro Tribunali cognoscentibus, plerumq; se offerebat consiliarium:
assidebatque * mistim, vel ex aduerso in parte primori. Et si quem reorum elabi
gratia rumor esset, subitus aderat: iudicesque aut e plano, aut e quæsitoris Tribu-
nali, legum & religionis, & noxæ, de qua cognoscerent, admonebat: atque etiam,
si qua in publicis [moribus] desidia aut mala consuetudine * labarent, corrigenda
suscepit.

LVDORVM ac munerum impensas corripuit, mercedibus scenicorum * rescis- 34
sis, paribusque gladiatorum ad certum numerum redactis. Corinthiorum vaso-
rum pretia in immensum exarsisse, tresque * mulos XXX millibus nummûm venis-
se, grauiter conquestus, adhibendum supellectili modum censuit: annonamq; ma-
celli, Senatus arbitratu, quotannis temperandam: * dato Ædilibus negotio, popinas
ganeasque vsque eo inhibendi, vt ne opera quidem pistoria proponi venalia sine-
rent. Et vt parcimoniam publicam exemplo quoque iuuaret, sollennibus ipse ce-

c

nis pridiana sæpe ac semesa [opsonia] apposuit, dimidiatumque aprum; affirmans, omnia eadem habere, quæ totum. Quotidiana oscula prohibuit edicto: item strenarum commercium, ne vltra Kalend. Ianuarias exerceretur. Consueuerat quadruplam strenam & de manu reddere: sed offensus interpellari se toto mense ab iis qui potestatem sui die festo non habuissent, vltra non* reddidit.

35 MATRONAS prostratæ pudicitiæ, quibus accusator publicus deesset, vt propinqui* maiorum more de communi sententia coercerent, auctor fuit. Equiti R. *iurisiurandi gratiã fecit, vt vxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se numquam repudiaturum ante iurauerat. Feminæ famosæ, vt ad euitandas legum pœnas iure ac dignitate matronali exsoluerentur, lenocinium profiteri cœperant: & *ex iuuentute vtriusq; ordinis profligatissimus quisque, quo minus in opera scenæ arenæque edenda Senatus consulto tenerentur, famosi iudicii notam sponte subibant. Eos easque omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exsilio affecit. Senatori latum clauum ademit, *cum cognouisset sub Kalend. Iulii demigrasse in hortos, quo vilius post diem ædes in vrbe conduceret. Alium* & Quæstura remouit, quod vxorem* pridie sortitione ductam, postridie repudiasset.

36 EXTERNAS cærimonias, Ægyptios Iudaicosque ritus compescuit; coactis qui superstitione ea tenebantur, religiosas* vestes cum instrumento omni comburere. Iudæorum iuuentutem, per speciem sacramenti, in prouincias grauioris cæli distribuit: reliquos gentis eiusdem, vel similia sectantes, vrbe submouit, sub pœna perpetuæ seruitutis, nisi obtemperassent. Expulit & mathematicos: sed deprecantibus, ac se artem* desituros promittentibus, veniam dedit.

37 IN primis tuendæ pacis a grassaturis ac latrociniis, seditionumq; licentia, curam habuit. Stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit. Romę castra constituit, quib Prætorianæ cohortes, vagæ ante id tempus, & per hospitia dispersæ, cõtinerentur. Populares tumultus exortos grauissime coercuit: & ne orirentur, sedulo cauit. Cæde in Theatro per discordiam admissa, capita factionũ & histriones, propter quos dissidebatur, relegauit: nec vt reuocaret, vmquam vllis populi precibus potuit euinci. Cum* Polentina plebs funus cuiusdam Primipilaris non prius ex foro misisset, quam extorta pecunia per vim heredibus ad gladiatorium munus: cohortẽ ab vrbe, & aliam a Cottii regno, dissimulata itineris caussa, detectis repente armis, *concinentibusque signis, per diuersas portas in opidum immisit: ac partem maiorem plebis ac Decurionum in perpetua vincula coniecit. Aboleuit & ius moremq; asylorum, quæ vsquam erant. Cyzicenis in ciues Romanos violentius quædam ausis, publice libertatem ademit, quam Mithridatico bello* meruerant. Hostiles motus, nulla postea expeditione suscepta, per legatos compescuit; nec per eos quidem, nisi cunctanter & necessario. Reges infestos suspectosque, comminationibus magis & querelis, quam vi repressit. Quosdam per blanditias atque promissa extractos ad se, non remisit: vt* Maraboduum Germanum, *Thrasypolim Thracem, Archelaum Cappadocem; cuius etiam regnum in formam prouinciæ redegit.

38 BIENNIO continuo post adeptum Imperium, pedem porta non extulit: sequenti tempore, præterquam in propinqua opida, & cum longissime, Antio tenus* nusquam abfuit. idque perraro, & paucos dies: quamuis prouincias quoque & exercitus reuisurum se sæpe pronuntiasset: & prope quotannis profectionem præpararet; vehiculis comprehensis, commeatibus per municipia & colonias dispositis. Ad extremum vota pro itu & reditu suo suscipi passus. vt vulgo iam per iocum* *Callippides* vocaretur: quem cursitare, ac ne cubiti quidem mensuram progredi, prouerbio Græco notatum est.

39 SED orbatus vtroque filio, quorum Germanicus in Syria, Drusus Romæ obierat, secessum Campaniæ petiit: constanti & opinione & sermone pæne omnium, quasi neque rediturus vmquam, & cito mortem etiam obiturus quod paullo minus vtrumque euenit. Nam neque Romam amplius rediit: [sed] & paucos post dies iuxta* Terracinam in Prætorio, cui *Speluncæ* nomen erat, *incenante eo, complura & ingentia saxa* fortuito superne delapsa sunt: multisque conuiuarum & ministrorum elisis, præter spem euasit.

PERA-

PERAGRATA Campania, cum Capuæ Capitolium, Nolæ templum Augusti, quam caussam profectionis prætenderat, dedicasset, Capreas se contulit: præcipue delectatus insula, quod vno paruoque litore adiretur, septa vndique præruptis immensæ altitudinis rupibus, & profundo *maris. Statimque reuocante assidua obtestatione populo, propter cladem, qua apud Fidenas, supra XX hominum millia, gladiatorio munere, Amphitheatri ruina perierant, transiit in continentem, potestatemque omnibus adeundi sui fecit: tanto magis quod [ab] vrbe egrediens, ne quis se interpellaret, edixerat, ac toto itinere adeuntes submouerat. 40

REGRESSVS in insulam, reipubl. quidem curam vsqueadeo abiecit, vt postea non decurias equitum vmquam suppleuerit; non Tribunos militum, Præfectosque; non prouinciarum Præsides vllos mutauerit: Hispaniam & Syriam per aliquot annos sine consularibus legatis habuerit: Armeniam a Parthis occupari, Mœsiam a Dacis Sarmatisque; Gallias a Germanis vastari neglexerit; magno dedecore Imperii nec minori discrimine. 41

CETERVM secreti licentiam nactus, & quasi ciuitatis oculis remotus, cuncta simul vitia male diu dissimulata, tandem profudit: de quibus, sigillatim ab exordio referam. In castris tiro etiam tum, propter nimiam vini auiditatem, pro Tiberio, *Biberius*, pro Claudio, *Caldius*; pro Nerone, *Mero* vocabatur. Postea princeps in ipsa publicorū morum *correptione, cum *Pomponio Flacco & L. Pisone, noctem continuumque biduum epulando potandoque consumsit: quorum alteri Syriam prouinciam, alteri Præfecturam vrbis confestim detulit; codicillis quoque iucundissimos & omnium horarum amicos professus. *Sextio Claudio, libidinoso ac prodigo seni, olim ab Augusto ignominia notato, & a se ante paucos dies apud Senatum increpito, cenam ea lege condixit; ne quid ex consuetudine immutaret aut demeret: vtque nudis puellis ministrantibus cenaretur. Ignotissimum Quæsturæ candidatum nobilissimis anteposuit, ob epotam in conuiuio, propinante se vini amphoram. *Asellio Sabino HS. ducenta donauit, pro dialogo, in quo boleti, & ficedulæ, & ostreæ, & turdi certamen induxerat. Nouum denique officium instituit a voluptatibus; præposito equite R. *& Censorio Prisco. 42

SECESSV vero Capreensi, etiam *sellariam excogitauit sedem arcanarum libidinum; in quam vndiq. conquisiti puellarum & exoletorum greges, monstrosique concubitus repertores, quos *spintrias appellabat, triplici serie *connexi, inuicem incestarent se coram ipso; vt adspectu deficientes libidines excitaret. Cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lasciuissimarum picturarum & figurarum adornauit, librisque Elephantidis instruxit: ne cui in opera edenda exemplar *imperatæ scenæ deesset. In siluis quoque ac nemoribus passim Venereos locos commentus est, prostantesque per antra & cauas rupes, ex vtriusque sexus pube, Paniscorum & Nympharum habitu; palamque iam & vulgato nomine insulæ abutentes, **Caprineum* dictitabant. 43

MAIORE adhuc & turpiore infamia flagrauit: vix vt referri audiriue, nedum credi fas sit. quasi pueros primæ teneritudinis, quos *pisciculos* vocabat, institueret, vt natanti sibi inter femina versarentur, ac luderent, lingua morsuque sensim appetentes; atque etiam quasi infantes firmiores, necdum tamen lacte depulsos, inguini ceu papillæ admoueret; pronior sane ad id genus libidinis & natura & ætate. Quare Parrhasii quoq; tabulam, in qua Meleagro Atalanta [ore] morigeratur, legatam sibi sub conditione, vt si argumento offenderetur, decies pro ea HS. acciperet: non modo prætulit, sed & in cubiculo dedicauit. Fertur etiam in sacrificando quondam captus facie *ministri, acerram præferentis, nequisse abstinere, quin pæne vix dum re diuina peracta, ibidem statim seductum constupraret, simulq; fratrem eius tibicinem. atq; vtrique mox, quod mutuo flagitium exprobrabant, crura fregisse. 44

FEMINARVM quoque, & quidem illustrium *capitibus quantopere solitus sit illudere, euidentissime apparuit Malloniæ cuiusdam exitu: *quam perductam, nec quidquam amplius pati constantissime recusantem, delatoribus obiecit: ac ne ream quidem interpellare desiit, *Ecquid pœniteret; donec ea, relicto iudicio, domum se *arripuit, ferroque transegit; obscœnitate oris hirsuto atque olido seni clare ex- 45

probrata. Vnde* nota in Atellanico exodio proximis ludis assensu maximo excepta, percrebuit: *Hircum vetulum* capreis naturam ligurrire.*

46 PECVNIÆ parcus ac tenax, comites peregrinationum expeditionumque numquam salario, cibariis tantum sustentauit, * vna modo liberalitate ex indulgentia vitrici prosecutus; cum tribus classibus factis, pro dignitate cuiusque, primæ sexcenta sestertia, secundæ quadringenta distribuit, ducenta tertiæ; quam non amicorum, sed* gratorum appellabat.

47 PRINCEPS, neque opera vlla magnifica fecit. Nam & quæ sola* susceperat, Augusti templum, restitutionemque Pompeiani Theatri, imperfecta post tot annos reliquit: neque spectacula omnino edidit: & iis quæ ab aliquo ederentur, rarissime interfuit, ne quid exposceretur; vtique postquam comœdum* Actium coactus est manumittere. Paucorum Senatorum inopia sustentata, ne pluribus opem ferret, negauit se aliis subuenturum, nisi Senatui iustas necessitatum caussas probassent. Quo* peracto, plerosque modestia & pudore deterruit: in quibus Ortalum Q. Hortensii oratoris nepotem, qui permodica re familiari, auctore Augusto, quatuor liberos tulerat.

48 PVBLICE munificentiam bis omnino exhibuit: proposito* millies LLS. gratuito in triennii tempus: & rursus quibusdam dominis insularum, quæ in monte Cœlio deflagrarant, pretio restituto. Quorum alterum magna difficultate nummaria, populo auxilium flagitante, coactus est facere; cum per Senatus consultum sanxisset, vt feneratores duas patrimonii partes in solo collocarent, debitores totidem æris alieni statim soluerent, nec res expediretur: alterum, ad mitigandam temporum atrocitatem. Quod tamen beneficiũ tanti æstimauit, vt montem Cœlium appellatione mutata vocari *Augustum* iusserit. Militi post duplicata ex Augusti testamento legata, nihil vmquam largitus est, præterquam singula millia denariorũ Prætorianis, quod Seiano se non accommodassent: & quædã munera Syriacis legionibus, quod solæ nullam Seiani imaginem inter signa coluissent. atq; etiam missiones veteranorum rarissimas fecit, ex senio mortem, ex morte compendiũ captans. Neq; prouincias quidẽ vlla liberalitate subleuauit: excepta Asia, disiectis terræmotu ciuitatibus.

49 PROCEDENTE mox tempore etiam ad rapinas conuertit [animum] *Sat constat Cn. Lentulum Augurem, cui census maximus fuerit, metu & angore ad fastidiũ vitæ ab eo actum, & vt ne quo nisi ipso herede moreretur. Condemnatam & generosissimam feminam Lepidam, in gratiam Quirini consularis prædiuitis & orbi, qui dimissam eam e matrimonio post vigesimum annum veneni olim in se comparati arguebat: præterea Galliarum, & Hispaniarum, Syriæque, & Græciæ principes, confiscatos ob tam leue ac tam impudens calumniarum genus, vt quibusdam non aliud sit obiectũ, quam quod partem rei familiaris in pecunia haberent. Plurimis etiam ciuitatibus, & priuatis, veteres immunitates, & ius metallorũ ac vectigaliũ adempta. Sed & Vononem regem Parthorum; qui pulsus a suis, quasi in fidem populi R. cum ingenti gaza Antiochiam se receperat, spoliatum perfidia, & occisum.

50 ODIVM aduersus necessitudines, in Druso primum fratre detexit; prodita eius epistola, qua secum de cogendo ad restituendam libertatem Augusto agebat: deinde & in reliquis. Iuliæ vxori tantum abfuit vt relegatæ, quod minimum est, officii aut humanitatis aliquid impertiret, vt ex constitutione patris vno opido clausam, domo quoque egredi, & commercio hominum frui vetuerit: sed & peculio concesso a patre, præbitisque annuis fraudauit, per speciem publici iuris, quod nihil de his Augustus testamento cauisset. Matrem * Liuiam grauatus, velut partes sibi æquas potentiæ vindicantem, & congressum eius assiduum vitauit; & longiores secretioresque sermones: ne eius consiliis, quibus tamen * interdum, & ægre vti solebat, regi videretur. * Tulit etiam perindigne, actum a Senatu, vt titulis suis quasi Augusti, ita & Liuiæ filius adiiceretur. Quare non Parentem patriæ appellari, non vllum insignem honorẽ recipere publice passus est. Sed & frequenter * admonuit, maioribus nec feminæ conuenientibus negotiis abstineret: præcipue vt animaduertit incendio iuxta ædem Vestæ, & ipsam interuenisse; populumque & milites, quo enixius opem ferrent, adhortatam, sicut sub marito solita esset.

DEHINC

DEHINC ad simultatem vsque processit, hac, vt ferunt, de caussa: Instanti sæ- 51
pius, vt ciuitate donatum in decurias allegeret, negauit alia se cōditione allecturum, quam si pateretur adscribi albo, extortum id sibi a matre. At illa* commota, veteres quosdā ad se Augusti codicillos de acerbitate & intolerantia morum eius,* e sacrario protulit, atq; recitauit. Hos & custoditos tamdiu, & exprobratos tam* infeste, adeo grauiter tulit, vt quidam putent inter caussas secessus hanc ei vel præcipuam fuisse. toto quidem triennio, quo viuente matre* adfuit, semel omnino eam, nec amplius quam vno* die, ac paucissimis vidit horis; ac mox, neq; ægre* abesse curauit, defunctamque, & dum aduentus sui spem facit, complurium dierum mora, corrupto demum & tabido corpore funeratam, prohibuit consecrari: quasi id ipsa mandasset. *Testamentumque eius pro irrito habuit: omnesque amicitias & familiaritates, etiam quibus ea funeris [sui] curam moriens demandarat, intra breue tempus afflixit; vno ex his equestris ordinis viro & in* antliam condemnato.

FILIORVM neq; naturalem Drusum, neque adoptiuū Germanicum, patria ca- 52
ritate dilexit, [alterius virtutibus,] alterius vitiis infensus. Nam Drusus, *animi fluxioris, remissiorisque vitæ erat. Itaque ne mortuo quidem perinde affectus est: sed* tantum non statim post, a funere ad negotiorum consuetudinem rediit, iustitio longiore inhibito Quin & Iliensium legatis, paullo serius consolantibus, quasi oblitterata iam doloris memoria, irridens, se quoq; respondit vicem eorum dolere, quod egregium ciuem Hectorem amisissent. Germanico vsq; adeo obtrectauit, vt & præclara facta eius pro superuacuis* eleuaret; & gloriosissimas victorias, ceu damnosas reip. increpatet. Quod vero Alexandriam, propter immensam & repentinam famem, inconsulto se adisset, questus est in Senatu. Etiam caussa mortis fuisse ei per Cn. Pisonem legatum Syriæ creditur. quem mox huius criminis reum, putant quidam mandata prolaturum,* nisi ea secreta obstarent, per quæ multifariam* increpitum, & per noctes* crebetrime acclamatum est; *Redde Germanicum.* Quam suspicionē confirmauit ipse postea; coniuge etiam ac liberis Germanici crudelem in modum afflictis.

NVRVM Agrippinam, post mortem mariti, liberius quiddam questam, manu 53
apprehendit: Græcoque versu, *Si non dominaris*, inquit, *filiola, iniuriam te accipere existimas?* Nec vllo mox sermone dignatus est. Quondam vero inter cenam, porrecta a se poma gustare non ausam, etiam vocare desiit; simulans, se veneni crimine *accersitum: cum præstructum vtrumque consulto esset, vt & ipse tentandi gratia offerret, & illa quasi certissimum exitium caueret. Nouissime calumniatus, modo ad statuam Augusti, modo ad exercitus confugere velle, Pandatariam relegauit: conuitiantique oculum per Centurionem verberibus excussit. Rursus mori inedia destinanti, per vim ore diducto, infulciri cibum iussit. Sed & perseuerantem, atque ita absumtam, criminosissime insectatus est; cum diem quoque natalem eius inter nefastos referendum suasisset. Imputauit etiam, quod non laqueo strangulatam in gemonias abiecerit: proque tali clementia interponi decretum passus est, quo sibi gratiæ agerentur, & Capitolino Ioui donum ex auro sacraretur.

CVM ex Germanico tres nepotes, Neronem, [&] Drusum, & Caium; ex Druso 54
vnum Tiberium haberet, destitutus morte liberorum, maximos natu de Germanici filiis, Neronem & Drusum, P.C. commendauit: diemque vtriusque tirocinii, congiario plebi dato, celebrauit. Sed vt comperit ineunte anno, pro eorum quoque salute publice vota suscepta; egit cum Senatu, non debere talia præmia tribui, nisi expertis & ætate prouectis: atque ex eo, patefacta interiore animi sui nota, omnium criminationibus obnoxios reddidit: variaque fraude inductos, vt & concitarentur ad conuitia, & concitati perderentur, accusauit per litteras, amarissime* congestis etiam probris: & iudicatos hostes fame necauit, Neronem in insula Pontia, Drusum in ima parte Palatii Putant Neronem ad voluntariam mortem coactum, cum ei carnifex, quasi ex Senatus auctoritate missus, laqueos & vncos ostentaret. Druso autem adeo alimenta subducta, vt tomentum e* culcita tentauerit mandere: amborum sic *reliqui[illegible]persis, [illegible] colligi possent.

SVPER veteres amicos ac familiares, XX sibi e numero principū ciuitatis depo- 55
poscerat, velut consiliarios in negotiis publicis. Horum omnium vix duos aut tres in-

columes præstitit · ceteros, alium alia de caussa perculit: inter quos cum plurimorum clade Ælium Seianum · quem ad summam potentiam, non tam beneuolentia prouexerat, quam vt esset cuius ministerio ac fraudibus, liberos Germanici circumueniret; nepotemque suum ex Druso filium naturalem, ad successionem Imperii confirmaret.

56 NIHILO lenior in conuictores Græculos, quibus vel maxime acquiescebat. Zenonem quemdam exquisitius sermocinantem, cum interrogasset, quænam illa tam molesta dialectos esset, & ille respondisset, Doridem: relegauit* Cynariam: existimans exprobratum sibi veterem secessum, quod Dorice Rhodii loquantur. Item cum soleret ex lectione quotidiana quæstiones super cenam proponere, comperissetque Seleucum grammaticum a ministris suis perquirere, quos quoque tempore tractaret auctores, atque ita præparatum venire; primum a contubernio remouit, deinde etiam ad mortem compulit.

57 SÆVA ac* lenta natura ne in pueto quidem latuit: quam Theodorus* Gadareus rhetoricæ præceptor &* prospexisse primus sagaciter, & assimilasse aptissime visus est, subinde in obiurgando appellans eum, πηλὸν αἵματι* πεφυραμένον. Sed aliquanto magis in principe eluxit etiam inter initia, cum adhuc* fauorem moderationis simulatione captaret. Scurram, qui prætereunte funere, clare mortuo mandarat, vt nuntiaret Augusto, nondum reddi legata quæ plebi reliquisset, attractum ad se, recipere debitum, ducique ad supplicium imperauit, & patri suo verum referre. Nec multo post in Senatu Pompeio cuidam, equiti Romano, quiddam perneganti, dum vincula minatur, affirmauit fore vt ex Pompeio Pompeianus fieret, acerba cauillatione simul hominis nomen incessens,* veteremque partium fortunam.

58 SVB idem tempus, consulente Prætore, an iudicia maiestatis cogi iuberet: exercendas esse leges respondit, & atrocissime exercuit. Statuæ quidam Augusti caput *demserat, vt alterius imponeret. Acta res in Senatu: &, quia ambigebatur, per tormenta quæsita est. Damnato reo, *paulla tim hoc genus calumniæ eo processit, vt hæc quoque capitalia essent: circa Augusti simulacrum seruum *cecidisse: vestem mutasse: nummo vel anulo effigiem impressam, latrinæ aut lupunari intulisse, dictũ vllum factumue eius existimatione aliqua læsisse. Periit deniq; & is, qui* honores in colonia sua eodem die decerni sibi passus est, quo decreti & Augusto olim erant.

59 MVLTA præterea, specie grauitatis ac morum corrigendorum, sed & magis naturæ obtemperans, ita sæue & atrociter factitauit, vt non nulli versiculis quoque & præsentia exprobrarent, & futura denuntiarent mala; *Asper & immitis. breuiter vis omnia dicam? Dispeream, si te mater amare potest. Non es eques quare? non sunt tibi millia centum: Omnia si quæras, & Rhodos exsilium est. Aurea mutasti Saturni secula, Cæsar: Incolumi nam te, ferrea semper erunt. Fastidit vinum, quia* iam sitit iste cruorem: Tam bibit hunc auide, quam bibit ante merum. Adspice felicem sibi, non tibi Romule Sullam: Et Marium, si vis, adspice, sed reducem. Nec non Antoni ciuilia bella mouentis, Nec semel infectas adspice cæde manus. Et dic, Roma perit: regnabit sanguine multo, Ad regnum quisquis venit ab exsilio.* Quæ primo quasi ab impatientibus *Romæ domini, ac non tam ex animi sententia, quam bile & stomacho fingerentur, volebat accipi: dicebatque identidem, *Oderint, dum probent*. Deinde vera plane certaque esse, ipse fecit fidem.

60 IN paucis diebus quam Capreas attigit, piscatori, qui sibi secretum agenti grandem mullum inopinanter obtulerat, perfricari eodem pisce faciem iussit: territus, quod is a tergo insulæ per aspera & deuia erepsisset ad se. Gratulanti autem inter pœnam, quod non & locustam, quam prægrandem ceperat, obtulisset, locusta quoque lacerari os imperauit. Militem prætorianum, ob surreptum e viridario pauonem, capite* puniit. In quodam itinere lectica, qua vehebatur, vepribus impedita, exploratorem viæ primatum* cohortium Centurionem, stratum humi pæne ad necem verberauit.

61 MOX in omne genus crudelitatis erupit, nu[illegible] deficiente ma[illegible] cum primo matris, deinde nepotum, & nurus; postremo Seiani familiares, atq; etiam notos persequeretur. Post cuius interitum vel sæuissimus exstitit: quo maxime apparuit,

non

non tam ipsum a Seiano concitari solitum,* quam Seiano quærenti occasiones subministrasse. etsi commentario,* quem de vita sua summatim breuiterq; composuit, ausus est scribere, Seianum se punisse, quod comperisset furere aduersus* Germanici liberos filii sui: quorũ ipse alterum suspecto iam, alterũ oppresso demum Seiano interemit. Sigillatim crudeliter facta eius exsequi, longũ* est: generatim velut exemplaria sæuitiæ enumerare sat erit Nullus a pœna hominum cessauit dies; ne religiosus quidem ac sacer. Animaduersum in quosdam ineunte anno nouo. accusati damnatiq; multi cum liberis, atq; etiam vxoribus suis. Interdictũ, ne capite damnatos propinqui lugerent: decreta accusatoribus præcipua præmia, non numquã & testibus. Nemini delatorum fides abrogata. Omne crimen pro capitali* receptum, etiã paucorum simpliciumq; verborum. Obiectũ est poetæ, quod in tragœdia Agamemnonem [probris] lacessisset: obiectũ & historico, quod Brutum Cassiumq, vltimos Romanorũ dixisset: animaduersum statim in auctores, scriptaq, abolita; quamuis probarentur* aliquot ante annos, etiam Augusto audiente recitata. Quibusdã custodiæ traditis, non modo * studendi solatium ademtum, sed etiam sermonis & colloquii vsus. Citati ad caussam dicendã, partim se domi vulnerauerunt, certi damnationis, sed ad vexationem ignominiamq; vitandam. partim in media Curia venenum hauserunt, & tamen colligatis vulneribus, ac semianimes palpitantesque, in carcerem rapti. Nemo punitorum non & in gemonias abiectus, vncoque tractus. *Viginti vno die abiecti, [tractique] inter eos pueri, & feminæ. Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ prius a carnifice, dein strangulatæ. Mori volentibus, vis adhibita viuendi. Nam mortem adeo leue supplicium putabat, vt cum audisset vnũ ex reis Carnulium nomine, anticipasse eam, exclamauerit;* *Carnulius me euasit.* Et in recognoscendis custodiis, precanti cuidam pœnæ maturitatẽ, respondit; *Nondum tecum in gratiam redii.* Annalibus suis vir consularis inseruit, frequenti* quondam conuiuio, cui & ipse affuerit, interrogatum eum subito & clare a quodam* nano adstante mensæ inter Capreas, cur Paconius maiestatis reus, tam diu viueret: statim quidem petulantiam linguæ obiurgasse, ceterum post paucos dies scripsisse Senatui, vt de pœna Paconii quam primum statueret.

62

AVXIT intenditq, sæuitiam, exacerbatus indicio de morte filii sui Drusi: quem cum morbo & intemperantia periisse existimaret, vt tandẽ veneno interemtũ fraude Liuillæ [vxoris] atq, Seiani cognouit, neque tormentis, neq; supplicio cuiusquam pepercit: soli huic cognitioni adeo per totos dies deditus & intentus, vt Rhodiensem hospitem, quem familiaribus litteris Romam euocarat, aduenisse sibi nuntiatum, torqueri sine mora iusserit, quasi aliquis ex necessariis quæstioni adesset: deinde errore detecto, & occidi, ne* diuulgaret iniuriã. Carnificinæ eius ostenditur locus Capreis, vnde damnatos, post longa & exquisita tormenta, præcipitari coram se in mare iubebat, excipiente classiariorum manu, & contis atque remis elidente cadauera, ne cui residui spiritus quidquam inesset. Excogitauerat autem inter genera cruciatus, etiam vt larga meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum simul vrinæq, tormento distenderet. Quod [&] nisi eum mors præuenisset, & Thrasillus consulto (vt aiunt) differre quædam, spe longioris vitæ, compulisset: plures aliquanto necaturus, ac ne reliquis quidem nepotibus parsurus creditur; cum & Caium suspectum haberet, & Tiberium vt ex adulterio conceptum aspernaretur. Nec abhorret a vero: namque identidem felicem Priamum vocabat, quod superstes omnium suorum exstitisset.

63

QVAM vero inter hæc non modo inuisus ac detestabilis, sed prætrepidus quoque atque etiam contumeliis obnoxius vixerit, multa indicia sunt. Haruspices secreto ac sine testibus consuli vetuit. Vicina vero vrbi oracula etiam disiicere conatus est: sed maiestate Prænestinarum sortium territus, destitit; cum obsignatas deuectasque Romam non repperisset in arca, nisi* relatas rursus ad templum. Vnum & alterum consulares oblatis prouinciis,* non ausus a se dimittere, vsqueadeo detinuit, donec successores post aliquot annos præsentibus daret: cum interim manente officii titulo, etiam delegaret plurima; assidueque illi per legatos & adiutores suos exsequenda curarent.

64 NVRVM ac nepotes numquam aliter post damnationem, quam catenatos, *obsutaque lectica loco mouit: prohibitis per militem obuiis ac viatoribus respicere * vsquam vel consistere.

65 SEIANVM res nouas molientem, quamuis iam & natalem eius publice celebrari, & imagines aureas coli passim videret: vix tandē, & astu magis ac dolo, quam principali auctoritate subuertit. Nam primo, vt a se per speciem honoris dimitteret, collegam sibi assumsit in quincto Consulatu, quem longo interuallo absens ob id ipsum susceperat. Deinde spe affinitatis ac Tribuniciæ potestatis deceptum, inopinantem criminatus est pudenda miserandaque oratione: cum inter alia P.C. precaretur, mitterent alterum e Consulibus, qui senem se, & solum, in conspectum eorum cum aliquo [militari] præsidio perduceret. Sic quoque diffidens tumultumq; metuens, Drusum nepotem, quem vinculis adhuc Romæ continebat, solui, si res posceret, ducemque constitui præceperat. Aptatis etiam nauibus, ad quascumq; legiones meditabatur fugam, *speculabundus ex altissima rupe* identidem: signaque, ne nuntii morarentur, tolli procul, vt* quidque foret factum, mandauerat. Verum & oppressa coniuratione Seiani, nihilo securior aut constantior, per IX proximos menses non egressus est villa, quæ vocatur Iouis.

66 VREBANT insuper anxiam mentem varia vndiq; conuitia, nullo non damnatorum omne probri genus coram, vel per libellos in orchestra positos ingerente. Quibus quidem diuersissime afficiebatur: modo, vt præ pudore ignota & celata cuncta cuperet: non numquam eadem contemneret, & proferret vltro atq; vulgaret. Quin & Artabani Parthorum regis laceratus est litteris, parricidia & cædes, & ignauiam & luxuriam obiicientis, monentisque vt voluntaria morte, maximo iustissimoque ciuium odio quamprimum satisfaceret. Postremo semet ipse pertæsus, talis epistolæ principio, tantum non summam malorum suorum professus est:

67 QVID *scribam vobis P. C. aut quo modo scribam, aut quid omnino non scribam, hoc tempore? Dii me Deæque* pœnis perdant, quem quotidie perire sentio, si scio.* Existimant quidam præsciisse hæc eum peritia futurorum: ac multo ante, quanta se quandoque acerbitas & infamia maneret, prospexisse. ideoque vt Imperium *iniret, & Patris patriæ appellationē, & ne in acta sua iuraretur, obstinatissime recusasse: ne mox maiore dedecore impar tantis honoribus inueniretur. Quod sane & ex oratione eius, quam de vtraque re habuit, colligi potest: vel cum ait; *Similem se semper sui futurum: nec vmquam mutaturum mores suos, quamdiu mentis sanæ fuisset: sed exempli caussa cauendum, ne se Senatus in acta cuiusquam obligaret, qui aliquo casu mutari posset. Et rursus, *Si quando autem,* *inquit, *de moribus meis, deuotoque vobis animo dubitaueritis: (quod prius quam eueniat, opto vt me supremus dies huic mutatæ vestræ de me opinioni eripiat) nihil honoris* adiiciet mihi patris appellatio; vobis autem* exprobrabit, aut temeritatem delati mihi eius cognominis, aut inconstantiam contrarii de me iudicii.*

68 CORPORE fuit amplo atque robusto; statura, quæ iustam excederet. Latus ab humeris & pectore: ceteris quoque membris vsque ad imos pedes æqualis, & congruens. sinistra manu agiliore ac validiore; articulis ita firmis, vt recens & integrum malum digito terebraret; caput pueri, vel etiam adolescentis, talitro vulneraret. Colore erat candido: capillo pone occipitium submissiore, vt ceruicem etiam obtegeret; quod gentile in illo videbatur. Facie honesta: in qua tamen crebri & *subtiles tumores; cum prægrandibus oculis; & qui (quod mirum esset) noctu etiam & in tenebris viderent, sed ad breue; & cum primum a somno patuissent, demum rursum hebescebant. Incedebat ceruice rigida & obstipa: adducto fere vultu: plerumque tacitus; nullo, aut rarissimo etiam cum proximis sermone, eoque tardissimo; nec sine molli quadam digitorum gesticulatione. Quæ omnia ingrata, atque arrogantiæ plena, & animaduertit Augustus in eo, & excusare tentauit sæpe apud Senatum ac populum; professus naturæ vitia esse, non animi. Valetudine prosperrima vsus est; tempore quidem principatus pæne toto prope illæsa: quamuis a tricesimo ætatis anno arbitratu eam suo rexerit, sine adiumento consilioue medicorum.

69 CIRCA deos ac religiones negligentior: quippe addictus mathematicæ, *persuasionisque plenus, cuncta fato agi. Tonitrua tamen præter modum expauescebat: & turbatiore cœlo numquam non coronam lauream * ceruice gestauit; quod fulmine afflari negetur id genus frondis.

70 ARTES liberales vtriusque generis studiosissime coluit. In oratione Latina secutus est Coruinum Messallam: quem senem adolescens obseruauerat. Sed affectatione & morositate nimia obscurabat stylum: vt aliquanto ex tempore, quam a cura, præstantior haberetur. Composuit & carmen lyricum: cuius est titulus, * *Conquestio de* * *L. Cæsaris morte.* Fecit & Græca poemata, imitatus Euphorionem, & * Rhianum, & Parthenium. quibus poetis admodum delectatus, scripta eorum, & imagines, publicis bibliothecis inter veteres & præcipuos auctores dedicauit: & ob hoc pleriq; eruditorum certatim ad eum multa de his ediderunt. Maxime tamen curauit notitiam historiæ fabularis, vsq; ad ineptias atque derisum. Nam & grammaticos, quod genus hominum præcipue, vt diximus, appetebat, eiusmodi fere quæstionibus experiebatur: Quæ mater Hecubæ, Quod Achilli nomen inter virgines fuisset, Quid Sirenes cantare sint solitæ. *Et quo primum die, post excessum Augusti, Curiam intrauit, quasi pietati simul ac religioni satisfacturus, Minois exemplo, thure quidem ac vino, verum sine tibicine, supplicauit: vt ille olim in morte filii.

71 SERMONE Græco quamquam *alias promptus & facilis, non tamen vsquequaque vsus est: abstinuitque maxime in Senatu: adeo quidem, vt *monopolium* nominaturus, prius veniam *postularit, quod sibi verbo peregrino vtendum esset: atq; etiam in quodam decreto patrum, cum * ἔμβλημα recitaretur, commutandã* censuerit vocem, & pro peregrina nostratem requirendam; aut, si non reperiretur, vel pluribus, & per ambitum verborum rem enuntiandam. Militem quoque * Græce testimonium interrogatum, nisi Latine respondere * vetuit.

72 BIS omnino toto secessus tempore, Romam redire conatus, semel triremi vsq; ad proximos naumachiæ hortos subuectus est; disposita statione per ripas Tiberis, quæ obuiam prodeuntes submoueret. iterum, Appia vsq; ad septimum lapidem, sed prospectis modo, nec aditis vrbis mœnibus, rediit. Primo, incertum qua de caussa: postea, ostento territus. Erat ei in oblectamentis serpens draco: quẽ ex consuetudine manu sua cibaturus, cum consumtum a formicis inuenisset; monitus est vt vim multitudinis caueret. Rediens ergo *prope Campaniam Asturæ, in languorem incidit. Quo paullum leuatus, Circeios pertendit. Ac, ne quam suspicionem infirmitatis daret, castrensibus ludis *non interfuit solum, sed etiam missum in arenam aprũ iaculis desuper petiit: statimq; latere conuulso, &, vt exæstuarat, afflatus aura, in grauiorem recidit morbum. Sustentauit autem aliquamdiu, quamuis Misenum vsq; deuectus, nihil ex ordine quotidiano prætermitteret, ne conuiuia quidem, ac ceteras voluptates, partim intemperantia, partim dissimulatione. Nam Chariclem medicum, quod commeatu abfuturus, e conuiuio egrediens, manum sibi osculandi caussa apprehendisset, existimans tentatas ab eo venas, remanere ac recumbere hortatus est, cenamque protraxit. Nec abstinuit consuetudine, quin tunc quoq; * instans in medio triclinio, ad stante lictore, singulos valere dicentes appellaret.

73 INTERIM cum in actis Senatus legisset, dimissos ac ne auditos quidẽ quosdam reos, de quibus strictim, & nihil aliud quam nominatos ab indice scripserat: pro contemto se habitum fremens, repetere Capreas quoquo modo destinauit, non temere quidquam, nisi ex tuto ausurus. Sed & tempestatibus, & ingrauescente vi morbi retentus, paullo post obiit in villa *Luculliana, octauo & septuagesimo ætatis anno, tertio & vigesimo Imperii, decimo septimo Kalend. Aprilis, Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigro Coss. Sunt qui putent venenum ei a Caio datum lentum atq; tabificum. Alii in remissione fortuitæ febris cibum desideranti negatum: non nulli puluinum iniectum, cum extractum sibi deficienti anulum mox resipiscens requisisset. Seneca eum scribit, intellecta defectione, exemtum anulum, quasi alicui tradíturum, parumper tenuisse [illegible] aptasse digito, & compressa sinistra manu iacuisse diu immobilem, subito [q;] vocatis ministris, ac nemine respondente, consurrexisse, nec procul a lectulo deficientibus viribus concidisse.

74 SVPREMO natali suo Apollinem* Temenitem, & amplitudinis, & artis eximiæ, aduectum Syracusis, vt in bibliotheca noui templi poneretur, viderat per quietem affirmantem sibi, non posse se ab ipso dedicari. Et ante paucos quam obiret, dies, turris Phari terræ motu Capreis concidit. Ac Miseni cinis e fauilla & carbonibus, ad calefaciendum triclinium* illatus, extinctus, & iam diu frigidus, exarsit repente prima vespera, atque in multam noctem pertinaciter* luxit.

75 MORTE eius ita lætatus est populus, vt ad primum nuntium discurrentes, pars Tiberium in Tiberim [trahi] clamitarent: pars Terram matrem, Deosque Manes orarent, ne mortuo sedem vllam nisi inter impios darent: alii vncum & gemonias cadaueri minarentur; exacerbati super memoriam pristinæ crudelitatis, etiam recenti atrocitate. Nam cum* Senatus consultum actum esset, vt pœna damnatorum in* decimum semper diem differretur, forte accidit vt quorumdam supplicii dies is esset, quo nuntiatum de Tiberio erat. Hos implorantes hominum fidem, quia absente adhuc Caio, nemo* exstabat qui adiri interpellarique posset, custodes, ne quid aduersus constitutum facerent, strangulauerunt, abieceruntque in gemonias. Creuit igitur inuidia; quasi, etiam post mortem tyranni, sæuitia permanente. Corpus vt moueri a Miseno cœpit, conclamantibus* plerisque, Atellam potius deferendum, & in Amphitheatro semiustulandum, Romam per milites deportatum est, crematumque publico funere.

76 TESTAMENTVM duplex ante biennium fecerat: alterum sua, alterum liberti manu, sed eodem exemplo: obsignaueratque etiam humillimorum signis. Eo testamento heredes æquis partibus reliquit, Caium ex Germanico, & Tiberium ex Druso nepotes: substituitque inuicem. Dedit & legata plerisque: inter quos virginibus Vestalibus,* ac militibus vniuersis, plebique Romanæ viritim, atque etiam separatim vicorum magistris.

C. SVETONII TRANQVILLI C. CÆSAR

CALIGVLA IV.

1 GERMANICVS C. Cæsaris pater, Drusi & iunioris Antoniæ filius, a Tiberio patruo adoptatus, Quæsturam quinquennio antequam per leges liceret; & post eam, Consulatum statim gessit. Missusque ad exercitum in Germaniam, excessu Augusti nuntiato, legiones vniuersas Imperatorem Tiberium pertinacissime recusantes, & sibi summam reipubl. deferentes, incertum* constantia an pietate maiore, compescuit: atque hoste mox deuicto, triumphauit. Consul deinde iterum creatus, ac prius quam honorem iniret, ad componendum Orientis statum expulsus, cum Armeniæ regem deuicisset, Cappadociam in prouinciæ formam redegisset, annum ætatis agens quartum & trigesimum,* diutino morbo Antiochiæ obiit, non sine veneni suspicione. Nam præter liuores, qui toto corpore erant; & spumas, quæ per os fluebant, cremati quoque cor inter ossa incorruptum repertum est: cuius ea natura existimatur, vt tinctum veneno, igne confici nequeat.

2 OBIIT autem, vt opinio fuit, fraude Tiberii; ministerio & opera Cn. Pisonis. qui sub idem tempus Syriæ præpositus, nec dissimulans offendendum sibi aut patrem aut filium, quasi plane ita necesse esset, etiam ægrũ Germanicum grauissimis verborum ac rerum acerbitatibus, nullo adhibito modo, affecit: propter* quæ, vt Romam rediit, pæne discerptus a populo, [&] a Senatu capitis damnatus est.

3 OMNES Germanico corporis animique virtutes, & quantas nemini cuiquam contigisse satis constat: formam & fortitudinem egregiam: ingenium in vtroque eloquentiæ doctrinæque genere præcellens: beneuolentiam singularem: conciliandæq; hominum gratiæ, ac promerendi amoris mirum & efficax studium. For-

mæ ne-

mæ minus congruebat gracilitas crurum; sed ea quoque paullatim repleta assidua equi *vectatione. Post cibum hostem comminus sæpe percussit. Orauit caussas etiam triumphaleis: atque inter cetera studiorum monumenta reliquit & comœdias Græcas. Domi forisque ciuilis: libera ac fœderata opida sine lictoribus adibat. Sicubi clarorum virorum sepulcra cognosceret, inferias Manibus dabat. Cæsorum clade Variana veteres ac dispersas reliquias vno tumulo humaturus, colligere sua manu, & comportare primus aggressus est. Obtrectatoribus etiam, qualescumq; & quantacumque de caussa nactus esset, lenis adeo & innoxius, vt Pisoni decreta sua rescindenti, clientelas* diu vexanti, non prius succensere in animum induxerit, quam veneficiis quoque & deuotionibus impugnari se comperisset: ac ne tunc quidem vltra progressus, quam vt & amicitiam ei more maiorum renuntiaret, mandaretque domesticis vltionem, si quid sibi accideret.

4 QVARVM virtutum fructum vberrimum tulit, sic probatus & dilectus a suis, vt Augustus (omitto enim necessitudines reliquas) diu cunctatus an sibi successorē destinaret, adoptandum Tiberio dederit. Sic vulgo fauorabilis, vt plurimi tradant, quoties aliquo adueniret, vel sicunde discederet, præ turba occurrentium prosequētiumue non numquā eum discrimen vitæ adisse. *e Germania vero, post compressam seditionem, reuertenti, prætorianas cohortes vniuersas prodisse obuiam, quamuis pronuntiatum esset, vt duæ tantummodo exirent: *Populi autem Romani sexum, ætatem, ordinem omnem, vsque ad vicesimum lapidem effudisse se.

5 TAMEN longe maiora & firmiora de eo iudicia in morte ac post mortem exstitere. Quo defunctus est die, lapidata sunt templa, subuersæ deûm aræ. Lares a quibusdam familiares in publicum abiecti, partus coniugum expositi. Quin & barbaros ferunt, quibus intestinum, quibusque aduersus nos bellum esset, velut in domestico communique mærore, consensisse ad indutias: Regulos quosdam barbam posuisse, & vxorum capita rasisse; ad indicium maximi luctus: Regum etiam regem & exercitatione venandi, & conuictu megistanum abstinuisse: quod apud Parthos iustitii instar est.

6 ROMÆ equidem, cum ad primam famam valetudinis attonita & mæsta ciuitas sequentes nuntios opperiretur: & repente iam vesperi incertis auctoribus conualuisse tamdem percrebuisset: passim cum luminibus & victimis in Capitolium concursum est, ac pæne reuulsæ templi fores, ne quid gestientes vota reddere * moraretur. Expergefactus e somno Tiberius est gratulantium vocibus, atque vndiq; concinentium, *Salua Roma, Salua patria; saluus est Germanicus* Et vt demum fato functū palam factum est, non solatiis vllis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit: durauitque etiam per festos Decembris mensis dies. Auxit gloriam desideriumq; defuncti *etiam atrocitas insequentium temporum; cunctis nec temere opinantibus, reuerentia eius ac metu repressam Tiberii sæuitiam, quæ mox eruperit.

7 HABVIT in matrimonio Agrippinam, M. Agrippæ & Iuliæ filiam; & ex ea nouem liberos tulit: quorum duo infantes adhuc rapti, vnus iam puerascens, insigni festiuitate; cuius effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Liuia dedicauit, Augustus in cubiculo suo positam, quotiescumque introiret, exosculabatur. Ceteri superstites patri fuerunt: tres, sexus feminini, Agrippina, Drusilla, Liuilla, continuo triennio natæ; totidem mares, Nero, & Drusus, & C. Cæsar. Neronem & Drusum Senatus, Tiberio criminante, hostes iudicauit.

8 C. Cæsar natus est pridie Kal. Septemb patre suo, & C. Fonteio Capitone COSS. Vbi natus sit, incertū diuersitas tradentiū facit. Cn. Lentulus Gætulicus, Tiburi genitum scribit: Plinius secundus in Treueris vico* Ambiatino supra Confluentes: addit etiā pro argumento* aras ibi ostendi inscriptas, OB AGRIPPINÆ PVERPERIVM. Versiculi, imperante mox eo diuulgati, apud* hibernas legiones procreatum indicant: *In castris natus, patriis nutritus in armis: Iam designati principis omen erat.* Ego in Actis Antii ipsum inuenio editum. Gætulicum refellit Plinius, quasi mentitum per adulationē, vt ad laudes iuuenis, gloriosiq; principis, aliquid etiam ex vrbe Herculi sacra sumeret: abusumq; audētius, mēdacio quod ante annu fere natus Germanico filius Tiburi fuerat, appellatus & ipse C. Cæsar: de cuius amabili pueritia,

immaturoque obitu supra diximus. Plinium arguit ratio temporum. Nam qui res Augusti memoriæ mandarunt, Germanicum exacto Consulatu in Galliam missum consentiunt, iam nato Caio. Nec Plinii opinionem inscriptio aræ quidquam adiuuerit; cum Agrippina bis in ea regione filias enixa sit; & qualiscumque partus, sine vllo sexus discrimine, *puerperium* vocetur: quod antiqui etiam puellas *pueras*, sicut & *pueros* puellos dictitarent. Exstat & Augusti epistola ante paucos, quam *obiret, menses, ad Agrippinam neptem ita scripta* de Caio hoc (neque enim quisquam iam alius infans nomine pari tunc superetat) *Puerum Caium* XV *Kal. Iunij, si Dî volent, vt ducerent Talarius & *Asellius, heri cum his constitui. Mitto præterea cum eo ex seruis meis medicum: quem scripsi Germanico, si vellet, vt retineret. Valebis mea Agrippina; & dabis operam vt valens peruenias ad Germanicum tuum.* Abunde arbitror *patere, non potuisse ibi nasci Caium, quo prope bimulus demum perductus ab vrbe sit. Versiculorum quoque fidem eadem hæc eleuant: & eo facilius, quod [hi] sine auctore sunt. Sequenda igitur est, quæ sola Actorum restat, & publici instrumenti auctoritas: præsertim cum Caius Antium, omnibus semper locis atque secessibus prælatum, non aliter quam natale solum dilexerit; tradaturque etiam sedem ac domicilium imperii, tædio vrbis, transferre eo destinasse.

9 CALIGVLÆ cognomen castrensi *ioco traxit; quia manipulario habitu inter milites educabatur. apud quos quantum præterea per hanc nutrimentorum consuetudinem amore & gratia valuerit, maxime cognitum est: cum post excessum Augusti, tumultuantes, & in furorem vsque præcipites, solus haud dubie conspectu suo flexit. Non enim prius destiterunt, quam *ablegari eum ob seditionis periculũ, & in proximam ciuitatem demandari animaduertissent. Tunc demum ad pœnitentiam versi, *represso ac retento vehiculo, inuidiam, quæ sibi fieret, deprecati sunt.

10 COMITATVS est patrem *& in Syriaca expeditione. Vnde reuersus, primum in matris; deinde ea relegata, in Liuiæ Augustæ proauiæ suæ contubernio mansit: quam defunctam, prætextatus etiam tum, pro Rostris laudauit. transiitque ad Antoniam auiam: & *inde vicesimo ætatis anno accitus Capreas a Tiberio, vno atque eodem die togam sumsit, barbamque posuit; sine vllo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum eius. Hic omnibus insidiis tentatus elicientium cogentiumque se ad querelas, nullam vmquã occasionem dedit, perinde obliterato suorum casu, ac si nihil cuiquam accidisset: quæ vero ipse pateretur, incredibili dissimulatione *transmittens. Tantique in auum, & *qui iuxta erant, obsequii, vt non immerito sit dictum; Nec seruum meliorem vllum, nec deteriorem dominum fuisse.

11 NATVRAM tamen sæuam atque probrosam, ne tunc quidem inhibere poterat; quin & animaduersionibus, pœnisque ad supplicium datorum, cupidissime *interesset: & ganeas atque adulteria, *capillamento celatus, & veste longa, noctibus ambiret: ac scenicas saltandi canendique artes studiosissime appeteret: facile id sane Tiberio patiente, si per has mansuefieri posset ferum eius ingenium. quod sagacissimus senex ita prorsus perspexerat, vt aliquoties prædicaret, exitio suo omniumque, Caium viuere. & se natricem (serpentis id genus) populo Romano, Phaethontem orbi terrarum educare.

12 NON ita multo post Iuniam Claudillam, M. Silani nobilissimi viri filiam, duxit vxorem. Deinde *augur in locum fratris sui Drusi destinatus, prius quam inauguraretur, ad Pontificatum traductus est; insigni testimonio pietatis atque indolis: cum deserta desolataq; reliquis subsidiis aula, *Seiano vero tunc suspecto, mox & oppresso, ad spem successionis paullatim admoueretur. Quam quo magis confirmaret, amissa Iunia ex partu, *Enniam Næuiam Macronis vxorem, qui tum prætorianis cohortibus præerat, sollicitauit ad stuprum; pollicitus & matrimonium suum, si potitus Imperio fuisset: deque ea re & iureiurando & chirographo cauit. Per hanc insinuatus Macroni, veneno Tiberium aggressus est, vt quidam opinantur: spirantique adhuc, detrahi annulum, &, quoniam suspicionem retinentis dabat, puluinum iussit inici: atque etiam fauces manu sua *oppressit. liberto, qui ob atrocitatem facinoris exclamauerat, confestim in crucem acto. Nec abhorret a veritate; cum sint quidam auctores, ipsum postea, etsi non de *perfecto, at certe de cogitato

quondam

quondam parricidio professum. Gloriatum* enim esse assidue, in commemoranda sua pietate, ad vlciscendam necem matris & fratrum, introisse se cum pugione cubiculum Tiberii dormientis* & misericordia correptum, abiecto ferro recessisse: nec *illum, quamquam sensisset, aut inquirere quidquam aut exsequi ausum.

SIC Imperium adeptus, populum R. *vel, vt ita dicam, hominum genus, voti 13
compotem fecit; exoptatissimus princeps* maximæ parti prouincialium, ac militum, *quod infantem plerique cognouerant: sed & vniuersæ plebi vrbanæ, ob memoriam Germanici patris, miserationemque prope afflictæ domus. Itaque vt a Miseno mouit, quamuis lugentis habitu, & funus Tiberii prosequens: tamen inter altaria & victimas, ardenteisque tædas, densissimo & *lætissimo obuiorum agmine incessit, super fausta* nomina, *sidus*, & *pullum*, & *puppum*, & *alumnum* appellantium.

INGRESSO[QVE] vrbem, statim consensu Senatus, & irrumpentis in Curiam 14
turbæ, irrita Tiberii voluntate, qui testamento alterum nepotem suum, prætextatum adhuc, coheredem ei dederat, ius arbitriumque omnium rerum illi permissum est: tanta publica lætitia, vt tribus proximis mensibus, ac ne totis quidem, supra centum LX millia victimarum cæsa tradantur. Cum deinde paucos post dies in proximas Campaniæ insulas traiecisset, vota pro reditu suscepta sunt: ne minimam quidem occasionem quoquam omittente in testificanda sollicitudine & cura de incolumitate eius. Vt vero in aduersam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa Palatium, non defuerunt qui depugnaturos se armis pro salute ægri, quique capita sua titulo proposito vouerent. Accessit ad immensum ciuium amorem notabilis etiam externorum fauor. Namque Artabanus Parthorum rex, odium semper contemtumq; Tiberii præ se ferens, amicitiam eius vltro petiit: venitque ad colloquium legati consularis: & transgressus Euphratem, aquilas & signa Romana, Cæsarumque imagines adorauit.

INCENDEBAT & ipse studia hominum omni genere popularitatis. Tiberio 15
cum plurimis lacrymis pro concione laudato, funeratoque amplissime, confestim *Pandateriam, & Pontias, ad transferendos matris fratrisque cineres festinauit, tempestate turbida, quo magis pietas emineret: aditque venerabundus, ac per semet in vrnas condidit. Nec minore* scena Ostiam, præfixo in biremis puppe vexillo, & inde Romam Tiberi subuectos, per splendidissimũ quemq; equestris ordinis, medio ac *frequenti die, duobus * ferculis Mausoleo intulit. Inferiasque his annua religione publice instituit: & eo amplius matri Circenses, carpentumque quo in pompa traduceretur. At in memoriam patris, Septembrem mensem *Germanicum* appellauit. Post hæc, Antoniæ auiæ, quidquid vmquam Liuia Augusta honorum cepisset, vno Senatus cons. congessit. Patruum Claudium equitem R. ad id tempus collegam sibi in Consulatu assumsit. Fratrem Tiberium die virilis togæ adoptauit, appellauitque principem iuuentutis. De sororibus auctor fuit, *vt omnibus sacramentis adiiceretur; *Neque me liberosque meos cariores habeo, quam Caium & sorores eius.* Item relationibus Consulum; *Quod bonum felixque sit C. Cæsari, sororibusque eius.* Pari popularitate damnatos relegatosque restituit: criminumque, si qua residua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit. Commentarios ad matris fratrumque suorum caussas pertinentes, ne cui postmodum delatori aut testi maneret vllus metus* conuectos in forum, & ante clare obtestatus Deos, neque legisse neque attigisse quidquam, concremauit. Libellum de salute sua oblatum non recepit, contendens nihil sibi admissum, cur cuiquam inuisus esset: negauit[que] se delatoribus aures habere.

*SPINTRIAS monstruosarum libidinum ægre, ne profundo mergeret, exora- 16
tus, vrbe submouit. Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Seueri scripta Senatusconsultis abolita, requiri, & esse in manibus, lectitarique permisit: quando maxime *sua interesset, vt facta quæque posteris tradantur. Rationes Imperii, ab Augusto proponi [illegible]as, sed a T[illegible]s, publicauit. Magistratibus liberam iurisdictionem, & sine sui appellatione, concessit. Equites Romanos seuere curioseque, nec sine moderatione recognouit; palam adempto equo, quibus aut probri aliquid, aut ignominiæ *inesset, eorum [illegible] culpa tenerentur, nominibus modo in reci-

tatione præteritis. Vt leuior labor iudicantibus foret, ad quatuor priores, quinctam decuriam addidit. Tentauit & comitiorum more reuocato, *suffragia populo reddere. Legata ex testamento Tiberii, quamquam abolito; sed & *Liuiæ Augustæ, quod Tiberius suppresserat, cum fide, ac sine calumnia repræsentata persoluit. *Ducentesimam auctionum Italiæ remisit. Multis incendiorum damna suppleuit: ac si quibus regna restituit, *adiecit & fructum omnem vectigaliorum & *redituum medii temporis, vt Antiocho Comageno *H S. millies confiscatum. Quoque magis nullius non boni exempli fautor videretur, mulieri libertinæ *octingenta donauit, quod excruciata grauissimis tormentis, de scelere patroni reticuisset. Quas ob res inter reliquos honores decretus est ei clypeus aureus: quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, Senatu prosequente; nobilibusque pueris ac puellis, carmine modulato, laudes virtutum eius canentibus. Decretum autem vt dies, quo cepisset Imperium, **Palilia* vocaretur, velut argumentum rursus conditæ vrbis.

17 CONSVLATVS quatuor gessit: primum, ex *Kalend. Ianuariis per duos menses: secundum, ex Kalend. Ianuariis per triginta dies: tertium, vsque in Idus Ianuarii: quartum, vsque in VII Idus easdem. Ex omnibus duos nouissimos coniunxit: tertium autem Lugduni iniit solus: non (vt quidam opinantur) superbia negligentiaue, sed quod defunctum sub Kalendarum diem collegam rescisse absens non poterat. Congiarium populo bis dedit trecenos H S. toties abundantissimum epulum Senatui, equestrique ordini, etiam coniugibus ac liberis vtrorumque. Posteriore epulo, forensia insuper viris, pueris ac feminis fascias purpuræ ac conchylii distribuit. Et vt lætitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adiecit diem Saturnalibus, appellauitque *Iuuenalem*.

18 MVNERA gladiatoria partim in Amphitheatro [Tauri,] partim in septis aliquot edidit: quibus inseruit cateruas Afrorum Campanorumque pugilum, ex vtraq; regione electissimorum. Neque spectaculis semper ipse præsedit: sed interdum aut Magistratibus, aut amicis præsidendi munus iniunxit. Scenicos ludos & assidue, & varii generis, multifariam fecit: *quondam etiam & nocturnos, accensis tota vrbe luminibus. Sparsit & missilia variarum rerum, & panaria cum opsonio viritim diuisit. Qua epulatione, equiti R. contra se hilarius auidiusque vescenti, partes suas misit: sed & Senatori ob eamdem caussam codicillos, quibus Prætorem eum extra ordinem designabat. Edidit & Circenses plurimos a mane vsque ad vesperam; interiecta modo *Africanarum venatione, modo Troiæ decursione: *quosdam autem præcipuos, minio & chrysocolla constrato Circo; nec vllis nisi ex senatorio ordine aurigantibus. Commisit & subitos, cum *e Gelotiana apparatum Circi prospicientem pauci ex proximis Mænianis postulassent.

19 NOVVM præterea, atq; inauditum genus spectaculi [excogitauit.] Nam Baiarum medium interuallum, & *Puteolanas moles, trium millium & sexcentorum fere passuum ponte coniunxit, contractis vndiq; onerariis nauibus, & ordine duplici ad ancoras *collocatis, superiectoque [aggere] terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontē vltro citro commeauit, biduo continenti: primo die, phalerato equo, insignisque quercica corona, & securi, [& cetra,] & gladio, aureaque chlamyde: postridie, quadrigario habitu, curriculoque biiugi famosorum equorum, præ se ferens *Darium puerum ex Parthorum obsidibus, comitante prætorianorum agmine, & in *essedis cohorte amicorum. Scio plerosque existimasse, talem a Caio pontem excogitatum æmulatione Xerxis; qui non sine admiratione aliquanto angustiorem Hellespontum contabulauerit: Alios, vt Germaniam & Britanniam, quibus imminebat, alicuius immensi operis fama territaret. Sed auum meum narrantem puer audiebam, caussam operis ab interioribus aulicis proditam, quod Thrasillus mathematicus, anxio de successore Tiberio, & in verum nepotem proniori, affirmasset, nō magis Caium imperaturum, quam per Baianum sinum [illegible] furum.

20 EDIDIT & peregre spectacula: in Sicilia Syracusis *hasticos ludos, & in Gallia Lugduni miscellos. Sed & certamen quoque Græcæ Latinæque facundiæ. quo certamine ferunt victoribus præmia [illegible] laudes componere coactos:

coactos: eos autem qui maxime displicuissent, scripta sua, spongia linguaue delere iussos; nisi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluissent.

21 OPERA sub Tiberio semiperfecta, templum Augusti, Theatrumque Pompeii absoluit. *Inchoauit autem aquæ ductum regione Tiburti, & Amphitheatrum iuxta septa: quorum operum a successore eius Claudio, alterum peractum, omissum alterum est. Syracusis collapsa vetustate mœnia, Deorumque ædes refectæ. Destinauerat & *Samii Polycratis regiam restituere, Mileti Didymeum peragere, in iugo Alpium vrbem condere; sed ante omnia Isthmum in Achaia perfodere: miseratque iam ad dimetiendum opus *primipilarem.

22 HACTENVS quasi de principe: reliqua vt de monstro narranda sunt. Compluribus cognominibus assumtis, (nam & *Pius*, & *Castrorum filius*, & *Pater exercituum*, & *opt. max. Cæsar* vocabatur) cum audiret forte reges, qui officii caussa in vrbem aduenerant, concertantes apud se super cenam de nobilitate generis, exclamauit; εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Nec multum abfuit quin statim diadema sumeret, speciemque principatus in regni formam converteret. Verum admonitus, & principum & regum se excessisse fastigium, diuinam ex eo maiestatem asserere sibi cœpit. Datoque negotio, vt simulacra Numinum, religione & arte præclara, inter quæ *Olympici Iouis, *apportarentur e Græcia; quibus capite demto suum *imponeretur: partem Palatii ad forum vsque promouit, atque æde Castoris & Pollucis in vestibulum transfigurata, consistens sæpe inter fratres deos, *medium se adorandum adeuntibus exhibebat: & quidam eum *Latialem Iouem* consalutauerunt. Templum etiam Numini suo proprium, & sacerdotes, & excogitatissimas hostias instituit. In templo simulacrum stabat aureum *iconicum: amiciebaturque quotidie veste, quali ipse vteretur. Magisteria sacerdotii ditissimus quisque, & ambitione & licitatione maxima, vicibus comparabant. Hostiæ erant phœnicopteri, pauones, *tetraones, numidicæ, meleagrides, phasianæ; quæ generatim per singulos dies immolarentur. Et noctibus quidem plenam fulgentemque Lunam inuitabat assidue in amplexus atque concubitum: interdiu vero, cum Capitolino Ioue secreto fabulabatur, modo insusurrans, ac præbens inuicem aures; modo clarius, nec sine iurgiis. Nam vox comminantis audita est; *εἰς γαῖαν Δαναῶν περάσω σε: donec exoratus, (vt referebat) & in contubernium vltro inuitatus, super templum diui Augusti ponte transmisso, Palatium Capitoliumque coniunxit. Mox, quo propior esset, in area Capitolina nouæ domus fundamenta iecit.

23 AGRIPPÆ se nepotem neque credi, neque dici, ob ignobilitatem eius, volebat: succensebatque, si qui vel oratione, vel carmine, imaginibus eum Cæsarum insererent. Prædicabat autem matrem suam ex incesto, quod Augustus cum Iulia filia commisisset, procreatam. Ac non contentus hac Augusti insectatione *Actiacas singulasque victorias, vt funestas populo R. & calamitosas, vetuit sollennibus feriis celebrari. Liuiam Augustam proauiam *Vlyssem stolatum* identidem appellans, etiam ignobilitatis quadam ad Senatum epistola arguere ausus est; quasi materno auo Decurione Fundano ortam; cum publicis monumentis certum sit, Aufidium *Lingonem Romæ honoribus functum. Auiæ Antoniæ secretum petenti denegauit, nisi vt interueniret Macro præfectus. Ac per istiusmodi indignitates & tædia, caussa exstitit mortis; dato *tamen, vt quidam putant, & veneno. Nec defunctæ vllum honorem habuit: prospexitque e triclinio ardentem rogum. Fratrem Tiberium inopinantem, repente immisso Tribuno militum, interemit. Silanum item socerum ad necem, secandasque nouacula fauces, compulit: caussatus in vtroque, quod hic ingressum se turbatius mare non esset *secutus; ac spe occupandi vrbem, si quid sibi per tempestates accideret, remansisset: ille, antidotum *oboluisset, quasi ad præcauenda venena sua sumtũ: cum & Silanus impatientiam nauseæ vitasset, & molestiam nauigandi, & Tiberius propter assiduam & ingrauescentẽ tussim medicamento vsus esset. Nam successorem Imperii Claudium patruum, nõ nisi in ludibrium reseruauit.

24 CVM omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit: plenoque conuiuio singulas *infra se vicissim collocabat, vxore supra cubante. Ex his Drusillam vitiasse virginem, prætextatus adhuc, creditur: atque etiam in concubitu eius quondam

deprehensus ab auia Antonia, apud quam simul educabantur. Mox * Lucio Cassio Longino consulati collocatam, abduxit, & in modum iustæ vxoris propalam habuit. heredem quoque bonorum atque Imperii æger instituit. Eadem defuncta, iustitium indixit: in quo risisse, lauisse, cenasse cum parentibus, aut coniuge, liberisue, capitale fuit. Ac mæroris impatiens, cum repente noctuque profugisset ab vrbe, transcurrissetque Campaniam, Syracusas petiit. Rursusque inde propere rediit, barba capilloque promisso. Nec vnquam postea, quantiscumque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, nisi per * nomen Drusillæ deierauit. Reliquas sorores, nec cupiditate tanta, nec dignatione dilexit; vt quas sæpe exoletis suis prostrauerit. quo facilius eas in caussa * Æmilii Lepidi condemnauit; quasi adulteras, & insidiarum aduersus se conscias. nec solũ chirographa omnium requisita fraude ac stupro diuulgauit; sed & tres gladios in necem suam præparatos, Marti vltori, addito elogio, consecrauit.

25 MATRIMONIA contraxerit turpius, an dimiserit, an tenuerit, non est facile discernere. * Liuiam Orestillam C. Pisoni nubentem, cum ad officium & ipse venisset, ad se deduci imperauit; intraque paucos dies repudiatam, biennio post relegauit: quod repetisse vsum prioris mariti tempore medio videbatur. Alii tradunt, adhibitum cenæ nuptiali, mandasse ad Pisonem contra accumbentem; *Noli vxorem meam premere:* statimque e conuiuio * abduxisse eam secum; & proximo die edixisse, matrimonium sibi repertum exemplo Romuli & Augusti. Lolliam Paullinam, * C. Memmio consulari, exercitus regenti nuptam, facta mentione auiæ eius, vt quondam pulcerrimæ, subito ex prouincia euocauit; ac perductam a marito, coniunxit sibi; breuique missam fecit, interdicto cuiusquam in perpetuum coitu. Cæsoniam, neque facie insigni, neque ætate integra, matremque iam ex alio viro trium filiarum; sed luxuriæ ac lasciuiæ perditæ; & ardentius & constantius amauit: vt sæpe chlamyde, peltaque, & galea * comatam, & iuxta adequitantem, militibus ostenderit; * amicis vero etiam nudam. Quam enixam, vxorio nomine dignatus est; vno atque eodem die professus, & maritum se eius, & patrem infantis ex ea natæ. Infantem autem, Iuliam Drusillam appellatam, per omnium dearum templa circumferens, Mineruæ gremio imposuit, alendamque & instituendam commendauit. Nec vllo firmiore indicio sui seminis esse credebat, quam * feritatis: quæ illi quoque tanta iam tunc erat, vt infestis digitis, ora & oculos simul ludentium infantium incesseret.

26 LEVE ac frigidum sit his addere, quo propinquos amicosque pacto tractauerit, Ptolemæum regis Iubæ filium, consobrinum suum; (erat enim & is M. Antonii ex * Selena filia nepos) & in primis ipsum Macronem, ipsam Enniam adiutores Imperii; quibus omnibus pro necessitudinis iure, proque meritorum gratia, cruenta mors persoluta est. Nihilo reuerentior leniorue erga Senatum: quosdam summis honoribus functos, ad essedum sibi * occurrere togatos per aliquot passuum millia; & cenanti, modo ad pluteum, modo ad pedes stare succinctos linteo, passus est: alios cum clam interemisset, citare nihilo minus vt viuos perseuerauit; paucos post dies voluntaria morte periisse mentitus. COSS. oblitis de natali suo edicere, abrogauit Magistratum, fuitque per triduum sine summa potestate respubl. Quæstorem suum, in coniuratione nominatum, flagellauit veste detracta, subiectaque militum pedibus, quo firme verberaturi insisterent. Simili superbia violentiaque ceteros tractauit ordines. Inquietatus fremitu gratuita in Circo loca de media nocte occupantium, omnes fustibus abegit. Elisi [que] per eum tumultum viginti amplius equites R. totidem matronæ super innumeram turbam ceteram. Scenicis ludis, inter plebem & equitem caussam discordiarum ferens, * decimas maturius dabat, vt equestria ab infimo quoque occuparentur. Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantissimo Sole velis, * emitti quemquam vetabat: remotoque ordinario apparatu, * tabidis feris vilissimos senio confectos, gladiatores quoque pegmares, patresfamiliarum notos, sed insignes debilitate aliqua corporis, subiiciebat. Ac non numquam horreis præclusis, [populo] famem indixit.

SÆVITIAM

SÆVITIAM *ingenii per hæc maxime ostendit. Cum ad saginam ferarum mu- 27
neri præparatarum, carius pecudes compararentur, ex noxiis laniandos adnotauit: & custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto * elogio, stans tantummodo intra porticum mediam, * a caluo ad caluum duci imperauit. Votum exegit ab eo qui pro salute sua gladiatoriam operam promiserat: spectauitque ferro dimicantem: nec dimisit nisi victorem, & post multas preces. Alterum, qui se periturum ea de caussa vouerat, cunctantem, pueris tradidit * verbenatum infulatumque; qui votum reposcentes, per vicos agerent, quoad præcipitaretur ex aggere. Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla & munitiones viarum, aut ad bestias condemnauit, aut bestiarum more quadrupedes cauea coercuit, aut medios serra dissecuit. Nec omnes grauibus ex caussis, verum male de munere suo opinatos, vel quod numquam per Genium suum deierassent. Parentes, supplicio filiorum interesse cogebat. Quorum vni valetudinem excusanti, lecticã misit: alium e spectaculo pœnæ, epulis statim [adhibuit,] atque omni comitate ad hilaritatem & iocos prouocauit. Curatorem munerum ac venationum, per continuos dies in conspectu suo * catenis verberatum, non prius occidit, quam offensus putrefacti cerebri odore. Atellanæ poetam, ob ambigui ioci versiculum, media Amphitheatri arena igni cremauit. Equitem R. obiectum feris, cum se innocentem proclamasset, reduxit: * abscissaque lingua, rursus induxit.

REVOCATVM quemdam a vetere exsilio sciscitatus, quidnam ibi facere con- 28
suesset, respondente eo per adulationem; *Deos semper oraui, vt, quod euenit, periret Tiberius, & tu imperares*: opinans sibi quoque exsules suos mortem imprecari, misit circum insulas qui vniuersos * contrucidarent. Cum discerpi Senatorem concupisset, subornauit qui ingredientem Curiam, repente hostem publicum appellantes, inuaderent; graphiisque confossum, lacerandum ceteris traderent. Nec ante satiatus est, quã membra, & artus, & viscera hominis tracta per vicos, atq; ante se cõgesta vidisset.

IMMANISSIMA facta augebat atrocitate verborum. Nihil magis in natura 29
sua laudare se ac probare dicebat, quam (vt ipsius verbo vtar) * ἀδιατρεψίαν. Monenti Antoniæ auiæ, tamquam parum esset non obedire; *Memento*, ait, * *omnia mihi, & in omnes licere.* Trucidaturus fratrem, quem metu venenorum præmuniri medicamentis suspicabatur; *Antidotum*, inquit, *aduersus Cæsarem?* Relegatis sororibus, non solum insulas habere se, sed etiam gladios minabatur. Prætorium virum ex secessu Anticyræ, quam valetudinis caussa petierat, propagari sibi commeatum sæpius desiderantem, cum mandasset interimi; adiecit, necessariam esse sanguinis missionem, cui tam diu non * prodesset elleborum. Decimo quoque die, numerũ puniendorum ex custodia subscribens, * rationem se purgare dicebat. Gallis Græcisque aliquot vno tempore condemnatis, gloriabatur Gallogræciam sese subegisse.

NON temere in quemquam, nisi crebris & minutis ictibus animaduerti passus est: 30
perpetuo notoque iam præcepto; * *Ita feri, vt se mori sentiat.* Punito per errorem nominis alio, quam quem destinauerat, ipsum quoque paria meruisse dixit. Tragicum illud subinde iactabat, *Oderint, dum metuant.* Sæpe in cunctos pariter Senatores, vt Seiani clientes, aut matris ac fratrum suorum delatores, inuectus est, prolatis libellis quos crematos simulauerat, defensaque Tiberii sæuitia, quasi necessaria, cum tot criminantibus credendum esset. Equestrem ordinem, vt scenæ arenæque deuotum, assidue proscidit. Infensus turbæ fauenti aduersus studium suum exclamauit; *Vtinam populus R. vnam ceruicem haberet.* * Cumque Tetrinius latro postularetur; & qui postularent, Tetrinios esse ait. Retiarii tunicati, quinque numero, gregatim dimicantes, sine certamine vllo totidem secutoribus succubuerant: cũm occidi iuberentur, vnus resumta fuscina, omnes victores interemit. Hanc vt crudelissimam cædem & defleuit edicto; & eos qui spectare sustinuissent, exsecratus est.

QVERI etiam palam de conditione temporum suorum solebat; quod nullis ca- 31
lamitatibus publicis insignirentur. Augusti * principatum, clade Variana; Tiberii, ruina * spectaculorum apud Fidenas, memorabilem factum: sui obliuionem immi-

nere prosperitate rerum. Atque identidem exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat.

32 ANIMVM quoque remittenti, ludoque & epulis dedito, eadem dictorum factorumque sæuitia aderat. Sæpe in conspectu prandentis vel comissantis, seriæ quæstiones per tormenta habebantur. Miles decollandi artifex, quibuscumque e custodia capita amputabat. Puteolis dedicatione pontis, quem excogitatum ab eo significauimus, cum multos e litore inuitasset ad se, *repente omnes præcipitauit. Quosdam gubernacula apprehendenteis, contis remisque *detrusit in mare. Romæ publico epulo seruum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confestim tradidit, vt manibus *abscissis, atque ante pectus *a collo pendentibus, præcedente titulo, qui caussam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur. *Myrmillonem e ludo *rudibus secum batuentem, & sponte postratum, confodit ferrea sica, ac more victorum cum palma discurrit. Admota altaribus victima, succinctus *poparum habitu, elato alte malleo, cultrarium mactauit. Lautiore conuiuio effusus subito in cachinnos, COSS. qui iuxta cubabant, quidnam rideret, blande quærentibus: *Quid*, inquit, *nisi vno meo nutu iugulari vtrumque vestrum statim posse?*

33 INTER varios iocos, cum assistens simulacro Iouis, Apellem tragœdum consuluisset, vter illi maior videretur, cunctantem flagellis discidit: collaudans subinde vocem deprecantis, quasi etiam in gemitu prædulcem. Quoties vxoris vel amiculę collum exoscularetur, addebat; *Tam bona ceruix, simulac iussero, demetur.* Quin & subinde iactabat, exquisiturum *se vel fidiculis de Cæsonia sua, *cur eam tantopere diligeret.

34 NEC minore liuore ac malignitate, quam superbia sæuitiaque, pæne aduersus *omnis æui homines grassatus est. Statuas virorum illustrium, ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Martium campum *collatas, ita subuertit atque disiecit, vt restitui *saluis titulis non *valuerint. Vetuitque post hac, viuentium cuiquam vsquam statuam, aut imaginem nisi *consulto se & auctore, poni. Cogitauit etiam de Homeri carminibus abolendis. Cur enim sibi non licere, dicens, quod Platoni licuisset; qui eum e ciuitate, quam constituebat, eiecerit. Sed & Virgilii & Titi Liuii scripta & imagines, paulum abfuit quin ex omnibus bibliothecis amoueret: quorum alterum, vt nullius ingenii, minimæque doctrinæ: alterum, vt verbosum in historia, negligentemque carpebat. De iuris quoque consultis, quasi scientiæ eorum omnem vsum aboliturus, sæpe iactauit, *se, me hercle, effecturum ne quid respondere *possit præter *æquum.

35 VETERA familiarum insignia nobilissimo cuique ademit: Torquato torquem; Cincinnato crinem; Cn. Pompeio stirpis antiquæ, Magni *cognomen. Ptolemæum, de quo retuli, & accersitum e regno, & exceptum honorifice, non alia de caussa repente percussit, quam quod edente se munus, ingressum spectacula, conuertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animaduertit. Pulcros, & comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat. Erat *Esius Proculus patre primipilari, ob egregiam corporis amplitudinem & speciem *colosseros* dictus. Hunc e spectaculis detractum repente & in arenam deductum, *Thraci, & mox hoplomacho comparauit: bisque victorem, constringi sine mora iussit: & pannis obsitum, vicatim circumduci, ac mulieribus ostendi, deinde iugulari. Nullus denique tam abiectæ conditionis, tamque extremæ sortis fuit, cuius non commodis obtrectaret. *Nemorensi regi, quod multos iam annos potiretur sacerdotio, validiorem aduersarium subornauit. Cum quodam die muneris, essedario *Porio, ob prosperam pugnam seruum suum manumittenti, studiosius plausum esset, ita se proripuit e spectaculis, vt calcata lacinia togæ, præceps per gradus iret indignabundus, & clamitans; dominum gentium populum ex re leuissima plus honoris gladiatori tribuentem, quam consecratis principibus, aut præsenti sibi.

36 PVDICITIÆ neque suæ, neque alienæ pepercit. M. Lepidum, *Mnesterem pantomimum, quosdam obsides dilexisse fertur, commercio mutui stupri. Valerius *Catulus, consulari familia iuuenis, stupratum a se, ac latera sibi contubernio eius defessa, etiam vociferatus est. Super sororum incesta, & notissimum prosti-

tatæ Pyrallidis amorem, non temere vlla illuſtriore femina abſtinuit: quas plerumque cum maritis ad cenam vocatis, præterque pedes ſuos tranſeuntes, diligenter ac lente, mercantium more conſiderabat; etiam faciem manu alleuans, ſi quæ pudore ſubmitterent. Quoties deinde libuiſſet, egreſſus triclinio, cum maxime placitam ſeuocaſſet, paullo poſt recentibus adhuc laſciuiæ notis, reuerſus vel laudabat palam, vel vituperabat; ſingula *numerans bona malaue corporis atque concubitus. Quibuſdam, abſentium maritorum nomine, repudium ipſe miſit, iuſſitque in acta referri.

37 *NEPOTINIS ſumtibus omnium prodigorum ingenia ſuperauit: commentus nouum balnearum vſum, portentoſiſſima genera ciborum atque cenarum: vt calidis frigidisque vnguentis lauaretur: pretioſiſſimas margaritas aceto liquefactas ſorberet: conuiuiis ex auro panes & opſonia apponeret: *Aut frugi hominem eſſe oportere* dictitans, *aut Cæſarem.* Quin & nummos non mediocris ſummæ, e faſtigio baſilicæ Iuliæ per aliquot dies ſparſit in plebem. Fabricauit & * δεκήρεις Liburnicas, gemmatis puppibus, verſicoloribus velis; magna thermarum, & porticuum, & tricliniorum laxitate; magnaque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate: quibus diſcumbens * de die inter * choros ac ſymphonias, litora Campaniæ peragraret. In exſtructionibus prætoriorum atque villarum omni ratione poſthabita, nihil tam efficere concupiſcebat, quam quod poſſe effici negaretur. Et iactæ itaque moles infeſto ac profundo mari, exciſæ rupes duriſſimi ſilicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata foſſuris montium iuga, incredibili quidem celeritate, cum moræ culpa capite lueretur. Ac ne ſingula enumerem, immenſas opes, totumque illud Tiberii Cæſaris, vicies ac ſepties millies LL S. non toto vertente anno abſumſit.

38 EXHAVSTVS igitur atque egens, ad rapinas conuertit animum, vario & exquiſitiſſimo calumniarum, & auctionum, & vectigalium genere. Negabat iure ciuitatem Romanam vſurpare eos, quorum maiores ſibi poſteriſque eam impetraſſent, niſi filii eſſent. Neque enim intelligi debere poſteros vltra hunc gradum. Prolataque diuorum Iulii & Auguſti diplomata, vt vetera & obſoleta * deflebat. Arguebat & perperam editos * cenſus, quibus poſtea quacumque de cauſſa quidquam incrementi acceſſiſſet. * Teſtamenta Primipilarium, qui ab initio principatus Tiberii, neque illum neque ſe heredem reliquiſſent, vt ingrata reſcidit. Item ceterorum, vt irrita & vana, * quoſcumque quis diceret herede Cæſare mori deſtinaſſe. Quo metu iniecto, cum iam & ab ignotis inter familiares, & a parentibus inter liberos palam heres nuncuparetur, deriſores vocabat; quod poſt nuncupationem viuere perſeuerarent: & multis venenatas * matteas miſit. Cognoſcebat autem de talibus cauſſis, taxato prius modo ſummæ, ad * quem conficiendum conſideret: confecto demum excitabatur. Ac ne paullulum quidem moræ patiens, ſuper XL reos quondam ex diuerſis criminibus vna ſententia condemnauit: gloriatusque eſt * expergefactæ ſomno Cæſoniæ, quantum egiſſet dum ea meridiaret. Auctione propoſita, reliquias omnium ſpectaculorum ſubiecit, & venditauit; exquirens per ſe pretia, & vſque eo extendens, vt quidam immenſo coacti quædam emere, ac bonis exuti, venas ſibi inciderent. Nota res eſt, Aponio Saturnino inter ſubſellia dormitante, monitum a Caio præconem, ne prætorium virum, crebro capitis motu nutantem ſibi, præteriret: nec licendi finem factum, quoad XIII gladiatores LL S. nonagies ignoranti addicerentur.

39 IN Gallia quoque, cum damnatarum ſororum ornamenta, & ſupellectilem, & ſeruos, atque etiam liberos, immenſis pretiis vendidiſſet: inuitatus lucro, quidquid inſtrumenti veteris aulæ erat, ab vrbe repetiit: comprehenſis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis, & piſtrinenſibus iumentis: adeo, vt & panis Romæ ſæpe deficeret, & litigatorum plerique, quod occurrere abſentes ad vadimonium non poſſent, cauſſa caderent. Cui inſtrumento diſtrahendo nihil non fraudis ac lenocinii adhibuit, modo auaritiæ ſingulos increpans, & quod nõ puderet eos locupletiores eſſe, quam ſe: modo pœnitentiam ſimulans, quod principalium rerum priuatis copiam faceret. Compererat prouincialem locupletem ducenta LL S. numeraſſe vocatoribus, vt per fallaciam cõuiuio interponeretur, nec tulerat moleſte tam magno æſtimari honorẽ cenæ ſuæ. Huic poſtero die ſedenti in auctione, miſit qui

nescio quid friuoli ducentis millibus traderet; diceretque cenaturum apud Cæsarem, vocatu ipsius.

40 VECTIGALIA noua atque inaudita primum per publicanos, deinde, quia lucrum exuberabat, per Centuriones Tribunosque prætorianos exercuit; nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. Pro eduliis, quæ tota vrbe venirent, certum *statumque exigebatur. Pro litibus atque iudiciis vbicumque conceptis, quadragesima summæ, de qua litigaretur: nec sine pœna, si quis composuisse vel donasse negotium conuinceretur. Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octaua; ex capturis prostitutarum, quantum quæque vno concubitu mereret. Additumque ad caput legis, vt tenerentur publico, & quæ meretricium, *quæue lenocinium fecissent: nec non & matrimonia obnoxia essent.

41 *HVIVSMODI vectigalibus indictis, neque propositis, cum per ignorantiam scripturæ multa commissa fierent, tandem flagitante *populo R. proposuit quidem legem: sed & minutissimis litteris, & angustissimo loco; vti ne cui describere liceret. Ac ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in Palatio constituit· *distinctisque & instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronæ ingenuique starent, misit circum fora & basilicas nomenclatores, ad inuitandos *in libidinem iuuenes senesque: præbita aduenientibus *pecunia fenebris, appositique qui nomina palam subnotarent, quasi adiuuantium Cæsaris reditus. Ac ne ex lusu quidem aleæ compendium spernens, plus mendacio, atque etiam periurio lucrabatur. Et quondam proximo collusori demandata vice sua, progressus in atrium domus, cum prætereuntes duos equites R. locupletes sine mora corripi confiscarique iussisset; exsultans rediit, glorians que numquam se prosperiore alea vsum.

42 FILIA vero nata, paupertatem, *nec iam Imperatoria modo, sed & patria conquerens oneta, collationes in alimoniam atque dotem puellæ recepit. Edixit & strenas ineunte anno se recepturum: stetitque in vestibulo ædium *Kal. Ianuariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu, omnis generis turba fundebat. Nouissime contrectandæ pecuniæ cupidine incensus, [sæpe] super immensos aureorum aceruos patentissimo diffusos loco, & nudis pedibus spatiatus, & toto corpore aliquamdiu volutatus est.

43 MILITIAM resque bellicas semel attigit, neque ex destinato, sed cum ad visendum nemus flumenque *Clitumni, Meuaniam processisset· admonitus de supplendo numero Batauorum, quos circa se habebat, expeditionis Germanicæ *impetum cepit· neque distulit, sed legionibus & auxiliis vndique excitis, *delectibus *vndique acerbissime actis, contracto & omnis generis commeatu, *quantum numquam ante, iter ingressus est: confecitque modo tam festinanter & rapide, vt prætorianæ cohortes contra morem signa iumentis imponere, & ita subsequi cogerentur: interdum adeo segniter & delicate, vt *octophoro veheretur, atque a propinquarum vrbium plebe verri sibi vias & conspergi propter puluerem exigeret.

44 POSTQVAM castra attigit, vt se acrem & seuerum ducem ostenderet, legatos, qui auxilia serius ex diuersis locis adduxerant, cum ignominia dimisit. At in exercitu recensendo, plerisque Centurionum maturis iam, & non nullis ante paucissimos quam consummaturi essent dies, primos pilos ademit; caussatus senium cuiusque & imbecillitatem: ceterorum increpita cupiditate, commoda emeritæ militiæ ad *sexcentorum millium summam recîdit. Nihil autem amplius, quam *Adminio Cinobellini Britannorum regis filio, qui pulsus a patre, cum exigua manu transfugerat, in deditionem recepto: quasi vniuersa tradita insula, magnificas Romam litteras misit; *monitis sæpe latoribus, vt vehiculo ad forum vsque & Curiam pertenderent, nec nisi in æde Martis, ac frequente Senatu, COS. traderent.

45 MOX deficiente belli materia paucos de custodia Germanos traiici, occolique trans Rhenum iussit: ac sibi post prandium, quam tumultuosissime adesse hostem nuntiari. Quo facto, proripuit se cum amicis, & parte equitum prætorianorum, in proximam siluam: truncatisque *arboribus, & in modum tropæorum adornatis, *ad lumina reuersus, eorum quidem qui secuti non essent, timiditatem & ignauiam corripuit: comites autem & participes victoriæ, nouo genere ac nomine coronarum donauit;

dinauit; quas, distinctas Solis ac Lunæ, siderumque specie, exploratorias appellauit.
Rursus obsides quosdam abductos e litterario ludo, clamque præmissos, deserto re-
pente conuiuio cum equitatu insecutus, veluti profugos ac reprehensos in catenis
reduxit. in hoc quoq; * nimio præter modum intemperans. Repetita cena, renun-
tiantes coactum agmen, sicut erant, loricatos ad discumbendum adhortatus est. Mo-
nuit etiam notissimo Virgilii versu, Durarent, secundisque se rebus seruarent. Atque
inter hæc absentem Senatum populumque grauissimo obiurgauit edicto, quod Cæ-
sare prœliante, & tantis * discriminibus obiecto, * intempestiua conuiuia, Circum &
Theatra, & amœnos secessus celebrarent.

POSTREMO, quasi perpetraturus bellum, directa acie in litore Oceani, ac bal- 46
listis machinisque dispositis, nemine gnaro * ac opinante quidnam cœpturus esset, re-
pente vt conchas legerent, galeasque & sinus replerent, imperauit, spolia Oceani
vocans, Capitolio Palatioque debita. Et in indicium victoriæ altissimam turrem
excitauit, ex qua, vt [ex] Pharo, noctibus ad regendos nauium cursus, ignes emi-
carent. pronuntiatoque militi donatiuo, centenis viritim denariis, quasi omne ex-
emplum liberalitatis supergressus; *Abite*, inquit, *læti*, *abite locupletes*.

CONVERSVS hinc ad curam triumphi, præter captiuos & transfugas barbaros, 47
Galliarum quoq; procerissimum quemq;, & (vt ipse dicebat) ἀξιοθριάμβευτον, ac non nul-
los ex principibus, legit ac seposuit ad pompam: coegitq; non tantum rutilare & sub-
mittere comam, sed & sermonẽ Germanicum addiscere, & nomina barbarica ferre.
Præcepit etiam triremes, quibus introierat Oceanũ, magna ex parte itinere terrestri
Romam deuehi. Scripsit & procuratoribus, triumphũ appararent quã minima sum-
ma, sed quantus numquã alius fuisset: quando in omniũ hominũ bona ius * haberent.

PRIVSQVAM prouincia decederet, consilium iniit nefandæ atrocitatis, legio- 48
nes, quæ post excessum Augusti seditionem olim mouerant, contrucidandi, quod &
patrem suum Germanicum ducem, & se infantem tunc obsedissent. Vixque a tam
præcipiti cogitatione reuocatus, inhiberi nullo * potuit modo, quin decimare velle
perseueraret. Vocatos itaq; ad concionem inermes, atque etiam * gladus dispositis,
equitatu armato * circumsedit. Sed cum videret, suspecta re, plerosq; dilabi ad resu-
menda, si qua vis fieret, arma, * profugit concione: confestimque vrbem petiit, defle-
xa omni acerbitate in Senatum, cui * animaduertendos tantorum dedecorum ru-
mores palam minabatur; querens inter cetera, fraudatum se iusto triumpho; cum ipse
paullo ante, ne quid de honoribus suis ageretur, etiam sub mortis pœna denũtiasset.

ADITVS ergo in itinere a legatis amplissimi ordinis, vt maturaret orantibus, 49
quam maxima voce, *Veniam*, inquit, *veniam*, *& hic mecum*, capulum gladii crebro
verberans quo cinctus erat. Edixit & reuerti se, sed iis tantum qui optarent, equestri
ordini & populo. nam se neque ciuem, neque principem Senatui amplius fore. Ve-
tuit etiam quemque Senatorum sibi occurrere: atque * omisso vel dilato triumpho,
ouans vrbem natali suo ingressus est. Intraque quartum mensem periit, ingentia
facinora ausus, & aliquanto maiora moliens. Siquidem proposuerat Antium, dein-
de * Alexandriam commigrare, interemto prius vtriusque ordinis electissimo quo-
que. Quod ne cui dubium videatur, in secretis eius reperti sunt duo libelli diuer-
so titulo: alteri GLADIVS, alteri PVGIO index erat. Ambo notas & nomina con-
tinebant morti destinatorum. Inuenta & arca ingens, variorum venenorum plena:
quibus mox a Claudio demersis, infecta maria traduntur non sine piscium exitio,
quos * enectos æstus in proxima litora eiecit.

STATVRA fuit eminenti, * pallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima 50
ceruicis & crurum, & oculis & temporibus concauis, fronte lata & torua; capillo ra-
ro, ac circa verticem nullo; hirsutus cetera. quare transeunte eo, prospicere ex su-
periore parte, aut omnino quacumque de caussa capram nominare, criminosum &
* exitiale habebatur. Vultum vero natura horridum ac tetrum, etiam ex industria
* efferabat, componens ad speculum in omnem terrorem ac formidinem. Vale-
tudo ei * neque corporis, neque animi constitit. Puer comitiali morbo vexatus; in
adolescentia ita patiens laborum erat, vt tamen nõ numquam subita * defectione in-
gredi, stare, colligere semet ac sufferre vix posset. Mentis valetudinẽ & ipse senserat:

ac subinde de secessu, deque purgando cerebro cogitauit. Creditur potionatus a Cæsonia vxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit. Incitabatur* insomnio maxime. neque enim plus quam tribus nocturnis horis quiescebat: ac ne his quidem placida quiete, sed pauida miris rerum imaginibus: vt qui inter ceteras, pelagi quondam speciem colloquentem secum videre visus sit. Ideoque magna parte noctis, vigiliæ cubandique tædio, nunc toro residens, nunc per longissimas porticus vagus, inuocare identidem atque exspectare lucem consueuerat.

51 NON immerito mentis valetudini attribuerim diuersissima in eodem vitia, summam confidentiam, & contra, nimium metum. Nam qui deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua & * fulgura conniuere, caput obuoluere; ad [vero] maiora, proripere se e strato, sub lectumque condere solebat. Peregrinatione quidem Siciliensi, irrisis multorum locorum miraculis, repente a Messana noctu profugit, * Ætnæi verticis fumo ac murmure pauefactus. Aduersus barbaros quoque minacissimus, cum trans Rhenum inter angustias densumque agmen iter essedo faceret, dicente quodam, non mediocrem fore consternationem, sicunde hostis appareat, equum illico conscendit: ac propere versus ad pontes, vt eos calonibus & impedimentis stipatos reperit, impatiens moræ, per manus ac super capita hominum translatus est. Mox etiam audita rebellione Germaniæ, fugam & subsidia fugæ, classes apparabat, vno solatio acquiescens, * transmarinas * sibi superfuturas prouincias, si victores Alpium iuga, vt Cimbri; vel etiam vrbem, vt Senones quondam, occuparent. vnde credo percussoribus eius postea consilium natum, apud tumultuantes [milites] ementiendi, ipsum sibi manus intulisse, nuntio malæ pugnæ perterritum.

52 VESTITV, calceatuque, & cetero habitu, neque patrio, neque ciuili, ac ne virili quidem, ac denique [non] humano semper vsus est. Sæpe depictas gemmatasque indutus pænulas, manuleatus & armillatus in publicum processit; aliquando sericatus, & cycladatus: ac modo in crepidis vel cothurnis, modo in * speculatoria caliga; non numquam socco muliebri, plerumq; vero * aurea barba, fulmen tenens, * ac fuscinam, aut caduceum, deorum insignia; atque etiam Veneris cultu conspectus est. Triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem assidue gestauit: interdum & magni Alexandri thoracem, repetitum e conditorio eius.

53 *E disciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiæ plurimum attendit, quamtumuis facundus & promtus: vtique si perorandum in aliquem esset, irato & verba & sententiæ suppetebant: pronuntiatio quoque & vox: vt neque eodem loci præ ardore consisteret, & exaudiretur a procul stantibus. Peroraturus, stricturum se lucubrationis suæ telum minabatur: lenius comtiusque scribendi genus adeo contemnens, * vt Senecam tum maxime placentem, commissiones meras [componere,] & arenam esse sine calce diceret. Solebat etiam prosperis oratorum actionibus rescribere, & magnorum in Senatu reorum accusationes defensionesque meditari: ac, prout stylus cesserat, vel onerare sententia sua quemque, vel subleuare: equestri quoque ordine ad audiendum inuitato per edicta.

54 SED & aliorum generum artes studiosissime, * & diuersissimas exercuit. *Thrax & auriga, idem cantor atque saltator, batuebat * pugnatoriis armis. Aurigabat exstructo plurifariam Circo. Canendi ac saltandi voluptate ita efferebatur, vt ne publicis quidem spectaculis temperaret, quo minus & tragœdo pronuntianti concineret; & gestum histrionis, quasi laudans vel corrigens palam effingeret. Nec alia de caussa * videtur eo die quo periit, peruigilium indixisse, quam vt initium in scenam prodeundi licentia temporis auspicaretur. Saltabat autem non numquam etiam noctu. Et quondam tres consulares secunda vigilia in Palatium accitos, multaque & extrema metuentes, super pulpitum collocauit: deinde repente magno tibiarum & * scabellorum crepitu, cum palla tunicaque talari prosiluit; ac desaltato cantico, abiit. Atque hic tam docilis ad cetera, natare nesciit.

55 QVORVM vero studio teneretur, omnibus ad insaniam fauit. * Mnesterem pantomimum etiam inter spectacula osculabatur: ac si quis saltante eo vel * leniter obstreperet, detrahi iussum manu sua flagellabat. Equiti Romano tumultuanti, per Centurionem denuntiauit, [vt] abiret sine mora Ostiam, perferretque ad Ptolemæum

mæum regem in Mauritaniam codicillos suos. quorum exemplum erat; *Ei quem istuc misi, neque boni quidquam, neque mali feceris.* * Thraces quosdam Germanici corporis custodibus præposuit. Myrmillonum armaturas * rescidit. Columbo victori, leuiter tamen saucio, venenum in plagam addidit; quod ex eo Columbinum appellauit. sic certe inter alia venena scriptum ab eo repertum est. Prasinæ factioni ita addictus & deditus, vt cenaret in stabulo assidue, & maneret. Agitatori * Cythico comissatione quadam in apophoretis vicies LLS contulit. * Incitato equo, cuius caussa pridie Circenses, ne inquietaretur, viciniæ silentium per milites indicere solebat, præter equile marmoreum, & præsepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monile e gemmis, domum etiam, & familiam, & supellectilem dedit; quo lautius nomine eius inuitati, acciperentur: Cōsulatum quoq; traditur destinasse.

Ita bacchantem atque grassantem, non defuit plerisque * animus adoriri. Sed 56
* vna & altera conspiratione detecta, aliis per inopiam occasionis cunctantibus, duo consilium communicauerunt, perfeceruntque, non sine conscientia potentissimorum libertorum præfectorumque prætorii; quod ipsi quoque, etsi falso, in quadam coniuratione, quasi participes nominati, suspectos tamen se & inuisos sentiebant. Nam & statim seductis magnam fecit inuidiam, districto gladio affirmans sponte se periturum, si & illis morte dignus videretur: nec cessauit ex eo criminari alterum alteri, atq; inter se omnes committere. * Cumque placuisset * Palatinis ludis spectaculo egressum meridie aggredi, primas sibi partes Cassius Chærea Tribunus cohortis prætoriæ, depoposcit: quem Caius seniorem iam, vt mollem & effeminatum denotare omni probro consuerat, & modo * signum petenti, Priapum aut Venerem dare; modo ex aliqua caussa agenti gratias, osculandam manum offerre * formatam commotamque in obscenum modum.

Fvtvræ cædis multa prodigia exstiterunt. Olympiæ simulacrum Iouis, 57
quod dissolui transferrique Romam placuerat, tantum cachinnum repente edidit, vt machinis labefactis opifices diffugerint. Superuenitque illico quidam, * Cassius quoque nomine iussum se somnio affirmans immolare taurum Ioui. Capitolium Capuæ Idibus Martiis de cælo tactum est: item Romæ cella * Palatini atriensis. Nec defuerunt qui cōiectarent altero ostento periculum a custodibus domino portendi: altero, cædem rursus insignem, qualis eodem die facta quondam fuisset. Consulenti quoque de genitura sua, Sulla mathematicus certissimam necem appropinquare affirmauit. Monuerunt & * sortes Antiatinæ, vt a Cassio caueret. qua caussa ille Cassium Longinum Asiæ tum proconsulem, occidendum delegauerat; immemor Chæream Cassium nominari. Pridie quam periret, somniauit consistere se in cælo iuxta solium Iouis: impulsumque ab eo dextri pedis pollice, & in terras præcipitatum. Prodigiorum loco habita sunt etiam quæ forte illo ipso die paullo prius acciderant. Sacrificans respersus est phœnicopteri sanguine. Et pantomimus * Mnester tragœdiam saltauit, quam olim Neoptolemus tragœdus ludis quibus rex Macedonum Philippus occisus est, egerat. Et cum in * Laureolo mimo, in quo actor * proripiens se ruina sanguinem * vomuit, [vt] plures secundarum certatim experimentum artis darent, cruore scena abundauit. Parabatur & in noctem spectaculum, quo argumenta inferorum per Ægyptios & Æthiopes explicarentur.

Nono Kalendas Februarias, hora * quasi septima, cunctatus an ad prandium 58
surgeret, * marcescente adhuc stomacho pridiani cibi onere, tandem suadentibus amicis egressus est. Cum in crypta, per quam transeundum erat, pueri nobiles ex Asia ad edendas in scena operas euocati, præpararentur, vt eos inspiceret hortareturque, restitit: ac, nisi princeps gregis algere se diceret, redire ac repræsentare spectaculum voluit. Duplex * dehinc fama est. alii tradunt alloquenti pueros a tergo Chęream ceruicem gladio cæsim grauiter percussisse, præmissa voce; *Hoc age.* dehinc Cornelium Sabinum, alterum e coniuratis Tribunum, ex aduerso traiecisse pectus. alii, Sabinum, submota per conscios Centuriones turba, signum more militiæ petisse; & Caio Iouem dante, Chæream exclamasse, *Accipe * ratum*: respicientique maxillam ictu discidisse. Iacentem, contractisque membris clamitantem se viuere, ceteri

vulneribus xxx confecerunt. Nam signum erat *omnium, *Repete. Quidam etiam per obscena ferrum adegerunt. Ad primum tumultum lecticarii cum asseribus in auxilium accurrerunt: mox Germani, corporis custodes: ac non nullos ex percussoribus, quosdam etiam Senatores innoxios interemerunt.

59 VIXIT annis XXIX. imperauit triennio, & x mensibus, diebusque VIII. Cadauer eius clam in hortos Lamianos asportatum; & tumultuario rogo semiambustum leui cæspite obrutum est. postea per sorores ab exsilio reuersas erutum, *crematum, sepultumque. Satis constat, prius quam id fieret, hortorum custodes vmbris inquietatos: in ea quoque domo in qua occubuerit, nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec ipsa domus incendio consumta sit. Periit vna & vxor Cæsonia, gladio a Centurione confossa, & filia parieti illisa.

60 CONDITIONEM temporum illorum etiam per hæc æstimare quiuis *possit. Nam neque cæde vulgata statim creditum est: fuitque suspicio, ab ipso Caio famam cædis simulatam & emissam, vt eo pacto erga se hominum mentes deprehenderet. Neque coniurati cuiquam Imperium destinauerunt. Et Senatus in asserenda libertate adeo consensit, vt COSS. primo non in Curiam, quia Iulia vocabatur, sed in Capitolium conuocarent. Quidam vero sententiæ loco abolendam Cæsarum memoriam, ac diruenda templa censuerunt. Obseruatum autem notatumque est in primis, Cæsares omnes quibus Caii prænomen fuit, ferro periisse, iam inde ab eo qui Cinnanis temporibus sit occisus.

C. SVETONII TRANQVILLI D. CLAVDIVS CÆSAR, V.

1 PATREM Claudii Cæsaris Drusum, olim Decimum, mox Neronem prænomine, Liuia, cum Augusto grauida nupsisset, intra mensem tertium peperit: fuitque suspicio, ex vitrico per adulterii consuetudinem procreatum. Statim certe vulgatus est versus *Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.* Is Drusus in Quæsturæ Præturæq; honore, dux Rhætici, deinde Germanici belli, Oceanum septemtrionalem primus Romanorum ducum nauigauit: trans [q;] Rhenum fossas noui & immensi operis effecit, quæ nunc adhuc *Drusinæ* vocantur. Hostem etiam frequenter cæsum, ac penitus in intimas solitudines actum, non prius destitit insequi, quam species barbaræ mulieris humana amplior, victorem tendere vltra sermone Latino prohibuisset. Quas ob res ouandi ius, & triumphalia ornamenta percepit: ac post Præturam confestim inito Consulatu, atque expeditione repetita, supremum diem morbo *obiit, in æstiuis castris, quæ ex eo* *scelerata* sunt appellata. Corpus eius per municipiorum coloniarumque primores, suscipientibus obuiis scribarum decuriis, ad vrbem deuectum, sepultumque est in Martio campo. Ceterum exercitus honorarium ei tumulum excitauit; circa quem deinceps *stato die quotannis miles decurreret, Galliarumque ciuitates publice supplicarent. Præterea Senatus inter alia complura, marmoreum arcũ cum tropæis via Appia decreuit, & *Germanici* cognomen ipsi posterisque eius. Fuisse autem creditur non minus gloriosi, quam ciuilis animi. Nam ex hoste super victorias, opima quoque spolia captasse, summoque sæpius discrimine duces Germanorum tota acie insectatus: nec dissimulasse vnquam, pristinum se reipub. statum, *quandocumque posset, restituturum. Vnde existimo non nullos tradere ausos, suspectum eum Augusto, reuocatumque ex prouincia: &, quia cunctaretur, interceptum veneno. Quod equidem magis, ne prætermitterem, retuli, quam quia verum aut verisimile putem: cum Augustus tantopere & viuum dilexerit, vt coheredem semper filiis instituerit, sicut quondam in Senatu professus est, & defunctum ita pro concione laudauerit, vt deos precatus sit, similes ei Cæsares suos facerent, sibique tam honestum quandoque exitum darent, quam illi de-

diſſent. Nec contentus, elogium tumulo eius verſibus compoſitis a ſe * inſculpſiſſe, etiam vitæ memoriam * proſa oratione compoſuit. Ex Antonia minore complures quidem liberos tulit; verum tres omnino reliquit, Germanicum, Liuillam, Claudium.

CLAVDIVS natus eſt, * Iulo Antonio, Fabio * Africano COSS. Kalend. * Auguſtis, Lugduni, eo ipſo die quo primum ara ibi Auguſto dedicata eſt; appellatusque *Tiberius Claudius Druſus*. Mox fratre maiore in Iuliam familiam adoptato, *Germanici* cognomen aſſumſit. Infans autem relictus a patre, ac per omne fere pueritiæ atque adoleſcentiæ tempus, variis & tenacibus morbis conflictatus eſt: adeo vt animo ſimul & corpore hebetato, ne progreſſa quidem ætate, vlli publico priuatoque muneri habilis exiſtimaretur. Diu etiam atque * poſt tutelam receptam, alieni arbitrii, & ſub pædagogo fuit. quem barbarum, & olim ſuperiumentarium, ex induſtria ſibi appoſitum, vt ſe quibuscumque de cauſſis quam ſæuiſſime coerceret, ipſe quodam libello conqueritur. Ob hanc eamdem valetudinem, & gladiatorio munere, quod ſimul cum fratre memoriæ patris edebat, palliolatus * nouo more præſedit: & togæ virilis die, circa mediam noctem, ſine ſollenni officio lectica in Capitolium latus eſt. 2

DISCIPLINIS tamen liberalibus ab ætate prima non mediocrem operam dedit, ac ſæpe experimenta cuiusque etiam publicauit. Verum ne ſic quidem quidquam dignitatis aſſequi, aut ſpem de ſe commodiorem in poſterum facere potuit. Mater Antonia portentum eum hominis dictitabat, nec abſolutum a natura, ſed tantum inchoatum: ac ſi quem * ſocordiæ argueret, ſtultiorem aiebat filio ſuo Claudio. Auia Auguſta, pro deſpectiſſimo ſemper habuit: non affari, niſi rariſſime; non monere, niſi acerbo & breui ſcripto, aut per internuntios ſolita. Soror Liuilla, cum audiſſet quandoque imperaturum, tam iniquam & tam indignam ſortem * populo R. palam & clare deteſtata eſt. Nam [&] auunculus maior Auguſtus quid de eo in vtramque partem opinatus ſit, quo certius cognoſcatur, capita ex ipſius epiſtolis poſui. 3

COLLOCVTVS *ſum cum Tiberio, vt mandaſti mea Liuia, quid nepoti tuo Tiberio faciundum eſſet ludis Martialibus. Conſentit autem vterque noſtrum, ſemel eſſe nobis ſtatuendum, quod conſilium in illo ſequamur. Nam ſi eſt* ἄρτιος, *vt ita dicam,* ὁλόκληρος, *quid eſt quod dubitemus, quin per eosdem articulos & gradus perducendus ſit, per quos frater eius * perductus fuit? Sin autem* ἠλαττῶσθαι *ſentimus eum,* καὶ βεβλάφθαι καὶ εἰς τὴν τοῦ σώματος, καὶ εἰς τὴν τῆς ψυχῆς ἀρτιότητα, *præbenda materia deridendi & illum & nos non eſt hominibus,* τὰ τοιαῦτα σκώπτειν καὶ μυκτηρίζειν εἰωθόσιν. *Nam ſemper æſtuabimus, ſi de ſingulis articulis temporum deliberabimus,* μὴ * προϋποκειμένου ἡμῖν, *poſſe arbitremur eum gerere honores, nec ne. In præſentia tamen, quibus de rebus conſulis, curare eum ludis Martialibus triclinium ſacerdotum, non diſplicet nobis, ſi eſt paſſurus ſe ab * Silani filio, homine ſibi affini admoneri, ne quid faciat quod * conſpici & derideri poſſit. Spectare eum Circenſes ex puluinari, non placet nobis. expoſitus enim in prima fronte ſpectaculorum conſpicietur. In Albanum montem ire eum, non placet nobis, aut eſſe Romæ Latinarum diebus. Cur enim non præficitur vrbi, ſi poteſt fratrem ſuum ſequi in montem? Habes noſtras, mea Liuia, ſententias, quibus placet ſemel de tota re aliquid conſtitui: ne ſemper inter ſpem & metum fluctuemus. Licebit autem, ſi voles, Antoniæ quoque noſtræ des hanc partem epiſtolæ huius legendam.* * Rurſus [alteris litteris,] *Tiberium adoleſcentem ego vero, dum tu aberis, quotidie inuitabo ad cenam; ne ſolus cenet cum ſuo Sulpicio & Athenodoro: qui vellem diligentius & minus* μετεώρως *deligeret ſibi aliquem, cuius * motum, & habitum, & inceſſum imitaretur miſellus.* * Ἀτυχεῖ πάνυ ἐν τοῖς σπουδαίοις λίαν. *vbi non aberrauit eius animus, ſatis apparet* ἡ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ εὐγένεια. Item [tertiis litteris:] *Tiberium nepotem tuum placere mihi declamantem potuiſſe, peream, niſi mea Liuia admiror. Nam qui tam* ἀσαφῶς *loquatur, qui poſſit, cum declamat,* σαφῶς *dicere quæ dicenda ſunt, non video.* Nec dubium eſt, * quin poſt hæc Auguſtus conſtituerit, & reliquerit eum nullo præter auguralis ſacerdotii honore impertitum: * ac ne heredem quidem, niſi inter tertios, ac pæne extraneos, * e parte ſexta nuncuparet, legato [que] non amplius quam octingentorum ſeſtertiorum proſecutus. 4

TIBERIVS patruus, petenti honores, conſularia ornamenta detulit. Sed inſtan- 5

rius legitimos flagitanti, id solum codicillis rescripsit, quadraginta aureos in Saturnalia & * Sigillaria [se] misisse ei. Tunc demum abiecta spe dignitatis, ad otium concessit, modo in hortis * & suburbano, modo in Campaniæ secessu delitescens: atque ex contubernio sordidissimorum hominum, super veterem segnitiæ notam, * ebrietatis & aleæ quoque infamiam subiit.

6 *Cvm interim, quamquam hoc modo agenti, numquam aut officium hominum, aut reuerentia * publica defuit. Equester ordo bis patronum eum perferendæ pro se legationis elegit · semel, cum deportandum Romam corpus Augusti humeris suis a coss. exposcerent: iterum, cum oppressum Seianum apud eosdem gratularentur. Quin & spectaculis aduenienti assurgere, & lacernas deponere solebant. Senatus quoque, vt ad numerum sodalium Augustalium sorte ductorum extra ordinem * adiiceretur, censuit · & mox, vt domus ei, quam incendio amiserat, publica impensa restitueretur, dicendæque inter consulares sententiæ ius esset. Quod decretum abolitum est, excusante Tiberio imbecillitatem eius, ac damnum liberalitate sua resarturum pollicente. qui tamen moriens [&] in tertiis heredibus eum ex parte tertia nuncupatum, legato etiam circa * sestertia vicies prosecutus, cõmendauit insuper exercitibus, [ac] Senatui populoque R. inter ceteras necessitudines nominatim.

7 Svb Caio demum fratris filio, secundam existimationem circa initia Imperii omnibus lenociniis colligente, honores auspicatus, Consulatum gessit vna per duos menses: euenitque vt primitus ingredienti cum fascibus forum, prætervolans aquila dexteriore humero consideret. Sortitus est & de altero Consulatu in quartum annum: præseditque non numquam spectaculis in Caii vicem, acclamante populo, *Feliciter, partim patruo Imperatoris, partim Germanici fratri.*

8 Nec eo minus contumeliis obnoxius vixit. Nam &, si paullo serius ad * prædictam cenæ horam occurrisset, non nisi ægre, & circuito demum triclinio recipiebatur: & quoties post cibum * obdormisceret, quod ei * fere accidebat, oleatum ac palmulatum ossibus incessebatur: interdum ferula flagroue, velut per ludum, excitabatur a * tropæis. Solebant & manibus stertentis socci induci, vt repente expergefactus faciem sibi confricaret.

9 Sed ne discriminibus quidem caruit. primum, in ipso Consulatu, quod Neronis & Drusi fratrum Cæsaris statuas segnius locandas ponendasque curasset, pæne honore submotus est: deinde extraneo, vel etiam domesticorum aliquo deferente, assidue varieque inquietatus. Cum vero detecta esset Lepidi & Gætulici coniuratio, missus in Germaniam inter legatos ad gratulandum, etiam vitæ periculum adiit; indignante ac fremente Caio, patruum potissimum ad se missum, quasi ad puerum regendum: adeo vt non defuerint qui traderent, præcipitatum quoque in flumen, sicut vestitus aduenerat. Atque ex eo numquam non in Senatu nouissimus consularium sententiam dixit; ignominiæ caussa post omnes interrogatus. Etiam cognitio falsi testamenti recepta est, in quo & ipse signauerat. Postremo etiam sestertium octogies pro * introitu noui sacerdotii coactus impendere, ad eas rei familiaris angustias decidit, vt * cum obligatam ærario fidem liberare non posset, in vacuum lege prædiatoria * venalis pependerit sub edicto præfectorum.

10 Per hæc ac talia, maxima ætatis parte transacta, quinquagesimo anno Imperium cepit, quantumuis mirabili casu. Exclusus inter ceteros ab insidiatoribus Caii, cum quasi secretum eo desiderante turbam submouerent, in diætam cui nomen est Hermeum, recesserat. Neque multo post, rumore cædis exterritus, prorepsit ad solarium proximum: interque prætenta foribus vela se abdidit: latentem discurrens forte gregarius miles, animaduersis pedibus, e studio sciscitandi quisnam esset, agnouit: extractumque, & præ metu ad genua sibi accidentem, Imperatorem salutauit. Hinc ad alios commilitones fluctuantes, nec quidquam adhuc quam frementes, perduxit. Ab his lecticæ impositus, &, quia * serui diffugerant, vicissim succollantibus in castra delatus est, tristis ac trepidus, miserante obuia turba, quasi ad pœnam raperetur insons. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctauit, aliquanto minore spe quam fiducia. Nam Consules cum Senatu & cohortibus vrbanis, forum Capitoliumq; * occuparunt, asserturi communem libertatem: acciruq; & ipse

per

per Tribunum pleb. in Curiam ad suadenda quæ viderentur, vi se & necessitate teneri respondit. *Postero vero die, Senatu segniore in exsequendis conatibus per tædium ac dissensionem diversa censentium, & multitudine quæ circumstabat, vnum rectorem iam & nominatim exposcente, * armatos pro concione iurare in nomen suum passus est: promisitque singulis * quinadena LLS. primus Cæsarum fidem militis etiam præmio pigneratus.

11 IMPERIO stabilito, nihil antiquius duxit quam id biduum quo de mutando reipubl. statu hæsitatum erat, memoriæ eximere. Omnium itaque factorum dictorumque in eo veniam & obliuionem in perpetuum sanxit, ac præstitit, Tribunis modo ac Centurionibus paucis e coniuratorum in Caium numero interemtis, exempli simul caussa, & quod suam quoque cædem depoposcisse cognouerat. Conuersus hinc ad officia pietatis, iusiurandum neque sanctius sibi, neque crebrius instituit, quam per Augustum. Auiæ Liuiæ diuinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum * Augusteo similem, decernendum curauit. Parentibus inferias publicas, & hoc amplius patri Circenses annuos natali die, matri carpentum *quod per Circum duceretur, & cognomen Augustæ, *ab auia recusatum. Ad fratris memoriam per omnem occasionem celebratam, comœdiam quoque Græcam Neapolitano certamine * docuit, ac de sententia iudicum coronauit. Ne Marcum quidem Antonium inhonoratum, ac sine grata mentione transmisit, testatus quondam per edictum tanto impensius petere se vt natalem patris Drusi celebrarent, quod idem esset & aui sui Antonii. Tiberio marmoreum arcum iuxta Pompeii Theatrum, decretum quidem olim a Senatu, verum omissum, peregit. Caii quoque etsi acta omnia rescidit, diem tamen necis, quamuis exordium principatus sui, vetuit inter * festos referri.

12 * AC in semet augendo parcus atque ciuilis, prænomine Imperatoris abstinuit; nimios honores recusauit, sponsalia filiæ, natalemque geniti nepotis, silentio ac tantum domestica religione transegit. Neminem exsulum, nisi ex Senatus auctoritate, restituit. Vt sibi in Curiam Præfectum Prætorii, Tribunosque militum secum inducere liceret; vtque rata essent quæ procuratores sui in iudicando statuerent, precario exegit. Ius nundinarum in priuata prædia a Consulibus petiit: cognitionibus Magistratuum, vt vnus e *consiliariis, frequenter interfuit. Eosdem spectacula edentes, surgens & ipse cum cetera turba, voce ac manu veneratus est. Tribunis pleb. adeuntibus se pro Tribunali excusauit, quod propter angustias non posset audire eos nisi stantes. Quare in breui spatio tantum amoris fauorisque collegit, vt cum profectum eum Ostiam periisse ex insidiis nuntiatum esset, magna consternatione populus & militem quasi proditorem, & Senatum quasi parricidam, diris * exsecrationibus incessere non ante destiterit, quam vnus atque alter, & mox plures a Magistratibus in Rostra producti, saluum & appropinquare confirmarent.

13 NEC tamen expers insidiarum vsquequaque permansit; sed & a singulis, & per factionem, & denique ciuili bello infestatus est. E plebe homo nocte media iuxta cubiculum eius cum pugione deprehensus est: reperti & equestris ordinis duo in publico cum dolone ac venatorio cultro præstolantes, alter, vt egressum Theatro; alter, vt sacrificantem apud Martis ædem adoriretur. Conspirauerant autem ad res nouas Gallus Asinius, & * Statilius Coruinus, Pollionis ac Messallæ oratorum nepotes, assumtis compluribus libertis ipsius atque seruis. Bellum ciuile mouit Furius Camillus Scribonianus, Dalmatiæ legatus: verum intra * quinctum diem oppressus est, legionibus quæ sacramentum mutauerant, in pœnitentiam religione conuersis, postquam denuntiato ad nouum Imperatorem itinere, casu quodam * ac diuinitus, neque * aquila ornari, neque signa conuelli mouerique potuerunt.

14 CONSVLATVS super pristinum quatuor gessit: ex quibus duos primos iunctim; sequentes per interuallum, quarto * quemque anno, * semestrem nouissimum, bimestres ceteros; tertium autem nouo circa principem exemplo, in locum demortui suffectus. Ius & Consul, & extra honorem laboriosissime dixit, etiam suis suorumque diebus sollennibus, non numquam festis quoque antiquitus, & religiosis. Nec semper * præscriptam legum secutus duritiam, lenitatemue multa-

rum, ex bono & æquo perinde vt afficeretur, medoratus est. Nam & iis qui apud priuatos iudices plus petendo formula excidissent, restituit actiones, & in maiore fraude conuictos, legitimam pœnam supergressus, ad bestias condemnauit.

15 IN cognoscendo autem ac decernendo mira varietate animi fuit: modo circumspectus & sagax, *modo inconsultus ac præceps: non numquam friuolus, amentique similis. Cum decurias rerum actu expungeret, eum qui dissimulata vacatione, quam beneficio liberorum habebat, responderat, vt cupidum iudicandi dimisit: alium interpellatum ab aduersariis de propria lite, *negantemque cognitionis rem, sed ordinarii iuris esse, agere caussam confestim apud se coegit, proprio negotio documentum *daturum, quam æquus iudex in alieno negotio futurus esset. Feminam non agnoscentem filium suum, dubia vtrimque argumentorum fide, ad confessionem compulit, indicto matrimonio iuuenis. *Absentibus secundum præsentes facillime dabat, *nullo delectu culpæ; nisi quis in aliqua necessitate cessasset. Proclamante quodam, præcidendas falsario manus, carnificem statim acciti eum machæra mensaque laniona flagitauit. Peregrinitatis reum, orta inter aduocatos leui cōtentione, togatumne an palliatum dicere caussam oporteret, quasi æquitatem integram ostentans, mutare habitum sæpius, & prout accusaretur defendereturue, iussit. De quodam etiam negotio, ita ex tabella pronuntiasse creditur, secundum eos se sentire, qui vera proposuissent. Propter quæ vsque eo euiluit, vt passim ac propalàm contemtui esset. *Excusans quidam testem e prouincia ab eo vocatum, negauit præsto esse posse, dissimulata diu caussa: ac post longas demum interrogationes, *mortuus est*, inquit,* *Puteolis.* Alius gratias agens, quod reum defendi pateretur, adiecit; *Et tamen fieri solet.* Illud quoque a maioribus natu audiebam, adeo caussidicos patientia eius solitos abuti, vt descendentem e Tribunali non solum voce reuocarent, sed & lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenso *retinerent. Ac ne cui hæc mira sint, litigatori Græculo vox in altercatione excidit,* καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός. Equitem quidem Romanum obscenitatis in feminas reum, sed falso & ab *impotentibus inimicis conficto crimine, satis constat, cum scorta meritoria citari aduersus se, & audiri pro testimonio videret, grauium & libellos, quos tenebat in manu, ita cum magna stultitiæ & sæuitiæ exprobratione iecisse in faciem eius, vt genam non leuiter *perstrinxerit.

16 GESSIT & Censuram intermissam diu post* Paullum Plancumque Censores: sed hanc quoque inæqualiter, varioque & animo, & euentu. Recognitione equitum *iuuenem probri plenum, sed quem pater probatissimum sibi affirmabat, sine ignominia dimisit, habere dicens censorem suum. Alium corruptelis adulteriisque famosum, nihil amplius quam monuit, vt aut parcius ætatulæ indulgeret, aut certe cautius addiditque, *Quare enim ego scio, quam amicam habeas?* Et cum orantibus familiaribus demsisset cuidam appositam notam, *Litura tamen*, inquit, **exstet.* *Splendidum virum, *Græciæque prouinciæ principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo iudicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit. Nec quemquam nisi sua voce, vtcumque quis posset, ac sine patrono, rationem vitæ passus est reddere. Notauitque multos, & quosdam inopinantes, & ex caussa noui generis, quod se inscio, ac sine commeatu Italia excessissent: quemdam vero & quod comes regis in prouincia fuisset; referens maiorum temporibus Rabitio Posthumo, Ptolemæum Alexandriam, crediti seruandi caussa secuto, maiestatis crimen apud iudices motum. Plures notare conatus, magna inquisitorum negligentia, sed suo maiore dedecore innoxios fere reperit; quibuscumq; cælibatum, aut orbitatem, aut egestatem obiiceret, maritos, patres, opulentos se probantibus; eo quidē qui *sibimet vim ferro intulisse arguebatur, illæsum corpus veste deposita ostentante. Fuerunt & illa in Censura eius notabilia, quod esse dum argenteum sumtuose fabricatum, ac venale, ad Sigillaria redimi concidiq; coram imperauit: quodq; vno die XX edicta proposuit: inter quæ duo, quorum altero admonebat, vt vberi vinearū prouētu bene dolia picarentur: altero, nihil æque facere ad viperæ morsum, quam taxi arboris sucū.

17 EXPEDITIONEM vnam omnino suscepit, *eamque modicam. cum decretis sibi a Senatu ornamentis triumphalibus, *leuiorem maiestati principali titulum arbitraretur,

bitraretur, velletque iusti triumphi decus vnde acquireret, Britanniam potissimum elegit; neque *tentatam, vlli post *D. Iulium, & tunc tumultuantem ob non redditos transfugas. Huc cum ab Ostia nauigaret, vehementi Circio bis pæne demersus est, prope Liguriam, iuxtaque Stœchadas insulas. Quare a Massilia *Gessoriacum vsque pedestri itinere confecto, inde transmisit: ac sine vllo prœlio aut sanguine *inter paucissimos dies parte insulæ in deditionem recepta, sexto quam profectus erat mense, Romam redit; triumphauitque maximo apparatu. Ad cuius spectaculum commeare in vrbem non solum Præsidibus prouinciarum permisit, verum etiam exsulibus quibusdam: atque inter hostilia spolia, naualem coronam fastigio Palatinæ domus iuxta ciuicam fixit, traiecti & quasi domiti Oceani insigne. Currum eius Messallina vxor carpento secuta est. Secuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti; sed ceteri pedibus & in prætexta: Crassus Frugi equo phalerato, & in veste palmata, quod eum honorem iterauerat.

18 VRBIS annonæque curam sollicitissime semper egit. Cum Æmiliana pertinacius arderent, in *diribitorio duabus noctibus mansit: ac deficiente militum ac familiarum turba, auxilio plebem per *Magistratus ex omnibus vicis conuocauit: ac positis ante se cum pecunia fiscis, ad subueniendum hortatus est, *repræsentaturus pro opera dignam cuique mercedem. Arctiore autem annona ob assiduas sterilitates, detentus quondam medio foro a turba, conuitiisque ac simul fragminibus panis ita *instatus, vt ægre nec nisi postico euadere in Palatium valuerit. Nihil non ex eo cogitauit ad inuehendos etiam *in tempore hiberno commeatus. Nam & negotiatoribus certa lucra proposuit, suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset; & naues mercaturæ caussa fabricantibus *magna commoda.

19 *CONSTITVIT pro conditione cuiusque ciuis vacationem *legis Papiæ Poppææ, Latinis ius Quiritum, feminis ius quatuor liberorum. quæ constituta hodieque seruantur.

20 OPERA magna potius, quam necessaria quam multa perfecit: sed vel præcipua; aquæductum a Caio inchoatum: item emissarium Fucini lacus, portumque Ostiensem: quamquam sciret ex his alterum ab Augusto precantibus assidue Marsis negatum; alterum a D. Iulio sæpius destinatum, ac propter difficultatem omissum: Claudiæ aquæ gelidos & vberes fontes; quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio & Albudino nomen est: simulque riuum Anienis *noui lapideo opere in vrbem perduxit, diuisitque in plurimos & ornatissimos lacus. Fucinum aggressus est, non minus compendii spe quam gloriæ, cum quidam priuato sumtu emissuros se repromitterent, si sibi siccati agri concederentur. Per tria autem passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absoluit ægre, & post vndecim annos; quamuis continuis XXX hominum millibus sine intermissione operantibus. Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, & ad introitum profundo iam solo mole obiecta. quam quo stabilius fundaret, nauem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat aduectus: congestisque pilis superposuit altissimam turrim, in exemplum *Alexandrini Phari, vt ad nocturnos ignes cursum nauigia dirigerent. Congiaria populo sæpius distribuit.

21 SPECTACVLA quoque complura magnificaque edidit, non vsitata modo, ac solitis locis, sed & commenticia, & ex antiquitate repetita, & vbi præterea nemo ante eum. *Ludos dedicationis Theatri Pompeiani, quod ambustum restituerat, e Tribunali [posito] in orchestra commisit, cum prius apud superiores ædes supplicasset, perque mediam caueam, sedentibus ac silentibus cunctis, descendisset. Fecit & sæculares, quasi anticipatos ab Augusto, *nec legitimo tempori reseruatos: quamuis ipse in historiis suis prodat intermissos eos, Augustum multo post, diligentissime annorum ratione subducta, in ordinem redegisse. Quare vox præconis irrisa est, inuitantis more sollenni ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset; cum superessent adhuc qui spectauerant, & quidam histrionum producti olim, tunc quoque producerentur. Circenses frequenter etiam in Vaticano commisit, non numquam interiecta per quinos missus venatione. Circo vero maximo marmoreis carceribus, auratisque metis, quæ vtraque & tophina ac lignea

antea fuerant, exculto,* propria Senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis. Ac super quadrigarum certamina Troiæ lusum exhibuit, & Africanas, conficiente turma equitum prætorianorum, ducibus Tribunis, ipsoque Præfecto: præterea Thessalos equites, qui feros tauros per spatia Circi agunt, insiliuntque defessos, & ad terram cornibus detrahunt. Gladiatoria munera plurifariam, ac multiplicia exhibuit. Anniuersarium in castris prætorianis, sine venatione apparatuque, iustum atque legitimum in septis: *ibidem extraordinarium & breue, dierumque paucorum, quodque appellare cœpit *sportulam:* quia primum daturum se dixerat, velut ad subitam * condictamque cenulam inuitare se populum. Nec vllo spectaculi genere *communior aut remissior erat; adeo vt oblatos victoribus aureos, prolataque sinistra [manu,] pariter cum vulgo voce digitisque numeraret; ac sæpe hortando rogandoque ad hilaritatem homines prouocaret, dominos identidem appellans, immistis interdum frigidis & *accersitis iocis: * qualis est, vt cum *Palumbum postulantibus, daturum se promisit, si captus esset. Illud quoque plane quamtumuis salubriter & in tempore, cum *essedario, pro quo quatuor filii deprecabantur, magno omnium fauore *indulsisset rudem, tabulam illico misit, admonens populum, quantopere liberos suscipere deberet, quos videret & gladiatori præsidio, gratiæque esse. Edidit & in Martio campo expugnationem direptionemq; oppidi ad imaginem bellicam, & deditionem Britanniæ regum, præseditq; paludatus. Quin & emissurus Fucinum lacum, naumachiam ante commisit. Sed cum proclamantibus naumachiariis, *Aue Imperator, morituri te salutant*; respondisset, *Auete vos*: neq; post hanc vocem, quasi venia data, quisquam dimicare vellet, diu cunctatus an *omnes igni ferroq; absumeret, tandem e sede sua prosiluit: ac per ambitum lacus, nō sine fœda vacillatione discurrens, partim minando, partim adhortando ad pugnam compulit. Hoc spectaculo classis Sicula & Rhodia cōcurrerunt,* duodenarum triremium singulæ, exciente buccina Tritone argēteo, qui e medio lacu per machinam emerserat.

22 QVÆDAM circa cærimonias, ciuilemque & militarem [morem,] item circa omnium ordinum statum, domi forisque, aut correxit, aut exoleta reuocauit, aut etiam noua instituit. In cooptandis per collegia sacerdotibus, neminem nisi iuratus nominauit: obseruauitque sedulo, vt quoties terra in vrbe mouisset, ferias aduocata concione Prætor indiceret: vtque ob *dira aut in vrbe, aut in Capitolio visa, obsecratio haberetur, eamque ipse iure *Max. Pont. commonito pro Rostris populo, præiret. *Submotaque operariorum seruorumq; turba, rerum actum diuisum antea in hibernos æstiuosque menses, coniunxit.

23 IVRISDICTIONEM de fidei commissis quotannis, & tantum in vrbe delegari Magistratibus solitam, in perpetuum, atque etiam per prouincias potestatibus demandauit. *Capiti Papiæ-Poppææ legis, a Tiberio Cæsare, quasi sexagenarii generare non possent, *edito, abrogauit. Sanxit vt pupillis extra ordinem tutores a COSS. darentur: vtque hi quibus a Magistratibus prouinciæ interdicerentur, vrbe quoque, & Italia submouerentur. Ipse quosdam nouo exemplo relegauit, vt vltra lapidem tertium vetaret egredi ab vrbe. De maiore negotio acturus, in Curia medius inter Consulum sellas, Tribunicio subsellio sedebat. Commeatus a Senatu peti solitos, beneficii sui fecit.

24 ORNAMENTA consularia etiam *procuratoribus ducenariis indulsit. Senatoriam dignitatem recusantibus, equestrem quoq; ademit. Latum clauum, quamuis initio affirmasset non lecturum [se] Senatorem nisi ciuis R. abnepotem, etiam libertini filio tribuit, sed sub conditione, si prius ab equite R. adoptatus esset. Ac sic quoque reprehensionem verens, etiam Ap. Cæcum *censorem, generis sui *proauctorem, libertinorum filios in Senatum allegisse docuit: ignarus temporibus Appii, & deinceps aliquamdiu, *libertinos* dictos, non ipsos qui *manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos. Collegio Quæstorum pro stratura viarum *gladiatorum munus iniunxit: detractaque Ostiensi & * Gallica prouincia, curam ærarii Saturni reddidit. quam medio tempore Prætores, *aut vtique nunc Prætura functi, sustinuerant. Triumphalia ornamenta Silano filiæ suæ sponso, nondum puberi dedit: maioribus vero natu, tam multis. tamq; facile, vt epistola communis [illegible] nomisse

mine exstiterit, petentium vt legatis consularibus simul cum exercitu & triumphalia darentur, ne caussam belli quoquomodo quærerent. A Plautio etiam ouationem decreuit: ingressoque vrbem obuiam progressus, & in Capitolium eunti, & inde rursus reuertenti, latus texit. Gabinio Secundo, Caucis gente Germanica superatis, *Caucius cognomen vsurpare concessit.

EQVESTREIS militias ita ordinauit, vt post cohortem, alam; post alam, Tribunatum legionis daret: stipendiaq; instituit, & imaginariæ militiæ genus, quod vocatur* *Super numerum*; quo absentes, & titulo tenus fungerentur. Milites domos senatorias salutandi caussa ingredi, etiam patrum decreto prohibuit. Libertinos, qui se pro equitibus Romanis agerent, publicauit. Ingratos, [&] de quibus patroni quererentur, reuocauit in seruitutem: aduocatisq; eorum negauit, se aduersus libertos ipsorum ius dicturum. Cum quidam ægra & affecta mancipia in insulam Æsculapii tædio medendi exponerent, [omnes qui exponerentur,] liberos esse sanxit, nec redire in dicionem domini, si conualuissent: quod si quis necare mallet quem, quam exponere, cædis crimine teneri. Viatores, ne per Italiæ opida, nisi aut pedibus, aut sella aut lectica transirent, monuit edicto. Puteolis & Ostiæ singulas cohortes ad arcendos incendiorum casus collocauit. Peregrinæ conditionis homines vetuit vsurpare Romana nomina, dumtaxat gentilicia. Ciuitatem Romanam vsurpantes, in campo Esquilino securi percussit. Prouincias Achaiam & Macedoniam quas Tiberius ad curam suam transtulerat, Senatui reddidit. Lyciis, ob exitiabiles inter se discordias, libertatem ademit; Rhodiis, ob pœnitentiam veterum delictorum, reddidit. Iliensibus, quasi Romanæ gentis auctoribus, tributa in perpetuum remisit; recitata vetere epistola Græca Senatus populiq; R. Seleuco regi amicitiam & societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset. Iudæos impulsore * Chresto assidue tumultuantes Roma expulit. Germanorum legatis in orchestra sedere permisit; simplicitate eorum & fiducia motus, quod in popularia deducti, cum animaduertissent Parthos & Armenios sedentes in * Senatu, ad eadem loca sponte transierant; nihilo deteriorem virtutem aut conditionem suam prædicantes. Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum ciuibus sub Augusto interdictã, penitus aboleuit. Contra, sacra *Eleusina etiam transferre ex Attica Romam conatus est. *Templum quoq; in Sicilia Veneris Erycinæ vetustate collapsum, vt ex ærario populi R. reficeretur, auctor fuit. Cum regibus fœdus in foro icit, porca cæsa, ac vetere fetialium præfatione adhibita. Sed & hæc & cetera, totumq; adeo ex parte magna principatum, non tam suo quam vxorum libertorumque arbitrio administrauit: talis vbique plerumque, qualem esse eum aut expediret illis, aut liberet.

SPONSAS admodum adolescens duas habuit: Æmiliam Lepidam, Augusti proneptem; item Liuiam Medullinam, cui cognomen & Camillæ erat, e genere antiquo Dictatoris Camilli. Priorem, quod parentes eius Augustum offenderant, virginem adhuc repudiauit: posteriorem, ipso die qui erat nuptiis destinatus, ex valetudine amisit. Vxores deinde duxit Plautiam *Herculanillam, triumphali; & mox Æliam Pætinam, consulari patre. Cum vtraque diuortium fecit: sed cum Pætina, ex leuibus offensis; cum Herculanilla, ob libidinum probra, & homicidii suspicionem. Post has Valeriam Messallinam, [Barbati Messallæ] consobrini sui filiam, in matrimonium accepit. Quam cum comperisset super cetera flagitia atque dedecora, C. Silio etiam nupsisse, dote inter * auspices consignata, supplicio affecit: confirmauitque pro concione apud prætorianos, * quatenus sibi matrimonia male cederent, permansurum se in cælibatu. ac nisi permansisset, non recusaturum confodi manibus ipsorum. Nec durare valuit, quin de conditionibus continuo tractaret, etiam de Pætinæ, quam olim exegerat, deque Lolliæ Paullinæ, quæ C. Cæsari nupta fuerat. Verum illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per *ius osculi, & blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornauit proximo Senatu, qui censerent cogendum se ad ducendum eam vxorem; quasi reip. maxime interesset: dandamq; ceteris veniam talium coniugiorum, quæ ad id tempus incesta habebantur. Ac vix vno interposito die, confecit nuptias: non repertis qui seque-

rentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari, cuius * officium nuptiarum & ipse cum Agrippina celebrauit.

27 LIBEROS ex tribus vxoribus tulit: ex Herculanilla Drusum & Claudiam: ex Pætina Antoniam: ex Messallina Octauiam, & quem primo Germanicum, mox Britannicum cognominauit. Drusum * Pompeium, puberem amisit, pyro per lusum in sublime iactato, & hiatu oris excepto strangulatum; * cui & ante paucos dies filiam Seiani despondisset. Quo magis miror fuisse qui traderent, fraude a Seiano necatum. Claudiam ex liberto suo Botere conceptam, quamuis ante quinctum mensem diuortii natam, alique cœptam; exponi tamen ad matris ianuam, & nudam iussit abiici. Antoniam Cn. Pompeio Magno, deinde Fausto Sullæ nobilissimis iuuenibus; Octauiam, Neroni priuigno suo collocauit, Silano ante desponsatam. Britannicum vigesimo Imperii die, inque secundo Consulatu natum sibi, paruulum etiam tum, & militibus pro concione, manibus suis gestans; & plebi per spectacula, gremio aut ante se retinens, assidue commendabat: faustisq; * ominibus eum acclamantium turba prosequebatur. E generis Neronem adoptauit: Pompeium atque * Silanum non recusauit modo, sed & interemit.

28 LIBERTORVM præcipuæ suspexit Posidem spadonem; quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donauit. nec minus Felicem; quem cohortibus & alis, prouinciæque Iudææ præposuit, trium reginarum maritum. & Harpocram; cui lecticæ per vrbem vehendi, spectaculaque publice edendi ius tribuit. ac super hos Polybium a studiis; qui sæpe inter duos COSS. ambulabat. Sed ante omnes Narcissum ab epistolis, & Pallantem a rationibus: quos decreto quoque Senatus, non præmiis modo ingentibus, sed & quæstoriis prætoriisque ornamentis ornari libenter passus est: tantum præterea acquirere & rapere, vt querente eo quondam de fisci exiguitate, non absurde sit dictum, Abundaturum, si a duobus libertis in consortium reciperetur.

29 HIS, * vt dixi, vxoribusque addictus, non principem se, sed ministrum egit. Compendio cuiusque horum, vel etiam studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est: & quidem insciens plerumque & ignarus. Ac, ne sigillatim * minima quæque enumerem, reuocatas * liberalitates eius, iudicia * rescissa, suppositos aut etiam palam immutatos datorum officiorum codicillos; Ap. Silanum consocerum suum, * Iuliasque, alteram Drusi, alteram Germanici filiam, crimine incerto, nec defensione vlla data, occidit: item Cn. Pompeium, maioris filiæ virum, & L. Silanum, minoris sponsum. ex quibus Pompeius, in concubitu dilecti adolescentuli confossus est: Silanus, abdicare se Prætura ante quartum Kalend. Ianuarias, morique initio anni * coactus, die ipso Claudii & Agrippinæ nuptiarum. In quinque & triginta Senatores, trecentosque amplius equites R. tanta facilitate animaduertit, * vt de nece consularis viri renuntiante Centurione, factum esse quod imperasset, negaret quidquam se imperasse, nihilo minus rem comprobaret; affirmantibus libertis, officio milites functos, quod ad vltionem Imperatoris vltro procurrissent. Nam illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis quas Messallina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis & ipse consignauerit; inductus, quasi de industria simularentur, ad auertendum transferendumque periculum, quod imminere ipsi per quædam ostenta portenderetur.

30 AVCTORITAS dignitasque formæ non defuit, vel stanti, vel sedenti, ac præcipue quiescenti. Nam & prolixo, nec exili corpore erat: & specie canitieque pulcra, opimis ceruicibus. Ceterum & ingredientem destituebant poplites minus firmi, & remisse quid vel serio agentem multa dehonestabant. Risus indecens; ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus: * præterea linguæ titubantia: caputque * tum semper, tum in quantulocumque actu vel maxime tremulum.

31 VALETVDINE sicut olim graui, ita princeps * perprospera vsus est, excepto stomachi dolore quo se correptum, etiam de consciscenda morte cogitasse dixit.

32 CONVIVIA agitauit & ampla & assidua, ac fere patentissimis locis; vt plerumque * sexcenteni simul discumberent. * Conuiuatus & super emissarium Fucini lacus, ac pæne submersus, cum emissa impetu aqua redundasset. Adhibebat omni

cœnæ

cenæ & liberos suos cum pueris puellisque nobilibus; qui more veteri ad fulera le-
ctorum sedentes vescerentur. Conuiuæ, qui pridie scyphum aureum surripuisse
existimabatur, reuocato in diem posterum calicem fictilem apposuit. Dicitur et-
iam meditatus edictum, quo veniam daret* flatum crepitumque ventris in conui-
uio emittendi; cum periclitatum quemdam præ pudore ex continentia reperisset.

CIBI vinique, quocumque & tempore & loco, appetentissimus. Cognoscens 33
quondam in Augusti foro, *ictusque nidore prandii, quod in *proxima Martis æde
Salus apparabatur, deserto Tribunali, *adscendit ad sacerdotes, vnaque discubuit.
Nec temere vmquam *triclinio abscessit, nisi distentus ac *madens: & vt statim su-
pino, ac per somnium hianti, *pinna in os inderetur, ad exonerandum stomachum.
Somni breuissimi erat. Nam ante mediam noctem plerumque vigilabat: vt tamen
interdiu non numquam in iure dicendo obdormisceret, vixque ab aduocatis de in-
dustria vocem augentibus excitaretur. Libidinis in feminas profusissimæ, *ma-
rium omnino expers. *Alea studiosissime lusit; de cuius arte librum quoque emisit:
solitus etiã in *gestatione ludere; ita essedo alueoq; adaptatis, ne lusus cõfunderetur.

SÆVVM & sanguinarium natura fuisse, magnis minimisque apparuit rebus. Tor- 34
menta quæstionum, pœnasque parricidarum repræsentabat exigebatque coram.
Cum spectare antiqui moris supplicium Tiburi concupisset, & deligatis ad palum
noxiis carnifex deesset, accitum ab vrbe vesperam vsque opperiri perseuerauit.
Quocumque gladiatorio munere, vel suo vel alieno, etiam forte prolapsos iugula-
ri iubebat, maxime retiarios, vt exspirantium faciem videret. Cum par quoddam
mutuis ictibus concidisset, cultellos sibi paruulos ex vtroque ferro in vsum fieri sine
mora iussit. Bestiariis *meridianisque adeo delectabatur, *vt etiam prima luce
ad spectaculum descenderet; & meridie, dimisso ad prandium populo, *persederet:
præterq; destinatos, etiam leui subitaq; de caussa, quosdam committeret, de fabro-
rum quoque ac ministrorum, atque id genus numero, *si αὐτόματον, vel pegma, vel quid
tale aliud parum cessisset. Induxit & vnũ ex nomẽclatoribus suis, sicut erat togatus.

SED nihil æque quam timidus ac diffidens fuit. Primis Imperii diebus, quam- 35
quam (vt diximus) iactator ciuilitatis, neque conuiuia inire ausus est, nisi *vt spicu-
latores cum lanceis circumstarent, militesque vice ministrorum fungerentur: ne-
que ægrum quemquam visitauit, nisi explorato prius cubiculo, culcitisque & stra-
gulis prætentatis & excussis: reliquo autem tempore salutatoribus scrutatores sem-
per apposuit; & quidem omnibus, & acerbissimos. Sero enim ac vix remisit, ne
feminæ prætextatique pueri & puellæ contrectarentur, & ne cuius comiti aut libra-
rio calamariæ aut graphiariæ thecæ adimerentur. Motu ciuili, cum eum Camil-
lus non dubitans etiam citra bellum posse terreri, contumeliosa & minaci & contu-
maci epistola cedere imperio iuberet, vitamque otiosam in priuata re agere: dubita-
uit, adhibitis principibus viris, an obtemperaret.

QVASDAM insidias temere *delatas adeo expauit, vt deponere Imperium ten- 36
tauerit. Quodam (vt supra retuli) cum ferro circa sacrificantem se deprenso, Sena-
tum per præcones propere conuocauit: lacrymisque & vociferatione miseratus est
conditionem suam, cui nihil tuti vsquam esset: ac diu publico abstinuit. Messalli-
næ quoque amorem flagrantissimum, non tam indignitate contumeliarum, quam
periculi metu abiecit, cum adultero Silio acquiri Imperium credidisset: quo tempo-
re fœdum in modum trepidus ad castra confugit, nihil tota via, quam essetne sibi
saluum Imperium, requirens.

NVLLA adeo suspicio, nullus auctor tam leuis exstitit, a quo non, mediocri scru- 37
pulo iniecto, ad cauendum vlciscendumq; compelleretur. Vnus ex litigatoribus, se-
ducto in salutatione affirmauit, se vidisse per quietem, occidi eum a quodam: deinde
paullo post, quasi percussorem agnosceret, libellũ tradentem aduersarium suum de-
monstrauit: confestimq; is pro deprehenso ad pœnã raptus est. Pari modo oppres-
sum ferunt Ap. Silanum: quem cum Messallina & Narcissus conspirassent perdere,
diuisis partibus, alter ante lucem similis attonito, patroni cubiculum irrupit, affirmãs
somniasse se, vim ei ab Appio illatam: altera, in admirationem *formata, sibi quoq;
eamdẽ speciem aliquot iam noctibus obuersari retulit. Nec multo post ex cõposito

irrumpere Appius nuntiatus, cui pridie, ad id temporis vt adesset, præceptum erat; quasi plane repræsentaretur somnii fides, * accersi statim, ac mori iussus est. Nec dubitauit postero die Claudius ordinem rei gestæ perferre ad Senatum, ac liberto gratias agere, quod pro salute sua etiam dormiens excubaret.

38 IRÆ atque iracundiæ conscius sibi, * vtrumque excusauit edicto; distinxitque, pollicitus alteram quidem breuem & innoxiam, alteram non iniustam fore. Ostiensibus, quia sibi subeunti Tiberim scaphas obuiam non miserint, grauiter correptis, eaque cum inuidia, vt in ordinem se * coactum conscriberet, repente * tantum non satisfacientibus veniam modo dedit. Quosdam in publico parum tempestiue adeuntes, manu sua repulit. * Item scribam quæstorium, itemque Prætura functum Senatorem, inauditos & innoxios relegauit: quod ille aduersus priuatum se intemperantius affuisset, hic in Ædilitate inquilinos prædiorum suorum contra vetitum * cocta vendentes multasset, villicumque interuenientem flagellasset. Qua de caussa etiam * coertionem popinarum Ædilibus ademit. At ne stultitiam quidem suam reticuit, simulatamque a se ex industria sub Caio, quod aliter euasurus peruenturusque ad susceptam stationem non fuerit, quibusdam oratiunculis testatus est. nec ante persuasit, quam intra breue tempus liber editus sit; cui index erat μωρῶν * ἐπανάστασις: argumentum autem, Stultitiam neminem fingere.

39 INTER cetera in eo mirati sunt homines & obliuionem, & inconsiderantiam; vel (vt Græce dicam) μετεωρίαν καὶ ἀβλεψίαν. Occisa Messallina, paullo post, quam in triclinio decubuit, cur domina non veniret, requisiuit. Multos ex iis quos capite damnauerat, postero statim die & in * concilium, & ad aleæ lusum * admoneri iussit: & quasi morarentur, vt somniculosos per nuntium increpuit. Docturus contra fas Agrippinam vxorem, non cessauit omni oratione filiam & alumnam, & in gremio suo natam atque educatam, prædicare. * Adsciturus in nomen familiæ Neronem, quasi parum reprehenderetur quod adulto iam filio priuignum adoptaret, identidem diuulgauit, neminem vnquam per adoptionem familiæ Claudiæ insertum.

40 SERMONIS vero rerumque tantam sæpe negligentiam ostendit, vt nec quis, nec inter quos, quoue tempore ac loco verba faceret, scite ac cogitare existimaretur. Cum de laniis, aut vinariis ageretur, exclamauit in Curia; *Rogo vos, quis potest sine offula viuere?* * Descripsit abundantiam veterum tabernarum, vnde solitus esset vinum olim & ipse petere. De * Quæstore quodam candidato inter caussas suffragationis suæ posuit, quod pater eius frigidam ægro sibi tempestiue dedisset. Inducta teste in Senatu, *Hæc*, inquit, *matris meæ liberta, & ornatrix fuit: sed me patronum semper existimauit. Hoc ideo dixi, quod quidam sunt adhuc in domo mea, qui me patronum non putant.* Sed & pro Tribunali, Ostiensibus quiddam publice orantibus, cum excanduisset, nihil habere [se] vociferatus est, quare eos demereatur: si quem alium, & se liberum esse. Nam illa eius quotidiana, & plane omnium horarum & momentorum erant; *Quid? ego tibi * Theogonius videor, & λεγόμενος?* multaque talia, etiam priuatis deformia, nedum principi, neque infacundo, neque indocto; immo etiam pertinaciter liberalibus studiis dedito.

41 HISTORIAM in adolescentia, hortante T. Liuio, Sulpicio vero Flauo etiam adiuuante, scribere * aggressus est. Et cum primum frequenti auditorio commisisset, ægre perlegit, refrigeratus sæpe a semetipso. Nam cum initio recitationis defractis compluribus subselliis, obesitate cuiusdam, risus exortus esset: ne sedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex interuallo subinde facti reminisceretur, cachinnosque reuocaret. In principatu quoque & scripsit plurimum, & assidue recitauit per lectorem. Initium autem sumsit historiæ post cædem Cæsaris Dictatoris. Sed [&] transiit ad inferiora tempora, cœpitque a pace ciuili: cum sentiret neque libere, neque vere sibi de superioribus tradendi potestatem relictam, correptus sæpe & a matre, & ab auia. Prioris materiæ duo volumina; posterioris, vnum & XL reliquit. Composuit & de vita sua octo volumina; magis inepte, quam ineleganter. Item Ciceronis defensionem aduersus Asinii Galli libros; satis eruditam. Nouas etiam commentus est * litteras tres, ac numero veterum quasi maxime necessarias [illegible]

addidit. De quarum ratione cum priuatus adhuc volumen edidisset, mox princeps non difficulter obtinuit, vt in vsu quoque promiscuo essent. Exstat talis scriptura in plerisque libris, ac diurnis titulisque operum.

NEC minore cura Græca studia secutus est, amorem præstantiamque linguæ 42
occasione omni professus. Cuidam barbaro Græce & Latine differenti, *Cum vtroque*, inquit, *sermone nostro sis *peritus*. Et in commendanda patribus conscriptis Achaia, gratam sibi prouinciam ait, communium studiorum commercio. Ac sæpe in Senatu legatis perpetua oratione respondit. Multum vero, pro Tribunali etiam, Homericis locutus est versibus. Quoties quidem hostem vel insidiatorem vltus esset, excubitori Tribuno signum de more poscenti, non temere aliud dedit quam, Ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ. Denique & Græcas scripsit historias, *Tyrrhenicῶn XX, Carchedoniacῶn VIII. Quarum caussa veteri Alexandriæ museo *additum ex ipsius nomine, institutumque vt quotannis in altero Tyrrhenicῶn libri, altero Carchedonicῶn diebus statutis, velut in auditorio recitarentur toti a singulis per vices.

SVB exitu vitæ, signa quædam nec obscura pœnitentis de matrimonio Agrippi- 43
næ, deque Neronis adoptione dederat. Siquidem commemorantibus libertis, ac laudantibus cognitionem, qua pridie quamdam adulterii ream condemnauerat: sibi quoque in fatis esse iactauit omnia impudica, sed non impunita matrimonia. Et subinde obuium sibi Britannicum arctius complexus, hortatus est vt cresceret, rationemque a se omnium factorum acciperet; Græca insuper voce prosecutus, *ὁ τρώσας ἰάσεται. Cumque impubi teneroque adhuc, quando statura permitteret, togam dare destinasset, adiecit; *Vt tandem pop. R. verum Cæsarem habeat*.

*NON multoque post, testamentum etiam conscripsit, ac signis omnium Magi- 44
stratuum obsignauit. Prius igitur quam vltra progrederetur, præuentus est ab Agrippina; quam præter hæc conscientia quoque, nec minus delatores multorum criminum, arguebant. Et veneno quidem occisum conuenit: vbi autem, & per quem dato, discrepat. Quidam tradunt, epulanti in arce cum sacerdotibus, per Halotum spadonem prægustatorem: alii, domestico conuiuio, per ipsam Agrippinam, quæ boletum medicatum, auidissimo ciborum talium, obtulerat. Etiam de subsequentibus diuersa fama est. Multi statim hausto veneno obmutuisse aiunt, excruciatumque doloribus nocte tota, defecisse prope lucem. Non nulli inter initia consopitum, deinde cibo affluente euomuisse omnia: repetitumque toxico, incertum pultine addito, cum velut exhaustum refici cibo oporteret, an immisso per clysterem, vt quasi abundantia laboranti etiam hoc genere egestionis subueniretur.

MORS eius celata est, donec circa successorem omnia ordinarentur. Itaque 45
& quasi pro ægro adhuc vota suscepta sunt, & inducti per simulationem comœdi, qui velut *desiderantem oblectarent. Excessit III Idus Octobris, Asinio Marcello, Acilio Auiola COSS. LXIIII ætatis, Imperii *XIIII anno. Funeratusque est solenni principum pompa, & in numerum deorum relatus. Quem honorem a Nerone destitutum abolitumque, recepit mox per Vespasianum.

PRÆSAGIA mortis eius præcipua fuerunt: exortus crinitæ stellæ, *quam co- 46
metem vocant, tactumque de cœlo monumentum Drusi patris; & quod eodem anno ex omnium Magistratuum genere plerique mortem obierant. Sed ipse nec ignorasse, aut dissimulasse vltima vitæ suæ tempora videtur, aliquot quidem argumentis. Nam & cum COSS. designaret, neminem vltra mensem quo obiit, designauit: & in Senatu, cui nouissime interfuit, multum ad concordiam liberos suos cohortatus, vtriusque ætatem suppliciter patribus commendauit. Et in vltima cognitione pro Tribunali, accessisse se ad finem mortalitatis, quamquam abominantibus qui audiebant, semel atque iterum pronuntiauit.

C. SVETONII TRANQVILLI NERO CLAVDIVS CÆSAR, VI.

1 EX gente Domitia duę familię claruerunt, Caluinorum, & Aenobarborum. *Aenobarbi*, auctorem originis, itemque cognominis habent L. Domitium: cui rure quondam reuertenti, iuuenes gemini augustiore forma ex occursu imperasse traduntur, nuntiaret Senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat; atque in fidem maiestatis adeo permulsisse malas, vt e nigro rutilum, ærique assimilem capillum redderent. Quod insigne mansit & in posteris eius, ac magna pars rutila barba fuerunt. Functi autem Consulatibus VII, * triumpho, censuraque duplici, & inter patricios allecti, perseuerarunt omnes in eodem cognomine. Ac ne prænomina quidem vlla, præterquam Cnæi & Lucii, vsurparunt: eaque ipsa notabili varietate, modo continuantes vnumquodque per *ternas personas, modo alternantes per singulas. Nam primum secundumque ac tertium Aenobarborum, Lucios; rursus sequentes tres, ex ordine Cnæos accepimus: reliquos non nisi vicissim, tum Lucios, tum Cnæos. Plures e familia cognosci, referre arbitror: quo facilius appareat, ita degenerasse a suorum virtutibus Neronem, vt tamen vitia cuiusque, quasi tradita & ingenita, retulerit.

2 VT igitur paullo altius repetam, atauus eius Cn. Domitius, in Tribunatu Pontificibus offensior, quod alium quam se in patris sui locum cooptassent, ius sacerdotum subrogandorum a collegiis ad populum transtulit: ac in Consulatu Allobrogibus Aruernisque superatis, elephanto per prouinciam inuectus est, turba militum, quasi inter sollennia triumphi, prosequente. In hunc dixit *Licinius Crassus orator, non esse mirandum quod æneam barbam haberet, *cui esset os ferreum, cor plumbeum. Huius filius Prętor [C.] Cęsarem abeuntē Consulatu, quem aduersus auspicia legesque gessisse existimabatur, ad disquisitionē Senatus vocauit: mox COS. Imperatorem ab exercitibus Gallicis retrahere tentauit: successorque ei per factionem nominatus, principio ciuilis belli ad Corfinium captus est. Vnde dimissus, Massilienses obsidione laborantes, cum aduentu suo confirmasset, repente destituit. acieq; demum Pharsalica occubuit: vir neque satis constans, & ingenio truci. In desperatione rerum, mortem timore appetitam ita expauit, vt haustum venenum pœnitentia *euomuerit, medicumque manumiserit, qui idem sibi prudens ac sciens minus noxium temperasset. Consultante autem Cn. Pompeio de* mediis ac neutram partem sequentibus, solus censuit hostium numero habendos.

3 RELIQVIT filium omnibus gentis suæ proculdubio præferendum. Is inter conscios Cæsarianæ necis, quamquam insons, damnatus lege Pedia, cum ad Cassium Brutumq; se propinqua sibi cognatione coniunctos contulisset, post vtriusq; interitū classem olim commissam retinuit: auxit etiam: nec nisi partibus vbiq; profligatis, M. Antonio sponte, & ingentis meriti loco tradidit: solusq; omnium ex iis, qui pari lege damnati erant, restitutus in patriam, am plissimos honores *percucurrit: ac subinde redintegrata dissensione ciuili, eidē Antonio legatus, delatam sibi summam Imperii ab iis quos Cleopatrę pudebat, neq; suspicere, neq; recusare fidenter propter subitā valetudinē, ausus, transiit ad Augustum: & in diebus paucis obiit, nō nulla & ipse infamia adspersus. Nam Antonius eum desiderio amicę Seruilię Naidis transfugisse iactauit.

4 Ex hoc Domitius nascitur; quem emtorem * familiæ pecuniæque in testamento Augusti fuisse, mox vulgo notatum est: non minus aurigandi arte in adolescentia clarus, quam deinde ornamentis triumphalibus* ex Germanico bello. Verum arrogans, profusus, immitis *CENS. L. Plancum via sibi decedere Ædilis coegit: Præturæ Consulatusque honore, equites R. matronasque ad agendum mimum produxit in scenam: venationesque & in Circo, & in omnibus vrbis regionibus dedit. Munus etiam gladiatorum: sed tanta sæuitia, vt necesse fuerit Augusto, clam frustra monitum, edicto coercere.

Ex Antonia maiore patrem Neronis procreauit, omni parte vitæ detestabilem. 5
Siquidem comes ad orientem C. Cæsaris [iuuenis,] occiso liberto suo, quod* potare quantum iubebatur, recusarat, dimissus e cohorte amicorum, nihilo modestius vixit. Sed & in viæ Appiæ vico, repente puerum, citatis iumentis, haud ignarus obtriuit: & Romæ, medio foro cuidam equiti R. liberius iurganti oculum eruit: perfidiæ vero tantæ, vt non modo argentarios pretiis rerum coemtarum, sed & in Prætura mercede palmatum aurigarios fraudauerit. Notatus ob hæc & sororis ioco, querentibus dominis factionum, repræsentanda præmia in posterum sanxit. Maiestatis quoque & adulteriorum, incestique cum sorore Lepida sub excessu Tiberii reus, mutatione temporum euasit: decessitque Pyrgis morbo aquæ intercutis, sublato filio Nerone ex Agrippina Germanico genita.

Nero* natus est Antii post IX menses quam Tiberius excessit, XVIII Kalend. 6
Ianuarias; *tantum quod exoriente Sole; pæne vt radiis prius, quam terra contingeretur: de genitura eius statim multa & formidolosa, multis coniectantibus. Præsagio fuit etiam Domitii patris vox, inter gratulationes amicorum negantis, quidquam ex se & Agrippina, nisi detestabile & malo publico nasci potuisse. Eiusdem futuræ infelicitatis signum euidens die lustrico exstitit. Nam C. Cæsar, rogante sorore, vt infanti [ei,] quod vellet, nomen daret, intuens Claudium patruum suum, a quo mox principe [Nero] adoptatus est, eius se dixit dare: neque [id] ipse serio, sed per iocum, & aspernante Agrippina, quod tum Claudius inter ludibria aulæ erat. Trimulus patrem amisit: cuius ex parte tertia heres, ne hanc quidem integram cepit, correptis per coheredem Caium vniuersis bonis: & subinde matre etiam relegata, pæne inops atque egens apud amitam Lepidam nutritus est, sub duobus pædagogis, saltatore atque tonsore. Verum Claudio Imperium adepto, non solum paternas opes recuperauit: sed & Crispi Passieni vitrici sui hereditate ditatus est. Gratia quidem & potentia reuocatæ restitutæque matris vsque eo floruit, vt emanaret in vulgus, missos a Messallina vxore Claudii, qui eum meridiantem quasi Britannici æmulum strangularent. Additum* fabulæ est, eosdem dracone e puluino se proferente conterritos refugisse. Quæ fabula exorta est, deprehensis in lecto eius circum ceruicalia serpentis exuuiis: quas tamen aureæ armillæ ex voluntate matris inclusas dextro brachio gestauit aliquamdiu; ac tædio tamdem maternæ memoriæ abiecit, rursusque extremis suis rebus frustra requisiuit.

Tener adhuc, nec dum matura pueritia, Circensibus ludis Troiam constan- 7
tissime fauorabiliterque lusit. *Vndecimo ætatis anno, a Claudio adoptatus est, Annæoque Senecæ iam tunc Senatori in disciplinam traditus. Ferunt Senecam proxima nocte visum sibi per quietem, C. Cæsari præcipere. & fidem somnio Nero breui fecit, prodita immanitate naturæ, quibus primum potuit experimentis. Namque Britannicum fratrem, quod se post adoptionem Aenobarbum ex consuetudine salutasset, vt *subditicium apud patrem arguere conatus est. Amitam etiam Lepidam, ream testimonio coram afflixit; gratificans matri, a qua rea premebatur. Deductus in forum tiro, populo congiarium, militi donatiuum proposuit: *indictaq; decursione prætorianis, scutum sua manu prætulit: exinde patri gratias in Senatu egit. *Apud eumdem Consulem pro Bononiensibus Latine, & pro Rhodiis atque Iliensibus Græce verba fecit. *Auspicatus est & iurisdictionem *Præfecti vrbis, sacro Latinarum celeberrimis patronis, non translaticias, vt assolet, & breues; sed maximas plurimasque postulationes certatim ingerentibus: quamuis interdictum a Claudio esset. Nec multo post duxit vxorem Octauiam: ediditque pro Claudii salute Circenses, & venationem.

Septemdecim natus annos, vt de Claudio palam factum est, inter horam 8
sextam septimamque processit ad excubitores: cum ob totius diei diritatem non aliud auspicandi tempus accommodatius videretur: proque Palatii gradibus Imperator consalutatus, lectica in castra, & inde raptim appellatis militibus in Curiam [illegible]tus est. Discessit iam vesperi ex immensis, quibus cumulabatur, honoribus, tantum Patris patriæ nomine recusato, propter ætatem.

O[illegible]ine a pietatis ostentatione, Claudium apparatissimo funere elatum 9

laudauit, consecrauitque. Memoriæ Domitii patris honores maximos habuit. Matri summam omnium rerum publicarum priuatarumque permisit. Primo etiam Imperii die signum excubanti Tribuno dedit, *Optimam matrem*: ac deinceps eiusdem sæpe lectica per publicum simul vectus est. Antium coloniam deduxit, adscriptis veteranis e prætorio, additisq; per domicilii translationem ditissimis primipilarium: vbi & portum operis sumptuosissimi fecit.

10 Atqve, vt *certiorem adhuc indolem ostenderet, ex Augusti præscripto imperaturum se professus: neque liberalitatis, neque clementiæ,* nec comitatis quidem exhibendæ vllam occasionem omisit. Grauiora vectigalia aut aboleuit, aut minuit. Præmia delatorum *Papiæ legis, ad quartas redegit, diuisis populo viritim *quadringenis nummis. Senatorum nobilissimo cuique, sed a re familiari destituto, annua salaria, & quibusdam quingena constituit: item prætorianis cohortibus frumentum menstruum[que] gratuitum. Et cum de supplicio cuiusdam capite damnati, vt ex more subscriberet, admoneretur; *Quam vellem*, inquit, *nescire litteras!* Omnes ordines subinde, ac memoriter salutauit. Agenti senatui gratias, respondit; *Cum meruero*. Ad campestres exercitationes suas admisit & plebem; declamauitque sæpius publice. Recitauit & carmina, non modo domi, sed[&] in theatro; tanta vniuersorum lætitia, vt ob recitationem supplicatio decreta sit,* atque pars carminum aureis litteris Ioui Capitolino dicata.

11 Spectacvlorvm plurima & varia genera edidit: iuuenales, circenses, scenicos ludos, gladiatorium munus. * Iuuenalibus senes quoq; consulares, anusq; matronas recepit ad lusum. Circensibus, loca equiti secreta a ceteris tribuit: commisitque etiam camelorum quadrigas. Ludis quos pro æternitate imperii susceptos appellari *maximos* voluit, ex vtroq; ordine & sexu plerique ludicras partes sustinuerunt. Notissimus eques R. elephanto supersedens per *catadromũ decucurrit. Inducta est [&] Afranii togata, quæ *Incendiũ* inscribitur. concessumq;, vt scenici ardentis domus supellectilem diriperent, ac sibi haberent. Sparsa & populo missilia omnium rerum per omnes dies, singula quotidie millia: auium cuiusq; generis multiplex penus, *tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, iumenta, atque etiam mansuetæ feræ: nouissime naues, insulæ, agri.

12 Hos ludos spectauit e proscenii fastigio. Munere quod in Amphitheatro ligneo, [in] regione Martii campi intra anni spatium fabricato dedit, neminẽ occidit, ne *noxium quidem. Exhibuit autem ad ferrum etiam *quadringentos Senatores, *sexcentosq; equites R. & quosdam fortunæ atq; existimationis integræ* ex iisdem ordinibus; confectoresq; ferarum, * & varia arenæ ministeria. Exhibuit & naumachiã, marina aqua innantibus belluis: item Pyrrhichas quasdam e numero epheborum; quibus post editã operam diplomata ciuitatis Romanæ singulis *obtulit. Inter Pyrrhicharum argumenta, taurus Pasiphaen [in] ligneo iuuencæ simulacro abditam iniit; vt multi spectantium crediderunt. Icarus primo statim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipsumque cruore respersit. Nam perraro præsidere, ceterum accubans primum paruis foraminibus, deinde toto podio adaperto spectare consueuerat. Instituit & quinquennale certamen primus omnium Romæ, more Græco, triplex; musicum, gymnicum, equestre; quod appellauit *Neronia*. *Dedicatisque thermis atque gymnasio, Senatui quoque & equiti oleum præbuit. Magistros toti certamini præposuit consulares sorte, * sede Prætorum: deinde in orchestram Senatumque descendit, & orationis quidem carminisque Latini coronam, de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi recepit: Citharam autem a iudicibus ad se delatam adorauit, ferrique ad Augusti statuam iussit. Gymnico, quod in septis edebat, inter *buthysiæ apparatum, barbam primam posuit, conditam[q;] in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam, *Capitolio consecrauit. Ad athletarum spectaculum inuitauit & virgines Vestales: quia Olympiæ quoque Cereris sacerdotibus spectare conceditur.

13 Non immerito inter spectacula ab eo edita & * Tiridatis in vrbem introitum retulerim. Quem Armeniæ regem magnis pollicitationibus sollicitatum, cum destinato per edictum die ostensurus populo propter nubilum distulisset, pro[illegible] op-

portunissime

portunissime potuit; dispositis circa fori templa armatis cohortibus, curuli residens apud Rostra triumphantis habitu, inter signa militaria atque vexilla: & primo per deuexum pulpitum subeuntem admisit ad genua; alleuatumque dextra exosculatus est: dein precanti, tiara deducta, diadema imposuit; verba supplicis interpretata prætorio viro multitudini pronuntiante. Perductum inde in Theatrum, ac rursus supplicantem, iuxta se latere dextro collocauit. ob quæ Imperator consalutatus, laurea in Capitolium lata.

14 IANVM geminum clausit, *tam nullo quam residuo bello. Consulatus quatuor gessit: primum bimestrem, secundum & nouissimum semestres, tertium quadrimestrem: medios duos continuauit, reliquos inter annua spatia variauit.

15 IN* iurisdictione postulatoribus nisi sequenti die, ac per libellos, non temere respondit. *In cognoscendo, morem eum tenuit, vt continuis actionibus [omissis] singulatim quæque per vices ageret. Quoties autem ad consultandum* secederet, neque in commune quidquam, neque propalam deliberabat. Sed & conscriptas ab vnoquoque sententias tacitus ac secreto legens, *quid ipsi libuisset, perinde atque pluribus idem videretur, pronuntiabat. In Curiam libertinorum filios diu non admisit: admissisq; a prioribus principibus honores denegauit. Candidatos, qui supra numerum essent, in solatium dilationis ac moræ, legionibus præposuit. Consulatum in senos plerumq; menses dedit. Defunctoq; *circa Kalend Ianuarias altero e coss. neminem substituit: improbans exemplum vetus Caninii* Rebuli, vno die Consulis. Triumphalia ornamenta, *etiam quæstoriæ dignitatis non nullis ex equestri ordine tribuit: nec vtique de caussa militari. sed & de quibusdam rebus orationes ad Senatum missas, præterito Quæstoris officio, per* COS. plerumque recitabat.

16 FORMAM ædificiorum vrbis nouam excogitauit: & vt ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur: easque sumtu suo exstruxit. Destinarat etiam* Ostia tenus mœnia promouere, atque inde fossa mare veteri vrbi inducere. Multa sub eo & animaduersa seuere, & coercita, nec minus instituta: adhibitus sumtibus modus: publicæ cenæ ad sportulas redactæ: interdictum ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera veniret; cum antea nullum non opsonii genus proponeretur: afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis nouæ ac maleficæ: vetiti quadrigariorum lusus, quibus inueterata licentia passim vagantibus, fallere ac furari per iocum ius erat: pantomimorum factiones cum ipsis simul relegatæ.

17 ADVERSVS falsarios tunc primum repertum, ne tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina traiecto, obsignarentur. Cautum vt in testamentis primæ, duæ ceræ, testatorum modo nomine inscripto, vacuæ signaturis ostenderentur: ac ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi adscriberet: item vt litigatores pro patrociniis certam iustamque mercedem, pro subselliis nullam omnino darent, præbente ærario gratuita: vtque rerum actu ab ærario caussæ ad forum ac* recuperatores transferrentur: & vt* omnes appellationes a iudicibus ad Senatum fierent.

18 AVGENDI propagandique Imperii neque voluntate vlla, neque spe motus vmquam, etiam ex Britannia deducere exercitum cogitauit: nec nisi verecundia, ne obtrectare parentis gloriæ videretur, destitit. Ponti modo regnum, concedente Polemone; item Alpium, defuncto *Cottio, in prouinciæ formam redegit.

19 PEREGRINATIONES duas omnino suscepit, Alexandrinam, & Achaicam: sed* Alexandrina ipso profectionis die destitit, turbatus simul religione, ac periculo. Nam cum circuitis templis in æde Vestæ resedisset, consurgenti ei primum lacinia obhæsit: deinde tanta caligo coorta est, vt* dispicere non posset. In Achaia Isthmum perfodere aggressus, prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus est: tubaque signo dato, primus rastello humum effodit, &* corbulæ congestam humeris extulit. Parabat & ad Caspias portas expeditionem, conscripta ex Italicis senum pedum tironibus noua legione, quam Magni Alexandri phalangem appellabat. Hæc partim nulla reprehensione, partim etiam non mediocri laude digna, in vnum contuli: vt secernerem a probris ac sceleribus eius, de quibus dehinc dicam.

20 INTER ceteras disciplinas pueritiæ *imbutus [tempore] & musica, statim vt Imperium adeptus est, *Terpnum citharœdum *vigentem tunc præter alios, accersiit: diebusque continuis post cenam canenti in multam noctem assidens, paullatim & ipse meditari exercerique cœpit; nec eorum quidquam omittere, quæ generis eius artifices, vel conseruandæ vocis caussa, vel augendæ factitarent: sed & plumbeam *chartam supinus pectore *sustinere, & clystere vomituq. purgari, & abstinere pomis, cibisq. *officientibus: donec blandiente profectu (quamquam exiguæ vocis, & *fuscæ) prodire in scenam concupiuit, subinde inter familiares Græcum prouerbium iactans, *occultæ musicæ nullum esse respectum*. Et prodiit Neapoli primum: ac ne concusso quidem repente motu terræ Theatro, ante cantare destitit, quam inchoatum absolueret *nomon. Ibidem sæpius & per complures cantauit dies: sumto etiam ad reficiendam vocem breui tempore, impatiens secreti, a balneis in Theatrũ transiit: mediaq. in orchestra frequente populo epulatus, si paullum subbibisset, aliquid se *sufferti tinniturum Græco sermone promisit. Captus autem modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de nouo cõmeatu Neapolim confluxerant, plures Alexandria euocauit. Neq. eo segnius *adolescentes equestris ordinis, & quinq; amplius millia e plebe robustissimę iuuentutis vndiq. elegit, qui diuisi in factiones, plausuum genera condiscerent, (*bombos*, & *imbrices*, & *testas* vocabant) operamque nauarent cantanti sibi insignes pinguissima coma, & excellentissimo cultu pueri, *nec sine anulo læuis: quorum duces quadragena millia I I S. merebant.

21 CVM magni æstimaret cantare, etiam Romæ *Neroneum agona* ante præstitutam diem reuocauit. Flagitantibusque cunctis cælestem vocem, respondit quidem, in hortis se copiam volentibus facturum: sed adiuuante vulgi preces etiam statione militum, quæ tunc excubabat, repræsentaturũ se pollicitus est libens: ac sine mora nomen suum in albo profitentium citharœdorum iussit adscribi: sorticulaque in vrnam cum ceteris demissa, intrauit ordine suo; simul [que] Præfecti prætorii, citharã sustinentes; post Tribuni militum, iuxtaq; amicorum intimi. Vtque constitit, peracto principio, Nioben se cantaturum per *Cluuium Rufum consularem pronuntiauit, & in horam fere decimam perseuerauit: coronamq; eam, & reliquam certaminis partem, in annum sequentem distulit, vt sæpius canendi occasio esset. Quod cum tardum videretur, non cessauit identidem se publicare. Non dubitauit etiam in priuatis spectaculis operam inter scenicos dare, quodam Prætorum I I S decies offerente. Tragœdias quoque cantauit personatus; heroum deorumque, item heroidum ac dearum personis *effictis ad similitudinẽ oris sui, & feminæ, prout quamque diligeret. Inter cetera cantauit Canacen parturientem, Orestem matricidam, Oedipodem *excæcatum, Herculem insanum. In qua fabula fama est tirunculum militem, positum ad custodiam aditus, cum eum *ornari ac vinciri catenis, sicut argumentum postulabat, videret, accurrisse ferendæ opis gratia.

22 EQVORVM studio vel præcipue ab ineunte ætate flagrauit: plurimusque illi sermo, quamquam vetaretur, de Circensibus erat: & *quondam tractum Prasinum agitatorem inter condiscipulos querens, obiurgante magistro, de Hectore se loqui ementitus est. Sed cum inter initia Imperii, eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet, ad omnes etiam *minimos Circenses secessu commeabat, primo clam, deinde propalam: vt nemini dubium esset, eo die vtique affuturum. Neque dissimulabat, velle se palmarum numerum ampliare: quare spectaculum multiplicatis *missilibus in serum protrahebatur; ne dominis quidem iam factionum dignantibus, nisi ad totius diei cursum, greges ducere. Mox & ipse aurigare, atque etiam spectari sæpius voluit: positoque in hortis inter seruitia & sordidam plebem rudimento, vniuersorum se oculis in Circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam, vnde Magistratus solent. Nec contentus harum artium experimenta Romæ dedisse, Achaiam (vt diximus) petit; hinc maxime motus. Instituerant ciuitates, apud quas musici agones edi solent, omnes citharœdorum coronas ad ipsum mittere. Eas adeo grate recipiebat, vt legatos, qui pertulissent, non modo primos admitteret, sed etiam familiaribus epulis interponeret. A quibusdam ex his rogatus, vt cantaret super cenam, exceptusque effusius: solos scire audire Græcos, solosque se & studiis

suis dignos ait. Nec profectione dilata, vt primum Cassiopen traiecit, statim ad aram Iouis Cassii cantare auspicatus est.

23 CERTAMINA deinceps obiit omnia. Nam & quæ diuersissimorum temporum sunt, cogi in vnum annum, quibusdam etiam iteratis, iussit. Olympiæ quoque præter consuetudinem musicum agona commisit. Ac, ne quid circa hæc occupatum auocaret detineretue, cum præsentia eius vrbicas res egere a liberto Helio admoneretur, rescripsit his verbis: *Quamuis nunc tuum consilium sit & votum**, *me celeriter reuerti: tamen suadere & optare potius debes, vt Nerone dignus reuertar*. Cantante eo, nec necessaria quidem caussa excedere Theatro licitum erat. Itaque & enixæ quædam in spectaculis dicuntur, & multi, tædio audiendi laudandique, *clausis oppidorum portis, aut furtim desiluisse de muro, aut morte simulata funere elati. Quam autem trepide anxieque certauerit, quanta aduersariorum æmulatione, quo metu iudicum, vix credi potest. Aduersarios, quasi plane conditionis eiusdem, obseruare, captare, infamare* secreto, non numquam ex occursu maledictis incessere: ac si qui arte præcellerent, corrumpere etiam solebat. Iudices autem, prius quam inciperet, reuerentissime alloquebatur, omnia se facienda fecisse; sed euentum in manu esse fortunæ: illos, vt sapientes & doctos viros, fortuita debere excludere: atque vt auderet, *hortantibus, æquiore animo recedebat: ac ne sic quidem sine sollicitudine, taciturnitatem pudoremq; quorumdam pro tristitia ac malignitate arguens, suspectosque sibi dicens.

24 IN certando vero ita legi obediebat, vt numquam exscreare ausus, sudorem quoque frontis brachio detergeret: atq; etiam in quodã tragico actu, cum elapsum baculum cito resumsisset, pauidus & metuens, ne ob delictum certamine submoueretur, non aliter confirmatus est, quam adiurante hypocrita, non animaduersum id inter exsultationes succlamationesq; populi. Victorem autem se ipse pronuntiabat. Qua de caussa & præconio vbique contendit. Ac ne cuius alterius hieronicarũ memoria aut vestigium exstaret vsquam, subuerti & vnco trahi, abiicique in latrinas omnium statuas & imagines imperauit. Aurigauit quoq; plurifariam, Olympiis vero etiam decemiugem: quamuis idipsum in rege Mithridate, carmine quodã suo reprehendisset. Sed excussus curru, ac rursus repositus, cum perdurare non posset, destitit ante decursum: nec eo secius coronatus est. Decedens deinde, prouinciã vniuersam libertate donauit: simulq; iudices ciuitate Romana, & pecunia grandi. Quæ beneficia e medio stadio, Isthmiorum die, sua ipse voce pronuntiauit.

25 REVERSVS e Græcia Neapolim, quod in ea primum artem protulerat, albis equis introiit, disiecta parte muri, vt mos hieronicarũ est. Simili modo Antium; inde *Albanum; inde Romam. Sed & Romam eo curru quo Augustus olim triumphauerat, & in * veste purpurea, distinctaque stellis aureis chlamyde, coronamq; capite gerens * Olympicam, dextra manu Pythiam; præeunte pompa* ceterarum cum titulis, vbi, & quos, quo cantionum, quoue fabularum argumento vicisset: sequentibus currum ouantium ritu plausoribus, *Augustanos, militesq; se triumphi eius** clamantibus. Dehinc diruto Circi maximi arcu, per Velabrum forumque, * Palatium & Apollinem petiit. Incedenti passim victimæ cæsæ, sparso per vias identidem croco, ingestæque aues, ac lemnisci, & bellaria. Sacras coronas in cubili circum lectos posuit. Item statuas suas citharœdico habitu: qua nota etiam nummum percussit. Ac post hæc tantum abfuit a remittendo laxandoque studio, vt conseruandæ vocis gratia, neque milites vmquam, nisi absens, aut alio verba pronuntiante, appellarit: neq; quidquam serio iocoue egerit, nisi adstante phonasco, qui moneret, parceret arteriis, ac sudarium ad os applicaret: multisque vel amicitiam suam obtulerit, vel simultatem indixerit, prout quisque se magis parciusue laudasset.

26 PETVLANTIAM, libidinem, luxuriam, auariciam, crudelitatem, sensim quidem primo & occulte, velut iuuenili errore, exercuit; sed vt tunc quoque dubium nemini foret, naturæ illa vitia, non ætatis esse. Post crepusculum statim, arrepto [illegible] vel galero, popinas inibat: circumque vicos vagabatur ludibundus, nec sine pernicie tamen. Siquidem redeuntes a cena verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacis[illegible]ergere assueuerat: tabernulas etiam effringere, & expilare, quincta-

na domi constitura, vbi partæ, & ad licitationem *diuidendæ prædæ pretium *assumeretur. Ac sæpe in eiusmodi rixis, oculorum & vitæ periculum adiit, a quodam *laticlauio, cuius vxorẽ attrectauerat, prope ad necem cæsus. Quare numquã postea se publico illud horæ sine Tribunis commisit, procul & occulte subsequentibus. Interdiu quoque clam gestatoria sella delatus in Theatrum, seditionibus pantomimorum ex parte proscenii superiori, signifer simul ac spectator aderat. Et cum ad manus ventum esset, lapidibusque & subselliorum fragminibus decerneretur, multa & ipse iecit in populum, atque etiam Prætoris caput consauciauit.

27 PAVLLATIM vero inualescentibus vitiis, iocularia & latebras omisit; nullaque dissimulandi cura, ad maiora palam erupit. Epulas e medio die ad mediam noctem protrahebat: refotus sæpius calidis piscinis, ac tempore æstiuo niuatis. Cenitabatque non numquam & in publico, naumachia præclusa, vel Martio campo, vel Circo maximo, inter scortorum totius vrbis *ambubaiarumque ministeria. Quoties Ostiam Tiberi deflueret, *aut Baianum sinum præternauigaret, dispositæ per litora & ripas diuersoriæ tabernæ parabantur, insignes ganeæ & matronarum *institorio copas imitantium, atque hinc inde orantium vt appelleret. Indicebat & familiaribus cenas; quorum vni *mellita quadragies I I S. constiterunt, alteri pluris aliquanto *ab Syrtio rosaria.

28 SVPER ingenuorum *pædagogia, & nuptarum concubinatus, Vestali virgini Rubriæ vim intulit. *Acten libertam paullum abfuit quin iusto matrimonio sibi coniungeret; submissis consularibus viris qui regio genere ortam peierarent. Puerum Sporum, exsectis testibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus est: cum dote, & flameo, *per sollenne nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se, pro vxore habuit. Exstatque cuiusdam non inscitus iocus, bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset vxorem. Hunc Sporum, Augustarum ornamentis excultum lecticaque vectum, & circa conuentus mercatusque Græciæ, ac mox Romæ circa Sigillaria, comitatus est, identidem exosculans. Nam matris concubitum appetisse; & ab obtrectatoribus eius, ne ferox atque impotens mulier & hoc genere gratiæ præualeret, deterritum nemo dubitauit: vtique postquam meretricem, quam fama erat Agrippinæ simillimam, inter concubinas recepit. Olim etiam quoties lectica cum matre veheretur, libidinatum inceste, ac maculis vestis proditum affirmant.

29 SVAM quidem pudicitiam vsque adeo *prostituit, vt contaminatis pæne omnibus membris, nouissime quasi genus lusus excogitaret: *quatenus feræ pelle contectus emitteretur e cauea, virorumque ac feminarũ ad stipitem deligatorum inguina inuaderet: & cum affatim desæuisset, conficeretur a Doryphoro liberto; cui etiam, sicut ipsi Sporus, ita ipse denupsit, voces quoque & eiulatus vim patientium virginum imitatus. Ex non nullis comperi, persuasissimum habuisse eum, neminem hominem pudicum, aut vlla corporis parte purum esse: verum plerosque dissimulare vitium, & *calliditate obtegere: ideoque professis apud se obscenitatem, cetera quoque concessisse delicta.

30 DIVITIARVM & pecuniæ fructum non alium putabat, quam profusionem: sordidos ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret: prælautos, vereque magnificos, qui abuterentur ac perderent. Laudabat mirabaturque auunculum Caium, nullo magis nomine, quam quod ingentes a Tiberio relictas opes in breui spatio prodegisset. Quare nec largiendi, nec absumendi modum tenuit. *In Tiridatem, quod vix credibile videatur, *octingenta nummûm millia diurna erogauit; abeuntique super I I S. millies contulit. Menecratem citharœdum, & *Spicillum myrmillonem triumphalium virorum patrimoniis ædibusque donauit. *Cercopithecum Panerotem feneratorem, & vrbanis rusticisque prædiis locupletatum, prope regio extulit funere. Nullam vestem bis induit. *Quadringenis in punctum I I S. aleam lusit. Piscatus est rete *aurato, purpura coccoque funibus nexis. Numquam carrucis minus mille fecisse iter traditur; soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata & *phalerata cum mazacum turba, atque cursorum.

NON

31 NON in alia re damnosior quam in ædificando. Domum a Palatio Esquilias vsq; fecit. Quam primo transitoriam, mox incendio absumptam restitutamq., auream nominauit De cuius spatio atq; cultu suffecerit hoc retulisse. Vestibulum eius fuit, in quo colossus CXX pedum *staret ipsius effigie. Tanta laxitas, vt porticus triplices milliarias haberet. Item stagnum maris instar, circumseptum ædificiis ad vrbium speciem. Rura insuper aruis atq; vineis & pascuis siluisque varia, cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In ceteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis vnionumq, conchis erant. Cenationes laqueatæ tabulis eburneis *versatilibus; vt flores ex fistulis & vnguenta desuper spargerentur. Præcipua cenationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi *circumageretur: *balineæ marinis & Albulis fluentes aquis. Eiusmodi domum cum absolutam dedicaret, hactenus comprobauit, vt [se] diceret quasi hominem tamdē habitare cœpisse. Prętereà incoabat piscinam a Miseno ad Auernum lacum, contectam, porticibus[q;] conclusam, quo, quidquid totis Baiis* calidarum esset, committeretur: Fossam ab Auerno Ostiam vsque, vt nauibus, nec tamen mari, iretur, longitudinis per CLX milliaria latitudinis, qua contrariæ quinqueremes commearent. Quorum operum perficiendorum gratia, *quod vbique esset custodiæ, in Italiam deportari; etiam scelere conuictos, non nisi ad opus damnari, præceperat. Ad hunc impendiorum furorem super fiduciam Imperii, etiam spe quadam repentina immensarum & reconditarum opum, impulsus est, ex indicio equitis R. pro comperto pollicentis thesauros antiquissimæ gazæ, quos Dido regina fugiens Tyro secum extulisset, esse in Africa vastissimis specubus abditos, ac posse erui paruula molientium opera.

32 VERVM vt spes fefellit, destitutus, atque ita iam exhaustus & egens, vt stipendia quoque militum, & commoda veteranorum protrahi ac differri necesse esset; calumniis rapinisque intendit animum. Ante omnia instituit, vt e libertorum defunctorum bonis pro semisse* dodrans cogeretur ei, qui sine probabili caussa eo nomine* essent, quo fuissent illæ familiæ quas ipse contingeret: deinde vt ingratorum *in principem testamenta ad fiscum pertinerent: ac ne impune esset *studiosis iuris, qui scripsissent vel dictassent ea: tum vt lege maiestatis facta* dictaque omnia, quibus modo delator non deesset, tenerentur. Reuocauit & præmia coronarum, quæ vmquam sibi in certaminibus ciuitates detulissent. Et cum interdixisset vsum amethystini ac Tyrii coloris; submisissetque qui nundinarum die pauculas vncias venderet: præclusit cunctos negotiatores. Quinetiam inter canendum animaduersam matronam e spectaculis, vetita purpura cultam, demonstrasse procuratoribus suis* creditur: detractamque ilico, non veste modo, sed & bonis exuit. Nulli *delegauit officium, vt non adiceret; *Scis quid mihi opus sit*: &, *Hoc agamus, ne quis quidquam habeat*. Vltimo, templis compluribus dona detraxit, simulacraque ex auro vel argento fabricata conflauit: in his Penatium Deorum; quæ mox Galba restituit.

33 PARRICIDIA & cædes a Claudio exorsus est: cuius necis, etsi non auctor, at conscius fuit: neq; dissimulanter; vt qui boletos, in quo cibi genere venenum is acceperat, quasi deorum cibum, posthac prouerbio Græco collaudare sit solitus. Certe omnibus rerum verborumque contumeliis mortuum insectatus est, modo stultitiæ, modo sæuitiæ arguens. Nam & morari eum inter homines desisse, producta prima syllaba iocabatur: multaque decreta & constituta, vt insipientis atque deliri, pro irritis habuit. Denique bustum eius consepiri, nisi humili leuique materia neglexit. Britannicum non minus æmulatione vocis, quæ illi iucundior suppetebat, quam metu, ne* quando apud hominum gratiam paterna memoria præualeret, veneno aggressus est. quod acceptum a* quadam Locusta venenariorum indice, cum opinione tardius cederet, ventre modo Britannici moto: accersitam mulierem sua manu verberauit; arguens pro veneno remedium dedisse. Excusantiq; minus datum, ad occultandam facinoris inuidiam; *Sane*, inquit, *legem Iuliam timeo*: Egitq; se coram in cubiculo quam posset velocissimum ac præsentaneū coquere. deinde in hędo expertus, postquā is quinque horas protraxit; iterum ac sæpius recoctum nouello obiecit. Quo statim exanimato, inferri in triclinium, darique cenan-

ri secum Britannico imperauit. Et cum ille ad primum gustum concidisset, comitiali morbo ex consuetudine correptum apud conuiuas ementitus, postero die raptim inter maximos imbres translaticio extulit funere. Locustæ pro nauata opera,*impunitatem prædiaque ampla, sed & discipulos dedit.

34 MATREM, dicta factaque sua exquirentem acerbius & corrigentem, hactenus primo grauabatur, vt inuidia identidem oneraret, quasi cessurus Imperio, Rhodumque abiturus: mox & honore omni, & potestate priuauit: abductaque militum & Germanorum statione, contubernio quoque ac Palatio expulit. Neque in diuexanda quidquam pensi habuit: submissis & qui Romæ morantem litibus, & in secessu quiescentem, per conuitia & iocos, terra marique prætervehentes, inquietarent. Verum minis eius ac violentia territus, perdere statuit. Et cum veneno ter tentasset, sentiretque antidotis præmunitam, lacunaria, quæ noctu super dormientem *luxata machina deciderent, parauit. Hoc cõsilio per conscios parum celato, solutilem nauem, cuius vel naufragio, vel cameræ ruina periret, commentus est. Atque ita reconciliatione simulata, iucundissimis litteris Baias euocauit ad sollennia Quinquatrium simul celebranda: datoque negotio trierarchis, qui Liburnicam, qua aduecta erat, velut fortuito concursu confringerent, protraxit conuiuium. Repetentique Baulos, in locum corrupti nauigii, machinosum illud obtulit, hilare prosecutus: atque in digressu papillas quoque exosculatus, reliquum temporis cum magna trepidatione vigilauit, opperiens cœptorum exitum. Sed vt diuersa omnia, nandoque euasisse eam comperit, inops consilii,* L. Agerinum libertum eius, saluam & incolumem cum gaudio nuntiantem, *obiecto clam iuxta pugione, vt percussorem sibi subornatum arripi constringiq; iussit, matremque occidi: quasi deprehensum crimen voluntaria morte vitasset. Adduntur his atrociora, nec incertis auctoribus, ad visendum interfectæ cadauer accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse; sitique interim oborta bibisse. Neque tamen sceleris conscientiam, quamquam & militum & Senatus populiq; gratulationibus confirmaretur, aut statim aut vnquam postea ferre potuit: sæpe confessus exagitari se materna specie, verberibus Furiarum, ac tædis ardentibus. Quin & facto per Magos sacro, euocare Manes & exorare tentauit. Peregrinatione quidem Græciæ, Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii & scelerati voce præconis submouentur, interesse non ausus est. Iunxitque parricidio matris, amitæ necem. Quam cum ex duritia alui cubantem visitaret, & illa tractans lanuginem eius, vt assolet, iam grandis natu, per blanditias forte dixisset, *Simul hanc excepero, mori volo*: conuersus ad proximos, confestim se positurum, velut irridens, ait: præcepitque medicis, vt largius purgarent ægram. *Nam necdum defunctæ bona inuasit, suppresso testamento, ne quid abscederet.

35 VXORES præter Octauiam duas postea duxit: Poppæam Sabinam, quæstorio patre natam, & equiti Romano ante nuptam: deinde Statiliam Messallinam, Tauri bis Consulis ac triumphalis abneptem, qua vt potiretur, virum eius Atticum* Vestinum COS. in honore ipso trucidauit. Octauiæ consuetudinem cito aspernatus, corripientibus amicis, sufficere illi debere respondit vxoria ornamẽta. Eamdẽ mox sæpe frustra strangulare meditatus, dimisit vt sterilem: sed improbante diuortiũ populo, nec parcente conuitiis, etiam relegauit: deniq; occidit sub crimine adulteriorum adeo impudenti falsoque, vt in quæstione pernegantibus cunctis, Anicetũ pædagogum suum [indicem] subiecerit, qui dolo stupratam a se fateretur. Poppæam duodecimo die post diuortium Octauiæ in matrimonium acceptam, dilexit vnice. & tamen ipsam quoque ictu calcis occidit; quod se ex aurigatione sero reuersum, grauida & ægra conuitiis incesserat. Ex hac filiam tulit Claudiam Augustam, amisitque admodum infantem. Nullum adeo necessitudinis genus est, quod non scelere perculerit. Antoniam Claudii filiam, recusantem post Poppææ mortẽ nuptias suas, quasi molitricem nouarum rerũ, interemit. * Similiter interemit ceteros, aut affinitate aliqua sibi, aut propinquitate coniunctos. In quibus Aulum * Plautium iuuenem: quem cum ante mortem per vim*constuprasset; *Eat nunc*, inquit, *mater* [m... *& successorem meum osculetur*. iactans dilectum ab ea, & ad spem Imperii impulsum. Priuignum *Ruffinum Crispinum Poppæa natum, impuberem adhuc ... fere; bat...

batur ducatus & impetia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, seruis ipsius de-
mandauit. Tuscum nutricis filium relegauit; quod in procuratione Aegypti *bal-
neis in aduentum suum exstructis, lauisset. *Senecam præceptorem ad necem
compulit: quamuis sæpe commeatum petenti, bonisque cedenti, * persancte iuras-
set, suspectum se frustra; periturumq; potius quam nociturum ei. Burro Præfe-
cto remedium ad fauces pollicitus, toxicum misit. Libertos diuites & senes, olim
adoptionis, mox dominationis suæ fautores atq; rectores, veneno partim cibis, par-
tim potionibus indito, intercepit.

Nec minore sæuitia foris & in exteros grassatus est. Stella crinita, quæ summis, 36
potestatibus exitium portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri cœperat.
Anxius ea re, vt ex *Babilo astrologo didicit, solere reges talia ostenta cæde aliqua
illustri expiare, atque a semet in capita procerum depellere: nobilissimo cuique exi-
tium destinauit. Enimuero multo magis & quasi per iustam caussam duabus con-
iurationibus *promulgatis: quarum prior maiorque, Pisoniana, Romæ; posterior,
Viniciana, Beneuenti conflata * atque detecta est: coniurati e vinculis triplicium
catenarum dixere caussam: cum quidam crimen vltro faterentur, non nulli etiam
* imputarent, tamquam aliter illi non possent nisi morte succurrere, dedecorato fla-
gitiis omnibus. Damnatorum liberi vrbe pulsi, enectique veneno aut fame. Con-
stat quosdam cum pædagogis & capsariis vno prandio pariter necatos, alios diur-
num victum prohibitos quærere.

Nullus posthac adhibitus delectus, aut modus interimendi quoscumque li- 37
buisset, quacumque de caussa. Sed ne de pluribus referam, Saluidieno * Orfito obie-
ctum est, quod tabernas tres de domo sua circa forum ciuitatibus ad stationem lo-
casset: Cassio Longino iurisconsulto, * ac luminibus orbato, quod in vetere gentili
stemmate C. Cassii percussoris Cæsaris, imagines * retinuisset: Pæto Thraseæ, tri-
stior & pædagogi vultus. Mori iussis, non amplius quam horarium spatium dabat.
At ne quid moræ interuenitet, medicos admouebat, qui cunctantes continuo cura-
rent. Ita enim vocabat, venas mortis gratia incidere. Creditur etiam polyphago
cuidam Ægyptii generis, crudam carnem, & quidquid daretur mandere assueto,
concupisse viuos homines laniandos absumendosque obiicere. Elatus inflatusq;
tantis velut successibus, negauit quemquam principum scisse quid sibi liceret. Mul-
tasque nec dubias significationes sæpe fecit, ne reliquis quidem se parsurum Senato-
ribus; eumque ordinem sublaturum quandoque e republ. ac prouincias & exerci-
tus equiti R. ac libertis permissurum. Certe neque adueniens, neque proficiscens,
quemquam osculo *impertiuit, ac ne resalutatione quidem. Et in auspicando opere
Isthmi, magna frequentia clare, vt sibi ac populo R. bene res verteret, optauit; dissi-
mulata Senatus mentione.

Sed nec populo aut mœnibus patriæ pepercit. Dicente quodam in sermone 38
communi, ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί: *Immo*, inquit, *ἐμοῦ ζῶντος. Planeque ita fecit.
Nam quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, & angustiis flexurisq; vico-
rum, incendit vrbem tam palam, vt plerique consulares * cubicularesque eius,
cum stupa tædaque in prædiis suis deprehensos non attigerint; & quædam hor-
rea circa domum auream, quorum spatium maxime desiderabat, * vi bellicis ma-
chinis labefactata, atq; inflammata sint, quod saxeo muro constructa erant. Per
sex dies, septemque noctes ea clade sæuitum est, ad monumentorum bustorumque
diuersoria plebe compulsa. Tunc præter immensum numerum insularum, domus
priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatæ, Deorumque ædes
ab regibus, ac deinde Punicis & Gallicis bellis votæ dedicatæque; & quidquid
visendum atque memorabile ex antiquitate durauerat. Hoc incendium e tur-
ri *Mæcenatica prospectans, lætusque flammæ (vt aiebat) pulcritudine, * ἅλωσιν
Ilii decantauit in illo suo scenico habitu. Ac ne non hinc quoque quantum pos-
set prædæ & manubiarum inuaderet, pollicitus cadauerum & ruderum gratuitam
egestionem, nemini ad reliquias rerum suarum adire permisit: *collationibus-
que] non receptis modo, verum & efflagitatis, prouincias priuatorumque census
prope exhausit.

39 ACCESSERVNT tantis ex principe malis probrisque quædam & fortuita: pestilentia vnius autumni, qua XXX funerum millia in rationē Libitinæ venerunt: clades Britannica, qua duo præcipua oppida, magna* ciuium sociorumque cæde, direpta sunt: ignominia ad Orientem, legionibus in Armenia sub iugum missis, ægreque Syria retenta. Mirum, & vel præcipue notabile inter* hæc fuit, nihil eum patientius quam maledicta & conuitia hominum tulisse, neque in vllos leniorem, quam qui se dictis aut carminibus lacessissent, exstitisse. Multa Græce Latineque* proscripta aut vulgata sunt, sicut illa: Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων, μητροκτόνοι, *Νεόψηφον Νέρων ἰδίαν μητέρα ἀπέκτεινε. *Quis negat Aeneæ magna de stirpe Neronem? Sustulit hic matrem; sustulit ille patrem. Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus, Noster erit paean, ille ἑκατηβελέτης. Roma domus fiet: Veios migrate Quirites; Si non & Veios occupat ista domus.* Sed neq; auctores requisiuit, & quosdam per indicem delatos ad Senatum, affici grauiore pœna prohibuit. Transeuntem eum Isidorus Cynicus in publico clara voce corripuerat, quod* Naupli mala bene cantitaret, sua bona male disponeret: &* Datus Atellanarum histrio, in cantico quodam, ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ, ita demonstrauerat, vt bibentem natantemque faceret, *exitum C. Claudii Agrippinæque significans: & in nouissima* clausula, *Orcus vobis ducit pedes*, Senatum gestu notaret: histrionem & philosophum Nero nihil amplius quam vrbe Italiaque submouit, vel contemtu omnis infamiæ, vel ne fatendo dolorem, irritaret ingenia.

40 TALEM principem paullo minus per XIIII annos perpessus terrarum orbis, tandem destituit; initium facientibus Gallis, duce* Iulio Vindice, qui tum eam prouinciā pro Prætore obtinebat. Prædictū a mathematicis Neroni olim erat, fore vt quandoque destitueretur: vnde illa vox eius celeberrima, *τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει: quo maiore venia meditaretur citharœdicam artem, principi sibi gratam, priuato necessariam. *Spoponderunt tamē quidam* destituto ei ordinationē Orientis, nonnulli nominatim regnum Hierosolymorum, plures omnis pristinæ fortunæ restitutionem. Cui spei pronior, Britannia Armeniaque amissa, ac rursus vtraque recepta, defunctum se fatalibus malis existimabat. Vt vero cōsulto Delphis Apolline, septuagesimum ac tertium annum cauendum sibi audiuit, quasi eo demum obiturus, ac nihil coniectans de ætate Galbæ, tanta fiducia, non modo senectam, sed etiam perpetuam singularemque concepit felicitatem, vt amissis naufragio pretiosissimis rebus, nō dubitauerit inter suos dicere, pisces eas sibi relaturos. Neapoli de motu Galliarum cognouit die ipso, quo matrem occiderat: adeoque lente ac secure tulit, vt *gaudentis etiam *suspicionem præberet; tamquam occasione nata spoliandarum iure belli opulentissimarum prouinciarum. Statimque in gymnasium progressus, certantes athletas effusissimo studio spectauit. Cenæ quoque tempore interpellatus tumultuosioribus litteris, hactenus excanduit, vt malum iis qui* descissent, minaretur. Denique per octo continuos dies non rescribere cuiquam, non mandare quid aut præcipere conatus, rem silentio oblitterauit.

41 EDICTIS tamdem Vindicis [&] contumeliosis & frequentibus permotus, Senatum epistola in vltionem sui reique publicæ adhortatus est, excusato languore faucium, propter quem non adesset. Nihil autem æque doluit, quam vt* *citharœdum malum* se increpitum, ac pro Nerone* *Aenobarbum* appellatum. Et nomen quidem gentile, quod sibi per contumeliam exprobraretur, resumturum se professus est, deposito adoptiuo: cetera conuitia, vt falsa, non alio argumento refellebat, quam quod etiam* inscitia tantopere laboratæ perfectæque a se artis obiiceretur; singulos subinde rogitans, nossentne quemquam præstantiorem. Sed vrgentibus aliis super alios nuntiis, Romam prætrepidus rediit. leuiterq; modo in itinere friuolo auspicio mente recreata, cum annotasset insculptum monumento, militem Gallum ab equite R. oppressum trahi crinibus, ad eam speciem exsiluit gaudio, cœlumque adorauit. Ac ne tunc quidem aut Senatu, aut populo coram* appellato, quosdam e primoribus viris* demum euocauit; transactaque raptim consultatione, reliquam diei partem per organa hydraulica noui & ignoti generis circumduxit: *ostendensque singula, de ratione ac difficultate cuiusque disserens, *iamq; etiam prolaturum omnia in Theatrum affirmauit, si per Vindicem liceat.

POSTQVAM *etiam deinde Galbam & Hispanias desciuisse cognouit, collapsus, animoq; male fracto, diu & sine voce, & prope intermortuus iacuit. vtq; *resipuit, veste* descissa, capite conuerberato, actum de se pronũtiauit. Consolantiq; nutriculæ, & alios quoque iam principibus similia accidisse memoranti, se vero præter ceteros inaudita & incognita pati respondit, qui* suum Imperium viuus amitteret. Nec eo secius quidquam ex consuetudine luxus atque desidiæ* omisit vel imminuit. quinimmo, cum prosperi quiddam ex prouinciis nuntiatum esset, super abundantissimam cenam ioculatia in defectionis duces carmina, * lasciueque modulata, quæ vulgo innotuerunt, etiam gesticulatus est: ac spectaculis Theatri clam illatus, cuidam scenico placenti nuntium misit, abuti eum occupationibus suis.

43 INITIO statim tumultus, multa & immania, verum non abhorrentia * a sua natura, creditur destinasse: successores percussoresque submittere exercitus & prouincias regentibus, quasi conspiratis, idemque & vnum sentientibus: quidquid vbique exsulum, quidquid in vrbe hominum Gallicanorum esset, contrucidare, illos, ne desciscentibus aggregarentur, hos, vt conscios popularium suorum, atque fautores: Gallias exercitibus diripiendas permittere, Senatum vniuersum veneno per conuiuia necare, vrbem incendere, feris in populum immissis, quo difficilius defenderetur. Sed absterritus, non tam pœnitentia, quã* perficiendi desperatione, credensque expeditionem necessariam, COSS. ante tempus priuauit honore: atque in vtriusque locum solus iniit Consulatum; quasi fatale esset, non posse Gallias debellari* nisi a COS. ac susceptis fascibus. Cum post epulas triclinio digrederetur, innixus humeris familiarium, affirmauit, simul ac primum prouinciam attigisset, inermem se in conspectum exercituum proditurum, nec quidquam aliud quam fleturum: reuocatisque ad pœnitentiam defectoribus, sequenti die lætum inter lętos cantaturum epinicia, quæ iam nunc sibi componi oporteret.

44 IN præparanda expeditione primam curam habuit deligendi vehicula, portandis scenicis organis, concubinasque, quas secum educeret, tondendi ad virilem modum, & securibus peltisque Amazonicis instruendi. Mox tribus vrbanas ad sacramentum citauit: ac nullo idoneo respondente, certum dominis seruorum numerum indixit: nec nisi ex tota cuiusq; familia probatissimos, ne dispensatoribus quidẽ aut amanuensibus exceptis, recepit. Partem etiam census omnes ordines conferre iussit: & insuper inquilinos priuatarum ædium atque insularum, pensionem annuam repræsentare fisco. Exegitque ingenti fastidio & acerbitate * nummum asperum, *argentum pustulatum, *aurum ad obrusam: vt plerique omnem collationem palam recusarent, consensu flagitantes, a delatoribus potius reuocanda præmia quęcumque * cepissent.

45 EX annonæ quoque caritate* lucrantium accreuit inuidia. Nam & forte accidit vt in publica fame, Alexandrina nauis nuntiaretur puluerem luctatoribus aulicis aduexisse. Quare omnium in se odio concitato, nihil contumeliarum defuit quin subiret. Statuæ eius a vertice* cirrus appositus est cum inscriptione Græca, Nunc demum agona esse, &*traderet tandem. Alterius* collo & ascopera deligata, simulq; titulus, *Ego* quid potui? sed tu culeum meruisti.* Adscriptum & columnis, iam gallos * eum cantando excitasse. *iam noctibus iurgia cum seruis plerique simulantes, crebro* vindicem poscebant.

46 TERREBATVR adhæc euidentibus portentis somniorum & auspiciorum, & *omnium tum veteribus tum nouis; numquam antea somniare solitus. Occisa demum matre, vidit per quietem, nauem sibi regenti extortum gubernaculum: trahique se ab Octauia vxore in artissimas tenebras: & modo pennatarum formicarum multitudine oppleri; modo a simulacris gentiũ ad Pompeii Theatrum dedicatarum* circuiri, arcerique progressu: Asturconem, quo maxime lætabatur, posteriore corporis parte in simiæ speciem transfiguratum, ac tantum capite integro hinnitus edere canoros. De Mausoleo, sponte foribus patefactis, exaudita vox est, nomine [illegible]* cientis. * Kalend. Ianuarii exornati Lares, in ipso sacrificii apparatu conciderunt. Auspicanti Sporus anulum muneri obtulit; cuius gemmæ sculptura erat, Proserpinæ [illegible] Votorum nuncupatione, magna iam ordinum frequentia, vix re-

pertæ Capitoli claues. Cum ex oratione eius, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in Senatu, daturos pœnas sceleratos, ac breui dignum * exitum facturos, conclamatum est ab vniuersis; *Tu facies Auguste.* Obseruauerant etiam fuerat, nouissimam fabulam cantasse eum publice Oedipodem exsulem, atque in hoc * decidisse versu, Θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ.

47 NVNTIATA etiam interim ceterorum exercituum defectione, litteras prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subuertit: duos scyphos gratissimi vsus, quos Homericos a celatura carminum Homeri vocabat, solo illisit: ac sumto a Locusta veneno, & in auream pyxidem condito, transiit in hortos Seruilianos. Vbi præmissis libertorum fidissimis, Ostiam, ad classem præparandam, Tribunos, Centurionesque prætorii de fugæ societate tentauit. Sed partim tergiuersantibus, partim aperte detrectantibus, vno vero etiam proclamante, *Vsque adeo ne mori miserum est?* varia agitauit, Parthos ne an Galbam supplex peteret, an atratus prodiret in publicum, proque rostris * quanta posset maxima miseratione veniam præteritorum precaretur: ac ni flexisset animos, vel Ægypti præfecturam concedi sibi oraret. Inuentus est postea in scrinio eius hac de re sermo formatus. Sed deterritum putant, ne prius quam in forum perueniret, discerperetur. Sic cogitatione in posterum diem dilata, ad mediam fere noctem excitatus, vt comperit stationem militum recessisse, prosiluit e lecto, misitque circum amicos. & quia nihil a quoquam renuntiabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. Verum clausis omnium foribus, respondente nullo, in cubiculum rediit: vnde iam & custodes diffugerant, direptis etiam stragulis, amota & pyxide veneni. Ac statim * Spicillum myrmillonem, vel quemlibet alium percussorem, cuius manu periret, requisiuit. & nemine reperto; *Ergo ego,* inquit, *nec amicum habeo, nec inimicum?* procurritque quasi præcipitaturus se in Tiberim.

48 SED reuocato rursus impetu, aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum desiderauit: & offerente Phaonte liberto suburbanum suum inter Salariam & Numentanam viam circa quartum milliarium: vt erat nudo pede atque tunicatus, pænulam obsoleti coloris superinduit: adopertoque capite, & ante faciem * obtenso sudario, equum inscendit, quatuor solis comitantibus; inter quos & Sporus erat. Statimque tremore terræ, & fulgure aduerso pauefactus, audit ex proximis castris clamorem militum, & sibi aduersa, & Galbæ prospera ominantium: etiam ex obuiis viatoribus quemdã dicentem, *Hi Neronem persequuntur*: alium sciscitantem, *Ecquid in vrbe noui de Nerone?* Equo autem odore abiecti in via cadaueris consternato, detecta facie agnitus est a quodam Missicio prætoriano, & salutatus. Vt ad diuerticulum ventum est, dimissis equis inter fruticeta ac vepres per arundineti semitam ægre, nec nisi strata sub pedibus veste, * ad aduersum villæ parietem euasit. Ibi hortante * eodem Phaonte, vt interim in specum egestæ arenæ * concederet, negauit se viuum sub terram iturum: ac parumper commoratus, dum clamdestinus ad villam introitus pararetur, aquam ex subiecta lacuna potaturus manu hausit: *Et hæc est,* inquit, *Neronis decocta.* * Deinde diuulsa sentibus pænula traiectos surculos rasit, atque ita quadrupes per angustias effossæ cauernæ receptus, in proximam cellam decubuit super lectum * modicella culcita, * vetere pallio strato instructum. Fameque & iterum siti interpellante, panem quidem sordidum oblatum aspernatus est, aquæ autem tepidæ aliquantulum bibit.

49 TVNC vnoquoque hinc inde instante, vt quamprimum se impendentibus contumeliis eriperet, scrobem coram fieri imperauit, dimensus ad corporis sui modulum, componique simul, si qua inuenirentur, frusta marmoris; & aquam simul ac ligna conferri curando mox cadaueri; flens ad singula, atque identidem dictitans; *Qualis artifex pereo!* Inter moras, perlatos a cursore Phaontis codicillos præripuit, legitque se hostem a Senatu iudicatum, & quæri, vt puniatur more maiorum. Interrogauitque, quale esset id genus pœnæ: & cum comperisset, nudi hominis ceruicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi: conterritus, duos pugiones, quos secum tulerat, arripuit: tentataque vtriusque acie, rursus condidit; caussatus nondum adesse fatalem horam. Ac modo Sporum hortabatur vt lamentari ac plangere inciperet: modo

rēt: modo orabat vt se aliquis ad mortem capessendam exemplo iuuaret: interdum segnitiem suam his verbis increpabat, *Viuo deformiter* ac turpiter*: οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει, νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις. ἄγε, ἔγειρε σεαυτόν. Iamque equites appropinquabant; quibus præceptum erat, vt viuum eum attraherent. Quod vt sensit, trepidanter effatus, ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει: ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito a libellis. Semianimisque adhuc, *interrumpenti Centurioni, & pænula ad vulnus apposita, in auxilium se venisse simulanti, non aliud respondit, quam *Sero*, & *Hæc est fides*. Atque in ea voce defecit, exstantibus rigentibusque oculis vsque ad horrorem formidinemque visentium. Nihil prius ac magis a comitibus exegerat, quam ne potestas cuiquam capitis sui fieret: sed vt, quoquo modo, totus crematetur. *Permisit hoc Icelus Galbæ libertus, non multo ante vinculis exsolutus, in quæ primo tumultu coniectus fuerat.

FVNERATVS est impensa ducentorum millium, stragulis albis auro intextis; 50
quibus vsus Kalend. Ianuarij fuerat. Reliquias* Ecloge & Alexandria nutrices cum *Acte concubina gentili Domitiorum monumēto condiderunt, quod prospicitur e campo Martio impositum *colle hortorum. In eo monumento solium Porphyretici marmoris* superstanti Lunensi ara circumseptum est lapide Thasio.

STATVRA fuit pæne iusta: corpore maculoso &*fœdo: subflauo capillo: vultu 51
pulcro magis quam venusto: oculis cæsiis & hebetioribus: ceruice obesa, ventre proiecto: gracillimis cruribus: valetudine prospera. Nam qui luxuriæ immoderatissimæ esset, ter omnino per XIIII annos languit: atque ita, vt neque vino, neque consuetudine reliqua abstineret. Circa cultum habitumque adeo pudendus, vt comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem summiserit; ac plerumque* synthesin indutus, ligato circum collum sudario prodierit in publicum, sine cinctu, & discalceatus.

LIBERALES disciplinas omnes fere puer attigit. Sed a philosophia eum mater 52
auertit; monens, imperaturo contrariam esse: a cognitione veterum oratorum Seneca præceptor, quo diutius in admiratione sui detineret. Itaque ad poeticam pronus, carmina libenter, ac sine labore composuit: nec, vt quidam putant, aliena pro suis edidit. Venêre in manus meas pugillares libellique, cum quibusdam notissimis versibus ipsius chirographo* scriptis: vt facile appareret, non* translatos, aut dictante aliquo exceptos; sed plane quasi a cogitante atque generante exaratos: ita multa *& deleta, & inducta, & superscripta inerant.

HABVIT & pingendi, fingendique maxime, non mediocre studium. *Maxi- 53
ma autem popularitate efferebatur, omnium æmulus, qui quoquo modo animum vulgi mouerent. *Exiit post scenicas coronas opinio, proximo lustro descensurum eum ad* Olympia inter athletas. Nam luctabatur assidue: nec aliter certamina gymnica Græcia tota spectauerat, quam brabeutarum more in stadio humi assidens, ac si qua paria longius recessissent, in medium manibus suis protrahens. Destinauerat etiam, qui Appollinem cantu, Solem aurigando* æquiparare æstimaretur, imitari, & Herculis facta. Præparatumque leonem aiunt, quem vel claua vel brachiorum nexibus in Amphitheatri arena spectante populo nudus eliderer.

SVB exitu quidem vitæ palam vouerat, si sibi incolumis status permansisset,* pro- 54
diturum se* partæ victoriæ ludis, etiam hydraulam, & choraulam, & vtricularium; ac nouissimo die histrionem; saltaturumq; Virgilij Turnum. Et sunt qui tradant Paridem histrionem occisum ab eo, quasi grauem aduersarium.

ERAT illi æternitatis perpetuæque famæ cupido, sed inconsulta. Ideoque mul- 55
tis rebus ac locis vetere appellatione detracta, nouam* induxit ex suo nomine. Mensem quoque Aprilem *Neroneum* appellauit. Destinauerat & Romam *Neropolim* nuncupare.

RELIGIONVM vsquequaque contemtor, præter vnius Deæ Syriæ. Hanc mox 56
ita spreuit, vt vrina contaminaret: alia superstitione captus, in qua sola pertinacissime hæsit. Siquidem* icunculam puellarem cum, quasi remedium insidiarum, a plebeio quodam & ignoto, muneri accepisset, detecta confestim coniuratione, pro summo Numine trinisque in die sacrificiis colere perseuerauit: volebatque credi

monitione eius futura prænoscere. Ante paucos quam periret menses, attendit & exstispicio, nec vmquam litauit.

57 OBIIT* XXX & secundo ætatis anno, die quo quondam Octauiam interemerat. Tantumque gaudium publice præbuit, vt plebs pileata tota vrbe discurreret. Et tamen non defuerunt qui per longum tempus vernis æstiuisque floribus tumulum eius ornarent; ac modo imagines prætextatas in Rostris proferrent, modo edicta quasi viuentis, & breui magno inimicorum malo reuersuri. Quin etiam* Vologesus, Parthorum rex, missis ad Senatum legatis de instauranda societate, hoc etiam magnopere orauit, vt Neronis memoria coleretur. Denique cum post XX annos adolescente me exstitisset conditionis incertæ, qui se Neronem esse iactaret, tam fauorabile nomen eius apud Parthos fuit, vt vehementer adiutus & vix redditus sit.

C. SVETONII TRANQVILLI *SER.
GALBA, VII.

1 PROGENIES Cæsarum in Nerone defecit: quod futurum compluribus quidem signis,* sed euidentissimis duobus apparuit. Liuiæ olim post Augusti statim nuptias Veientanum suum reuisenti, præteruolans aquila gallinam albam, *ramum lauri rostro tenentem, ita vt rapuerat, demisit in gremium, cumq; nutriri alitem, pangi[q;] ramulum placuisset, tanta pullorum soboles prouenit, vt hodie quoque ea villa *ad Gallinas* vocetur: tale vero lauretum, vt triumphaturi Cæsares inde laureas decerperent: fuitque mos triumphantibus, alias confestim eodem loco pangere: & obseruatum est, sub cuiusque obitum, arborem ab ipso *institutam, elanguisse. Ergo nouissimo Neronis anno, & silua omnis exaruit radicitus, & quidquid ibi gallinarum erat, interiit: ac subinde tacta de cælo Cæsarum æde, capita* omnibus statuis simul deciderunt: *Augustique sceptrum e manibus excussum est.

2 NERONI Galba successit, nullo gradu contingens Cæsarum domum: sed haud dubie nobilissimus, magnaque & vetere prosapia: vt qui statuatum titulis pronepotem se Q. Catuli Capitolini semper adscripserit: Imperator vero etiam stemma in atrio proposuerit, quo paternam originem ad Iouem; maternam, ad* Pasiphaën Minois vxorem referret.

3 IMAGINES & elogia vniuersi generis exsequi, longum est, familiæ breuiter attingam. Qui primus Sulpiciorum cognomen *Galbæ* tulit, cur, aut vnde traxerit, ambigitur. quidam putant, quod opidum Hispaniæ frustra diu oppugnatum, illitis demum galbano facibus, succenderit: alii, quod in diuturna valetudine* galbeo, id est remediis lana inuolutis, assidue vteretur: non nulli, quod præpinguis fuerit visus; quem* galbam Galli vocant: vel contra, quod tam exilis, quam sunt animalia quę in esculis nascuntur, appellanturque galbæ. Familiam illustrauit *Ser. Galba* consularis, temporum suorum eloquentissimus: quem tradunt Hispaniam ex Prætura obtinentem, XXX Lusitanorum millibus perfidia trucidatis, Viriatini belli caussam exstitisse. Eius nepos, ob repulsam Consulatus infensus Iulio Cæsari, cuius legatus in Gallia fuerat, conspirauit cum Cassio & Bruto, propter quod Pedia lege damnatus est. Ab hoc sunt Imperatoris Galbæ auus & pater. Auus clarior studiis, quam dignitate. Non enim egressus Præturæ gradum, multiplicem nec incuriosam historiam edidit. Pater Consulatu functus, *quamquam breui corpore atq; etiam gibber, modicæque in dicendo facultatis caussas industrie actitauit. Vxores habuit *Mummiã Achaicam, neptem Catuli, proneptemque L. Mummii, qui Corinthum excidit: item Liuiam Ocellinam, ditem admodum, & pulcram. a qua tamen nobilitatis caussa appetitus vltro existimatur, & aliquanto enixius, postquam subinde instanti vitium corporis secreto posita veste detexit, ne quasi ignatam fallere videretur. Ex

Achaica liberos Caium & Seruium procreauit. quorum maior Caius, attritis facultatibus vrbe cessit: prohibitusq; a Tiberio sortiri anno suo Proconsulatum, voluntaria morte obiit.

SER. *Galba imperator*, M. Valerio Messalla, Cn. Lentulo COSS. natus est, IX Kalend. Ianuarii, in villa colli supposita, prope Terracinam sinistrorsum Fundos petentibus: Adoptatus a nouerca sua, Liuiũ nomẽ, &*Ocellare cognomen assumsit, mutato prænomine. Nam* *Lucium* mox pro *Seruio* vsque ad tempus Imperii vsurpauit. *Constat Augustum puero adhuc, salutanti se inter æquales, apprehẽsa *buccula dixisse, καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν* παρατρώξῃ. Sed & Tiberius, cum comperisset eum imperaturum, verum in senecta: *Viuat sane*, ait; *quando id ad nos nihil pertinet*. Auo quoque eius fulgur procuranti, cum exta de manibus aquila rapuisset, & in frugiferam quercum contulisset, summum, sed serum Imperium portendi familiæ, responsum est. Et ille irridens; *Sane*, inquit, *cum mula pepererit*. Nihil æque postea Galbam tentantem res nouas confirmauit, quam mulæ partus: ceterisque vt obscenum ostentum abhorrentibus, solus pro lætissimo accepit, memor sacrificii dictique aui. Sumta virili toga, somniauit fortunam dicentem, stare se ante fores defessam, &, nisi ocius reciperetur, cuicumque obuio prædæ futuram. Vtque euigilauit, aperto atrio, simulacrum æneum Deæ cubitali maius iuxta limen inuenit: idque gremio suo Tusculum, vbi æstiuare consueuerat, auexit: & in parte ædium consecratum, menstruis deinceps supplicationibus, & * peruigilio anniuersario coluit. *Quamquam ætate nondum constanti, veterem ciuitatis exoletumque morem, ac tantum in domo sua hærentem obstinatissime retinuit; vt liberti seruique bis die frequentes adessent, ac mane saluere, vesperi valere sibi singuli dicerent.

INTER liberales disciplinas attendit iuri: dedit & matrimonio operam. verum amissa vxore Lepida, duobusque ex ea filiis, remansit in cælibatu, neque sollicitari vlla conditione amplius potuit, ne Agrippinæ quidem viduatæ morte Domitii; quæ maritum quoq; adhuc [nec dum cælibẽ] Galbam, adeo omnibus sollicitauerat modis, vt* inter conuentum matronarum correpta iurgio, atq; etiam manu pulsata sit a matre* Lepida. Obseruauit [autem] ante omnes Liuiam Augustã: cuius & viuæ gratia plurimum valuit, & mortuæ testamento pæne ditatus est. *LLS namq; quingenties cum præcipuũ inter legatarios habuisset, quia* notata, non* perscripta erat summa, herede Tiberio legatum ad* quingenta reuocante, ne hæc quidem accepit. 5

HONORIBVS ante legitimum tempus initis, Prætor commissione ludorum Floralium, nouum spectaculi genus, elephantos funambulos edidit: exinde prouinciæ Aquitaniæ anno fere præfuit: mox Consulatum per sex menses ordinarium gessit. Euenitq; vt in eo ipse* L. Domitio patri Neronis, ipsi* Saluius Otho pater Othonis succederet, velut præsagium insequentis casus, quo medius inter vtriusque filios exstitit Imperator. *A Caio Cæsare, Gætulico substitutus, postridie quam ad legiones venit, solenni forte spectaculo plaudentes inhibuit, data tessera, vt manus pænulis continerent; *statim per castra iactatum est; *Disce miles militare: Galba est, non Gætulicus.* Pari seueritate interdixit commeatus peti. Veteranum ac tironem militem opere assiduo corroborauit: maturæque barbaris, qui iam in Galliam vsq; proruperant, coercitis, præsenti quoque Caio talem & se & exercitum approbauit, vt inter innumeras* contractasque ex omnibus prouinciis copias, neque testimonium, neque præmia ampliora vlli perciperent. Ipse maxime insignis, quod campestrem decursionem scuto moderatus, etiam ad essedum Imperatoris per viginti passuum millia cucurrit. 6

CÆDE Caii nuntiata, multis ad occasionem stimulantibus, quietem prætulit. 7
Per hoc gratissimus Claudio, receptusque in cohortem amicorum, tantæ dignationis est habitus, vt cum subita ei valetudo, nec adeo grauis incidisset, dilatus sit, expeditionis Britannicæ dies. Africam* pro Consule biennio obtinuit, extra sortem electus ad ordinandam prouinciam, & intestina dissensione, & barbarorum tumultu inquietam. Ordinauitque magna seueritatis ac iustitiæ cura, etiam in paruulis rebus. *Militi, qui per expeditionem annona arctissima residuum cibariorum, tritici modium, centum denariis vendidisse arguebatur, vetuit, simulatque indigere cibo

cœpisset, a quoquam opem ferri: & is fame extabuit. At in iure dicendo, cum de proprietate iumenti quæreretur, leuibus vtrimq. argumentis & testibus; ideoque difficili coniectura veritatis, ita decreuit, vt ad lacum, vbi* adaquari solebat, duceretur capite inuoluto: atque ibidem reuelato, eius esset, ad quem sponte se a potu recepisset.

8 OB res, & tunc in Africa, & olim in Germania gestas, ornamenta triumphalia accepit, & sacerdotium triplex, inter XV viros, sodalesque Titios, item[q.] Augustales cooptatus: atque ex eo tempore prope* ad Neronis medium principatum, in secessu plurimum vixit, ne ad gestandum quidem vmquam iter *egressus, quam vt secum* vehiculo proximo decies HS in auro efferret, donec in opido Fundis moranti Hispania Tarraconensis oblata est. Acciditq. vt, cum prouinciam ingressus sacrificaret intra ædem publicam, puero e ministris acerram tenenti, capillus repente toto capite canesceret.* Nec defuerunt qui interpretarentur, significari rerum mutationem, successurumque iuueni senem; hoc est, ipsum Neroni. Nec multo post in Cantabriæ* lacum fulmen decidit: repertæque sunt duodecim secures, haud ambiguum summi Imperii signum.

9 PER octo annos variæ & inæquabiliter prouinciam rexit. Primo acer & vehemens, & in coercendis quidem delictis vel immodicus. Nam & nummulario non ex fide versanti pecunias, manus amputauit, mensæque eius affixit. Et tutorem, quod pupillum, cui substitutus heres erat, veneno necasset, * cruce affecit: implorantique leges, & ciuem Romanum se testificanti, quasi solatio & honore aliquo pœnam leuaturus, mutari, multoque præter ceteras altiorem & dealbatam statui crucem iussit. Paullatim in desidiam segnitiemque conuersus est, ne quid materiæ præberet Neroni: &, vt dicere solebat, quod nemo rationem otii sui reddere cogeretur. Carthagine noua conuentum agens, tumultuari Gallias comperit. Legato Aquitaniæ auxilia implorante, superuenerunt Vindicis literæ, hortantis vt humano generi assertorem ducemq. se accommodaret. Nec diu cunctatus, conditionem partim metu, partim spe recepit. Nam & mandata Neronis de nece sua ad procuratores clam missa deprehenderat: & confirmabatur cum secundissimis auspiciis & ominibus, tum virginis honestæ vaticinatione, tanto magis, quod eadem illa carmina sacerdos Iouis* Cluniæ ex penetrali somnio monitus eruerat, ante ducentos annos similiter a fatidica puella pronuntiata. quorum carminum sententia erat, Oriturum quandoque ex Hispania principem, dominumque rerum.

10 *IGITVR cum quasi manumissioni vacaturus conscendisset Tribunal, propositis ante se damnatorum occisorumque a Nerone quam plurimis imaginibus, & adstanti nobili puero, quem exsulantem ex proxima Baleari insula, ob id ipsum acciuerat, deplorauit temporum statum, consalutatusq. Imperator, legatum se Senatus ac populi R. professus est. Deinde iustitio indicto, e plebe quidem prouinciæ legiones & auxilia conscripsit, super exercitum veterem legionis vnius, duarumque alarum, & cohortium trium. At e primoribus prudentia atque ætate præstantibus, velut instar Senatus, ad quos de maiore re, quoties opus esset, referretur, instituit. Delegit & equestris ordinis iuuenes, qui manente anulorum aureorum vsu, *Euocati* appellarentur, excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent. Etiam per prouincias edicta dimisit, auctor singulis vniuersisque conspirandi: simul & vt qua posset quisque opera, communem caussam iuuarent. Per idem fere tempus in munitione opidi, quod sedem bello delegerat, repertus est anulus opere antiquo, scalptura gemmæ victoriam cum tropæo exprimente. Ac subinde Alexandrina nauis* Dertosa appulit armis onusta, sine gubernatore, sine nauta, ac vectore vllo. vt nemini dubium esset, iustum piumque, & fauentibus Dis bellum suscipi. cum repente ex inopinato prope cuncta turbata sunt: alarum altera castris appropinquantem, pœnitentia mutati sacramenti, destituere conata est, ægreque retenta in officio: & serui, quos a liberto Neronis ad fraudem præparatos muneri acceperat, per angiportum in balnea transeuntem pæne interemerunt.* nisi cohortantibus inuicem ne occasionem* omitterent, interrogatisque de qua occasione loquerentur, expressa cruciatu confessio esset.

ACCIDIT

ACCESSIT ad tanta discrimina mors Vindicis, qua maxime consternatus, de- 11
stitutoque similis, non multum abfuit, quin vitæ renuntiaret. Sed superuenientibus
ab vrbe nuntiis, vt occisum Neronem, cunctosque in verba sua iurasse cognouit:
deposita legati, suscepit *Cæsaris* appellationem. Iterque ingressus est paludatus, ac
dependente a ceruicibus pugione ante pectus: nec prius vsum togæ recuperauit,
quam oppressis, qui nouas res moliebantur præfecto Prætorii Nymphidio Sabino
Romæ, in Germania Fonteio Capitone, in Africa Clodio Macro legatis.

PRÆCESSERAT de eo fama sæuitiæ simul, atque auaritiæ: quod ciuitates Hi- 12
spaniarum Galliarumque, quæ cunctantius sibi accesserant, grauioribus tributis,
quasdam etiam murorum destructione punisset; & præpositos procuratoresque sup-
plicio capitis affecisset cum coniugibus ac liberis: quodque oblatam a Tarraconen-
sibus e vetere templo Iouis coronam auream librarum XV conflasset, ac tres vncias
quæ ponderi deerant, iussisset exigi. Ea fama & confirmata & aucta est, vt primum
vrbem introiit. Nam cum classiarios, quos Nero ex remigibus iustos milites fecerat,
redire ad pristinum statum cogeret: recusantes, atque insuper aquilam & signa per-
tinacius flagitantes, non modo immisso equite disiecit, sed decimauit etiam. Item
Germanorum cohortem, a Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam, mul-
tisque experimentis fidelissimam, dissoluit, ac sine vllo commodo remisit in patriam,
quasi Cn. Dolabellæ, iuxta cuius hortos tendebat, proniorem. Illa quoque, verene
an falso, per ludibrium iactabantur, apposita lautiore cena ingemuisse eum: & ordi-
nario quidem dispensatori breuiarium rationum offerenti,* parapsidem leguminis
pro sedulitate ac diligentia porrexisse: Cano autem choraulæ, mire placenti, dena-
rios quinque donasse, prolatos manu sua e peculiaribus loculis suis.

QVARE aduentus eius non perinde gratus fuit: idque proximo spectaculo ap- 13
paruit. Siquidem Atellanis notissimum canticum* exorsis, **Venit io simus a villa*: cun-
cti simul spectatores, consentiente voce reliquam partem retulerunt, ac sæpius ver-
su repetito egerunt.

MAIORE adeo & fauore & auctoritate adeptus est, quam gessit, Imperium: 14
quamquam multa documenta egregii principis daret: sed nequaquam tam grata e-
rant, quam inuisa, quæ *secus fierent. Regebatur trium arbitrio, quos vna & intra
Palatium habitantes, nec vmquam non adhærentes, *pædagogos* vulgo vocabant. *Hi
erant T. Iunius, legatus eius in Hispania, cupiditatis immensæ: Cornelius Laco, ex
assessore præfectus prætorii, arrogantia *socordiaque intolerabilis: libertus* Icelus,
paullo ante anulis aureis, & Martiani cognomine ornatus, ac iam summæ equestris
gradus candidatus. His diuerso vitiorum genere grassantibus, adeo se abutendum
permisit & tradidit, vt vix sibi ipsi constaret: modo acerbior parciorque, modo re-
missior ac negligentior, quam conueniret principi electo, atque illius ætatis. Quos-
dam claros ex vtroque ordine viros suspicione minima, inauditos condemnauit. Ci-
uitatem Romanam raro dedit: Iura trium liberorum vix vni atque alteri; ac ne his
quidem, nisi ad certum præfinitumque tempus. Iudicibus sextam decuriam adiici
precantibus, non modo negauit, sed etiam concessum a Claudio beneficium, ne
hieme initioque anni ad iudicandum euocarentur, eripuit.

EXISTIMABATVR etiam senatoria & equestria officia biennii spacio determi- 15
naturus, nec daturus nisi inuitis ac recusantibus. Liberalitates Neronis, non plus de-
cimis concessis, per quinquaginta equites R. ea conditione reuocandas curauit exi-
gendasque; vt & si quid scenici aut *xystici donatum olim *vendidissent, auferretur
emtoribus, quando illi absumto pretio soluere nequirent. At contra, nihil non per
comites atque libertos pretio *addici, aut donari gratia passus est, vectigalia, immu-
nitates, *pœnas innocentum, impunitatem noxiorum. Quin etiam pop. R. depos-
cente supplicium Haloti & Tigillini, solos ex omnibus Neronis emissariis, vel male-
ficentissimos, incolumes præstitit: atque insuper Halotum procuratione amplissi-
ma ornauit: pro *Tigillino etiam *sæuitiæ populum edicto increpuit.

PER hæc prope vniuersis ordinibus *offensis, vel præcipua *flagrauit inuidia apud 16
milites. Nam cum in verba eius absentis iurantibus donatiuum grandius solito præ-
positi pronuntiassent: neque rem ratam habuit, & subinde iactauit, se legere mili-

tem, non emere consuesse. Atque eo quidem nomine omnes, qui vbique erant, exacerbauit: *ceterum prætorianos etiam metu & indignitate commouit, remouens subinde plerosque *vt suspectos, & Nymphidii socios. Sed maxime fremebat superioris Germaniæ exercitus, fraudari se præmiis nauatæ aduersus Gallos & Vindicem operæ. Ergo primi obsequium *rumpere ausi, Kalend. Ianuarii *adigi sacramento, nisi in nomen Senatus, recusarunt: statimque legationem ad prætorianos cum mandatis destinauerunt, displicere Imperatorem in Hispania factum; eligerent ipsi quem cuncti exercitus comprobarent.

17 QVOD vt nuntiatum est, despectui esse non tam senectam suam quam orbitatem ratus, Pisonem Frugi Licinianum, nobilem egregiumque iuuenem, ac sibi olim probatissimum, testamentoque *semper in bona & nomen adscitum, repente e media salutantium turba apprehendit: filiumque appellans, perduxit in castra, ac pro concione adoptauit, ne tunc quidem donatiui vlla mentione facta. Quo faciliorem occasionem M. *Saluio Othoni præbuit perficiendi conata, intra sextum adoptionis diem.

18 MAGNA & assidua monstra iam inde a principio exitum ei, qualis euenit, portenderant. Cum per omne iter dextra sinistraque oppidatim victimæ cæderentur, taurus securis ictu consternatus, rupto vinculo, essedum eius inuasit: elatisque pedibus totum cruore perfudit; ac descendentem *speculator impulsu turbæ lancea prope vulnerauit. Vrbem quoque, & deinde Palatium ingressum, excepit *terræ tremore, & assimilis quidam mugitui sonus. Secuta sunt aliquanto *maiora, & tristiora. Monile margaritis gemmisque consertum ad ornandum Fortunam suam Tusculanam, ex omni gaza secreuerat. id repente, quasi augustiore dignius loco, Capitolinæ Veneri dedicauit: ac proxima nocte somniauit speciem Fortunæ, querentis fraudatam se dono destinato, minantisque erepturam & ipsam quæ dedisset. Cumque exterritus luce prima, ad expiandum somnium, præmissis qui rem diuinam appararent, Tusculum *excucurrisset, nihil inuenit præter tepidam in ara fauillam, atratumque iuxta senem in catino vitreo thus tenentem, & in calice fictili merum. Obseruatum etiam est Kalend. Ianuariis, sacrificanti coronam de capite excidisse: auspicanti pullos euolasse: adoptionis die, neque milites allocuturo castrensem sellam de more positam pro Tribunali, oblitis ministris; & in Senatu curulem peruerse collocatam.

19 PRIVS vero quam occideretur, sacrificantē mane haruspex identidem monuit, caueret periculum: non longe percussores abesse. Haud multo post cognoscit teneri castra ab Othone: ac plerisque vt eodem quamprimum pergeret suadentibus, (posse enim auctoritate & præsentia præualere) nihil amplius quam continere se statuit, & legionariorum firmare præsidiis, qui multifariam diuerseq; tendebant. Loricam tamen induit linteam; quamquam haud dissimulans parum aduersus tot mucrones profuturam. Sed extractus rumoribus falsis, quos conspirati, vt eum in publicum elicerent, de industria * dissiparant, paucis temere affirmantibus, transactum negotium, oppressos qui tumultuarentur, aduenire frequentes ceteros gratulabundos, & in omne obsequium paratos: his vt occurreret, prodiit tanta fiducia, vt militi cuidam occisum a se Othonem glorianti, *quo auctore* responderit: atque in forum vsque processit. Ibi equites, quibus mandata cædes erat, cum *per publicum dimota paganorum turba equos adegissent, viso procul eo, parumper restiterunt: deinde rursum incitati, desertum a suis, contrucidarunt.

20 SVNT qui tradant, ad primum tumultum proclamasse [eum,] *Quid agitis commilitones? Ego vester sum, & vos mei*: donatiuum etiam pollicitum. Plures autem prodiderunt, obtulisse vltro iugulum; & [vt] hoc agerent *ac ferirent, quando ita videretur, hortatum. Illud mirum admodum fuerit, neq; præsentium quemquam *opem Imperatori ferre conatum: & omnes qui *accerserentur, spreuisse nuntium, excepta *Germanicianorum vexillatione. Hi ob recens meritum, quod se ægros & inualidos magnopere fouisset, in auxilium *aduolauere: sed serius itinere deuio per ignorantiam locorum retardati. Iugulatus est ad lacum Curtii, ac relictus ita vti erat, donec gregarius miles a frumentatione rediens, abiecto onere, caput ei amputauit. &

quoniam

quoniam capillo præ* caluitio arripere non poterat, in gremiũ abdidit: mox inserto per os pollice, ad Othonem detulit. ille lixis calonibusque donauit: qui hasta suffixũ, non sine ludibrio circum castra portarunt, acclamantes identidem,* *Galba Cupido fruaris ætate tua*: maxime irritati ad talem iocorum petulantiam, quod ante paucos dies exierat in vulgus, laudanti cuidam formam suam, vt adhuc floridam & vegetam, respondisse eum; ἔτι μοι μένος ἔμπεδόν ἐστιν. Ab his* Patrobii Neroniani libertus, centum aureis redemptum, eo loco vbi iussu Galbæ animaduersum in patronum fuerat, abiecit. Sero tandem dispensator Argius, & hoc & ceterum truncum in priuatis eius hortis* Aureliæ viæ sepulturæ * dedit.

21 * STATVRA iusta fuit, capite*caluo, oculis cæruleis, adunco naso, manibus pedibusque articulari morbo distortissimis: vt neque calceum perpeti, neque libellos euoluere, aut tenere omnino valeret. Excreuerat etiam in dexteriore latere eius* caro* propendebatque adeo, vt ægre fascia substringeretur.

22 CIBI plurimi traditur: quem tempore hiberno etiam ante lucem capere consueuerat. inter cenam vero, *vsque ad abundantem; vt congestas super manus reliquias circumferri iuberet, spargique ad pedes stantibus. *Libidinis in mares pronior, & eos non nisi præduros, exoletosque. *Ferebant in Hispania *Icelum e veteribus concubinis, de Neronis exitu nuntiantem, non modo artissimis osculis palam exceptum ab eo; sed vt sine mora velleretur oratum, atque seductum.

23 PERIIT tertio & septuagesimo ætatis anno, Imperii mense septimo. Senatus, vt primum licitũ fuit, statuam ei decreuerat *rostratæ columnæ superstantem in parte fori, qua trucidatus est. Sed decretum Vespasianus aboleuit, percussores sibi ex Hispania in Iudæam submisisse opinatus.

C. SVETONII TRANQVILLI *SALVIVS OTHO, VIII.

1 MAIORES Othonis sunt orti opido Ferentino, familia vetere & honorata, atque ex principibus Etruriæ. Auus M. Saluius Otho, patre equite R. matre humili, incertum an ingenua per gratiam Liuiæ Augustæ, in cuius domo creuerat, Senator est factus, nec Præturæ gradum excessit. Pater L. Otho, materno genere præclaro, multarũ & magnarum propinquitatum, tam carus, tamque non absimilis facie Tiberio principi fuit, vt plerique procreatum ex eo crederent. Vrbanos honores, Proconsulatum Africæ, & extraordinaria Imperia, seuerissime administrauit. Ausus etiam est in Illyrico milites quosdam, quod* motu Camilli ex pœnitentia præpositos suos, quasi defectionis aduersus Claudium auctores, occiderant, capite punire; & quidem ante principia se coram: quamuis ob id ipsum promotos in ampliorem gradum a Claudio sciret. Quo facto, sicut gloriam auxit, ita gratiam minuit: quam tamen mature recuperauit, detecta equitis R. fraude, quem prodentibus seruis necem Claudio parare compererat. Namque & Senatus honore rarissimo, statua in Palatio posita, prosecutus est eum: & Claudius allectum inter patricios collaudans amplissimis verbis, *hæc quoque adiecit: *vir quo meliores liberos habere ne opto quidem.* Ex Albia Terentia *splendidissima femina duos tulit filios, L.*Titianum, & minorem Marcum *cognomine. Tulit & filiam; quam nondum nubilem Druso Germanici filio despondit.

2 OTHO Imperator, IIII Kalend. Maii natus est, Camillo Arruntio, Domitio *Ænobarbo COSS. A prima adolescentia prodigus, ac procax, adeo vt sæpe flagris obiurgaretur a patre. Ferebatur & vagari noctibus solitus: atque inualidum quemque obuiorum vel potulentum corripere, ac distento sago impositum, in sublime iactare. Post patris deinde mortem libertinam aulicam gratiosam, quo efficatius coleret, etiam diligere simulauit, quamuis anum, ac pæne decrepitam. Per

hanc insinuatus Neroni, facile summum inter amicos locum tenuit congruentia morum: vt vero quidam tradunt, & consuetudine mutui stupri: ac tantum potentia valuit, vt damnatum repetundis consularem virum, ingens præmium pactus, prius quam plane restitutionem ei impetrasset, non dubitaret in Senatum ad agendas gratias introducere.

3 OMNIVM autem consiliorum secretorumque particeps, die quem *Nero necandæ matri destinauerat, ad auertendas suspiciones cenam vtrique exquisitissimæ comitatis dedit. Item *Poppæam Sabinam, tunc adhuc amicam eius, abductam marito, demandatamque interim sibi nuptiarum specie recepit. Nec *corrupisse contentus, adeo dilexit, vt ne riualem quidem Neronem æquo tulerit animo. Creditur certe non modo missos ad *arcessendam non recepisse, sed ipsum etiam exclusisse quondam pro foribus adstantem, miscentemque frustra minas & preces, ac depositum reposcentem. Quare *diducto matrimonio, sepositus est per caussam legationis in Lusitaniam; & satis visum, ne pœna acrior mimum omnem diuulgaret: qui tamen sic quoque hoc disticho *enotuit; *Cur Otho mentito sit quæritis exul honore? Vxoris mœchus cœperat esse suæ.* Prouinciam administrauit quæstorius per decem annos, moderatione atque abstinentia singulari.

4 VT tandem occasio vltionis data est, conatibus Galbæ primus accessit: eodemque momento & ipse spem Imperii cepit: magnam quidem *& ex conditione temporum, sed aliquanto maiorem ex affirmatione Seleuci *mathematici. qui cum eum olim superstitem Neroni fore spopondisset, tunc [vltro] inopinatus aduenerat, imperaturum quoque breui repromittens. Nullo igitur officii aut ambitionis in quemquam genere omisso, quoties cena principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim diuidebat: nec eo minus alium alia via militum demerebatur. Cuidam etiam de parte finium cum vicino litiganti, adhibitus arbiter, totum agrum redemit, emancipauitque. vt iam vix vllus esset, qui non & sentiret & prædicaret solum *successionis Imperii dignum.

5 SPERAVERAT autem fore vt adoptaretur a Galba: idque in dies exspectabat. Sed postquã, Pisone prælato, spe decidit, ad vim conuersus est: instigante super animi dolorem etiam magnitudine æris alieni. Neq; enim dissimulabat, nisi principẽ, se stare non posse. nihilq; referre ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet. Ante paucos dies seruo Cæsaris pro impetrata dispensatione decies sestertium expresserat. Hoc subsidium tanti cœpti fuit: ac primo quinque *speculatoribus commissa est res, deinde decem aliis, quos singuli binos produxerant: omnibus dena sestertia repræsentata, & quinquagena promissa. Per hos sollicitati reliqui, nec adeo multi; haud dubia fiducia in ipso negotio pluribus affuturis.

6 *TVLERAT animus, post adoptionem statim castra occupare, cenantemque in Palatio Galbam aggredi: sed obstitit respectus cohortis, quæ tunc excubabat, ne oneraretur inuidia, quod eiusdem statione & Caius fuerat occisus, & desertus Nero. Medium quoque tempus religio & Seleucus exemit. Ergo destinata die, præmonitis consciis, vt se in foro sub æde Saturni ad *miliarium aureum opperirentur, mane Galbam salutauit; vtque consueuerat, osculo exceptus, etiam sacrificanti interfuit, audiuitque prædicta haruspicis. Deinde liberto adesse architectos nuntiante, quod signum conuenerat, quasi venalem domum inspecturus abscessit: proripuitq; se postica parte Palatii ad constitutum. Alii febrem simulasse aiunt; eamque excusationem proximis mandasse, si quæreretur. Tunc abditus propere muliebri sella, in castra contendit: ac deficientibus lecticariis; cum descendisset, cursumque cepisset, laxato calceo restitit; donec *omissa mora succollatus, & a præsente comitatu Imperator consalutatus, inter faustas acclamationes strictosque gladios ad principia deuenit; obuio quoque, non aliter ac si conscius & particeps foret, adhærente. Ibi missis qui Galbam & Pisonem trucidarent, ad conciliandos pollicitationibus militum animos nihil magis pro concione testatus est, quam id demum se habiturum, quod sibi illi reliquissent.

7 *DEINDE vergente iam die ingressus Senatum, positaque breui *ratione, quasi raptus de publico, & suscipere Imperium vi coactus, gesturusque communi

omnium

omnium arbitrio, Palatium petit. Ac super ceteras gratulantium adulantiumq; blanditias, ab infima plebe appellatus *Nero*, nullum indicium recusantis dedit: immo vt quidam tradiderunt, etiam diplomatibus primisque epistolis suis ad quosdam prouinciarum Præsides, Neronis cognomen adiecit. Certe & imagines statuasque eius reponi passus est: & procuratores atque libertos ad eadem officia reuocauit. Nec quidquam prius pro potestate subscripsit, quam * quingenties sestertia ad peragendam auream domum. Dicitur ea nocte per quietem pauefactus gemitus maximos edidisse: repertusque a concursantibus humi ante lectum iacens, per omnia piaculorum genera manes Galbæ, a quo deturbari expellique se viderat, propitiare tentasse. Postridie quoq; in augurando tempestate orta grauiter *prolapsum, identidem obmurmurasse: * τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς;

8 SVB idem vero tempus, *Germaniciani exercitus in Vitellii verba iurauerant. Quod vt comperit, auctor Senatui fuit, mittendæ legationis, quæ doceret, electū iam principem · quietem & concordiam suaderet. Et tamen per internuntios ac litteras, consortem Imperii, generumq; se Vitellio obtulit. Verum haud dubio bello, iam[q;] ducibus & copiis quas Vitellius præmiserat, appropinquantibus, animum fidemque prætorianorum erga se pæne internecione amplissimi ordinis *expertus est · [&] placuerat per classiarios arma transferri, remittiq; nauibus. Ea cum in castris sub noctē promerentur, insidias quidam suspicati, tumultum excitauerunt: ac repente omnes, nullo certo duce, in Palatium *cucurrerunt, cædem Senatus flagitantes: repulsisque Tribunorum qui inhibere tentabant, non nullis & occisis, sicut erant cruenti, vbinā Imperator esset requirentes, * perruperunt in triclinium vsque, nec nisi viso destiterunt. Expeditionem autem impigre atq; etiam præpropere inchoauit, nulla ne religionum quidem cura, sed & *motis nec dum cōditis ancilibus, quod antiquitus infaustum haberetur; & die, quo cultores Deûm matris lamentari & plangere incipiunt: præterea aduersissimis auspiciis. Nam & *victimas Diti patri cæsas litauit: cum tali sacrificio contraria exta potiora sint. Et primo egressu inundationibus Tiberis retardatus, ad XX etiam lapidem ruina ædificiorum præclusam viam offendit.

9 SIMILI temeritate, quamuis dubium nemini esset, quin trahi bellum oporteret, quando & fame & angustiis locorum vrgeretur hostis, quam primum tamen decertare statuit: siue impatiens longioris sollicitudinis, speransque ante Vitellii aduentum profligari plurimum posse, siue impar militum ardori, pugnam deposcentium. Nec illi pugnæ affuit, substititque *Bryxelli. Et tribus quidem, verum mediocribus prœliis, apud Alpes, circaque Placentiam, & ad Castoris, quod loco nomen est, vicit: nouissimo, maximoque, apud * Bebriacum fraude superatus est, cum spe colloquii facta, quasi ad conditionem pacis militibus eductis, ex improuiso, atque in ipsa * consalutatione dimicandum fuisset: ac statim moriendi impetum cepit: vt multi (nec frustra) opinantur, magis pudore, ne tanto rerum hominumque periculo dominationem sibi asserere perseueraret; quam desperatione vlla, aut diffidentia copiarum: quippe residuis integrisque etiam nunc, quas secum ad secundos casus detinuerat, & superuenientibus aliis e Dalmatia, Pannoniaque, & Mœsia: ne victis quidem adeo afflictis, vt non in vltionem ignominiæ quiduis discriminis vltro, & vel solæ subirent.

10 INTERFVIT huic bello pater meus Suetonius *Lenis, tertiæ decimæ legionis Tribunus *angusticlauius. Is mox referre crebro solebat, Othonem etiam priuatum vsq; adeo detestatum ciuilia bella, vt memorante quodā inter epulas de Cassii Brutique exitu, *cohorruerit: nec concursurū cum Galba fuisse, nisi confideret sine bello rem transigi posse. *Tunc ad despicienda vitam exemplo manipularis militis concitatum; qui cum cladem exercitus nuntiaret, nec cuiquam fidem faceret, ac nunc mendacii nunc timoris, quasi fugisset ex acie, argueretur, gladio ante pedes eius incubuerit: hoc viso proclamasse eum aiebat, non amplius se in periculum tales tamq; bene meritos coniecturum. *Fratrem igitur, fratrisque filium, & singulos amicorū cohortatus, vt sibi quisque pro facultate consuleret, ab amplexu & osculo suo dimisit omnes · secretoque captato, binos codicillos exarauit ad sororem consolatorios: *sed & ad Messallinam Neronis, quam matrimonio destinauerat, commendans reli-

quias suas, & memoriam. Quidquid deinde epistolarum erat, ne cui periculo aut noxæ apud victorem forent, concremauit. Diuisit & pecunias domesticis ex copia præsenti.

11 ATQVE ita paratus, intentusque iam morti, tumultu inter moras exorto, vt eos qui discedere & abire *cœptabant, corripi quasi desertores detinerique sensit: *Adiiciamus*, inquit, *vitæ & hanc* * *noctem*. Iis ipsis, totidemque verbis, vetuitque vim cuiquam fieri: & in serum vsque patente cubiculo, si quis adire vellet, potestatem sui præbuit. Post hæc sedata siti *gelidæ aquæ potione, arripuit duos pugiones; & exploratâ vtriusque acie, cum alterum puluino subdidisset, foribus *adopertis arctissimo somno quieuit. Et circa lucem demum expergefactus, vno se traiecit ictu infra læuam* papillam. Irrumpentibusque ad primum gemitum, modo celans, modo detegens plagam, exanimatus est; * & celeriter * (ita præceperat) funeratus, * XXXVIII ætatis anno, & XCV Imperii die.

12 TANTO Othonis animo nequaquam corpus aut habitus competiit. *Fuisse enim traditur & modicæ staturæ, & male pedatus, * scambusque Munditiarum vero pæne muliebrium: vulso corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, vt nemo dignosceret. Quin & faciem quotidie rasitare, ac* pane madido linere consuetum: idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus vnquã esset. Sacra etiam Isidis sæpe in lintea religiosaque veste propalam celebrasse. Per quæ factum putem, vt mors eius minime congruens vitæ, maiori miraculo fuerit. Multi præsentium militum cum plurimo fletu manus ac pedes iacentis exosculati, fortissimum virum, vnicum Imperatorem prædicantes, ibidem statim nec procul a rogo, vim suæ vitæ attulerunt. Multi & absentium, accepto nuntio, præ dolore armis inter se ad internecionem concurrerunt. Denique magna pars hominum, incolumem grauissime detestata, mortuum laudibus tulit: vt vulgo iactatum sit, etiam Galbam ab eo non tam dominandi, quam reipubl. ac libertatis restituendæ caussa, interemtum.

C. SVETONII TRANQVILLI AVLVS VITELLIVS, IX.

1 VITELLIORVM originem alii aliam, & quidem diuersissimam tradunt, partim veterem & nobilem, partim vero nouam & obscuram, atq; etiam sordidam. Quod ego per adulatores obtrectatoresque Imperatoris Vitellii euenisse opinarer, nisi* aliquãdo de familiæ conditione variatum esset. *Exstatq; elogii ad Q. Vitellium diui Augusti Quæstorem, libellus, quo continetur, Vitellios Fauno Aboriginum rege, & * Vitellia, quæ multis locis pro Numine coleretur, ortos, toto Latio *imperasse. Horum residuam stirpem ex Sabinis transisse Romam, atque inter patricios allectam: indicia stirpis diu mansisse, *viam Vitelliam* ab Ianiculo ad mare vsque: item coloniam eiusdem nominis, quam gentili copia aduersus * Æquiculos tutandam olim depoposcissent: tempore deinde Samnitici belli, præsidio in Apuliam misso, quosdam ex Vitelliis subsedisse* Nuceriæ: eorumque progeniem longo post interuallo repetisse vrbem, atque ordinem Senatorium.

2 CONTRA plures auctorem generis libertinum prodiderunt. Cassius Seuerus, nec minus alii, eumdem & sutorem veteramentarium: cuius filius sectionibus & *cognituris vberius compendium nactus, ex muliere* vulgari, Antiochi cuiusdam furnariam exercentis filia equitem R. genuerit. Sed quod discrepat, sit in medio. Ceterum *P. Vitellius* domo Nuceria, siue ille stirpis antiquæ, siue pudẽdis parẽtibus atq; auis, eques certe Romanus, & rerum Augusti procurator, quatuor filios amplissimæ dignitatis cognomines, ac tantum prænominibus distinctos reliquit, Aulum, [illegible]

Quinctum, Publium & Lucium. *Aulus*, in Consulatu obiit, quem cum Domitio Neronis Cæsaris patre inierat; * prælautus alioqui, famosusque cenarum magnificentia. *Quinctus*, caruit ordine, cum auctore Tiberio secerni minus idoneos Senatores, remoueriq; placuisset. *Publius*, Germanici comes, Cn. Pisonem inimicũ & interfectorem eius accusauit, condemnauitq; : ac post Præturæ honorẽ inter * Seiani conscios arreptus, & in custodiã fratri datus, scalpro librario venas sibi incîdit: nec tam mortis pœnitentia, quam suorum obtestatione, obligari curariq; se passus, in eadem custodia morbo periit. *Lucius*, ex Consulatu Syriæ præpositus, Artabanum Parthorum regem summis artibus, non modo ad colloquium suum, sed etiam ad venerandа legionũ signa, pellexit. Mox cum Claudio principe, duos insuper ordinarios Consulatus, Censuramq; gessit. Curam quoq; Imperii sustinuit, absente eo, expeditione Britannica, vir innocens, & industrius, sed amore libertinæ perinfamis, cuius etiam saliuis melle commistis, nec clam quidem aut raro, sed quotidie ac palam, arterias & fauces pro remedio fouebat. Idem miri in adulando ingenii, primus C. Cæsarem adorari vt Deum instituit: cum reuersus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato, circumuertensq; se, deinde procumbens. Claudium, vxoribus libertisque addictum, ne qua non arte demereretur, pro maximo munere a Messallina petiit, vt sibi pedes præberet excalceãdos: detractumque * socculum dextrum, inter togam tunicasque gestauit assidue, non numquam osculabundus. Narcissi quoque & Pallantis imagines aureas inter Lares coluit. Huius & illa vox est, *Sæpe facias*: cum sæculares ludos edenti Claudio gratularetur.

DECESSIT paralysi altero die quam correptus est, duobus filiis superstitibus, 3
quos ex Sextilia probatissima nec ignobili femina editos, Consules vidit, & quidem eodem ambos totoq; anno, cum maiori minor in VI menses successisset. Defunctũ Senatus publico funere honorauit: item statua pro Rostris, cũ hac inscriptione, PIETATIS IMMOBILIS ERGA PRINCIPEM. *Aulus Vitellius* L. filius IMP. natus est VIII Kalend. Octobris, vel, vt quidam, VII Idus Septembris, Druso Cæsare, Norbano Flacco COSS. Genituram eius prædictam a mathematicis, ita parentes exhorruerunt, vt pater magnopere semper contenderit, ne qua ei prouincia viuo se committeretur: mater, * & missum ad legiones, & appellatum Imperatorem pro afflicto statim lamentata sit. Pueritiam primamque adolescentiam Capreis egit inter Tiberiana scorta, & ipse perpetuo * *spintriæ* cognomine notatus: existimatusque corporis gratia initium & caussa incrementorum patri fuisse.

SEQVENTI quoque ætate omnibus probris contaminatus, præcipuum in aula 4
locum tenuit: Caio per aurigandi, Claudio per aleæ studium familiaris. Sed aliquanto Neroni acceptior, cum propter eadem hæc, tum peculiari merito; quod præsidens certamini Neroneo, cupientem inter citharœdos contendere, nec quamuis flagitantibus cunctis promittere audentem, ideoque egressum Theatro reuocauerat, quasi perseuerantis populi legatione suscepta * exorandum præbuerit.

TRIVM itaque principum indulgentia, non solum honoribus, verum & sacer- 5
dotiis amplissimis auctus, proconsulatum Africæ post hæc, * curam quoque operum publicorum administrauit, & voluntate dispari, & existimatione. In prouincia singularem innocentiam præstitit biennio continuato, cum succedenti fratri legatus * substitutus esset. At in vrbano officio, dona atque ornamenta templorum surripuisse, & commutasse quædam ferebatur: proque auro & argento, stannum & * aurichalcum supposuisse.

VXOREM habuit Petroniam 'consularis viri filiam, & ex ea filium * Petronium 6
captum altero oculo. Hunc heredem a matre * sub conditione institutum, si de potestate patris exisset, manu emisit: breuique, vt creditum est, interemit, insimulatum insuper parricidii, & quasi paratum ad scelus venenum ex conscientia hausisset. Duxit mox Galeriam Fundanam, prætorio patre. Ac de hac quoque liberos vtriusq; sexus tulit: sed marem, titubantia oris, prope mutum & elinguem.

A Galba in inferiorem Germaniam contra opinionem missus est. Adiutum pu- 7
tant * T. Iunii suffragio, tunc potentissimi, & cui iampridem per communẽ factionis * suæ fauorem conciliatus esset: nisi quod Galba præ se tulit, nullos minus metuen-

dos, quam qui de solo victu cogitarent: ac posse prouincialibus copiis profundam eius expleri gulam. vt cuiuis euidens sit, contemtu magis quam gratia electum. Satis constat, exituro viaticum defuisse, tanta egestate rei familiaris, vt vxore & liberis, quos Romæ relinquebat, meritorio cenaculo abditis, domum in reliquam partem anni * ablocaret: vtque ex aure matris detractum vnionem pignerauerit ad itineris impensas. Creditorum quidem præstolantium ac detinentium turbam, & in iis *Sinuessanos Formianosque, quorum publica * vectigalia interuerterat, non nisi terrore calumniæ amouit: cum libertino cuidam acerbius debitum reposcenti, iniuriarum formulam, quasi calce ab eo percussus, intendisset, nec aliter quam extortis quinquaginta L L S, remisisset. Aduenientem male animatus erga principem exercitus, pronusque ad res nouas, libens ac supinis manibus excepit, velut dono Deûm oblatum, *III COS. filium, ætate integra, facili ac prodigo animo. Quam veterem de se persuasionem Vitellius recentibus etiam [de se] experimentis auxerat, tota via caligatorum * quosque militum obuios exosculatis: perque stabula ac diuersoria, mulionibus ac viatoribus præter modum comis: vt mane singulos iamne * ientassent sciscitaretur, seque fecisse ructu quoque ostenderet.

8 CASTRA vero ingressus, nihil cuiquam poscenti negauit: atque etiam vltro ignominiosis notas, reis sordes, damnatis supplicia demsit. Quare vix dum mense transacto, neque diei, neque temporis habita ratione, ac iam vespere, subito a militibus e cubiculo raptus, ita vt erat, in veste domestica Imperator est cõsalutatus: circumlatusque per celeberrimos vicos, strictum diui Iulii gladium tenens, detractum delubro Martis, atque in prima gratulatione porrectum sibi a quodam. nec ante in Prætorium rediit, quam flagrante triclinio ex * conceptu camini. Tum quidem consternatis, & quasi omine aduerso anxiis omnibus, * inquit; *Bono animo estote. nobis * alluxit*: nullo sermone alio apud milites vsus. Consentiente deinde etiam [iam] superioris prouinciæ exercitu, qui * prius a Galba ad Senatum defecerat, cognomen *Germanici* delatum ab vniuersis, cupide recepit: *Augusti*, distulit: *Cæsaris*, in perpetuum recusauit.

9 AC subinde cæde Galbæ annuntiata, compositis Germanicis rebus, partitus est copias, quas aduersus Othonem præmitteret, quasque ipse perduceret. Præmisso agmini lætum euenit auspicium: siquidem a parte dextra repente aquila aduolauit. lustratisque signis, ingressos viam sensim antecessit. At contra ipso mouente, statuæ equestres cum plurifariam ei ponerẽtur, fractis repente cruribus pariter corruerunt: & laurea, quam religiosissime circum dederat, in profluentem excidit. Mox Viennæ pro Tribunali iura reddenti, gallinaceus supra humerum, ac deinde in capite adstitit. Quibus ostentis, par respondit exitus. nam confirmatum per legatos suos Imperium, per se retinere non potuit.

10 DE * Bebriacensi victoria, & Othonis exitu, cum adhuc in Gallia esset, audiit: nihilque cunctatus, quidquid prætorianarum cohortium fuit, vt pessimi exempli, vno exauctorauit edicto, * iussas Tribunis tradere arma. Centum autem atque viginti, quorum libellos Othoni datos inuenerat, exposcentium præmia, ob editam in cæde Galbæ operam, conquiri, & supplicio affici imperauit: egregie prorsus, atq; magnifice, & vt summi principis spem ostenderet: nisi cetera magis ex natura, & priore vita sua, quam ex Imperii maiestate gessisset. Namque itinere inchoato, per medias ciuitates ritu triumphantium vectus est: perque flumina delicatissimis nauigiis, & variarum coronarum genere redimitis, inter profusissimos opsoniorum apparatus, nulla familiæ aut * militis disciplina; rapinas ac petulantiam omnium in iocum vertens: qui non contenti epulo vbique publice præbito, quoscumque libuisset, in libertatem asserebant, verbera & plagas, sæpe vulnera, non numquam necem repræsentantes aduersantibus. Vtque campos, in quibus pugnatum est, adiit, abhorrentes quosdam cadauerum tabem, detestabili voce confirmare ausus est; *Optime olere occisum hostem, & melius ciuem*. Nec eo secius ad leniendam grauitatem odoris, plurimum meri propalam hausit, passimque diuisit. Pari vanitate atque insolentia lapidem memoriæ Othonis inscriptum intuens, dignum eo Mausoleo ait;

pugio-

pugionemque, * quo se is occiderat, in Agrippinensem coloniam misit, Marti dedicandum. In Apennini quidem iugis etiam peruigilium egit.

*VRBEM denique ad classicum introiit paludatus, ferroque succinctus, inter 11
signa atque vexilla, sagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis. Magis deinde ac magis omni diuino humanoque iure neglecto, *Alliensi die pontificatum maximum cepit: comitia in x annos ordinauit, seque perpetuum Consulem. Et ne cui dubium foret, quod exemplar regendæ reip. eligeret, medio Martio campo, adhibita publicorum sacerdotum frequentia, inferias Neroni dedit: ac sollenni conuiuio citharœdum placentem palam admonuit, vt & aliquid de Domitio diceret: inchoantique Neroniana cantica, primus exsultans etiam plausit.

TALIBVS principiis magnam Imperii partem, non nisi consilio & arbitrio vilis- 12
simi cuiusque histrionum & aurigarum, administrauit, & maxime Asiatici liberti. Hunc adolescentulum mutua libidine constupratum, mox tædio profugum, cum Puteolis* poscam vendentem * deprehendisset, coniecit in compedes; statimque soluit, & rursus in deliciis habuit: iterum deinde ob nimiam contumaciam & ferocitatem grauatus, circumforaneo lanistæ vendidit: dilatumque ad finem muneris, repente surripuit; & prouincia demum accepta manumisit: ac primo Imperii die aureis donauit anulis super cenam, cum mane rogantibus pro eo cunctis, detestatus esset seuerissime talem equestris ordinis maculam.

SED vel præcipue luxuriæ sæuitiæque deditus, epulas trifariam semper, inter 13
dum quadrifariam dispertiebat: in ientacula, & prandia, & cenas, *comissationesque: facile omnibus sufficiens, vomitandi consuetudine. Indicebat autem aliud alii eadem die: nec cuiquam minus singuli apparatus *quadringenis millibus nummûm constiterunt. Famosissima super ceteras fuit cena ei data aduenticia a fratre: in qua duo millia lectissimorum piscium, septem auium apposita traduntur. Hanc quoque exsuperauit ipse dedicatione* patinæ, quam ob immensam magnitudinem *clypeum Mineruæ, αἰγίδα* πολιούχου* dictitabat. In hac* scarorum iocinora, phasianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicopterûm, murænarum lactes* a Carpathio vsque, fretoque Hispaniæ, per nauarchos ac triremes petitarum commiscuit. Vt autem homo non profundæ modo, sed intempestiuæ quoque ac sordidæ gulæ, ne in sacrificio quidem vmquam, aut itinere vllo, temperauit quin inter altaria ibidem statim * viscus & farra pæne rapta e foco manderet, circaque viarum popinas fumantia opsonia, vel pridiana, atque semesa.

PRONVS vero ad cuiusque, & quacumque de caussa, necem atque supplicium; 14
nobiles viros, condiscipulos, & æquales suos, omnibus blanditiis tantum non ad societatem Imperii allicefactos, vario genere fraudis occidit: etiam vnum veneno manu sua porrecto in aquæ frigidæ potione, quam is affectus febre poposcerat. Tum feneratorum & stipulatorum publicanorumque, qui vmquam se aut Romæ debitum, aut in via portorium flagitassent, vix vlli pepercit. Ex quibus quemdam in ipsa salutatione supplicio traditum, statimque reuocatum, cunctis clementiam laudantibus, coram interfici iussit; velle se dicens pascere oculos: alterius pœnæ duos filios adiecit, deprecari pro patre conatos. Sed & equitem Romanum proclamantem, cum raperetur ad pœnam, *Heres meus es*, exhibere testamenti tabulas coegit: vtque legit coheredem sibi libertum eius adscriptum, iugulari cum liberto imperauit. Quosdam & de plebe ob id ipsum, quod Venetæ factioni clare maledixerant, interemit, contemptu sui, & noua spe id ausos opinatus. Nullis tamen infensior, quam * verniculis & mathematicis: vt quisque deferretur, inauditum capite puniebat: exacerbatus, quod post edictum suum quo iubebat intra Kalend. Octobris vrbe Italiaque mathematici excederent, statim libellus est propositus, & Chaldæos *dicere, Bonum *factum, *ne Vitellius Germanicus intra eumdem Kalendarum diem vsquam esset. Suspectus & in mortem matris fuit, quasi ægræ præberi cibum prohibuisset: vaticinante *Catta muliere, cui velut oraculo acquiescebat, ita demum firmiter ac diutissime imperaturum, si superstes parenti exstitisset. [Et] alii tradunt, ipsam tædio præsentium, & imminentium metu, venenum a filio impetrasse, haud sane difficulter.

15 OCTAVO Imperii mense desciuerunt ab eo exercitus Mœsiarum atque Pannoniæ: item ex transmarinis, Iudaicus & Syriacus. ac pars in absentis, pars in præsentis Vespasiani verba iurarunt. Ad retinendum ergo ceterorum hominum studium ac fauorem, nihil non publice priuatimque, nullo adhibito modo, largitus est. *Delectum quoque ea conditione in vrbe egit, vt voluntariis non modo missionem post victoriam, sed etiam veteranorum iustæque militiæ commoda polliceretur. Vrgenti deinde terra marique hosti, hinc fratrem cum classe, ac tironibus, & gladiatorum manu opposuit. hinc & *Bebriacenses copias & duces. *Atque vbique aut superatus, aut proditus, salutem sibi & millies L L S. a Flauio Sabino Vespasiani fratre pepigit: statimque pro gradibus Palatii apud frequentes milites cedere se Imperio, quod inuitus recepisset, professus, cunctis reclamantibus rem distulit: ac nocte interposita, primo diluculo sordidatus descendit ad Rostra: multisque cum lacrymis eadem [illa] verba, verum e libello testatus est. Rursus interpellante milite ac populo, & ne deficeret hortante, omnemque operam suam certatim pollicente, animum resumsit. Sabinumque & reliquos Flauianos nihil iam *metuens, vi subita in Capitolium compulit: succensoque templo Iouis opt. max. oppressit, cum & prœlium & incendium e Tiberiana prospiceret domo inter epulas. Non multo post pœnitens facti, & in alios culpam conferens, vocata concione iurauit, coegitque iurare [&] ceteros, nihil sibi antiquius quiete publica fore. Tunc solutum a latere pugionem, Consuli primum; deinde, illo recusante, Magistratibus, ac mox Senatoribus singulis porrigens; nullo recipiente, quasi in æde Concordiæ positurus, abscessit. Sed quibusdam acclamantibus, ipsum esse Concordiam, rediit: nec solum retinere se ferrum affirmauit, verum etiam Concordiæ recipere cognomen.

16 SVASIT[QVE] *Senatui, vt legatos cum virginibus Vestalibus mitterent, pacem, aut certe tempus ad consultandum petituros. Postridie responsa opperienti, nuntiatum est per exploratorem, hostem appropinquare. Continuo igitur abstrusus gestatoria sella, duobus solis comitibus, pistore & coquo, Auentinum, & paternam domum clam petiit: vt inde in Campaniam fugeret. Mox, leui rumore & incerto, tamquam pax impetrata esset, referri se in Palatium passus est: vbi cum deserta omnia *repperisset, dilabentibus etiam qui simul erant, zona se aureorum plena circumdedit: confugitque in cellulam ianitoris, religato pro foribus cane, lectoque & culcita obiectis.

17 IRRVPERANT autem iam agminis antecessores: ac nemine obuio rimabantur, vt fit, singula. Ab iis extractus e latebra, sciscitantes quis nam esset (nam ignorabatur) *& vbi esse Vitellium sciret, mendacio elusit: deinde agnitus, rogare non destitit, quasi quædam de salute Vespasiani dicturus, vt custodiretur interim vel in carcere: donec religatis post terga manibus, iniecto ceruicibus laqueo, veste *discissa, seminudus in forum tractus est, inter magna rerum verborumque ludibria, per totum viæ sacræ spatium, *reducto coma capite, ceu noxii solent, atque etiam *mento mucrone gladii subiecto, vt visendam præberet faciem, neue submitteret; quibusdam stercore & ceno incessentibus, aliis incendiarium & patinarium vociferantibus; parte vulgi etiam corporis vitia exprobrante. (erat enim in eo enormis proceritas, facies rubida plerumque ex vinolentia, venter obesus, alterum femur subdebile, impulsu olim quadrigæ, cum auriganti Caio ministratorem [se] exhiberet) tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus atque *confectus est, & inde vnco tractus in Tiberim.

18 PERIIT cum fratre, & filio, anno vitæ VII & quinquagesimo: nec fefellit coniecturam eorum qui augurio, quod factum [ei] Viennæ ostendimus, non aliud portendi prædixerant, quam venturum in alicuius Gallicani hominis potestatem: siquidem ab Antonio Primo, aduersarum partium duce, oppressus est: cui Tolosæ nato cognomen in pueritia *Becco fuerat. id valet, gallinacei rostrum.

C. SVETONII TRANQVILLI D. VESPASIANVS AVGVSTVS, X.

1 REBELLIONE trium principum & cæde incertum diu & quasi vagum Imperium suscepit firmauitque tandem gens Flauia. obscura illa quidem, ac sine vllis maiorum imaginibus: sed tamen reip. nequaquam pœnitenda; constet licet Domitianum cupiditatis ac sæuitiæ merito pœnas luisse. *Titus Flauius* *Petronius*, municeps Reatinus, bello ciuili Pompeianarũ partium centurio, incertum sponte an euocatus, profugit ex Pharsalica acie, domumq; se cõtulit. Vbi deinde venia & missione impetrata, coactiones argentarias factitauit. Huius filius cognomine, *Sabinus*, expers militiæ, (etsi quidam eum primipilarem: non nulli, cum adhuc ordines duceret, sacramento solutum per caussam valetudinis, tradunt) *publicum quadragesimæ in Asia egit. manebantque imagines a ciuitatibus ei positę sub hoc titulo, καλῶς τελωνήσαντι. Postea fenus apud *Heluetios exercuit: ibiq; diem obiit, superstitibus vxore Vespasia Polla, & duobus ex ea liberis: quorum maior *Sabinus*, ad Præfecturam vrbis, minor *Vespasianus*, ad principatum vsque processit. Polla, Nursiæ honesto genere orta, patrem habuit Vespasium Pollionem, ter Tribunum militum, præfectumque castrorum, fratremque Senatorem prætoriæ dignitatis. Locus etiam nunc ad Sextum milliarium a Nursia *Spoletum euntibus in monte summo appellatur *Vespasiæ*: vbi Vespasiorum complura monumenta exstant, magnum indicium splendoris familiæ, & vetustatis. Non negauerim iactatum a quibusdam, *Petronii patrem e regione Transpadana fuisse mancipem operarum, quæ ex Vmbria in Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare solerent: subsedisse autem in oppido Reatino, vxore ibidem*ducta. Ipse ne vestigium quidem de hoc, quamuis satis curiose inquirerem, inueni.

2 VESPASIANVS natus est in *Sabinis vltra *Reate, vico modico, cui nomen est Phalacrine, XV Kalend. Decembr. vesperi, Q. Sulpicio Camerino, *C. Poppæo Sabino COSS. quinquennio ante quam Augustus excederet: educatus sub paterna auia Tertulla, in prædiis *Cosanis. Quare princeps quoque & locum incunabulorum assidue frequentauit: manente villa, qualis fuerat olim: ne quid scilicet oculorum consuetudini deperiret. Et auiæ memoriam tantopere dilexit, vt sollennibus ac festis diebus *poculo quoq; eius argenteo potare perseuerauerit. Sumta toga virili, latum clauum, quamquam fratre adepto, diu auersatus est: nec vt tandem appeteret, compelli nisi a matre potuit. Ea demum *extudit, magis conuicio quam precibus vel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam *anteambulonem fratris* appellat. *Tribunatum militum in Thracia meruit. Quæstor Cretam & Cyrenas *prouinciam sorte cepit: Ædilitatis, ac mox Præturæ candidatus, *etiam non sine repulsa, sextoque loco vix adeptus est. Ac prima statim petitione, & in primis Prætor infensus Senatui, Caium ne quo non genere demereretur, ludos extraordinarios, pro victoria eius Germanica depoposcit; pœnæque coniuratorum addendum censuit, vt insepulti proiicerentur. Egit & gratias ei apud amplissimum ordinem, quod se honore cenæ dignatus esset.

3 INTER hæc Flauiam *Domitillam duxit vxorem, Statilii Capellæ equitis R. *Sabratensis ex Africa* delicatam olim, Latinæque conditionis; sed mox ingenuam & ciuem Romanam recuperatorio iudicio pronunciatam; patre asserente Flauio Liberali, *Ferentini genito, nec quidquam amplius quam quæstorio scriba. Ex hac liberos tulit, Titum & Domitianum, & Domitillam. Vxori ac filiæ superstes fuit: atque vtramque adhuc priuatus amisit. Post vxoris excessum, Cænidem Antoniæ libertam, *& a manu, dilectam quondam sibi, reuocauit in contubernium: habuitque etiam Imperator pæne iustæ vxoris loco.

4 CLAVDIO principe, Narcissi gratia, legatus legionis in Germaniam missus est: inde in Britanniam translatus, tricies cum hoste conflixit. Duas validissimas gentes

ſuperque XX opida, & inſulam *Vectem Britanniæ proximam, in deditionem redegit: partim Auli *Plautii conſularis legati, partim Claudii ipſius ductu. quare triumphalia ornamenta, & in breui ſpatio duplex ſacerdotium accepit. Præterea Conſulatum: quem geſſit per duos nouiſſimos anni menſes: medium tempus ad Proconſulatum vſque, in otio ſeceſſuque egit; Agrippinam timens, potentem adhuc apud filium, & defuncti quoque Narciſſi amicos peroſam. Exin ſortitus Africam, integerrime nec ſine magna dignatione adminiſtrauit: niſi quod Adrumeti ſeditione quadam, rapa in eum iacta ſunt. Rediit certe nihilo opulentior, vt qui prope labefactata iam fide, omnia prædia fratri *obligarit; neceſſarioque ad mangonicos quæſtus, ſuſtinendæ dignitatis cauſſa, deſcenderit: propter quod vulgo *Mulio* vocabatur. Conuictus quoque dicitur ducenta LLS expreſſiſſe iuueni, *cui latum clauum aduerſus patris voluntatem impetrarat; eoque nomine grauiter increpitus. Peregrinatione Achaica inter comites Neronis, cum cantante eo aut diſcederet ſæpius, aut præſens obdormiſceret, grauiſſimam contraxit offenſam: prohibitusq; non contubernio modo, ſed etiam publica ſalutatione, ſeceſſit in paruam ac deuiam ciuitatem: quoad latenti, etiamque extrema metuenti, prouincia cum exercitu oblata eſt. *Percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur. Id, de Imperatore R. quantum euentu poſtea *prædictum patuit, Iudæi ad ſe trahentes, rebellarunt: cæſoque præpoſito, legatum inſuper Syriæ conſularem, ſuppetias ferentem, rapta aquila fugauerunt. Adhunc motum comprimendum cum exercitu ampliore, & non inſtrenuo duce, cui tamen tuto tanta res committeretur opus eſſet, ipſe potiſſimum delectus eſt, *& vt induſtriæ expertæ, nec metuendus vllo modo ob humilitatem generis ac nominis. Additis igitur ad copias duabus legionibus, octo alis, cohortibus decem, atque inter legatos maiore filio aſſumto, vt primum prouinciam attigit, *proximas quoq; conuertit in ſe, correcta ſtatim caſtrorum diſciplina; vno quoque & altero prœlio tam conſtanter inito, vt in oppugnatione caſtelli lapidis ictum genu, ſcuto [que] ſagittas aliquot exceperit.

5 POST Neronem Galbamque, *Othone atque Vitellio de principatu certantibus, in ſpem Imperii venit, iam pridem ſibi per hæc oſtenta conceptam: In ſuburbano Flauiorum, quercus antiqua, [quæ erat] *Marti ſacrata, per tres Veſpaſiæ partus, ſingulos repente ramos a frutice dedit; haud dubia ſigna futuri cuiusque fati. Primum, exilem, & cito areſactum: ideoque puella nata non perannauit. Secundum, præualidum ac prolixum, & qui magnam felicitatem portenderet. Tertium vero, inſtar arboris. quare patrem Sabinum ferunt haruſpicio inſuper confirmatum renuntiaſſe matri, nepotem ei Cæſarem genitũ: nec illam quidquam [aliud] quam cachinnaſſe, mirantem quod adhuc ſe mentis compote, deliraret iam filius ſuus. Mox cum Ædilem eum C. Cæſar *ſuccenſens, [propter] curam verrendis viis non adhibitam, luto iuſſiſſet oppleri, congeſto per milites in prætextæ ſinum; non defuerunt qui interpretarentur, quandoque proculcatam deſertamque remp. ciuili aliqua perturbatione, in tutelam eius, ac velut in gremium deuenturam. Prandente eo quondam, canis* extrarius triclinio manum humanam intulit, menſæque ſubiecit. Cenante rurſus, bos arator decuſſo iugo, triclinium irrupit: ac fugatis miniſtris, quaſi repente defeſſus, procidit *ad ipſos accumbentis pedes, ceruicemq; ſubmiſit. Arbor quoque cupreſſus in agro auito, ſine vlla vi tempeſtatis [euulſa radicitus, atque] proſtrata, inſequenti die viridior ac firmior reſurrexit. At in Achaia ſomniauit, initium ſibi ſuisque felicitatis futurum, ſimul ac dens Neroni exemtus eſſet: euenitque vt ſequenti die progreſſus in atrium, medicus dentem ei oſtenderet *tantum quod exemtum. Apud Iudæam Carmeli Dei oraculum conſulentem, ita confirmauere ſortes, vt quidquid cogitaret volueretque animo, *quantumlibet magnum, id eſſe prouenturum pollicerentur. Et vnus ex nobilibus captiuis Ioſephus, cum conüceretur in vincula, conſtantiſſime aſſeuerauit fore vt ab eodem breui ſolueretur, verum iam Imperatore. Nuntiabantur & ex vrbe præſagia, Neronem diebus vltimis monitum per quietem, vt thenſam Iouis opt. max e ſacrario in domum Veſpaſiani, & [inde] in Circũ deduceret. Ac non multo poſt, comitia ſecundi Cõſulatus ineunte Galba, ſtatua Diui Iulii ad Orientem ſponte conuerſa: acieque *Bebriacenſi,

ſ...ius

prius quam committeretur, duas aquilas in conspectu omnium conflixisse: victaque altera, superuenisse tertiam * a Solis ortu, ac victricem abegisse.

6 NEC tamen quidquam ante tentauit, promtissimis atque etiam instantibus suis, quam sollicitatus quorumdam & ignotorum & absentium fortuito fauore. Mœsiaci exercitus bina e tribus legionibus millia, missa auxilio Othoni, postquam iter ingressis nuntiatum est victum eum, ac vim vitæ suæ attulisse: nihilo secius Aquileiam vsque perseuerauerunt, quasi rumori minus crederent. Ibi per occasionem ac licentiam, omni rapinarum genere grassati, cum timerent ne sibi reuersis reddenda ratio, ac subeunda pœna esset, consilium inierunt eligendi * creandique Imperatoris. Neque enim deteriores esse, aut Hispaniensi exercitu qui Galbam, aut prætoriano qui Othonem, aut * Germaniciano * qui Vitellium fecissent. Propositis itaque nominibus legatorum consularium, quot vbique tunc erant, cum ceteros [alii] alium alia de caussa improbarent; & quidam e legione tertia, quæ sub exitu Neronis translata ex Syria in Mœsiam fuerat, Vespasianum laudibus ferrent: assensere cuncti, nomenque eius vexillis omnibus sine mora inscripserunt. Et tunc quidem compressa res est, reuocatis ad officium * numeris parumper. Ceterum diuulgato facto, Tiberius Alexander præfectus Ægypti, primus in verba Vespasiani legiones adegit Kalend. Iulii: qui principatus dies in posterum obseruatus est. Iudaicus deinde exercitus, * v Idus Iulii apud ipsum iurauit. Plurimum cœptis contulerunt: iactatum exemplar epistolæ, veræ siue falsæ, defuncti Othonis ad Vespasianum, extrema obtestatione vltionem mandantis, & vt reip. subueniret, optantis: simul rumor dissipatus, destinasse * Vitellium victorem permutare hiberna legionum, & Germanicas transferre in Orientem ad securiorem mollioremque militiam: præterea ex præsidibus prouinciarum Licinius * Mucianus, & e regibus * Vologesus Parthus; ille, deposita simultate, quam in id tempus ex æmulatione non obscure gerebat, Syriacum promisit exercitum; hic, XL millia sagittariorum.

7 SVSCEPTO igitur ciuili bello, ac ducibus copiisque in Italiam præmissis, interim Alexandriam transiit, vt claustra Ægypti obtineret. Hic cum de firmitate Imperii capturus auspicium, ædem Serapidis, submotis omnibus, solus intrasset: ac propitiato multum Deo, tandem se conuertisset, verbenas coronasque, & * panificia, vt illic assolet, Basilides libertus obtulisse ei visus est: quem neque admissum a quoquam, & iam pridem propter neruorum valetudinem vix ingredi longeque abesse constabat. Ac statim aduenere litteræ, fusas apud Cremonam Vitellii copias, ipsum in vrbe interemtum nuntiantes. Auctoritas & quasi maiestas quædam, vt * scilicet inopinato & adhuc nouo principi, deerat: hæc quoque accessit. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius * debili crure, sedentem pro Tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam a Serapide per quietem: restituturũ oculos, si inspuisset: confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cum vix fides esset rem vllo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet, extremo hortantibus amicis palam pro concione vtrumque tentauit; nec euentus defuit. Per idem tempus Tegeæ in Arcadia, instinctu vaticinantium, effossa sunt sacrato loco vasa operis antiqui, atque in iis assimilis Vespasiano imago.

8 TALIS, tantaque cum fama in vrbem reuersus, acto de Iudæis triumpho, Consulatus octo veteri addidit. Suscepit & Censuram: ac per totum Imperii tempus nihil habuit antiquius, quam prope afflictam nutantemque remp. stabilire primo, deinde & ornare. Milites, pars victoriæ fiducia, pars ignominiæ dolore, ad omnem licentiam audaciamque processerant. Sed & prouinciæ, ciuitatesque liberæ, nec non & regna quædam, tumultuosius inter se agebant. Quare Vitellianorum quidem & exauctorauit plurimos, & coercuit. Participibus autem victoriæ, adeo nihil extra ordinem indulsit, vt etiam legitima præmia non nisi sero persoluerit. Ac ne quam occasionem corrigendi disciplinam prætermitteret, adolescentulum fragrantem vnguento, cum sibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam grauissima increpuit, *Maluissem * halium oboluisses*: litterasque reuocauit. Classiarios vero qui ab Ostia & Puteolis Romam pedibus * per vicos commeant, petentes constitui aliquid sibi calcearii nomine, quasi parum esset, sine responso abegisse,

iussit post hæc excalceatos cursitare.& ex eo ita cursitant. Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, libertate adempta; item *Thraciam, Ciliciam, & Comagenen dicionis regiæ vsq; ad id tempus, in prouinciarum formam redegit. Cappadociæ propter assiduos barbarorum incursus legiones addidit: consularemque rectorem imposuit, pro equite R. Deformis vrbs veteribus incendiis ac ruinis erat: vacuas areas occupare, & ædificare, si possessores cessarent, cuicumq; permisit. Ipse restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus primus admouit, ac suo collo quædam extulit: *ærearumq; tabularum tria millia, quæ simul cōflagrauerant, restituenda *suscepit: vndiq; inuestigatis exemplaribus, instrumentum Imperii pulcerrimum ac vetustissimum confecit; quo cōtinebantur pæne ab exordio vrbis Senatusconsulta, *plebiscita, de societate & fœdere, ac priuilegio cuicumque concessis.

9 Fecit & noua opera, templum Pacis foro proximum: * Diuique Claudii in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum. Item Amphitheatrum vrbe media, vt destinasse compererat Augustum. Amplissimos ordines, & exhaustos cæde varia, & contaminatos veteri negligentia, purgauit; suppleuitque recenso Senatu, & equite; submotis indignissimis, & honestissimo quoque Italicorum ac prouincialium allecto. Atque vti notum esset, vtrumque ordinem non tam libertate inter se, quam dignitate differre, de iurgio quodam Senatoris equitisque R. ita pronuntiauit, *Non oportere maledici Senatoribus; remaledici, ciuile fasque esse.*

10 Litium series vbique maiorem in modum excreuerant; manentibus antiquis, intercapedine iurisdictionis; accedentibus nouis, ex conditione tumultuque temporum. Sorte elegit per quos rapta bello restituerentur; quique iudicia centumuiralia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum ætas videbatur, extra ordinem diiudicarent, redigerentque ad breuissimum numerum.

11 Libido atq; luxuria coercente nullo inualuerat. * Auctor Senatui fuit, decernendi vt quæ se alieno seruo iunxisset, ancilla haberetur: Neue filiorum familias feneratoribus exigendi crediti ius vmquam esset: hoc est, ne post patrum quidem mortem. Ceteris in rebus statim ab initio principatus vsq; ad exitum, ciuilis & clemens.

12 Mediocritatem pristinam neq; dissimulauit vmquam, ac frequenter etiam præ se tulit. Quin & conantes quosdam originem Flauii generis ad conditores Reatinos, comitemque Herculis, cuius monumētum exstat via Salaria, referre, irrisit vltro. Adeoq; nihil ornamentorum extrinsecus cupide appetiuit, vt triumphi die fatigatus tarditate & tædio pompæ, *nō reticuerit; merito se plecti, qui triumphum, quasi aut debitum maioribus suis, aut speratum vmquam sibi, tam inepte senex concupisset. Ac ne Tribuniciam quidem potestatem, & Patris patriæ appellationem nisi sero recepit. Nam consuetudinem salutantes scrutandi, manente adhuc bello ciuili, omiserat.

13 Amicorvm libertatem, caussidicorum figuras, ac philosophorum contumaciam, lenissime tulit. Licinium Mucianum notæ impudicitiæ, sed meritorum fiducia minus sui reuerentem, numquam nisi clam, & hactenus retaxare sustinuit, vt apud communem aliquem amicū querens, adderet clausulæ; *Ego tamen vir sum.* Saluium Liberalem, in defensione diuitis rei ausum dicere, *quid ad Cæsarem, si Hipparchus* LLS *millies habet?* & ipse laudauit. Demetrium Cynicum in itinere obuium sibi post* dominationem, ac neq; assurgere, neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit, canem appellare.

14 Offensarvm inimicitiarumque minime memor, exsecutorue: Vitellii *hostis sui filiam splendidissime maritauit, dotauit[que] etiam & instruxit. Trepidum cum interdicta aula sub Nerone, quærentemque quidnam ageret, aut quo abiret, quidam *ex officio admissionis simul expellens, abire * Morboniam iussetat. In hunc postea deprecantem haud vltra verba excanduit, & quidem totidem fere atque eadem. Nam vt suspicione aliqua vel metu ad perniciem cuiusquam compelleretur tantum abfuit, vt monentibus amicis cauendum esse *Metium Pomposianum, quod vulgo crederetur genesim habere Imperatoriam, insuper cos. fecerit; spondens quandoque beneficii memorem futurum.

Non

15 NON temere quis punitus insons reperitur: nisi absente eo, & ignaro, aut certe inuito, atque decepto. Heluidio Prisco, qui reuersum ex Syria solus priuato nomine Vespasianum salutauerat, & in Prætura omnibus edictis sine honore ac mentione vlla transmiserat, non ante succensuit, quam altercationibus insolentissimis pæne in ordinem redactus. Hunc quoque, quamuis relegatum primo, *deinde & interfici iussum, magni æstimauit seruare quoquo modo, missis qui percussores reuocarent: & seruasset, nisi *iam perisse falso *nuntiatum esset. Ceterum neque cæde *cuiusquam vmquam lætatus, iustis suppliciis illacrymauit etiam, & ingemuit.

16 SOLA est, in qua merito culpetur, pecuniæ cupiditas. Non enim contentus omissa sub Galba vectigalia reuocasse, noua & grauia addidisse; & auxisse tributa prouinciis, non nullis & duplicasse: negotiationes quoq; vel priuato pudendas propalã exercuit, coemendo quædam tantũ vt pluris postea distraheret. Nec candidatis quidem honores, reisue tam innoxiis, quam nocẽtibus, absolutiones venditare cunctatus est. Creditur etiam procuratorum rapacissimũ quemq; ad ampliora officia ex industria solitus promouere; quo locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgo pro spongiis dicebatur vti, quod quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes. Quidam natura cupidissimum tradunt; idq; exprobratum ei a sene bubulco: qui negata sibi gratuita libertate, *quam Imperium adeptum suppliciter orabat, proclamauerit, *Vulpem pilum mutare, non mores.* Sunt contra qui opinentur ad manubias & rapinas necessitate compulsum, summa ærarii fiscique inopia: de qua testificatus sit initio statim principatus: professus quadringenties millies opus esse, vt resp. stare posset. Quod & verisimilius videtur; quando & male partis optime vsus est.

17 IN omne hominum genus liberalissimus, expleuit censum Senatorium: consulares inopes quingenis sestertiis annuis sustentauit: plurimas per totum orbem ciuitates terræmotu aut incendio afflictas, restituit in melius.

18 INGENIA & artes vel maxime fouit: primus e fisco Latinis Græcisque rhetoribus annua centena constituit. Præstantes poetas, nec non & artifices coemitirem colossi refectorem insigni congiario, magnaque mercede donauit: mechanico quoque grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit, operam remisit; præfatus, sineret se plebeculam *pascere.

19 LVDIS per quos scena Marcelliani Theatri restituta dedicabatur, vetera quoque acroamata reuocauerat. *Apollinari tragœdo quadringenta, *Terpno Diodoroque citharœdis ducena, non nullis centena: quibus minimum, quadragena sestertia super plurimas coronas aureas dedit. Sed & conuiuabatur assidue: ac sæpius *recte, ac dapsile; vt macellarios adiuuaret. *Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita & Kalend. Martii feminis: & tamen ne sic quidem pristinæ cupiditatis infamia caruit. Alexandrini *Cybiotaten eum vocare perseuerauerunt, cognomine vnius e regibus suis turpissimarum sordium. Sed & in funere *Fauor archimimus personam eius ferens, imitansque (vt est mos) facta ac dicta *viui, interrogatis palam procuratoribus quanti funus & pompa constaret; vt audiit *LLS centies, exclamauit, *Centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim proiicerent.

20 STATVRA fuit quadrata, compactis firmisque membris, vultu veluti nitentis. Vnde quidam vrbanorum *non infacete. siquidem petenti, vt & in se aliquid diceret *dicam,* inquit, *cum ventrem exonerare desieris.* Valetudine prosperrima vsus est: quamuis ad tuendam eam nihil amplius quam fauces, ceteraque membra sibimet ad numerum in sphæristerio defricaret, inediamque vnius diei per singulos menses interponeret.

21 ORDINEM vitæ fere hunc tenuit. In principatu maturius semper ac de nocte vigilabat: deinde perlectis epistolis, officiorumq; omnium breuiariis, amicos admittebat: ac dum salutabatur, & calceabat ipse sese, & amiciebat. Post decisa quæcumque obuenissent negotia, gestationi, & inde quieti vacabat; accubante aliqua pallacarum, quas in defunctæ locum Cænidis plurimas constituerat: *ac secreto in balneum tricliniumque transibat. Nec vllo tempore facilior aut indulgentior traditur: eaque momenta domestici ad aliquid petendum magnopere captabant.

22 ET super cenam autem, & semper alias *comissimus, multa ioco transigebat. Erat enim dicacitatis plurimæ; & sic scurrilis ac sordidæ, vt ne* prætextatis quidem verbis abstineret. Et tamen nonnulla eius facetissima exstant; in quibus & hoc: *Mestrium Florum consularē, admonitus ab eo *plaustra* potius quam *plostra* dicenda, die postero *Flaurum* salutauit. Expugnatus autem a quadā, quasi* amore sui deperiret, cum * productæ pro concubitu * sestertia quadraginta donasset: admonente dispensatore quemadmodū summam rationibus vellet* referri, *Vespasiano*, inquit, *adamato*.

23 VTEBATVR & versibus Græcis tempestiue satis, & de quodam proceræ staturæ, improbiusque * nato; Μακρὰ βιβὰς, κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος. Et [maxime] de Cerylo liberto, qui diues admodum, * ob subterfugiendum quandoque ius fisci, ingenuum se & Lachetem mutato nomine cœperat* efferre, ὦ Λάχης Λάχης, ἐπὰν ἀποθάνῃς αὖθις * ἐξ ὑπαρχῆς εἴρησι * Κήρυλος. [Et] maxime tamen dicacitatem in deformibus lucris affectabat: vt inuidiam aliqua cauillatione dilueret, transferretque ad sales. Quemdam e caris ministris, dispensationem cuidam quasi fratri petentem, cum distulisset, ipsum candidatum ad se vocauit: exactaque pecunia, quantam is cum suffragatore suo pepigerat, sine mora ordinauit. Interpellanti mox ministro; *Alium tibi*, ait, *quære fratrem: hic, quem tuum putas, meus est*. Mulionem in itinere quodam suspicatus ad calceandas mulas desilisse, vt adeunti litigatori spatium moramque præberet: interrogauit quanti calceasset; pactus[que est] lucri partem. Reprehendenti filio Tito, quod etiam vrinę vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admouit ad nares, sciscitans num odore offenderetur: & illo negante, *Atqui*, inquit, *e lotio est*. *Nuntiantibus legatis, decretam ei publice non mediocris summæ statuam colosseam, iussit* vt continuo ponerent; cauam manum ostentans, & paratam basim dicens. Ac ne in metu quidem, ac periculo mortis extremo, abstinuit iocis. Nam cum inter cetera prodigia Mausoleum [Cæsarum] derepente patuisset, & stella in cælo crinita apparuisset: alterum ad * Iuliam Caluinam e gente Augusti pertinere dicebat: alterum, ad Parthorum regem, qui capillatus esset. Prima quoque morbi accessione, *Vt*, inquit, *puto, Deus fio*.

24 CONSVLATV suo nono tentatus in Campania motiunculis leuibus, ac protinus vrbe repetita: *Cutylias, ac Reatina rura, vbi æstiuare quotannis solebat, petiit. Heic, cum super vrgentem valetudinem creberrimo frigidæ aquæ vsu & intestina vitiasset; nec eo minus muneribus Imperatoriis ex consuetudine fungeretur, vt etiam legationes audiret cubans, aluo repente vsque ad defectionem soluta, *Imperatorem* ait *stantem mori oportere*. Dumque consurgit ac nititur, inter manus subleuantium exstinctus est *VIII Kalend. Iulii, annum gerens ætatis sexagesimum ac nonum, superque mensem, ac diem septimum.

25 CONVENIT inter omnes, tam certum eum de sua suorumque genitura semper fuisse; vt post assiduas in se coniurationes ausus sit affirmare Senatui, aut filios sibi successuros, aut neminem. Dicitur etiam vidisse* quondam per quietem stateram [in] media parte vestibuli Palatinæ domus positam examine æquo; cum [in] altera lance Claudius & Nero starent, [in] altera ipse ac filii. Nec res fefellit: quando totidem annis, parique temporis spatio vtrique imperauerunt.

C. SVETONII TRANQVILLI D. TITVS, XI.

1 TITVS cognomine paterno, *amor ac deliciæ generis humani*: (tantum illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenii, vel artis, vel* fortunæ superfuit; &, quod difficillimum est, in Imperio; quando priuatus, atque etiam sub patre principe, ne odio quidem, nedum vituperatione publica caruit.)

2 NATVS est III Kalend. Ianuar. insigni anno Caiana nece, prope Septizonium, sordidis ædibus: cubiculo vero perparuo, & obscuro: nam manet adhuc, & ostenditur. Educatus in aula cum Britannico simul, ac paribus disciplinis,

plinis,& apud eosdem magistros institutus. Quo quidem tempore aiunt metoposcopum, a Narcisso Claudii liberto adhibitum, vt Britannicum inspiceret, constantissime affirmasse, illum quidem nullo modo, ceterum Titum, qui [tunc] prope adstabat, vtique imperaturum. Erant autem adeo familiares, vt de potione, qua Britannicus hausta periit, Titus quoque iuxta cubans gustasse credatur, grauique morbo * afflictatus diu. Quorum omnium mox memor, statuam ei auream in Palatio posuit; & alteram ex ebore equestrem, quæ Circensi pompa * hodieq; præfertur, dedicauit, prosecutusque est.

3 In puero statim corporis animique dotes exsplenduerunt: magis [que] ac magis deinceps per ætatis gradus: forma egregia, & cui non minus auctoritatis inesset quam gratiæ: præcipuum robur; quamquam neque statura procera, & ventre paullo proiectiore: memoria singularis, docilitas ad omnes fere tum belli, tum pacis artes. Armorum & equitandi peritissimus, Latinæ Græcæque linguæ, vel in orando, vel in fingendis poematibus, promtus & facilis, ad extemporalitatem vsque. Sed ne musicæ quidem rudis; vt qui cantaret & psalleret iucunde scienterque. E pluribus comperi, notis quoque excipere velocissime solitum, cum * amanuensibus suis per ludum iocumque certantem imitari chirographa quæcumque vidisset: * ac profiteri, sæpe se maximum falsarium esse potuisse.

4 Tribvnvs militum & in Germania & in Britannia meruit * summa industria, nec minore modestia & fama: sicut * apparet ex imaginum eius multitudine ac titulis per vtramque prouinciam. Post stipendia, foro operam dedit, honestam magis quam assiduam. Eodemque tempore * Arricidiam Tertullo patre equite R. sed præfecto quondam prætorianarum cohortium, duxit vxorem: & in defunctæ locum Marciam * Furnillam splendidi generis: cum qua, sublata filia, diuortium fecit. Ex quæsturæ deinde honore legioni præpositus, * Taticheam & Gamalam vrbes validissimas Iudææ, in potestatem redegit: equo quadam acie sub feminibus amisso, alteroque inscenso, cuius rector contra se dimicans occubuerat.

5 Galba mox tenente rempubl. missus ad gratulandum, quaqua iret, conuertit homines, quasi adoptionis gratia * arcesseretur. Sed vbi turbari rursus cuncta sensit, rediit ex itinere: aditoque Paphiæ Veneris oraculo, dum de nauigatione * consulit, etiam de Imperii spe confirmatus est. Cuius breui compos, & ad perdomandam Iudæam relictus, nouissima Hierosolymorum oppugnatione, * VII propugnatores totidem sagittarum confecit ictibus: cepitque eam natali filiæ suæ; tanto militum gaudio ac fauore, vt in gratulatione Imperatorem eum consalutauerint, & subinde decedentem prouincia detinuerint; suppliciter nec non & minaciter efflagitantes * vt remaneret, aut secum omnes pariter abduceret. Vnde nata suspicio est, quasi * desciceret a patre, Orientisque regnum sibi vindicare tentasset. Quam suspicionem auxit, postquam Alexandriam petens, in consecrando apud Memphim boue * Apide, diadema gestauit: * de more siquidem rituque priscæ religionis: sed non deerant qui * secus interpretarentur. Quare festinans in Italiam, cum Rhegium, * dehinc Puteolos oneraria naue appulisset, Romam inde contendit expeditissimus: inopinantique patri velut arguens rumorum de se temeritatem, *Veni*, inquit, *pater, veni.*

6 Neqve ex eo destitit participem, atque etiam tutorem Imperii agere. Triumphauit cum patre, Censuramque gessit vna. Eidem collega & in tribunicia potestate, & in septem Consulatibus fuit. Receptaque ad se prope omnium officiorum cura, cum patris nomine & epistolas ipse dictaret, & edicta conscriberet, * orationesque in Senatu recitaret etiam Quæstoris vice; Præfecturam quoque prætorii suscepit, numquam ad id tempus nisi ab equite R. administratam. Egitque * aliquanto * incivilius & violentius: siquidem suspectissimum quemque sibi, submissis qui per Theatra & castra, quasi consensu ad pœnam * deposcerentur, haud cunctanter oppressit. In his * A. Cæcinam consularem [virum,] vocatum ad cenam, ac vix dum triclinio egressum, confodi iussit: sane vrgente discrimine, cum etiam chirographum eius præparatæ apud milites coniurationis deprehendisset. Quibus rebus sicut in posterum securitati satis cauit, ita ad præsens plurimum contraxit inuidiæ: vt non

temere quis, *tam aduerso rumore, magisque inuitis omnibus, transierit ad principatum.

7 PRÆTER sæuitiam, suspecta in eo etiam luxuria erat; quod ad mediam noctem comissationes cum profusissimo quoque familiarium extenderet. Nec minus libido; propter exoletorum & spadonum greges, propterque insignem reginæ Berenices amorem, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur. Suspecta & rapacitas: quod constabat in concionibus* patris nundinari præmiarique solitum. *Deinde propalam alium Neronem & opinabantur & prædicabant. At illi ea fama pro bono cessit, conuersaque est in maximas laudes; *neque vllo vitio reperto, & contra virtutibus summis. Conuiuia instituit iucunda magis quam profusa. Amicos elegit, quibus etiam post eum principes, vt & sibi & reip. necessariis, acquieuerunt: præcipueque* sumtam sibi Berenicen, statim ab vrbe dimisit, inuitus inuitam. Quosdam e *gratissimis delicatorum, quamquam tam artifices* saltationis, vt mox scenam tenuerint, non modo fouere* prolixius, sed spectare in publico* omnino cœtu supersedit. Nulli ciuium quidquam ademit: abstinuit alieno, vt si quis vmquam: ac ne concessas quidem ac solitas collationes recepit. Et tamen nemine ante se munificentia minor. *Amphitheatro dedicato, thermisque iuxta* celeriter exstructis, munus edidit apparatissimũ largissimumq;. Dedit & nauale prœlium in veteri naumachia: ibidem & gladiatores: atque vno die quinque millia omne genus ferarum.

8 NATVRA autem beneuolentissimus, cum ex instituto Tiberii omnes dehinc Cæsares beneficia a superioribus concessa principibus, *aliter rata non haberent, quam si eadem iisdem & ipsi dedissent: primus præterita omnia vno confirmauit edicto, nec a se peti passus est. In ceteris vero desideriis animum hominum obstinatissime tenuit: ne quem sine spe dimitteret. Quin & admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur quam præstare posset: *Non oportere*, ait, *quemquam a sermone principis tristem discedere*. Atque etiam recordatus quondam super cenam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam, meritoq;* laudatam vocem edidit: *Amici, diem perdidi.* Populum in primis vniuersum tanta per omnes occasiones comitate tractauit, vt proposito gladiatorio munere, non ad suum, sed ad spectantium arbitrium, editurum se professus sit. Et plane ita fecit. Nam neque negauit quidquam petentibus; & vt quæ vellent, peterent, vltro adhortatus est. Quin & studium armaturæ* Thracum præ seferens, sæpe cum populo & voce, & gestu, *vt fautor, cauillatus est: verum maiestate salua, nec minus æquitate. Ne quid popularitatis prætermitteret, non numquam in thermis suis, admissa plebe, lauit. Quędam sub eo fortuita ac tristia acciderunt: vt conflagratio *Veseui montis, in Campania: & incendium Romæ, per triduum, totidemque noctes: item pestilentia quanta non temere alias. In his tot aduersis, ac talibus, non modo principis sollicitudinem, sed & parentis affectum *vnicum præstitit: nunc consolando, per edicta; nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas. Curatores restituendæ Campaniæ, e consularium numero sorte duxit. Bona oppressorum in Veseuo, quorum heredes non exstabant, restitutioni afflictarum ciuitatum attribuit. Vrbis incendio nihil nisi sibi *publice perisse testatus, cuncta prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis destinauit: præposuitque complures ex equestri ordine, quo quæque maturius peragerentur. Medendæ valetudini, leniendisque morbis, nullam diuinam humanamque opem non adhibuit, inquisito *omnium sacrificiorum remediorumque genere. Inter aduersa temporum, &* delatores mandatoresque erant ex licentia veteri. Hos assidue in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac nouissime traductos per Amphitheatri arenam*, partim subiici in seruos, *ac venire imperauit; partim in *asperrima insularum auehi. Vtque etiam similia quandoque ausuros perpetuo coerceret, vetuit inter cetera, de eadem re pluribus legibus agi, quærive de cuiusquam defunctorum statu, vltra certos annos.

9 PONTIFICATVM maximum ideo se professus accipere, vt puras seruaret manus, fidem præstitit; nec auctor posthac cuiusquam necis, nec conscius, quamuis interdum vlciscendi caussa non deesset; sed periturum se potius quam *perditurum adiurans. Duos patricii generis conuictos in affectatione Imperii, nihil amplius quam

quam vt desisterent monuit, dicens *principatum fato dari*: si quid præterea desiderarent promittens se tributurum: & confestim quidem ad alterius matrem, quæ procul aberat, cursores suos misit, qui anxiæ filium saluum nuntiarent. *ceterum ipsos non solum familiari cenæ adhibuit, sed & insequenti die gladiatorum spectaculo circa se ex industria collocatis, oblata sibi *ornamenta pugnantium inspicienda porrexit. Dicitur etiam cognita vtriusque genitura, imminere ambobus periculum affirmasse, venturum* quandoque, & ab alio: sicut euenit. Fratrem insidiari sibi non desinentem, sed pæne ex professo sollicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, neque seponere, ac ne in minore quidem honore habere sustinuit. sed vt a primo Imperii die, consortem successoremque testari perseuerauit, non numquam secreto lacrymis & precibus orans, vt tamdem mutuo erga se animo vellet esse.

Inter hæc morte præuentus est, maiore hominum damno quam suo. Spectaculis absolutis, in quorum fine, populo corã vberrim fleuerat, Sabinos petit aliquanto tristior, quod sacrificanti hostia aufugerat, quodq; tempestate serena tonuerat. Deinde ad primam statim mansionem febrim nactus, cum inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis* plagulis cælum, multumq; conquestus, eripi sibi vitam immerenti. Neque enim exstare vllum suum factum pœnitendum, excepto dumtaxat vno. id quale fuerit, neq; ipse tunc prodidit, neq; cuiquam facile succurrit. Quidam opinantur consuetudinem recordatum, quam cum fratris vxore habuerit. Sed nullam habuisse persancte Domitia iurabat: haud negatura, si qua omnino fuisset: immo etiam gloriatura, quod illi promtissimum erat in omnibus probris.

11 Excessit in eadem qua pater villa, Idibus Septembris, post biennium, ac menses duos, diesq; XX, quam successerat patri, altero & quadragesimo ætatis anno. Quod vt palam factum est, non secus atque in domestico luctu mærentibus publice cunctis, Senatus, prius quam edicto conuocaretur, ad Curiam *cucurrit · obseratisque adhuc foribus, deinde apertis, *tantas mortuo gratias egit laudesque, quantas congessit ne viuo quidem vmquam, atque præsenti.

C. SVETONII TRANQVILLI FLAVIVS DOMITIANVS, XII.

1 Domitianvs natus est IX Kal. Nouembris, patre cos. designato, inituroque mense insequenti honorem; regione vrbis sexta, ad * Malum Punicum, domo quam postea in templum gentis Flauiæ conuertit. Pubertatis ac primæ adolescentiæ * tempus, tanta inopia, tantaq; infamia gessisse fertur, vt nullum vas argenteum in vsu haberet. Satisq; constat, * Clodium Pollionem prætorium virũ, in quem est poema Neronis quod inscribitur *Luscio*, chirographum eius conseruasse, & non numquam protulisse, noctem sibi * pollicentis: nec defuerunt qui affirmarent corruptum Domitianum & a Nerua successore mox suo. Bello Vitelliano confugit in Capitolium, cum patruo Sabino, ac parte præsentium copiarum: sed irrumpentibus aduersariis, & ardente templo, apud æditum clam pernoctauit: ac mâne Isiaci celatus habitu, inter [que] sacrificulos* vanæ superstitionis, cum se trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem comite vno cõtulisset, ita latuit, vt scrutantibus qui vestigia subsecuti erant, deprehendi non potuerit. Post victoriam demum progressus, & Cæsar cõsalutatus, honorem Præturæ vrbanæ [cum] consulari potestate suscepit titulo tenus: quam iurisdictionem ad collegam proximum transtulit. Ceterum omnem vim dominationis tam licenter exercuit, vt iam tum qualis futurus esset, ostenderet. Ne exsequar singula, contrectatis multorum vxoribus, Domitiam Longinam Ælio Lamiæ nuptam, etiam in matrimonium abduxit · atque vno die super XX vrbana officia* atque peregrina distribuit, mirari se Vespasiano dictitante, quod successorem non & sibi mitteret.

2 Expeditionem quoque in Galliam Germaniasque, neque necessariam & dissuadentibus paternis amicis, inchoauit; * tantum vt fratri se & operibus, & di-

gnatione adæquaret. *Ob hæc correptus, quo magis *ætatis & conditionis admoneretur, habitabat cum patre vna, *sellamq; eius ac fratris, quoties prodirent, lectica sequebatur: ac triumphum vtriusque Iudaicum, equo albo comitatus est. *In sex Consulatibus, non nisi vnum ordinarium gessit: eumq; cedente & suffragante fratre. Simulauit & ipse mire modestiam: in primisque poeticæ studium, tam insuetum antea sibi, quam postea spretum & abiectum: recitauitque etiam publice. Nec tamen eo secius, cum Vologesus Parthorum rex auxilia aduersus Alanos, ducemq; alterum ex Vespasiani liberis depoposcisset, omni ope contendit vt ipse potissimum mitteretur. Et quia discussa res [est,] alios Orientis reges, vt idem postularent, donis ac pollicitationibus sollicitare tentauit. Patre defuncto, diu cunctatus an duplum donatiuum militi *donaret, numquam iactare dubitauit, relictum se *participem Imperii, sed fraudem testamento adhibitam. Neq; cessauit ex eo insidias struere fratri clam palamque; quoad correptum graui valetudine, priusquam plane efflaret animam, pro mortuo deseri iussit: defunctumque nullo, præterquam consecrationis honore dignatus, sæpe etiam carpsit obliquis orationibus & edictis.

3 INTER initia principatus, quotidie secretum sibi *horarum sumere solebat; nec quidquam amplius, quam muscas captare, ac stylo præacuto configere: vt cuidam interroganti, essetne quis intus cum Cæsare, nō absurde responsum sit a Vibio Crispo; *ne musca quidem.* Deinde vxorem suam Domitiam, ex qua in secundo suo Consulatu filium tulerat, alteroque anno consalutauerat vt Augustam, eamdem Paridis histrionis amore deperditam, repudiauit: intraque breue tempus, impatiens dissidii, quasi efflagitante populo, reduxit. Circa administrationem Imperii aliquamdiu se varium præstitit; mistura quoque *inæquabili vitiorum atque virtutum; donec virtutes quoque in vitia deflexit: quantum coniectare licet, super ingenii naturam, inopia rapax, metu sæuus.

4 SPECTACVLA magnifica assidue, & sumtuosa edidit, nō in Amphitheatro modo, verum & in Circo: vbi pręter sollennes bigarum quadrigarumq; cursus, prœlium duplex etiam equestre ac pedestre commisit: atq; in Amphitheatro nauale quoque. nam *venationes gladiatoresque, & noctibus *ad lychnuchos: nec virorum modo pugnas, sed & feminarum. Præterea quæstoriis muneribus, quæ olim omissa reuocauerat, ita semper interfuit, vt populo potestatem faceret, bina paria e suo ludo postulandi, quæ nouissima *aulico apparatu induceret. Ac per omne gladiatorum spectaculum, ante pedes eius stabat puerulus coccinatus, *portentoso paruoque capite; cum quo plurimum *fabulabatur, non numquam serio. Auditus est certe, dum ex eo quærit, *ecquid sciret, cur sibi visum esset, ordinatione proxima Ægypto præficere Metium Rufum. Edidit nauales pugnas pæne iustarum classium, effosso & *circumducto iuxta Tiberim lacu: atque *inter maximos imbres prospectauit. Fecit & ludos sæculares: computata ratione temporum ab anno, nō quo Claudius proxime, *sed olim Augustus ediderat. In his *Circensium die, quo facilius centum missus peragerentur, *singulos a septenis spatiis ad quina corripuit. Instituit & quinquennale certamen: Capitolino Ioui triplex, musicum, equestre, gymnicum; & aliquanto plurium, quam nunc est, *coronatorum. Certabant etiam & *prosa oratione Græce Latineque: ac præter citharœdos chorocitharistæ quoque, & *psilocitharistæ. In stadio vero cursu etiam *virginū certamini præsedit crepidatus, purpureaq; amictus *toga Græcanica, capite gestans coronam auream cum effigie Iouis, ac Iunonis, Mineruæque; assidentibus Diali sacerdote, & collegio Flauialium pari habitu: nisi quod illorum coronis inerat & ipsius imago. Celebrabat & in Albano quotannis Quinquatria Mineruæ, cui collegium instituerat, ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, *redderentque eximias venationes, & scenicos ludos, superque oratorum ac poetarum certamina. Congiarium populo nummorum *trecentorum ter dedit: atque inter spectacula muneris, largissimum epulum. *Septimontiali sacrorum quidem die, Senatui equitique panariis, *plebei sportellis cum opsonio distributis, initium vescendi primus fecit: dieque proximo omne genus rerum missilia sparsit: & quia pars maior *intra popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos equestris ac senatorii ordinis pronuntiauit.

PLVRI-

5 ·PLVRIMA & amplissima opera incendio absumta restituit: in queis & Capitolium, quod rursus arserat: sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine vlla pristini auctoris memoria. Nouam autem excitauit ædem in Capitolio Custodi Ioui, & forum quod nunc Neruæ vocatur: item Flauię templum gentis, & stadium, &*odeum, & naumachiam: e cuius postea lapide maximus Circus, deustis vtrimque lateribus, exstructus est.

6 EXPEDITIONES *partim sponte suscepit, partim necessario: sponte, in Cattos; necessario, vnam in Sarmatas, legione cum legato simul cæsa. In Dacos duas· primam, Oppio Sabino consulari oppresso; secundam, Cornelio Fusco præfecto cohortium prætorianarum, cui belli summam commiserat. De Cattis Dacisque, post varia prœlia, duplicem triumphum egit: de Sarmatis, lauream modo Capitolino Ioui retulit. Bellum ciuile, motum a L. Antonio superioris Germaniæ præside, confecit absens, felicitate mira; cum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus, transituras ad Antonium copias barbarorum inhibuisset. De qua victoria prius præsagiis quam nuntiis comperit. Siquidem ipso quo dimicatum est die, statuam eius Romæ insignis aquila circumplexa pennis, clangores lætissimos edidit: paulloq; post occisum Antonium adeo vulgatum est, vt caput eius quoque apportatum vidisse se plerique contenderent.

7 MVLTA etiam in communi rerum vsu nouauit. *Sportulas publicas sustulit, reuocata cenarum rectarum consuetudine. Duas Circensibus* gregum factiones, aurati purpureique panni, ad quatuor pristinas addidit. Interdixit histrionibus scenam, intra domum quidem exercendi artem iure concesso. Castrari mares vetuit: Spadonum, qui residui apud mangones erant, pretia moderatus est. Ad summam quondam vbertatem vini, frumenti vero inopiam, *existimans nimio vinearum studio negligi arua, edixit ne quis in Italia nouellaret: vtque in prouinciis vineta succiderentur; relicta, vbi plurimum, dimidia parte: nec exsequi rem perseuerauit. Quædam ex maximis officiis, inter libertinos* milites que R. communicauit. Geminari legionum castra prohibuit: nec plus quam mille nummos a quoquam ad signa deponi: quod L. Antonius, apud duarum legionum hiberna res nouas moliens, fiduciam cepisse etiam ex depositorum summa videbatur. Addidit & quartum stipendium militi, *aureos ternos.

8 IVS diligenter & industrie dixit. Plerumque & in foro pro Tribunali extra ordinem ambitiosas Centumuirorum sententias rescidit. *Recuperatores, *ne se [semper] persuasoriis assertionibus accommodarent, identidem admonuit. Nummarios iudices cum suo quemque consilio notauit. Auctor* & Tribunis pleb. fuit, Ædilem sordidum repetundarum accusandi, iudicesque in eum a Senatu petendi. Magistratibus quoque* vrbicis, prouinciarumque Præsidibus coercendis tantum curæ adhibuit, vt neque modestiores vmquam, neque iustiores exstiterint: e quibus plerosque post illum reos omnium criminum vidimus. Suscepta morum correctione, licentiam theatralem *promiscue in equite spectandi inhibuit. Scripta famosa, vulgoq; edita, quibus primores viri ac feminæ notabantur, aboleuit, non sine auctorum ignominia. Quæstorium virum, quod gesticulandi saltandique studio teneretur, mouit Senatu. Probrosis feminis lecticæ vsum ademit, iusque capiendi legata, hereditatesq;. Equitem R. ob reductam in matrimonium vxorem, cui* dimissæ adulterii crimen intenderat, erasit iudicum albo. Quosdam ex vtroq; ordine lege *Scatinia condemnauit. Incesta Vestalium virginum, a patre suo quoq; & fratre neglecta, varie ac seuere coercuit: priora capitali supplicio, posteriora more veteri. Nam cum Ocellatis sororibus, item Varonillæ liberum mortis permisisset arbitrium, corruptoresq; earum relegasset: mox *Corneliam virginem maximam, absolutam olim, dehinc longo interuallo repetitam atque conuictam, defodi imperauit. Stupratoresque virgis in comitio ad necem cædi, excepto prætorio viro: cui dubia *etiamnum caussa, & incertis quæstionibus, atque tormentis de semet professo, exsilium indulsit. Ac ne qua religio Deûm impune contaminaretur, monumentum quod libertus eius e lapidibus templo Capitolini Iouis destinatis filio construxerat, diruit per milites: ossaque & reliquias, quæ inerant, mari mersit.

INTER initia vsque adeo ab omni cæde abhorrebat, vt absente adhuc patre, *recordatus Virgilii versum*, *Impia quam cæsis gens est epulata iuuencis*: edicere destinauerit, ne boues immolarentur. Cupiditatis quoque atque auaritiæ vix suspicionem vllam, aut priuatus vmquam, aut princeps aliquamdiu dedit: immo e diuerso magna sæpe non abstinentiæ modo, sed etiam liberalitatis experimenta. * Omnes circa se, largissime prosecutus: nihil prius aut acrius monuit, quam ne quid sordide facerent. Relictas sibi hereditates ab iis quibus liberi erant, non recepit. Legatum etiam ex testamento * Ruscii Cæpionis, qui cauerat, vt quotannis ingredientibus Curiam Senatoribus, certam summam viritim præstaret heres suus, irritum fecit. Reos, qui ante quinquennium proximum * apud ærarium pependissent, vniuersos * discrimine liberauit: nec repeti, nisi intra annum, eaque conditione permisit, vt accusatori, qui caussam non teneret, exsilium pœna esset. Scribas quæstorios negotiantes ex consuetudine, sed contra Clodiam legem, venia in præteritum donauit. * Subsecìua, quæ diuisis per veteranos agris carptim superfuerunt, veteribus possessoribus, vt vsucapta concessit. Fiscales calumnias, magna calumniantium pœna repressit: ferebaturque vox eius, *Princeps qui delatores non castigat, irritat.*

10 SED neq; in clementiæ, neq; in abstinentiæ tenore permansit: & tamen aliquanto celerius ad sæuitiam desciuit, quam ad cupiditatem. Discipulum Paridis pantomimi, * puberem adhuc, etiam tum maxime ægrum, quod arte formaque non absimilis magistro videbatur, occidit: item Hermogenem Tarsensem, propter quasdam in historia figuras; * librariis etiam qui eam descripserant, crucifixis. Patremfamilias, quod * Thracem myrmilloni parem, munerario imparem dixerat, * detractum e spectaculis in arenam, canibus obiecit, cum hoc titulo; *Impie locutus * parmularius.* Complures Senatores, in his aliquot Consulares, interemit: ex quibus * Ciuicam Cerealem in ipso Asiæ Proconsulatu, Saluidienum Orfitum, Acilium Glabrionem exsilio, quasi molitores nouarum rerum: ceteros leuissima quemque de caussa. Ælium Lamiam, ob suspiciosos quidem, verum & veteres, & innoxios iocos: quod post abductam vxorem laudanti vocem suam, *Heu taceo* dixerat: quodque Tito hortanti se ad alterum matrimonium, responderat, μὴ καὶ σὺ γαμῆσαι θέλεις; Saluium Coccelanū, quod Othonis Imperatoris, patrui sui, diem natalem celebrauerat: Metium Pomposianum, quod habere Imperatoriam genesim vulgo ferebatur: & quod depictum orbem terræ * in membranas, concionesque regum ac ducum ex Tito Liuio circumferret, quodque seruis nomina Magonis & Annibalis indidisset. Sallustium Lucullum Britanniæ legatum, quod lanceas nouæ formæ appellari Luculleas passus esset. * Iunium Rusticum, quod Pæti Thraseæ & Heluidii Prisci laudes edidisset, * appellaretque eos sanctissimos viros: cuius criminis occasione, philosophos omnes vrbe Italiaque submouit. Occidit & Heluidium filium; quod quasi scenico * exodio, sub persona Paridis & OEnones, diuortium suum cum vxore tractasset. Flauium Sabinum alterum e patruelibus, quod eum comitiorum consularium die destinatum, perperam præco non Consulem, ad populum; sed Imperatorem pronuntiasset. Verum aliquanto post ciuilis belli victoriam sæuior, plerosque partis aduersæ, dudum etiam latentes [conscios] inuestigato nouo quæstionis genere distorsit, immisso per obscena igne. Nonnullis & manus amputauit. Satisque constat duos solos e notioribus venia donatos, * Tribunum laticlauium, & Cētutionem: qui se, quo facilius expertes culpæ ostenderent, impudicos probauerant: & ob id neque apud ducem, nec apud milites vllius momenti esse potuisse.

11 ERAT autem non solum magnæ, sed & callidæ inopinatæque sæuitiæ. * Auctorem summarum pridie quam crucifigeret, in cubiculum vocauit: assidere in toro iuxta coegit, securum hilaremq; dimisit; partibus etiam de cena dignatus est. * Aretinum Clementem consularem virum, e familiaribus & emissariis suis, capitis condemnaturus, in eadem, vel etiam in maiore gratia habuit, quo ad nouissime simul gestanti conspecto delatore eius, *Vis*, inquit, *hunc nequissimum seruum cras audiamus?* Et quo contemtius abuteretur patientia hominum, numquam tristiorem sententiam, sine præfatione clementiæ, pronuntiauit: vt non aliud iam certius atrocis exitus signum esset, quam principii lenitas. Quosdam maiestatis reos in Curiam

induxerat:

induxerat: & cum prædixisset experturum se illa die, quam carus Senatui esset, facile perfecerat vt etiam more maiorum puniendi condemnarentur: deinde atrocitate pœnę conterritus, ad leniendam inuidiam intercessit, bis verbis: (neq; enim ab re fuerit ipsa cognoscere) *Permittite patres Conscripti a pietate vestra impetrari, quod scio me difficulter impetraturum, vt damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam & parcetis oculis vestris, & intelligent me omnes Senatui interfuisse.*

EXHAVSTVS operum ac munerum impensis, stipendioque quod adiecerat. tentauit quidem, ad releuandos castrenses sumtus, militum numerum diminuere. 12
sed cum [&] obnoxium se barbaris per hoc animaduerteret; neque * secius eo in explicandis oneribus omnibus bæreret: nihil pensi habuit quin prædaretur * omni modo. Bona viuorum & mortuorum, vsquequaque, quolibet & accusatore & crimine, corripiebantur. satis erat obiici qualecumque factum dictumque aduersum maiestatem principis. Confiscabantur alienissimæ hereditates; vel exsistente vno qui diceret, audisse se ex defuncto, cum viueret, heredem sibi Cæsarem esse. Præter ceteros Iudaicus fiscus acerbissime * actus est: ad quem deferebantur, qui velut professi, Iudaicam intra vrbem viuerēt vitam; vel dissimulata origine, imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse me adolescentulum memini, cum a procuratore, frequentissimo[que] consilio, inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset. Ab iuuenta minime ciuilis animi, confidens etiam, & tum verbis tum rebus immodicus. Cænidi patris concubinæ ex Istria reuersæ, osculumque, vt assueuerat, offerenti, manum præbuit. Generum fratris indigne ferens, albatos & ipsum ministros habere, proclamauit: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.

PRINCIPATVM vero adeptus, neque in Senatu iactare dubitauit, & patri se, & fratri Imperium dedisse, illos sibi reddidisse: neque in reducenda post diuortium vxore edicere, * vocatam eam in puluinar suum: acclamari etiam in Amphitheatro * epulari die libenter * audiri; *Domino & Dominæ feliciter*. Sed & Capitolino certamine, cunctos ingenti consensu precantes vt * Palfurium Suram restitueret, pulsum olim Senatu, ac tunc de oratoribus coronatum: nullo responso dignatus, tacere tantummodo iussit, voce præconis. Pari arrogantia, cum procuratorum suorū nomine * formalem dictaret epistolam, sic cœpit: *Dominus & Deus noster * sic fieri iubet*. Vnde institutū posthac, vt ne scripto quidē ac sermone cuiusquam appellaretur aliter. Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas & argenteas poni permisit, ac ponderis certi. * Ianos, arcusque, cum quadrigis & insignibus triumphorum, per regiones vrbis, tantos * ac tot exstruxit, * vt cuidam Græce inscriptum arcui sit, aream & caluinum. Consulatus XVII cepit: * quod ante eum nemo. Ex quibus septem medios continuauit: omnes autem pæne titulo tenus gessit: nec quemquam vltra Kalendas Maii: plures ad Idus vsque Ianuarias. Post autem duos triumphos, *Germanici* cognomine assumto, Septembrem mensem & Octobrem, ex appellationibus suis, *Germanicum Domitianumque* transnominauit: quod altero suscepisset Imperium, altero natus esset. 13

PER hæc terribilis cunctis & inuisus, tandem oppressus est amicorum libertorumque intimorum conspiratione, simul & vxoris. Annum diemque vltimum [vitæ] iam pridem suspectum babebat, horam etiam, nec non & genus mortis. Adolescentulo Cbaldæi cuncta prædixerant. Pater quoque super cenam * quandam fungis abstinentem palam irriserat, vt ignarum sortis suæ, quod non ferrum potius timeret. Quare pauidus semper atque anxius, minimis etiam suspicionibus præter modum commouebatur: vt edicti de excidendis vineis propositi, gratiam facere non alia magis re compulsus credatur, quam quod sparsi libelli cū his versibus erant: Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω, ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ. Eadem * formidine oblatum a Senatu * nouum & inexcogitatum honorem, quamquam omnium talium appetentissimus, recusauit: quo decretum erat, vt quoties gereret Consulatum, equites R. quibus sors obtigisset, * trabeati, & cum hastis militaribus, præcederent eum, inter lictores apparitoresque. Tempore quoq; suspecti periculi appropinquante, sollicitior in dies, porticuum, in quibus spatiari cōsueuerat, parietes phengite lapide distinxit; e cuius splendore per imagines quidquid a tergo fieret, prou- 14

ceret. Et nec nisi secreto, atque solus plerasque custodias, receptis quidem in manu catenis, audiebat. Vtque domesticis persuaderet, ne bono quidem exemplo audendam esse patroni necem, Epaphroditum a libellis, capitali pœna condemnauit, quod post destitutionem, Nero in adipiscenda morte, manu eius adiutus existimabatur.

15 DENIQVE Flauium Clementem patruelem suum, contemtissimæ inertiæ, cuius filios * etiamnum paruulos successores palam destinauerat; & abolito priore nomine, alterum Vespasianum appellari iusserat, alterum Domitianum: repente ex tenuissima suspicione tantum non ipso eius Consulatu interemit. Quo maxime facto maturauit sibi * exitum. Continuis octo mensibus tot fulgura facta nuntiataque sunt, vt exclamauerit, *Feriat iam quem volet*. Tactum de cælo Capitolium, templumque Flauiæ gentis: item domus Palatina, & cubiculum ipsius: atque etiam e basi statuæ triumphalis titulus excussus vi procellæ, in monumentum proximum decidit. Arbor quæ priuato adhuc Vespasiano euersa surrexerat, tunc rursus repente corruit. Prænestina Fortuna, toto Imperii spatio annum nouum commendanti, lætam eamdemque semper sortem dare assueta, extremo tristissimam reddidit: nec sine sanguinis * mentione. Mineruam, quam superstitiose colebat, somniauit excedere sacrario, negantem vltra se tueri eum posse, quod exarmata esset a Ioue. Nulla tamen re perinde commotus est, quam responso, casuq. Ascletarionis mathematici. Hunc delatum, nec infitiantem iactasse se quæ prouidisset ex arte, sciscitatus est, quis ipsum maneret exitus; & affirmantem fore vt breui laceraretur a canibus, interfici quidem sine mora, sed ad coarguendam temeritatem artis, sepeliri quoque accuratissime imperauit. Quod cum fieret, euenit vt repentina tempestate deiecto funere, semiustum cadauer discerperent canes: idque ei cenanti a mimo Latino, qui præteriens forte animaduerterat, inter ceteras diei fabulas * referretur.

16 PRIDIE quam periret, cum oblatos tuberes seruari iussisset in crastinum; adiecit, *Si modo vti licuerit*. Et conuersus ad proximos, affirmauit fore, vt sequenti die, Luna se in Aquario cruentaret; factumque aliquod exsisteret, de quo loquerentur homines per terrarum orbem. At circa mediam noctem ita est exterritus, vt ex strato prosiliret. De hinc mane haruspicem ex Germania missum, qui consultus de fulgure mutationem rerum prædixerat, audiit condemnauitque. Ac dum exulceratam in fronte verrucam vehementius scalpit, profluente sanguine, *Vtinam*, inquit, *hactenus*. Tunc horas * requirenti, pro quincta, quam metuebat, sexta ex industria nuntiata est. His velut transacto iam periculo lætum, festinantemque ad corporis curam, Parthenius cubiculo præpositus conuertit, nuntians esse qui magnum nescio quid afferret, nec differendum. Itaque summotis omnibus, in cubiculum se recepit; atque ibi occisus est.

17 DE insidiarum cædisque genere, hæc fere diuulgata sunt. Cunctantibus conspiratis, quando & quomodo, id est, lauantemne an cenantem, aggrederentur; Stephanus Domitillæ procurator, & tunc interceptarum pecuniarum reus, consilium operamque obtulit. Ac sinisteriore brachio velut ægro, lanis fasciisque per aliquot dies ad auertendam suspicionem obuoluto, ad ipsam horam, dolum interiecit: professusque conspirationis indicium, & ob hoc admissus, legenti traditum a se libellum, & attonito suffodit inguina. Saucium ac repugnantem adorti * Clodianus cornicularius, & Maximus Parthenii libertus, & * Saturius decurio cubiculariorum, & quidam e gladiatorio ludo, vulneribus septem contrucidauerunt. Puer, qui curæ Larium cubiculi ex consuetudine assistens, interfuit cædi, hoc amplius narrabat, se iussum a Domitiano ad primum statim vulnus pugionem puluino subditum porrigere, ac ministros vocare: neque ad caput quidquam excepto capulo, & præterea * omnia clausa reperisse: atque illum interim * correpto, deductoque ad terram Stephano, colluctatum * diu, modo ferrum extorquere, modo, quamquam laniatis digitis, oculos effodere conatum. Occisus est XIIII Kal. Octobris, anno ætatis XLV, Imperii XV. Cadauer eius populari * sandapila per * vespillones exportatum, Phyllis nutrix in suburbano suo Latina via funerauit: sed reliquias templo Flauiæ gentis clam intulit, cineribusque Iuliæ filiæ Titi, quam & ipsa educauerat, commiscuit.

STATVRA

STATVRA fuit procera, vultu modesto, ruborisque pleno, grandibus oculis, verum acie hebetiore: præterea pulcer ac decens, maxime in iuuenta; & quidem toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos restrictiores habebat: postea caluitio quoque deformis, & obesitate ventris, & crurum * gracilitate: quæ tamen ei valetudine longa remacruerant. Commendari se verecundia oris adeo sentiebat, vt apud Senatum sic quondam iactauerit, *Vsque adhuc certe animum meum probastis, & vultum.* Caluitio ita offendebatur, vt in contumeliam suam traheret, si cui alii ioco vel iurgio obiectaretur: quamuis libello, quem de cura capillorum ad amicum edidit, * hoc etiam, illum simul seque consolans, inseruerit; * οὐχ ὁρᾷς οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε, * *Eadem me tamen manent capillorum fata, & forti animo fero comam in adolescentia senescentem. Scias nec gratius quidquam decore, nec breuius.*

LABORIS impatiens, per vrbem pedibus non temere ambulauit: in expeditione & agmine, equo rarius, lectica assidue vectus est. Armorum nullo, sagittarum vel præcipuo studio tenebatur. Centenas varii generis feras sæpe in Albano * successu conficientem spectauere plerique: atque etiam ex industria ita quarumdam capita figentem, vt duobus ictibus quasi cornua * effingeret. Non numquam in pueri procul stantis, præbentisque * pro scopulo * dispansam dextræ manus palmam, sagittas tanta arte direxit, vt omnes per interualla digitorum innocue euaderent. 19

LIBERALIA studia in initio Imperii neglexit; quamquam bibliothecas incendio absumtas impensissime reparare curasset, exemplaribus vndique petitis; missisq; Alexandriam qui describerent emendarentque. Numquam tamen aut historiæ, carminibusue cognoscendis operam vllam, aut stylo vel necessario dedit. Præter Commentarios & Acta Tiberii Cæsaris nihil lectitabat: epistolas, orationesque & edicta, alieno formabat ingenio. Sermonis tamen nec inelegantis: Dictorum interdum etiam notabilium: *Vellem*, inquit, *tam formosus esse, quam Metius sibi videtur.* Et cuiusdam caput varietate capilli subrutilum, & incanum, *perfusam niuem mulso* dixit. 20

CONDITIONEM principum miserrimam aiebat; quibus de cõiuratione comperta non crederetur, nisi occisis. Quoties otium esset, alea se oblectabat, etiam profestis diebus, matutinisque horis: ac lauabat de die: prandebatque ad satietatem: vt non temere super cenam præter * Matianum malum, & modicam in ampulla potiunculam sumeret. Conuiuabatur frequenter ac large, sed pæne raptim: certe non vltra Solis occasum, nec vt postea comissaretur. Nam ad horam somni nihil aliud quam secreto solus deambulabat. 21

LIBIDINIS nimiæ, assiduitatem concubitus, velut exercitationis genus, clinopalen vocabat. Eratque fama, quasi concubinas ipse * diuelleret, nararetque inter * vulgatissimas meretrices. Fratris filiam adhuc virginem, oblatam in matrimonium sibi, cum * deuinctus Domitiæ nuptiis pertinacissime recusasset, non multo post alii collocatam, vltro corrupit: & quidem viuo etiam tum Tito: mox patre ac viro orbatam, ardentissime palamque dilexit: vt etiam caussa mortis exstiterit, coactæ conceptum a se abigere. 22

OCCISVM eum, populus indifferenter, miles grauissime tulit, statimque eum Diuum appellare conatus, paratus & vlcisci, nisi duces defuissent. quod quidem paullo post fecit, expostulatis ad pœnam pertinacissime cædis auctoribus. Contra, Senatus adeo lætatus est, vt repleta certatim Curia non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceraret: scalas etiam inferri * clypeosque & imagines eius coram detrahi, & ibidem solo * affligi iuberet: nouissime eradendos vbique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret. Ante paucos quam occideretur menses, cornix in Capitolio elocuta est, ἔσται πάντα καλῶς. Nec defuit qui ostentum sic interpretaretur: *Nuper Tarpeio quæ sedit culmine cornix*, EST BENE, *non potuit dicere: dixit* ERIT. Ipsum etiam Domitianum ferunt somniasse, gibbam sibi pone ceruicem auream enatam: pro certoque habuisse, beatiorem post se, * lætioremque portendi reipublicæ statum. 23

Sicut sane breui euenit abstinentia & moderatione insequentium principum.

ÆLII SPARTIANI

ADRIANVS IMP.

AD DIOCLETIANVM AVG.

ORIGO Imperatoris Adriani vetustior, a Picentibus; posterior, ab Hispaniensibus manat: siquidem Adria ortos maiores suos, apud *Italicam, Scipionum temporibus, resedisse, in libris vitæ suæ Adrianus ipse commemorat. Adriano pater Ælius Adrianus cognomēto Afer fuit, consobrinus Traiani Imperatoris: mater, Domitia Paulina Gadibus orta: soror, Paulina, nupta* Seruiano; vxor Sabina: *auus Marillinus, qui primus in sua familia senator populi Romani fuit. Natus est Romæ IX Cal. Feb. Vespasiano *septies & Tito quinquies COSS. Ac decimo ætatis anno patre orbatus, Vlpium Traianum prætorium tunc, consobrinum suum, qui postea imperium tenuit, & Cælium *Tatianum equitem Romanum, tutores habuit. Imbutusque impensius Græcis studiis, ingenio eius sic ad ea declinante, vt a nonnullis Græculus diceretur: quintodecimo anno ad patriam rediit; ac statim militiam iniit, venandi vsque ad reprehensionem studiosus. Quare a Traiano abductus a patria, & pro filio habitus: nec multo post *decemuir litibus iudicandis datus: atque inde tribunus secundæ *adiutricis legionis creatus: post hoc in inferiorem Mœsiam translatus, extremis iam Domitiani temporibus. Ibi a mathematico quodam de futuro imperio id dicitur comperisse, quod a patruo magno Ælio Adriano peritiam cælestium callente, prædictum esse compererat. Traiano a Nerua adoptato, ad gratulationem exercitus missus, in Germaniam superiorem translatus est: ex qua festinans ad Traianum, vt primus nuntiaret excessum Neruæ, a Seruiano sororis viro (qui & sumptibus & ære alieno eius prodito, Traiani odium in eum mouit) diu detentus, fractoque consulte vehiculo tardatus, pedibus iter faciens, eiusdem *Seruiani beneficio ad Traianum ante venit: fuitque in amore Traiani: nec tamen ei per *pædagogos puerorum quos Traianus impensius diligebat, Gallo fauente defuit. Quo quidem tempore quum *sollicitus de Imperatoris erga se iudicio, Virgilianas sortes consuleret; *\textit{}*Quis procul ille autem ramis insignis oliuæ Sacra ferens? nosco crines incanaque menta Regis Romani, primam qui legibus vrbem Fundauit, Curibus paruis & paupere terra, Missus in imperium magnum, cui deinde subibit*: sors excidit quam alii *ex Sibyllinis versibus ei prouenisse dixerunt. Habuit autem præsumptionem imperii mox futuri ex fano *quoque Nicephorii Iouis manante responso, quod Apollonius Syrus Platonicus libris suis indidit. Denique statim suffragante Sura, ad amicitiam Traiani pleniorem rediit, *nepte per sororem Traiani vxore accepta, fauente Plotina, Traiano leuiter (vt Marius Maximus dicit) volente. Quæsturam gessit *Traiano quater & *Arunculeio COSS. in qua quum orationem Imperatoris in Senatu agrestius pronuntians risus esset, vsque ad summam peritiam & facundiam Latinis operam dedit. Post quæsturam acta senatus curauit: atque ad bellum *Dacicum Traianum *familiarius prosequutus est: quando quidem [&] indulsisse vino se dicit, Traiani moribus obsequentem: atque ob hoc se a Traiano locupletissime muneratum. Tribunus plebis factus est Candido & Quadrato iterum COSS. in quo magistratu ad perpetuam tribunitiam potestatem omen sibi factum asserit, quod pænulas amiserit quibus vti tribuni plebis pluuiæ tempore solebant, Imperatores autem numquam. Vnde hodieque Imperatores sine pænulis a togatis videntur. Secunda expeditione Dacica, Traianus eum primæ legioni Mineruiæ

uiæ præposuit, secumque duxit: quando quidem multa egregia eius facta claruerunt. Quare adamante gemma, quam Traianus a Nerua acceperat, donatus, ad spem successionis erectus est. Prætor factus est * sub Sura bis, Seruiano iterum coss. quum sestertiûm vicies ad ludos edendos a Traiano accepit. Legatus postea prętorius in Pannoniam inferiorem missus, Sarmatas compressit, disciplinam militarem tenuit, procuratores latius euagantes coercuit: ob hoc cos. est factus. In quo magistratu, vt a Sura comperit adoptandum se a Traiano esse, ab amicis Traiani contemni desiit ac negligi. Et defuncto quidem Sura, Traiani ei familiaritas creuit, caussa præcipue orationum quas pro Imperatore dictauerat: vsus Plotinæ quoque fauore; cuius studio etiam legatus, expeditionis Parthicæ tempore, destinatus est. Qua quidem tempestate vtebatur Adrianus amicitia Sosii Papi & Pletorii Nepotis, ex senatorio ordine: ex equestri autem, * Tatiani tutoris quondam sui, & Liuiani Turbonis. In adoptionis * sponsionem venit Palma & Celso, inimicis semper suis: & quos postea ipse insequutus est in suspicionem affectatæ tyrannidis lapsos. Secundo cos. fauore Plotinæ factus, totam præsumptionem adoptionis emeruit. Corrupisse eum Traiani libertos, curasse * delicatos, eosdemque * sepelisse per ea tempora quibus in aula familiarior fuit, opinio multa firmauit. Quinto Iduum Augusti die, legatus Syriæ, litteras adoptionis accepit: * quando & natalem adoptionis celebrari iussit. Tertio Iduum earumdem, quando & natalem imperii statuit celebrandum, excessus ei Traiani nuntiatus est. Frequens sane opinio fuit, Traiano id animi fuisse, vt Neratium Priscum, non Adrianum successorem relinqueret, multis amicis in hoc consentientibus: vsque eo, vt Prisco aliquando dixerit; *Commendo tibi prouincias, siquid mihi fatale contigerit*. Et multi quidem dicunt, Traianum in animo id habuisse, vt exemplo Alexandri Macedonis, sine certo successore moreretur: multi, ad senatum eum * orationem voluisse mittere, petiturum vt siquid ei euenisset, principem Romanæ reipubl. senatus daret, additis dumtaxat nominibus, ex quibus optimum idem senatus eligeret. Nec desunt qui factione Plotinæ, mortuo iam Traiano, Adrianum in adoptionem adscitum esse prodiderint, supposito qui pro Traiano fessa voce * loqueretur. Adeptus imperium, ad priscum se statim morem instituit, & tenendæ per orbem terrarum paci operam intendit. Nam deficientibus his nationibus quas Traianus subegerat, Mauri lacessebant, Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri sub Romana dicione non poterant: Ægyptus seditionibus vrgebatur; Lycia denique ac Palæstina rebelles animos efferebant. Quare omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit, exemplo (vt dicebat) Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiauit, quia teneri non poterant. * Psamatossirim, quem Traianus Parthis regem fecerat, quod eum non magni ponderis apud Parthos videret, proximis gentibus regem dedit. Tantum autem statim clementiæ studium habuit, vt quum sub primis imperii diebus ab * Tatiano per epistolas esset admonitus vt & Bæbius Macer præfectus vrbis, si reniteretur eius imperio, necaretur, & * Laberius Maximus qui suspectus imperio in insula exsulabat, & Frugi Crassus; neminem læderet: quamuis Crassum postea procurator egressum insula, quasi res nouas moliretur, iniussu eius occiderit. Militibus ob auspicia imperii duplicem largitionem dedit. Lusium Quietum, sublatis gentibus Mauris, quos regebat, quia suspectus imperio fuerat, exarmauit, Marcio Turbone Iudæis compressis, ad deprimendum tumultum Mauritaniæ destinato. Post * hoc Antiochia digressus est ad inspiciendas reliquias Traiani, quas * Tatianus, Plotina & Mattidia deferebant. Quibus exceptis & naui * Romam dimissis, ipse Antiochiam regressus, præpositoque Syriæ Catilio Seuero, per Illyricum Romam venit. Traiano diuinos honores, datis ad senatum & quidem accuratissimis litteris, postulauit, & cunctis volentibus meruit ita, vt senatus multa quæ Adrianus non postulauerat, in honorem Traiani sponte decerneret. Quum ad senatum scriberet, veniam petiit quod de imperio suo iudicium senatui non dedisset; salutatus scilicet præpropere a militibus Imperator, quod esse respub. sine Imperatore non posset. Quum triumphum ei senatus, qui Traiano debitus erat, detulisset, recusauit ipse, atque imaginem Traiani curru triumphali vexit; vt optimus Imperator ne post mortem quidem triumphi amitteret dignitatem. Pa-

tris patriæ nomen delatum sibi statim, & iterum postea, distulit: quod hoc nomen Augustus sero meruisset. Aurum coronarium Italiæ remisit, in prouinciis minuit: & quidem difficultatibus ærarii ambitiose ac diligenter expositis. Audito dein tumultu Sarmatarum & * Alanorum, præmissis exercitibus Mœsiam petiit. Marcium Turbonem post Mauritaniæ præfecturam infulis ornatum, Pannoniæ Daciæque ad tempus præfecit. Cum rege mox Alanorum, qui de imminutis stipendiis querebatur, cognito negotio pacem composuit. Nigrini insidias, quas ille sacrificanti Adriano, conscio sibi Lusio & multis aliis, parauerat, quum etiam successorem Adrianus sibimet destinasset, euasit. Quare Palma * Terracinæ, Celsus Baiis, Nigrinus Fauentiæ, Lusius in itinere, senatu iubente, inuito Adriano (vt ipse in vita sua dicit) occisi sunt. Vnde statim Adrianus ad refellendam tristissimam de se opinionem, quod occidi passus esset vno tempore quatuor consulares, Romam venit, Dacia Turboni credita, titulo Ægyptiacæ præfecturæ (quo plus auctoritatis haberet) ornato: & ad comprimendam de se famam congiarium duplex præsens populo dedit, ternis iam per singulos aureis se absente diuisis. In senatu quoque excusatis quæ facta erant, iurauit se numquam senatorem nisi ex senatus sententia puniturum. Statim * Cursum fiscalem instituit, ne magistratus hoc onere grauaretur. Ad colligendam autem gratiam nihil prætermittens, infinitam pecuniam quæ fisco debebatur, priuatis debitoribus in vrbe atq; Italia, in prouinciis vero etiam ex reliquiis ingentes summas remisit, syngraphis in foro * diui Traiani, quo magis securitas omnibus roboraretur, incensis. Damnatorum bona in fiscum priuatum redigi vetuit, omni summa in ærario publico recepta. Pueris ac puellis, quibus etiam Traianus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adiecit. Senatoribus qui non vitio suo decoxerant, patrimonium, pro liberorum modo, senatoriæ professionis expleuit, ita vt plerisque in diem vitæ suæ dimensum sine dilatione restituerit. Ad honores explendos non solum amicis, sed etiam passim aliquantis multa largitus est. Fœminas nonnullas ad sustentandam vitam sumptibus iuuit. Gladiatorium munus per sex dies continuos exhibuit, & mille feras natali suo edidit. Optimos quosque de senatu in contubernium Imperatoriæ maiestatis adsciuit. Ludos circenses preter natalitios, decretos sibi spreuit: & in concione & in senatu sæpe dixit, *Ita se rempubl. gesturum, vt sciret populi rem esse, non propriam.* Tertio consules, quum ipse ter fuisset, plurimos fecit. Infinitos autem secundi consulatus honore cumulauit. Ipsum autem tertium consulatum, & quatuor mensibus tantum egit, & in eo sæpeius dixit. Senatui legitimo, quum in vrbe vel iuxta vrbem esset, semper interfuit. Senatus fastigium in tantum extulit, difficile faciens senatores, vt quum * Tatianum ex præfecto prætorii, ornamentis consularibus præditum, faceret senatorem, nihil se amplius habere quod in eum conferri posset, ostenderit. Equites Romanos, nec sine se de senatoribus, nec secum iudicare permisit. Erat enim tunc mos, vt quum princeps caussas cognosceret, & senatores & equites Romanos in consilium vocaret, sententiam ex * omnium deliberatione proferret. Exsecratus est deniq; principes qui minus senatoribus detulissent. Seruiano sororis viro, cui tãtum detulit vt ei venienti de cubiculo semper occurreret, tertium consulatum, nec secum tamen, quum ille bis ante Adrianum [consul] fuisset, ne esset * secundæ sententiæ, non petenti ac sine precatione concessit. Inter hæc tamen & multas prouincias a Traiano acquisitas reliquit: & theatrum quod ille in campo Martio posuerat, contra omnium vota destruxit. Et hæc quidem eo tristiora videbantur, quod omnia quæ displicere vidisset Adrianus, mandata sibi, vt faceret, decreto Traiani esse simulabat. Quum Tatiani, præfecti sui & quondam tutoris, potentiam ferre nõ posset, nisus est eum obtruncare. sed reuocatus est, quia iam quatuor consularium occisorum, quorum quidem necem in * Tatiani consilia refundebat, premebatur inuidia. Cui quum successorem dare non posset, quia non petebat, id egit vt peteret: atque vbi primum petiit, in Turbonem transtulit potestatem: quum quidem etiam * Simili alteri præfecto, Septicium Clarum successorem dedit. Summotis his a præfectura quibus debebat imperium, Campaniam petit: eiusque omnia oppida beneficiis & largitionibus subleuauit, optimum quemque amicitiis suis iungens. Romæ vero prætorum & consulum officia frequentauit, conuiuiis amicorum

inter-

interfuit. Ægros bis ac ter die, & nonnullos equites Romanos ac libertinos, visitauit, solatiis refouit, consiliis subleuauit, conuiuiis suis semper adhibuit: omnia denique ad priuati hominis modum fecit. Socrui suæ honores præcipuos impendit ludis gladiatoriis cæterisque officiis. Post hæc profectus in Gallias, omnes *caussariis liberalitatibus subleuauit. Inde in Germaniam transiit: pacisque magis quam belli cupidus, militem, quasi bellum immineret, exercuit; tolerantiæ documentis * eum imbuens, ipse quoq; inter manipulares vitam militarem magistrans; cibis etiam castrensibus in propatulo libenter vtens, hoc est, larido, caseo & posca, exemplo Scipionis Æmiliani & Metelli, & auctoris sui Traiani: multos præmiis, nonnullos honoribus donans, vt ferre possent ea quæ asperius iubebat: siquidem ipse post Cæsarem * Octauium, labantem disciplinam incuria superiorum principum, retinuit, ordinatis & officiis & impendiis: numquam passus aliquem a castris iniuste abesse, quum tribunós nō fauor militum, sed iustitia commendaret: exemplo etiam virtutis suæ ceteros adhortatus; quum etiam vicena milia pedibus armatus ambularet, triclinia de castris & porticus & cryptas & topia dirueret: vestem humillimam frequenter acciperet, sine auro balteum sumeret, * sine gemmis fibulas stringeret, capulo vix eburneo spatham clauderet; ægros milites in hospitiis suis * videret, locum castris caperet: nulli vitem, nisi robusto & bonæ famæ, daret: neo tribunum nisi * plena barba faceret, aut eius ætatis quæ prudentia & annis tribunatus robur impleret: nec pateretur quidquam tribunum a milite accipere: delicata omnia vndiq; summoueret: arma postremo eorum supellectilemque corrigeret. De militum etiam ætatibus iudicabat, nequis aut minor quam virtus posceret, aut maior quam pateretur humanitas, in castris contra morem veterem versarentur: agebatque vt sibi semper noti essent, & eorum numerus sciretur. Laborabat præterea vt * condicta militaria diligenter agnosceret: reditus quoque prouinciales sollerter explorans; vt si alicubi quidpiam deesset, expleret. Ante omnes tamen enitebatur ne quid otiosum vel emeret aliquando, vel pasceret. Ergo conuersis * regio more militibus, Britanniam petiit: in qua multa correxit, murumq; per octoginta milia passuum primus duxit, qui barbaros Romanosq; diuideret. Septicio Claro præfecto prætorii, & Suetonio Tranquillo epistolarum magistro, multisque aliis quod apud Sabinam vxorē, iniussu eius, familiarius se tunc egerant quam reuerentia domus aulicæ postulabat, successores dedit: vxorem etiam vt morosam & asperam dimissurus (vt ipse dicebat) si priuatus fuisset. Et erat curiosus non solum domus suæ, sed etiam amicorum, ita vt per * frumentarios occulta omnia exploraret; nec aduerterent amici, sciri ab Imperatore suam vitam priusquam ipse hoc Imperator ostenderet. Vnde nō iniucundum est rem inserere, ex quo constet eum de amicis multa didicisse. Nam quum ad quemdam scripsisset vxor sua, quod voluptatibus detentus & lauacris ad se redire nollet, atq; hoc Adrianus per frumentarios cognouisset, petente illo commeatum, Adrianus ei lauacra & voluptates exprobrauit. Cui ille, *Num & tibi vxor mea, quod & mihi, scripsit?* Et hoc quidam vitiosissimum putant, atque huic adiungunt quæ de * adultorum amore ac nuptarum adulteriis, quibus Adrianus laborasse dicitur, asserunt; iungētes quod ne amicis quidem seruauerit fidem. Compositis in Britannia rebus, transgressus in Galliam, Alexandrina seditione turbatus, quæ nata est ob * Apin; qui quum repertus esset post multos annos, turbas inter populos creauit, apud quem deberet locari, omnibus studiose certantibus. Per idem tempus in honorem Plotinę basilicam apud Nemausum opere mirabili exstruxit. Post hæc Hispanias petit, & Tarracone hiemauit; vbi sumptu suo ædem Augusti restituit, omnibus Hispanis Tarraconem in conuentum vocatis: delectumque iculariter (vt verba ipsa ponit Marius Maximus) * detrectantibus Italicis, vehementissime, ceteris prudenter & caute cōsuluit. Quo quidem tempore, non sine gloria grauissimum periculum adiit, apud Tarraconem spatians per hospitia viridaria, seruo in se [hospitis] cum gladio furiosius irruente: quem retentum ille ministris accurrentibus tradidit: & vbi furiosum esse cōstitit, medicis curandum dedit; in nullo omnino commotus. Per ea tempora & alias frequenter in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus sed limitibus diuiduntur, stipitibus magnis in modum * muralis sepis funditus iactis atque connexis, barbaros separauit:

Germanis regem constituit, motus Maurorum compressit, & a senatu supplicationes emeruit. Bellum Parthorum per idem tempus in motu tantum fuit, idque Adriani colloquio repressum est. Post* hoc per Asiam & insulas ad Achaiam nauigauit, & Eleusinia sacra exemplo Herculis Philippiq; suscepit multa in Athenienses contulit, & pro agonotheta resedit: & in Achaia quidem etiam illud obseruatum ferunt, quod quum in sacris multis cultros haberent, cum Adriano nullus armatus ingressus est. Post in Siciliam nauigauit: in qua Ætnam montem conscendit, * vt solis ortum videret arcus specie (vt dicitur) varium. Inde Romam venit; atque ex ea in Africam transiit, ac multum beneficiorum prouinciis Africanis attribuit. Nec quisquam fere principum tantum terrarum tam celeriter peragrauit. Denique quum post Africam Romam redisset, statim ad orientem profectus, per Athenas iter fecit; atque opera quæ apud Athenienses cœperat, dedicauit: vt Iouis Olympii ædem, & aram sibi. Eodemque modo per Asiam iter faciens, templa sui nominis consecrauit. Deinde a Cappadocibus seruitia castris profutura suscepit. *Toparchas & reges ad amicitiam inuitauit; inuitato etiam * Cosdroe rege Parthorum, remissaque illi filia quam Traianus ceperat, ac promissa sella quæ itidem capta fuerat. Quumque ad eum quidam reges venissent, ita cum his egit, vt eos pœniteret qui venire noluerunt, caussa speciatim Pharasmanis, qui eius inuitationem superbe neglexerit. Et circumiens quidem prouincias, procuratores & præsides pro factis supplicio affecit, ita seuere, vt accusatores per se crederetur immittere. Antiochenses inter hæc ita odio habuit, vt Syriam a Phœnice separare voluerit, ne tot ciuitatum metropolis Antiochia diceretur. Mouerunt ea tempestate & Iudæi bellum, quod vetabantur mutilare genitalia. Sed in monte Cassio, quum videndi solis ortus gratia nocte ascendisset, imbre orto, fulmen decidens *hostiam & victimarium sacrificanti afflauit. Peragrata Arabia, Pelusium venit, & Pompeii tumulum magnificētius exstruxit. Antinoum suum, dum per Nilum nauigat, perdidit: quem muliebriter fleuit: de quo varia fama est, aliis eum deuotum pro Adriano asserentibus; aliis, quod & forma eius ostentat, & nimia voluptas Adriani. & Græci quidem volente Adriano eum consecrauerunt, oracula per eum dari asserentes: quæ Adrianus ipse composuisse iactatur. Fuit enim poematum & litterarum omnium studiosissimus, arithmeticæ, geometriæ, picturæ peritissimus. * Iam psallendi & cantandi scientiam præ se ferebat: in voluptatibus nimius. Nam & de suis dilectis multa versibus composuit, amatoria carmina scripsit. Idem armorum peritissimus, & rei militaris scientissimus; gladiatoria quoque arma tractauit. Idem seuerus, lætus; comis, grauis; lasciuus, cunctator; tenax, liberalis; simulator, sæuus, clemens; & semper in omnibus varius. Amicos ditauit, & quidem non petentes; quum petentibus nihil negaret. Idem tamen facile de amicis, quidquid insusurrabatur, audiuit, atque ideo prope cunctos vel amicissimos, vel eos quos summis honoribus euexit, postea vt hostium loco habuit; vt Tatianum & Nepotem, & Septicium Clarum. Nam Eudæmonem prius conscium imperii, ad egestatem perduxit: *Polyænum & Marcellum ad mortem voluntariam coegit. Heliodorum famosissimis litteris lacessiuit. Titianum, vt conscium tyrannidis, & argui passus est, & proscribi. *Numilium Quadratum, & Catilium Seuerum, & Turbonem, grauiter insequutus est. Seruianum sororis virum, nonagesimum iam annum agentem, ne sibi superuiueret, mori coegit. Libertos denique & nonnullos milites insequutus est. Et quamuis esset oratione & versu promptissimus, & in omnibus artibus peritissimus, tamen professores omnium artium semper vt doctior risit, contempsit, obtriuit. Cum his ipsis professoribus & philosophis, libris vel carminibus inuicem editis, sæpe certauit. Et Fauorinus quidem, quum verbum eius quoddam ab Adriano reprehensum esset, atque ille cessisset arguentibus amicis quod male cederet Adriano, de verbo quod idonei auctores vsurpassent, risum iucundissimum mouit. Ait enim, *Non recte suadetis familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.* Famæ celebris Adrianus tam cupidus fuit, vt libros vitæ suæ scriptos a se, libertis suis litteratis dederit, iubens vt eos suis nominibus publicarent: nam [&] *Phlegontis libri* Adriani esse dicuntur. * *Catacrianos libros* obscurissimos, Antimachum imitando, scripsit.

Floro

Floro poetæ ſcribenti ad ſe, *Ego nolo Cæſar eſſe, Ambulare per Britannos, Scythicas pati pruinas*: reſcripſit, *Ego nolo Florus eſſe, Ambulare per tabernas, Latitare per popinas,* **Culices pati rotundos.* Amauit præterea genus dicendi vetuſtum: Controuerſias declamauit: Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Salluſtio Cæcilium prætulit. Eademq; iactatione de Homero ac Platone iudicauit. Matheſin ſic ſcire ſibi viſus eſt, vt ſero Calendis Ianuariis ſcripſerit quid ei toto anno poſſet euenire: ita vt eo anno quo periit, vſque ad illam horam qua eſt mortuus, ſcripſerit quid acturus eſſet. Sed quamuis eſſet in reprehendendis muſicis, tragicis, comicis, grammaticis, rhetoribus, oratoribus, facilis: tamen omnes profeſſores & honorauit, & diuites fecit, licet eos quæſtionibus ſemper agitauerit. Et quum ipſe auctor eſſet vt multi ab eo triſtes recederent, dicebat ſe grauiter ferre ſi quem triſtem videret. In ſumma familiaritate Epictetum & Heliodorũ philoſophos, & (ne nominatim de omnibus dicam) grammaticos, rhetores, muſicos, geometras, pictores, aſtrologos habuit præ ceteris (vt multi aſſerunt) eminente Fauorino. Doctores qui profeſſioni ſuæ inhabiles videbantur, ditatos honoratosque a profeſſione dimiſit. Quos in priuata vita inimicos habuit, Imperator tantum neglexit, ita vt vni quem capitalem habuerat, factus Imperator diceret, *Euaſiſti.* Iis quos ad militiam ipſe per ſe vocauit, equos, mulos, veſtes, ſumptus, & omnem ornatum ſemper exhibuit. *Saturnalitia & ſigillaritia frequenter amicis inopinantibus miſit; & ipſe ab his libenter accepit, & alia inuicem dedit. Ad deprehendendas obſonatorum fraudes, quum *plurimis ſumẽtibus paſceret, fercula de aliis menſis etiam vltimis quibusq; iuſſit apponi. Omnes reges muneribus ſuis vicit. Publice frequenter & cum omnibus lauit: ex quo ille iocus balnearis innotuit. Nam quum quodam tempore veteranum quemdam notum ſibi in militia, dorſum & ceteram partem corporis vidiſſet atterere, percontatus cur ſe marmoribus deſtringendum daret, vbi audiuit hoc idcirco fieri quod ſeruum non haberet, & ſeruis eum donauit & ſumptibus. Verum alia die, quum plures ſenes ad prouocandam liberalitatẽ principis pariter & ſe attererent, euocari eos iuſſit, & alium ab alio inuicem defricari. Fuit & plebis iactantiſſimus amator. Peregrinationis ita cupidus, vt omnia quæ legerat de locis orbis terrarum, præſens vellet addiſcere. Frigora & tempeſtates ita patienter tulit, vt numquam caput tegeret. Regibus multis plurimum detulit: a plerisq; vero etiam pacem redemit: a non nullis contemptus eſt, multis ingentia dedit munera, ſed nulli maiora quam Hiberorum: cui & elephantum & quinquagenariam cohortem poſt magnifica dedit dona. Quum a *Pharaſmane ipſe quoque ingentia dona accepiſſet, atq; inter hæc auratas quoq; chlamydes, trecentos noxios cum auratis chlamydibus in harenam miſit, ad eius munera deridenda. Quum iudicaret, in conſilio habuit non amicos ſuos aut comites ſolum, ſed iuriſconſultos, & præcipue Iulium Celſum, Saluium Iulianum, Neratium Priſcum, aliosque; quos tamen ſenatus omnis probaſſet. Conſtituit inter cetera, vt in nulla ciuitate domus aliquę, transferendæ ad aliam vrbem vllius materiæ cauſſa, diruerentur. Liberis proſcriptorum duodecimas bonorum conceſſit. Maieſtatis crimina non admiſit. Ignotorum hereditates repudiauit, nec notorũ accepit, ſi filios haberent. De theſauris ita cauit, vt ſiquis in ſuo reperiſſet, ipſe potiretur: ſiquis in alieno, dimidium domino daret. ſiquis in publico, cum fiſco æqualiter partiretur. Seruos a dominis occidi vetuit; eosque iuſſit damnari per iudices, ſi digni eſſent. Lenoni & laniſtæ ſeruum vel ancillam vendi vetuit cauſſa non præſtita. Decoctores bonorum ſuorum, ſi ſuæ auctoritatis eſſent, *catamidiari in amphitheatro & dimitti iuſſit. Ergaſtula ſeruorum & *libertorũ tulit. Lauacra pro ſexibus ſeparauit. Si dominus in domo interẹmptus eſſet, non de omnibus ſeruis quæſtionem haberi, ſed de his qui per vicinitatem poterant ſentire, præcepit. In Etruria præturam Imperator egit. per Latina oppida Dictator & Ædilis & Duumuir fuit: *apud Neapolim Demarchus; in patria ſua Quinquennalis: & item Adriæ Quinquennalis, quaſi in alia patria; & Athenis Archon fuit. In omnibus pene vrbibus, & aliquid ædificauit, & luſus edidit. Athenis mille ferarum venationem in ſtadio exhibuit. Ab vrbe [Roma] numquam vllum venatorem aut ſcenicum auocauit. Romæ poſt ceteras immenſiſſimas voluptates, in honorem ſocrus ſuæ, aromatica populo donauit: In honorem Traiani balſama & crocum per

gradus theatri fluere iussit: fabulas omnis generis more antiquo in theatro dedit: histriones aulicos publicauit. In Circo multas feras, & sæpe * centum leones, interfecit. Militares pyrrhichas populo frequenter exhibuit: gladiatores frequenter spectauit. Quum opera vbique infinita fecisset, numquam ipse, nisi in Traiani patris templo, nomen suum scripsit. Romæ instaurauit pantheum, septa, basilicam Neptuni, sacras ædes plurimas, forum Augusti, lauacrum Agrippæ: eaque omnia proprus & veterum nominibus consecrauit. Fecit & sui nominis pontem, & sepulcrum iuxta Tiberim: & ædem Bonæ deæ transtulit; & colossum stantem atque suspensum per * Detrianum architectum de eo loco in quo nunc templum * Vrbis est ingenti * molimine, ita vt operi etiam elephantes XXIIII exhiberet. Et quum hoc simulacrum post Neronis vultum, cui antea dicatum fuerat, Soli consecrasset, aliud tale Apollodoro architecto auctore facere lunæ molitus est. In colloquiis etiam humillimorum ciuilissimus fuit, detestans eos qui sibi hanc voluptatem humanitatis, quasi * seruantes fastigium principis, inuiderent. Apud Alexandriam in * musio, multas quæstiones professoribus proposuit: & propositas ipse dissoluit. Marius Maximus dicit eum natura crudelem fuisse; & idcirco multa pie fecisse; quod timeret ne sibi idem quod Domitiano accidit, eueniret. Et quum titulos in operibus non amaret, multas ciuitates *Adrianopolis* appellauit, vt ipsam Carthaginem, Athenarum partem. Aquarum ductus etiam infinitos hoc nomine nuncupauit. Fisci aduocatum primus instituit. Fuit memoriæ ingentis, facultatis immensæ: nam ipse orationes & dictauit, & ad omnia respondit. Ioca eius plurima exstant. nam fuit etiam dicaculus. Vnde illud quoque innotuit, quod quum cuidam canescenti quiddam negasset, eidem iterum petenti, sed infecto capite, respondit, *Iam hoc patri tuo negaui.* Nomina plurimis sine nomenclatore reddidit, quæ semel & cōgesta simul audierat: vt nomenclatores sæpius errantes emendauerit. Dixit & veteranorum nomina quos aliquando dimiserat. Libros statim lectos & ignotos quidem plurimis, memoriter reddidit. Vno tempore scripsit, dictauit, audiuit, & cum amicis fabulatus est. Si potest credi, omnes publicas rationes ita complexus est, vt domum priuatam quiuis paterfamilias diligens non satis nouit. Equos & canes sic amauit vt eis sepulcra constitueret. Oppidum Adrianotheras in quodam loco, quod illic & feliciter esset venatus & vrsam occidisset, aliquando constituit. De iudicibus omnibus semper cuncta scrutando, tamdiu requisiuit quamdiu verum inueniret. Libertos suos nec sciri voluit in publico, nec aliquid apud se posse; dicto suo omnibus superioribus principibus vitia imputans libertorum; damnatis omnibus libertis suis quicumque se de eo iactauerant. Vnde exstat etiam illud seuere quidem, sed prope ioculare de seruis. Nam quum quodam tempore seruum suum inter duos senatores e cōspectu ambulare vidisset, misit qui ei colaphum daret, & diceret, *Noli inter eos ambulare quorum esse adhuc potes seruus.* Inter cibos vnice amabat * tetrapharmacum, quod erat de fasiano, sumine, perna, & crustulo. Fuerunt eius temporibus fames, pestilentia, & terræmotus: quæ omnia, quantum potuit, procurauit: multisque ciuitatibus vastatis per ista, subuenit. * Fuit etiam Tiberis inundatio. * Latium multis ciuitatibus dedit; tributa multis remisit. Expeditiones sub eo graues nullæ fuerunt. Bella etiam silentio pene transacta. A militibus, propter curam exercitus nimiam, multum amatus est; simul quod in eos liberalissimus fuit. Parthos in amicitia semper habuit, quod inde regem retraxit quem Traianus imposuerat. Armeniis regem habere permisit, quum sub Traiano legatum habuissent. A Mesopotamiis non exegit tributum quod Traianus imposuit. Albanos & Hiberos amicissimos habuit; quod reges eorum largitionibus prosequutus est quum ad illum venire contempsissent. Reges Bactrianorum, legatos ad eum amicitiæ petendæ caussa supplices miserunt. Tutores sæpissime dedit. Disciplinam ciuilem non aliter tenuit quam militarem. Senatores & equites Rom. semper in publico togatos esse iussit, nisi si a cœna reuerterentur. Ipse quum in Italia esset, semper togatus processit. Ad conuiuium venientes senatores, stans excepit: semperque aut pallio tectus discubuit, aut toga submissa. * Iudicum sumptus constituit, & ad antiquum modū redegit. Vehicula cum ingentibus sarcinis vrbē ingredi prohibuit.

Sederi

Sederi *equos in ciuitatibus non siuit. ante octauam horam in publico neminem nisi ægrum lauari passus est. Ab epistolis & a libellis, primus equites Romanos habuit. Eos quos pauperes & innocentes vidit, sponte ditauit: quos vero calliditate ditatos, etiam odio habuit. Sacra Romana diligentissime curauit: peregrina contempsit. Pontificis maximi officium peregit. Causas Romæ atque in prouinciis frequenter audiuit; adhibitis consilio suo consulibus atque prætoribus, & optimis senatoribus. Fucinum lacum emisit. Quatuor consulares per omnem Italiam iudices constituit. Quando in Africam venit, ad aduentum eius post quinquennium pluit: atq; ideo ab Africanis dilectus est. Peragratis sane omnibus orbis partibus capite nudo, & in summis plerumque imbribus atque frigoribus, in morbum incidit *letalẽ. Factusque de successore sollicitus, primum de Seruiano cogitauit: quem postea, vt diximus, mori coegit. Fuscum, quod imperium præsagus & ostentis agitatus speraret, in summa detestatione habuit: Pletorium Nepotem, quem tantopere ante dilexit, vt veniens ad eum ægrotantem Adrianus impune non admitteretur, suspicionibus adductus: eodem modo & Terentium Gentianum: & hunc vehemẽtius, quod a senatu diligi tunc videbat. Omnes postremo de quorum imperio cogitauit, quasi futuros Imperatores, detestatus est: & omnem quidem vim crudelitatis ingenitæ vsque eo repressit, donec in villa Tiburtina profluuio sanguinis pene ad exitum venit. Tunc libere Seruianum, quasi affectatorem imperii, quod seruis regis *cœnam misisset, quod in sedili regio iuxta lectum posito sedisset, quod erectus ad stationes militum senex nonagenarius processisset, mori coegit: multis aliis interfectis vel aperte, vel per insidias: quando quidem etiam Sabina vxor, non sine fabula veneni dati ab Adriano, defuncta est. Tunc Ceionium Commodum, Nigrini generum insidiatoris, quondam sibi forma commendatum, adoptare constituit. Adoptauit ergo Ceionium Commodum Verum inuitis omnibus; eumq; Ælium Verum Cæsarem appellauit. Ob cuius adoptionem ludos circenses dedit, & donatiuum populo ac militibus expendit: quem prætura honorauit, ac statim Pannoniis imposuit: decreto consulatu, cum sumptibus eumdem Commodum secundum consulem designauit. Quem quum minus sanum videret, sæpissime dictitauit, *In caducum parietẽ nos inclinauimus, & perdidimus* quater millies* I. I. S. *quod populo & militibus pro adoptione Commodi dedimus.* Commodus autem præ valetudine ne gratias quidem in senatu agere potuit Adriano de adoptione. Denique accepto largius antidoto, ingrauescente valetudine, per somnum periit, ipsis calendis Ianuariis. Quare ab Adriano votorum caussa lugeri est vetitus. Et mortuo Ælio Vero Cæsare, Adrianus ingruente tristissima valetudine, adoptauit Arrium Antoninum, qui postea Pius dictus est: sed ea demum lege, vt ille sibi duos adoptaret, Annium Verum, & Marcum Antoninum. Hi sunt qui postea duo pariter Augusti, primi rempubl. gubernauerũt. [Et] Antoninus quidẽ *Pius* idcirco appellatus dicitur, quod socerum fessum ætate, manu subleuaret. quamuis alii cognomentum hoc ei dicant inditum; quod multos senatores Adriano iam sæuienti *eripuisset: alii, quod ipsi Adriano magnos honores post mortem detulisset. Antonini adoptionem plurimi tunc factam esse doluerunt, speciatim *Catilius Seuerus præfectus vrbis, qui sibi præparabat imperium. Qua re prodita, successore accepto, dignitate priuatus est. Adrianus autem, vltimo vitæ tædio iam affectus, gladio se transfigi a seruo iussit. Quod quum proditum esset, & in Antonini vsq; notitiam venisset, ingressis ad se præfectis & filio, rogantibusque vt æquo animo necessitatem morbi ferret, iratus illis, auctorem proditionis iussit occidi; qui tamen ab Antonino seruatus est. Statimque testamentum scripsit: nec tamen actus reipubl. prætermisit; dicente Antonino, parricidam se futurum si Adrianum adoptatus ipse pateretur occidi. Et post testamentum quidem iterum se conatus occidere, subtracto pugione, sæuior factus est: petiit & venenum a medico; qui se ipse, ne daret, occidit. Ea tempestate superuenit quędam mulier, quæ diceret somnio se monitam, vt *insinuaret Adriano ne se occideret, *quod esset bene valiturus: quod quum non fecisset, esse cæcatam. Iussam tamen iterum, Adriano eadem diceret, atq; genua eius oscularetur; receptura visum si id fecisset. Quod quum insomnium implesset, oculos recepit, quum aqua quæ in fano erat, ex quo venerat, oculos abluisset. Venit &

de Pannonia quidam natus cœcus ad febrientem Adrianum, eumq; contigit: quo facto, & ipse oculos recepit, & Adrianum febris reliquit: quamuis Marius Maximus hæc per simulationẽ facta commemoret. Post *hoc Adrianus Baias petit, Antonino Romæ ad imperandum relicto. Vbi quum nihil proficeret, accersito Antonino, in conspectu eius apud ipsas Baias periit, die sexto Iduum Iuliarum. Inuisusq; omnibus, sepultus est in villa Ciceroniana Puteolis. Sub ipso mortis tempore & Seruianum nonaginta annos agentem, vt supra dictum est, ne sibi superuiueret, atq; (vt putabat) imperaret, mori coegit: & ob leues offensas plurimos iussit occidi, quos Antoninus reseruauit. Et moriens quidẽ, hos versus fecisse dicitur, *Animula vagula, blandula, Hospes comesq; corporis, Quæ nunc abibis in loca Pallidula, rigida, nudula; Nec vt soles, dabis iocos.* Tales autẽ nec multo meliores fecit & Græcos. Vixit annis LXXII, mensibus V, diebus XVII, Imperauit annis XXI, mensibus XI. Statura fuit procerus, forma comptus, flexo ad pectinem capillo; promissa barba; vt vulnera quæ in facie naturalia erant, tegeret: habitudine robusta. Equitauit ambulauitq; plurimum. Armisque & *pilo se semper exercuit. Venatu frequentissime leonem manu sua occidit. venando autem iugulum & costam fregit. venationem semper cum amicis participauit. In conuiuio tragœdias, comœdias, Atellanas, sambucas, lectores, poetas, pro re semper exhibuit. Tiburtinam villam miræ exædificauit, ita vt in ea & prouinciarum & locorum celeberrima nomina inscriberet: velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Pœcilen, Tempe vocaret. Et vt nihil prætermitteret, etiam inferos finxit. Signa mortis hæc habuit: Natali suo vltimo, quum Antoninum commendaret, prætexta sponte delapsa caput ei *operuit. Annulus in quo imago ipsius sculpta erat, sponte de digito delapsus est. Ante diem natalis eius, *nescio quis ad senatum vlulans venit. contra quem Adrianus ita motus est, quasi de sua morte loqueretur, quum eius verba nullus agnosceret. Idem quum vellet in senatu dicere, *Post filii mei mortem*, *Post mortem meam* dixit. Somniauit præterea se a patre potionem soporiferam impetrasse. Item somniauit a leone se oppressum esse. In mortuum eum a multis multa sunt dicta. Acta eius irrita fieri senatus volebat: nec appellatus esset diuus, nisi Antoninus rogasset. Templum denique ei pro sepulcro apud Puteolos constituit, & quinquennale certamen, & *flamines & sodales, & multa alia quæ ad honorem quasi numinis pertinerent. Quare, vt supra dictum est, multi putant Antoninum Pium dictum.

ÆLII SPARTIANI

AELIVS VERVS,

AD DIOCLETIANVM AVG.

Diocletiano Aug. Aelius Spartianus suus Sal.

IN animo mihi est, Diocletiane Auguste, tot principum maxime, non solum *eorum qui principum locum in hac statione quam temperas, tetentarunt, vt vsq; ad diuum Adrianum feci, sed *illorum etiam qui vel Cæsarum nomine appellati sunt, nec Principes aut Augusti fuerunt, vel quolibet alio genere aut in famam, aut in spem principatus venerunt. cognitionem *numinis tui sternere: quorum præcipue de Ælio Vero dicendum est, qui primus tantum *Cæsaris* nomen accepit, adoptione Adriani familiæ principũ *adscriptus. Et quoniam nimis pauca dicẽda sunt, nec debet prologus enormior esse quã fabula, de ipso iam loquar.

CEIONIVS COMMODVS, qui & ÆLIVS VERVS appellatus est, quem sibi Adrianus æuo ingrauescente morbis tristioribus pressus, peragrato iam orbe terrarum, adoptauit, nihil habet in sua vita memorabile, nisi quod [primus] tantum *Cæsar* est appellatus. *non testamento, vt antea solebat, neque eo modo quo Traianus est adoptatus, sed eo prope genere quo nostris temporibus a vestra clementia

Maximianus

Maximianus atque *Constantius *Cæsares* dicti sunt: quasi quidam principum filii viri, & designati augustæ maiestatis hæredes. Et quoniam de *Cæsarum nomine* in huius præcipue vita est aliquid disputandum, qui hoc solum nomen adeptus est, Cæsarem vel ab elephanto (qui lingua Maurorum **cæsa* dicitur) in prœlio cæso, eum qui primus sic appellatus est, doctissimi viri & eruditissimi putant dictum: vel quia mortua matre, [sed] ventre cæso sit natus: vel [quod] cum magnis crinibus sit vtero parentis effusus: vel quod oculis cæsiis & vltra humanum morem viguerit. Certe, quæcunque illa, felix necessitas fuit, vnde tam clarum & duraturum [cum] æternitate mundi nomen effloruit. Hic ergo de quo sermo est, primum *Lucius Aurelius Verus* est dictus, sed ab Adriano adscitus in Æliorum familiam, hoc est in Adriani transcriptus, & appellatus est Cæsar. Huic pater Ceionius Commodus fuit; quem alii Verum, alii Lucium Aurelium, multi Annium prodiderunt: maiores omnes nobilissimi; quorum origo pleraque ex Hetruria fuit, vel ex Fauentia. Et de huius quidem familia plenius in vita Lucii Aurelii Ceionii Commodi Veri Antonini, filii huiusce, quem sibi adoptare Antoninus iussus est, disseremus. Is enim liber debet omnia quæ ad stemma generis pertinent, continere, qui habet principem de quo plura dicenda sunt. Adoptatus autem Ælius Verus ab Adriano eo tempore quo iam (vt superius diximus) parum vigebat, & de successore necessario cogitabat, statimque prætor factus, & Pannoniis dux ac rector impositus, mox consul creatus. Et quia erat deputatus imperio, iterum consul designatus est. Datum etiam populo congiarium caussa eius adoptionis, collatumque militibus I I S ter millies; circenses editi: neq; quidquam prętermissum quod posset lætitiam publicam frequentare. Tantumque apud Adrianum principem valuit, vt præter adoptionis affectum, quo ei videbatur adiunctus, solus omnia quæ cuperet, etiam per litteras impetraret. Nec prouinciæ quidem cui præpositus erat, defuit. Nam bene gestis rebus, vel potius feliciter, etsi non summi, medii tamen obtinuit ducis famam. Hic tamen valetudinis adeo miseræ fuit vt Adrianum statim adoptionis pœnituerit, potueritque eum amouere a familia imperatoria, quum sæpe de aliis cogitaret, si forte vixisset. Fertur deniq; ab his qui Adriani vitam diligentius in litteras retulerunt, Adrianum Veri scisse genituram: & eum quem non multo ad remp. gerendam probarat, ob hoc tantum adoptasse, vt suæ satisfaceret voluptati, & (vt quidam dicunt) *iurando, quod intercessisse inter ipsum ac Verum secretis conditionibus ferebatur. Fuisse enim Adrianum peritum matheseos, Marius Maximus vsqueadeo demonstrat, vt eum dicat cuncta de se scisse, sic, vt omnium dierum vsque ad horam mortis futuros actus ante præscripserit. Satis præterea constat eum de Vero sæpe dixisse, *Ostendent terris hunc tantum fata, neque vltra Esse sinent*. Quos versus quum aliquando in hortulo spatians cantitaret, atque adesset vnus ex litteratis quorum Adrianus speciosa societate gaudebat, velletque addere, *-- nimium vobis Romana propago Visa potens superi, propria hæc si dona fuissent*, Adrianus dixisse fertur, *Hos versus vita non capit Veri*: illud addens, *-- manibus date lilia plenis: Purpureos spargam flores, animamque nepotis His saltem accumulem donis, & fungar inani Munere*. Quum quidem etiam illud dicitur cum irrisione dixisse, *Ego mihi diuum adoptaui, non filium*. *Eum tamen quum consolaretur vnus de litteratis qui *aderant, ac diceret, *Quid si non recte constellatio eius collecta est quem credimus esse victurum?* Adrianus dixisse fertur, *Facile ista dicis tu, qui patrimonii tui, non respubl. quæris heredem*. Vnde apparet eum habuisse in animo alium deligere, atque hunc vltimo vitæ suæ tempore a republ. submouere. Sed haud eius consilia iuuit euentus. Nam quum de prouincia Ælius redisset, atque orationem pulcherrimam, quæ hodie [quoq;] legitur, siue per se, siue per scriniorum aut dicendi magistros parasset, qua Cal. Ianuariis Adriano patri gratias ageret, accepta potione qua se existimaret iuuari, Calend. ipsis Ianuariis periit: iussusque ab Adriano, quia vota interueniebant, non lugeri. Fuit hic vitæ lætissimæ, eruditus in litteris, Adriano (vt * maleuoli loquuntur) acceptior forma quam moribus. In aula diu non fuit: in vita priuata, etsi minus probabilis, minus tamen reprehendendus: ac memor familiæ suæ: comptus, decorus, pulchritudinis regiæ, oris venerandi, eloquentiæ celsioris, versu facilis, in republ. etiam non inutilis. Huius voluptates ab iis qui vitam eius scripserunt, multæ feruntur; equidem non in-

fames, sed aliquaterius diffluentes. Nam * tetrapharmacum seu potius pentapharmacum, quo postea semper Adrianus est vsus, ipse dicitur reperisse, hoc est, sumen, fasianum, pauonem, [pernam] crustulatam & aprugnam. De quo genere cibi aliter refert Marius Maximus, non pentapharmacum, sed tetrapharmacum appellans, vt & nos ipsi in eius vita prosequuti sumus. Fertur etiam aliud genus voluptatis quod Verus inuenerat. Nam lectũ eminentibus quatuor * anaclineris fecerat, minuto reticulo vndique inclusum: eumque foliis rosæ, quibus demptum esset album, replebat: iacensque cum concubinis, velamine de liliis facto se tegebat, vnctus odoribus Persicis. Iam illa frequentantur a nonnullis, quod & * accubationes ac mensas de rosis ac liliis fecerit, & quidem purgatis: quæ etsi non decora, non tamen ad perniciem publicam prompta sunt. Atq; idem * Ouidii libros amorum in lecto semper habuisse; idem Martialem epigrammaticum poetam, Vergilium suum dixisse. Iam illa leuiora, quod cursoribus suis exemplo Cupidinum alas frequenter apposuit, eosque ventorum nominibus sæpe vocitauit, Boream alium, alium Notum, & item Aquilonem aut Circium, ceterisque nominibus appellans, & indefesse atque inhumaniter faciens cursitare. Idem vxori conquerenti de extraneis voluptatibus dixisse fertur, *Patere me per alias exercere cupiditates meas: Vxor enim, dignitatis nomen est, non voluptatis.* Eius filius est Antoninus Verus, qui adoptatus est a Marco. Verus certe * cum Marco æquale gessit imperium. Nam ipsi sunt qui primi *duo Augusti* appellati sunt: & quorum fastis consularibus sic nomina præscribuntur, vt dicantur non [tantum] duo Antonini, sed duo Augusti: tantumque huius rei & nouitas & dignitas valuit, vt fasti consulares nonnulli ab his sumerent ordinem consulum. Pro eius adoptione infinitam pecuniam populo & militibus Adrianus dedit. Sed quum eum videret homo paulo argutior miserrimę valetudinis, ita vt scutum solidius iactare non posset, dixisse fertur, *Ter millies perdidimus, quod exercitui populoque dependimus: siquidem satis in caducum parietem * incubuimus, & qui non ipsam rempubl. sed nos ipsos sustentare vix possit.* Et hæc quidem Adrianus cum præfecto suo loquutus est. Quæ quum prodidisset præfectus, ac per hoc Ælius Cæsar indies magis magisque sollicitudine, vtpote desperati hominis, aggrauaretur, præfecto suo Adrianus qui tem prodiderat, successorem dedit: volens videri quod verba tristia temperasset. sed nihil profuit. Nam, vt diximus, *Lucius Ceionius Commodus Verus Aelius Cæsar* (nam his omnibus nominibus appellatus est) periit; sepultusque est imperatorio funere: neq; quidquam de regia, * nisi mortem, habuit dignitate. Doluit ergo illius mortem vt bonus pater, non vt bonus princeps. Nam quum amici solliciti quærerent qui adoptari posset, Adrianus dixisse fertur his, *Etiam viuente adhuc Vero decreueram*: ex quo ostẽdit aut iudiciũ suum, aut scientiam futurorum. Post hunc denique Adrianus diu anceps quid faceret, Antoninum adoptauit, Pium cognomine appellatum: cui conditionem addidit, vt ipse sibi Marcum & * Verum Antoninos adoptaret, filiamque suam Vero, non Marco daret. Nec diutius vixit, grauatus languore ac diuerso genere morborum; sæpe dicens, *Sanum principem mori debere, non debilem.* Statuas sane Ælio Vero per totum orbem * colosseas poni iussit, templa etiam in nonnullis vrbibus fieri. Denique illius merito, filium eius Verum, nepotẽ vxore suum, qui pereunte Ælio in familia ipsius Adriani remanserat, adoptandum Antonino Pio cum Marco, vt iam diximus, dedit: sæpe dicens, *Habeat Respubl. quodcumque de Vero*: quod quidem contrarium his quæ de adoptionis pœnitentia per auctores plurimos intimata sunt, quum Verus posterior nihil dignum præter clementiam in moribus habuerit quod imperatoriæ familiæ lumen afferret. Hæc sunt quæ de Vero Cæsare * mandata litteris fuerunt: de quo idcirco non tacui, quia mihi propositum fuit omnes qui post Cæsarem dictatorem, hoc est diuum Iulium, vel Cæsares vel Augusti, vel principes appellati sunt, quique in adoptionem * venerunt, vel Imperatorum filii aut parentes, Cæsarum nomine consecrati sunt, singulis libris exponere; meæ satisfaciens conscientiæ; etiamsi multis nulla sit necessitas talia requirendi.

IVLII CAPITOLINI,
ANTONINVS PIVS,
AD DIOCLETIANVM AVG.

TITO AVRELIO FVLVIO BOIONIO ANTONINO PIO, paternum genus e Gallia Transalpina, Nemausense scilicet: auus Titus Aurelius *Fuluius; qui per honores diuersos ad secundũ cõsulatum & præfecturam vrbis peruenit: pater Aurelius Fuluius; qui & ipse fuit consul, homo tristis &*æger. Auia materna Bouinia Procilla; mater Arria *Fadilla. Auus maternus Arrius Antoninus, bis consul, homo sanctus, & qui Neruã miseratus esset quod imperare cœpisset. soror vterina, Iulia Fadilla. vitricus Iulius Lupus, consularis. socer Annius Verus. vxor Annia Faustina. filii mares duo, duæ fœminæ. gener per maiorẽ filiam, Lamia *Syllanus: per minorẽ, Marcus Antoninus fuere. Ipse Antoninus Pius natus est tertiodecimo Cal. Octob. sub Domitiano XII, & Cornelio Dolabella coss. in villa *Lanuuina: educatus *Lauri in Aurelia: vbi postea palatiũ exstruxit, cuius hodieq; reliquiæ manent. Pueritiã egit cum auo paterno, mox cũ materno: omnes suos religiose colens: atq; adeo & consobrinorũ & vitrici & multorũ affinium hereditate ditatus est. Fuit vir forma conspicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, & placidus ingenio, singularis eloquentiæ, nitidæ literaturæ, præcipue sobrius; diligens agri cultor; mitis, largus; alieni abstinens; & omnia hæc cum mensura, & sine iactãtia. Incunctus postremo laudabilis, & qui merito Numæ Pompilio *ex bonorum sententia comparatur. *Pius* cognominatus est a senatu, vel quod *socerũ fessa iam ætate, manu, præsente senatu, leuauerit: (quod quidẽ non satis magnæ pietatis est argumentum; quum impius sit magis qui ista non faciat, quam pius qui debitum reddat) vel quod eos quos Adrianus per malam valetudinem occidi iusserat, reseruauit: vel quod Adriano contra omniũ studia, post mortẽ infinitos atq; immensos honores decreuit: vel quod, quum se Adrianus interimere vellet, ingenti custodia & diligentia fecit ne id posset admittere: vel quod vere natura clementissimus, & nihil temporib. suis asperum fecit. Idem fœnus trientariũ, hoc est minimis vsuris, exercuit; vt patrimonio suo plurimos adiuuaret. Fuit quęstor liberalis, prætor splẽdidus, consul cum Catilio Seuero. Hic in omni vita priuata in agris frequentissime vixit: sed clarus in locis omnibus fuit. Ab Adriano inter quatuor consulares, quibus Italia committebatur, electus est ad eam partẽ Italiæ regendam in qua plurimũ possidebat: vt Adrianus viri talis & honori cõsuleret & quieti. Huic, quũ Italiam regeret, imperii omen factum est. Nam quum tribunal ascendisset, inter alias acclamationes dictũ est, *Auguste, dii te seruent*. Proconsulatum Asiæ sic egit, vt solus auum vinceret. In proconsulatu etiam sic imperii omen accepit. Nam quum sacerdos fœmina Trallis ex more proconsules semper hoc nomine salutaret, non dixit, *Aue proconsul*, sed *Aue Imperator*. *Cyzici etiam de simulacro dei ad statuã eius corona translata est. Et post consulatũ in viridario taurus marmoreus, cornibus, ramis *arboris accrescentibus, appensus est. Et fulgur cælo sereno sine noxa in eius domum venit. Et in Etruria dolia quæ defossa fuerant, supra terram reperta sunt. Et eius statuas in omni Etruria examen apum repleuit. Et somnio sæpe monitus, se penitus *eius Adriani simulacrũ inserere. Proficiscens ad proconsulatum, filiam maiorem amisit. De huius vxore multa dicta sunt ob nimiã libertatem & viuendi facilitatẽ, quæ iste cum animi dolore cõpressit. Post proconsulatũ, in consiliis Adriani Romæ frequens vixit de omnibus de quib. Adrianus consulebat, mitiorẽ sententiã semper ostẽdens. Genus sane adoptionis tale fertur: Mortuo Ælio Vero, quem sibi Adrianus adoptauerat, & Cæsarem nuncupauerat, dies senatus habebatur. Eo Arrius Antoninus soceri vestigia leuans venit, atq; idcirco ab Adriano dicitur adoptatus: quæ caussa sola esse adoptionis nec potuit omnino, nec debuit, maxime quum & semper remp. bene egisset Antoninus, & in proconsulatu se sanctum grauemq; præbuisset. Ergo quum eum Adrianus adoptare se velle publicasset, acceptũ est spatium deliberandi vtrum atrogari ab Adriano vellet.

Adoptionis lex huiusmodi data est: vt quemadmodum Antoninus ab Adriano adoptabatur, ita sibi ille adoptaret M. Antoninum fratris vxoris suę filium, & L. Verum, Ælii Veri qui ab Adriano adoptatus fuerat, filium; qui postea Verus Antoninus est dictus. Adoptatus est v Calen. Martias die, in senatu gratias agens quod de se ita sensisset Adrianus: factusq; est patri & in imperio proconsulari & in tribunitia potestate collega. Huius primum hoc fertur, quod quum ab vxore argueretur quasi parū nescio quid suis largiens, dixerit, * *Stulta, postea quam ad imperium transiuimus, & illud quod habuimus ante, perdidimus.* Congiarium militibus ac populo de proprio dedit, & ea quæ pater promiserat. Et ad opera Adriani plurimum contulit: & aurum coronarium, quod adoptionis suæ caussa oblatum fuerat, Italicis totum, mediū prouincialibus reddidit. Et patri, quoad vixit, religiosissime paruit. Sed Adriano apud Baias mortuo, reliquias eius Romam peruexit sancte ac reuerenter, atq; in hortis Domitiæ collocauit: etiam repugnantibus cunctis, inter diuos eum retulit. Vxorem Faustinam, *Augustam* appellari a senatu permisit: *Pii* appellationem recepit. Patri & matri, atq; auis & fratribus iam mortuis, statuas decretas libenter accepit. Circenses natali suo dicatos non respuit, aliis honoribus refutatis. Clypeum Adriano magnificentissimū posuit, & sacerdotes instituit. Factus Imperator, nulli eorum quos Adrianus prouexerat, successorem dedit. Fuitq; ea constantia, vt septenis & nouenis annis in prouinciis bonos præsides detineret. Per legatos suos plurima bella gessit. Nam & Britannos per Lollium Vrbicum legatum vicit, alio muro cespititio submotis barbaris ducto: & Mauros ad pacem postulandam coegit: & Germanos & Dacos, & multas gentes atq; Iudæos rebellantes contudit per præsides ac legatos. In Achaia etiā atq; Ægypto rebelliones repressit. Alanos molientes sæpe refrenauit: procuratores suos modeste suscipere tributa iussit: excedentes modū, rationem factorum suorum reddere præcepit: nec vmquam [vllo] lætatus est lucro quo prouincialis oppressus est. Contra procuratores suos conquerētes libenter audiuit. His quos Adrianus damnauerat, in senatu indulgentias petiit; dicens etiam ipsum Adrianum hoc fuisse facturum. Imperatorium fastigium ad summam ciuilitatem deduxit. Vnde plus creuit recusantibus aulicis ministris; qui illo nihil per internuntios agente, nec terrere poterant homines aliquando, nec ea quæ occulta non erant, vendere. Senatui tantum detulit Imperator, quantum quum priuatus esset, deferri sibi ab alio principe optauit. Patris patriæ nomen delatum a senatu, quod primo distulerat, cum ingenti gratiarū actione suscepit. Tertio anno imperii sui, Faustinam vxorē perdidit: quæ a senatu consecrata est, delatis circensibus atq; templo, & flaminicis, & statuis aureis atq; argenteis: quum etiam ipse hoc concesserit vt imago eius cunctis circensibus poneretur. Statuam auream delatam a senatu, positam suscepit. * M. Antoninum quæstorem, consulem petente senatu creauit. Annium Verum, qui postea dictus est Antoninus, ante tempus quæstorem designauit: neque de prouinciis neq; de vllis actibus quidquam constituit nisi quod prius ad amicos retulit: atq; ex eorum sententia * formas composuit. Visus est sane ab amicis, & cum priuatis vestibus, & domestica quædam gerens. Tanta sane diligentia subiectos sibi populos rexit, vt omnia & omnes, quasi sua essent, curaret. Prouinciæ sub eo cunctæ floruerunt. Quadruplatores exstincti sunt. Publicatio bonorum rarior quam vmquam fuit; ita vt vnus tantū proscriberetur affectatæ tyrannidis reus, hoc est Attilius Titianus, senatu puniēte; a quo conscios requiri vetuit, filio eius ad omnia semper adiuto. Periit & Priscianus reus affectatæ tyrannidis, sed morte voluntaria. De qua coniuratione quæri vetuit. Victus Antonini Pii talis fuit, vt esset opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus, & mensa eius per proprios seruos, proprios aucupes, piscatores & venatores instrueretur. Balneum quo vsus fuisset, sine mercede populo exhibuit: nec omnino quidquam de vitæ priuatæ qualitate mutauit. Salaria multis subtraxit, quos otiosos videbat accipere; dicens, *Nihil esse sordidius, immo crudelius, quam si remp. ii arroderent qui nihil in eam suo labore conferrent.* Vnde etiam Mesomedi lyrico salariū imminuit. Rationes omnium prouinciarum apprime sciuit, & vectigalium. Patrimonium priuatum in filiam contulit: sed fructus reipubl. donauit. * Species imperatorias superfluas & prædia vendidit: & in suis propriis fundis vixit varie ac pro temporibus: nec

vllas

vllas expeditiones obiit, nisi quod ad agros suos profectus est ad Campaniã; dicens, *grauem esse prouincialibus comitatum principis, etiam nimis parci*: & tamẽ ingenti auctoritate apud omnes gentes fuit: quũ in vrbe propterea sederet, vt vndiq; nuntios medius, vtpote citius, posset accipere. Congiarium populo dedit, militibus *donatiuũ addidit. Puellas alimentarias, in honorem Faustinæ, Faustinianas constituit. Opera eius hæc exstant Romæ, Templum Adriani, honori patris dicatum, *Græcostadium post incendium restitutum, instauratum amphitheatrum, sepulcrum Adriani, templum Agrippæ, pons sublicius, phari restitutio, Caietæ portus, Tarracinensis portus restitutio, lauacrum Ostiense, *Antiatum aquæ ductus, templa *Lanuuiana. Multas etiam ciuitates adiuuit pecunia, vt opera vel noua facerent, vel vetera restituerent: ita vt & magistratus adiuuaret, & senatores vrbis ad functiones suas. Hereditates eorum qui filios habebant, repudiauit. Primus constituit ne pœnę caussa legatum relictum maneret. Successorem viuenti bono *iudici nulli dedit, nisi Orphito præfecto vrbi, sed petenti. Nam Gauius Maximus præfectus prætorii, vsque ad vicesimũ annum sub eo peruenit, vir seuerissimus; cui Tatius Maximus successit. In cuius demortui locum duos præfectos substituit, Fabium Repentinum, & Cornelium Victorinum. Sed Repentinus famosa voce percussus est, quod per concubinam principis ad præfecturam venisset. Vsqueadeo sub eo nullus percussus est senator, vt etiã *parricida confessus in insula deserta poneretur; quia viuere illi naturæ legibus non licebat. Vini, olei, & tritici penuriã per ærarii sui damna emendo & gratis populo dando, sedauit. Aduersa eius temporibus hæc prouenerunt: Fames, de qua diximus; circi ruina; terræmotus, quo Rhodiorũ & Asiæ opida conciderunt: quæ omnia mirifice instaurauit. & Romæ incendium, quod trecentas quadraginta insulas vel domos absumpsit. & Narbonensis ciuitas, & Antiochense opidum, & Carthaginense forum arsit. Fuit & inundatio Tiberis. Apparuit & stella crinita. Natus est & biceps puer; & vno partu mulieris quinque pueri editi sunt. Visus est in Arabia iubatus anguis, maior solitis, [&] qui se a cauda medium comedit. Lues etiam in Arabia fuit. Hordeum in Mœsia in culminibus arborũ natũ est. Quatuor prætereа leones mansueti, sponte se capiendos in Arabia præbuerunt. Pharasmanes rex ad eum Romã venit, plusque illi quam Adriano detulit. Pacorum regem *Ladis dedit. Parthorum regem ab Armeniorũ expugnatione solis litteris repulit. Abagarum regem ex orientis partibus sola auctoritate deduxit. Caussas regales terminauit. Sellam regiam Parthorum regi repetenti, quam Traianus ceperat, pernegauit. *Rimetalcen in regnum Bosphoranum, audito inter ipsum & curatorem negorio, remisit. Olbiopolitis contra Tauroscythas in Pontum auxilia misit: & Tauroscythas vsq; ad dãdos Olbiopolitis obsides vicit. Tantũ sane auctoritatis apud exteras gentes nemo habuit; quum semper amauerit pacem, eousq; vt Scipionis sententiam frequentarit, qua ille dicebat, *Malle se vnum ciuem seruare quam mille hostes occidere.* Menses Septembrem atq; Octobrem, Antoninum atque Faustinum appellandos decreuit senatus; sed id Antoninus respuit. Nuptias filiæ suæ Faustinæ, quum Marco Antonino eam coniungeret, vsq; ad donatiuũ militum celeberrimas fecit. Verum Antoninum post quæsturam consulem fecit. Quum Apollonium, quem [e] Chalcide acciuerat, ad *Tiberianam domum, in qua habitabat, vocasset, vt ei Marcum Antoninum traderet; atq; ille dixisset, *Non magister ad discipulũ debet venire sed discipulus ad magistrum*, risit eum, dicens, *Facilius fuit Apollonio a Chalcide Romam venire quam a domo sua in palatium*: cuius auaritiam etiam mercedibus notauit. Inter argumenta pietatis eius & hoc habetur, quod quum Marcus mortuum educatorem suum fleret, *vocareturque ab aulicis ministris ab ostentatione pietatis, ipse dixerit, *Permittite* (inquit) *illi vt homo sit: neque enim vel philosophia vel imperium tollit affectus.* Præfectos suos & locupletauit, & ornamentis consularibus donauit: si quos repetundarum damnauit, eorum liberis bona paterna restituit, ea tamen lege, vt illi prouincialibus redderent quod parentes acceperant. Ad indulgentias pronissimus fuit. Edita munera in quibus elephantos, & *crocutas, & tigrides, & rhinocerotas, & crocodilos etiam atq; hippopotamos, & omnia ex toto orbe terrarũ cum tigridibus exhibuit. Centum etiam leones vna missione edidit. Amicis suis in imperio suo non aliter vsus est quam priuatus:

quia & ipsi numquam de eo cum libertis suis per fumum aliquid vendiderunt: siquidem libertis suis seuerissime vsus est. Amauit histrionum artes: piscando se & venando multũ oblectauit, & deambulatione cũ amicis atq; sermone. Vindemias* priuati modo cum amicis agebat. Rhetoribus & philosophis per omnes prouincias & honores & salaria detulit. Orationes pleriq; alienas esse dixerũt quæ sub eius nomine feruntur: Marius Maximus eius proprias fuisse dicit. Conuiuia cum amicis & priuata cõmunicauit, & publica: nec vllum sacrificium per vicarium fecit, nisi quum æger fuit. Quum sibi & filiis honores peteret, omnia quasi priuatus fecit. Frequentauit & ipse amicorum suorũ conuiuia. Inter alia etiam hoc ciuilitatis eius præcipuum argumentum est, quod quum domum Omuli visens, miransq; columnas* porphyreticas, requisisset vnde eas haberet; atq; Omulus ei dixisset, *Quum in domum alienã veneris, & mutus & surdus esto*, patienter tulit. cuius Omuli multa ioca semper patienter accepit. Multa de iure sanxit; vsusq; est* iurispentis, *Vinidio Vero, Saluio Valente, Volusio Metiano, Vlpio Marcello, & Iaboleno. Seditiones vbicumq; factas, non crudelitate, sed modestia & grauitate compressit. Intra vrbes sepeliri mortuos vetuit. Sumptum muneribus gladiatoriis instituit. Vehicularium cursum summa diligentia subleuauit. Omniũ quæ gessit, & in senatu & per edicta rationem reddidit. Periit anno septuagesimo: sed quasi adolescens desideratus est. Mors autem eius talis fuisse narratur: Quum Alpinum caseum in cœna edisset auidius, nocte reiectauit; atq; alia die febre commotus est. Tertia die, quum se grauari videret, M. Antonino remp. & filiam præsentibus præfectis commendauit: Fortunamq; auream quæ in cubiculo principum poni solebat, transferri ad eum iussit: signũ tribuno æquanimitatis dedit: atq; ita conuersus quasi dormiret, spiritum reddidit. Apud Lorium alienatus in febri, nihil aliud quam de republ. & de his regibus quib. irascebatur, loquutus est. Priuatum patrimonium filiæ reliquit. Testamento autem omnes suos legatis idoneis prosequutus est. Fuit statura eleuata decorus. sed quum esset longus & senex incuruareturq;, *tiliaceis tabulis in pectore positis fasciabatur, vt rectus incederet. Senex etiam, antequam salutatores venirent, panem siccum comedit ad sustentandas vires. Fuit voce rauca & sonora. Cum iucunditate a senatu Diuus est appellatus, cunctis certatim* adnitentibus: quum omnes eius pietatem, clementiam, ingenium, sanctimoniã laudarent. Decreti etiam sunt omnes honores qui optimis principibus ante delati sunt. Meruit & circenses & flaminem & templũ & sodales Antoninianos: solusq; omnium prope principum prorsus sine ciuili sanguine & hostili, quantum ad seipsum pertinet, vixit: & qui rite comparetur Numæ, cuius felicitatem pietatemque & securitatem cerimoniasque semper obtinuit.

IVLII CAPITOLINI

M. ANTONINVS PHILOS.

AD DIOCLETIANVM AVG.

MARCO ANTONINO, in omni vita philosophanti viro, & qui sanctitate vitæ omnibus principibus antecellit, pater Annius Verus, qui in prætura decessit: auus Annius Verus, iterum consul & præfectus vrbi, adscitus in patricios a [principibus] Vespasiano & Tito censoribus: patruus Annius Libo consul: amita Galeria Faustina Augusta: mater Domitia Caluilla, Caluisii Tulli bis consulis filia: proauus paternus, Annius Verus prætorius, ex Succubitano municipio ex Hispania factus senator: proauus maternus, Catilius Seuerus, bis consul & præfectus vrbi: auia paterna, Rupilia Faustina Rupilii Boni consularis filia, fuere. Natus est Marcus Romæ sexto Calen. Maias in monte Cælio in hortis, auo suo iterum & Augure coss. Cuius familia in originem recurrens, a Numa probatur sanguinẽ trahere, vt Marius Maximus docet: itẽ a rege Salentino Malennio Dasummi filio, qui *Lupias condidit. Educatus est in eo loco in quo natus est, & in domo aui

sui Veri iuxta ædes Laterani. Habuit & sororem natu minorẽ Anniam Cornificiã: vxorem, Anniam Faustinam consobrinã suam. M. Antoninus principio aui sui nomen habuit, &*Caluisii Seueri materni proaui. Post excessum vero patris ab Adriano *Annius Verissimus* vocatus est: post virilem autẽ togam, *Annius Verus*: patre mortuo, ab auo paterno adoptatus est & educatus. Fuit a prima infantia grauis. At vbi egressus est annos qui nutricũ fouentur auxilio, magnis præceptoribus traditus, ad philosophiæ scita peruenit. Vsus est magistris ad prima elementa Euphorione literatore & Gemino comœdo, musico Androne, eodemq; geometra: quibus omnibus, vt disciplinatũ auctoribus, plurimũ detulit. Vsus præterea grammaticis, Græco, Alexandro: quotidianis Latinis, Trosio Apro, & *Pollione, & Eutychio Proculo Siccensi. Oratoribus vsus est, *Græcis, Annio Macro, Caninio *Celere, & Herode Attico: Latino, Frontone Cornelio. Sed multum ex his Frontoni detulit, cui & statuam in senatu petiit: Proculum vero vsque ad proconsulatum * prouexit. Honoribus in se receptis, philosophiæ operam vehementer dedit; & quidem adhuc puer. Nam duodecimum annum ingressus, habitum philosophi sumpsit: & deinceps *tolerantiam; quum studeret in pallio, & humi cubaret; vix autem matre agente, instrato pellibus lectulo accubaret. Vsus est etiam Commodo magistro; cuius ei affinitas fuerat destinata. Vsus est & Apollonio Chalcedonio, Stoico philosopho. Tantum autem studium in eo philosophiæ fuit, vt adscitus iam in imperatoriam dignitatem, tamen ad domũ Apollonii discendi causa veniret. Audiuit & Sextum Chęronensem Plutarchi nepotem: Iunium Rusticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catullum, Stoicos. Peripateticæ vero studiosos audiuit Claudium Seuerũ, & præcipue Iunium Rusticum: quem & reueritus est & sectatus; qui domi militiæq; pollebat: Stoicæ disciplinæ peritissimum: cum quo omnia communicauit publica priuataq; consilia: cui etiam ante præfectos prætorio semper osculum dedit: quem & consulem iterum designauit: cui post obitum a senatu statuas postulauit. Tantum autem honoris magistris suis detulit, vt imagines eorum aureas in *larario haberet, ac sepulcra eorũ* aditu, hostiis, floribus, semper honoraret. Studuit & iuri, audiens L. Volusium Metianum. Tantumq; operis & laboris studiis impendit, vt corpus afficeret, atq; in hoc solo pueritia eius reprehenderetur. Frequentauit & declamatorum scholas publicas. Amauitq; ex condiscipulis præcipuos senatorii ordinis Seium Fuscianum, & Aufidium Victorinum: ex equestri, Bæbium Longum, & Calenũ, in quos maxime liberalis fuit: & ita quidem, vt quos non posset ob qualitatem vitæ reip. præponere, locupletatos teneret. Educatus est in Adriani gremio, qui illum (vt supra diximus) *Verissimum* nominabat: &*qui ei honorẽ etiam publice sexenni detulit: octauo ætatis anno in saliorũ collegiũ retulit. In saliatu omen accepit imperii.* Coronas omnibus in puluinar ex more iacientibus, aliæ aliis locis hæserunt;* huius velut manu, capiti Martis aptata est. Fuit in eo sacerdotio &* præsul & vates & magister, & multos* inaugurauit atq; exaugurauit nemine præeunte; quod ipse carmina cuncta didicisset. Virilem togam sumpsit quintodecimo ætatis anno: statimq; ei L. Ceionii Commodi filia desponsata est ex Adriani voluntate. Nec multo post præfectus feriarũ Latinarum fuit. In quo honore præclarissime se pro magistratibus agentẽ, & in conuiuiis Adriani principis ostendit. Post hoc patrimonium paternũ sorori totum concessit: quũ eum ad diuisionẽ mater vocaret, respondit, aui bonis se esse contentũ; addens vt & mater, si vellet, in sororẽ suum patrimoniũ cõferret, ne inferior esset soror marito; *Fuit autem ea vitæ indulgentia, vt cogeretur nonnumquã vel in venationes pergere, vel in theatrum descendere, vel spectaculis interesse. Operam præterea pingendo sub magistro Diogneto dedit. Amauit* pugilatum, luctamina, & cursum, & aucupatus. & pila lusit apprime; & venatus est. Sed ab omnibus his intentio tum studium eum philosophiæ abduxit, seriumq; & grauẽ reddidit: non tamen prorsus abolitã in eo comitate, quam præcipue suis mox amicis atque etiam minus notis exhibebat: quum frugi esset sine contumacia, verecundus sine ignauia, sine tristitia grauis. His ita se habentibus, quum post obitum L. Cæsaris Adrianus successorem imperii quæreret, nec idoneus, vtpote decem & octo annos agens, Marcus haberetur, amitæ Marci virum Antoninum Pium Adrianus ea lege in adoptionem legit, vt sibi Mar-

cum Pius adoptaret: ita tamen, vt & Marcus sibi Lucium Commodum adoptaret. Sane ea die qua adoptatus est, Verus in somnis se humeros eburneos habere vidit: sciscitatusq; an apti essent oneri ferundo, solito reperit fortiores. Vbi autē comperit se ab Adriano adoptatum, magis est deterritus quam lætatus: iussusq; [in] Adriani priuatam domū migrare, inuitus de maternis hortis recessit. Quumq; ab eo domestici quærerent cur tristis in adoptionē regiā transiret, disputauit quæ mala in se contineret imperiū. Tunc primum pro Annio *Aurelius* cœpit vocari, quod in Aureliam hoc est Antonini, * adoptionis iure transisset. Octauodecimo ergo ætatis anno adoptatus, in secundo consulatu Antonini iam patris sui, Adriano ferente, *gratia ætatis facta, quæstor est designatus. Adoptatus[q;] in aulicam domū, omnibus parentibus suis tantam reuerentiam quantā priuatus exhibuit. Eratq; haud secus rei suæ, quam in priuata domo, parcus ac diligens; pro instituto patris volēs agere, dicere, cogitare. Adriano Baiis absumpto, quum Pius ad vehendas eius reliquias esset profectus, relictus Romæ, auo iusta impleuit: & gladiatorum, quasi priuatus quæstor, edidit munus. Post excessum Adriani statim Pius per vxorem suam Marcum sciscitatus est: & quum dissolutis sponsalibus, quæ cum Lucii Ceionii Commodi filia desponderi voluerat, *impar adhuc ætate esset, habita deliberatione cogitare velle se dixit. His ita gestis, adhuc quæstorem & consulē secum Pius Marcum designauit, & Cæsaris appellatione donauit: & * seuirum turmis equitum Romanorum iam consulem designatū creauit; & edenti cum *collegis ludos seuirales adsedit: & in *Tiberianam domum transgredi iussit, & aulico fastigio renitentem ornauit, & in collegia sacerdotū iubente senatu recepit; secundum etiam consulem designauit, quum ipse quartum pariter iniret. Per eadem tempora quum tantis honoribus occuparetur, & quum formandus ad regendū * statum reipubl. patris actibus interesset, studia cupidissime frequentauit. Post hæc Faustinam duxit vxorem: & suscepta filia, tribunitia potestate donatus est, atque imperio extra vrbem proconsulari, addito iure quintæ relationis: tantumque apud Pium valuit, vt numquam quemquam sine eo facile promouerit. Erat autē in summis obsequiis patris Marcus, quamuis non deessent qui aliqua aduersum eum insusurrarent, & prę cæteris Valerius *Omulus: qui quum Lucillam matrem Marci in viridario venerantem simulacrum Apollinis vidisset, insusurrauit, *Illa nunc rogat vt diem tuū claudas, & filius imperet*. quod omnino apud Pium nihil valuit: tanta erat Marci probitas, & tanta in imperatorio principatu modestia. * Æstimationis autem tantā curam habuit, vt & procuratores suos puer semper moneret ne quid arrogantius facerent, & hæreditates delatas, reddens proximis, aliquādo respuerit: deniq; per viginti & tres annos in domo patris ita versatus, vt eius quotidie amor cresceret: nec præter duas noctes per tot annos ab eo mansit diuersis vicibus. Ob hoc Antoninus Pius, quum sibi adesse finem vitæ videret, vocatis amicis & præfectis, vt successorem eum imperii, omnibus commendauit atq; firmauit: statimq; * signo æquanimitatis tribuno dato, Fortunam aureā, quæ in cubiculo solebat esse, ad Marci cubiculum transire iussit. Bonorum maternorum partem *Mummio Quadrato sororis filio (quia illa iam mortua erat) tradidit. Post excessum diui Pii, a senatu coactus regimen publicū capere, fratrem sibi participem in imperio designauit: quem *Lucium Aurelium Verum Commodum* appellauit, Cęsaremq; atq; Augustum dixit: atq; ex eo pariter cœperunt rempubl. regere. Tuncq; primum Romanum imperiū duos Augustos habere cœpit.. lictum cum alio participasset. *Antonini mox ipse nomen recepit. & quasi pater L. Commodi esset, & Verum eum appellauit addito Antonini nomine: filiamq; suam Lucillam fratri despondit. Ob hanc coniunctionē pueros & puellas * nouorū hominum frumentariæ perceptioni adscribi præceperunt. Actis igitur quæ agenda fuerāt in senatu, pariter castra pretoria petiuerūt, & vicena milia nummûm singulis ob participatum imperiū militibus promiserunt, & cæteris pro *rata. Adriani autem sepulcro corpus patris intulerunt magnifico exequiarum officio: mox iustitio sequuto, publice quoque funeris expeditus est ordo. Et laudauere vterq; pro rostris patrem, flaminemq; ei ex affinibus, & sodales ex amicissimis Aurelianos creauere. Adepti imperium, ita ciuiliter se ambo egerunt, vt lenitatem Pii nemo desideraret: quum eos Marullus sui temporis mimographus ca-

tillando impune perstringeret. Funebre munus patri dederũt. Dabat se Marcus totum & philosophiæ, amorẽ ciuium affectans. Sed interpellauit istã felicitatem securitatemq; *Imperatoris prima Tiberis inundatio, quę sub illis grauissima fuit: quę res & multa vrbis ædificia vexauit, & plurimũ animaliũ interemit, & famem grauissimã peperit. Quæ omnia mala Marcus & Verus sua cura & præsentia temperarũt. Fuit eo tempore etiã Parthicum bellũ, quod Vologesus* paratum sub Pio, Marci & Veri tẽpore indixit, fugato Atidio Corneliano, qui Syriam tunc administrabat. Imminebat etiam Britannicũ bellũ: & *Catti in Germaniam ac Rhætiam irruperant. Et aduersus Britannos quidẽ *Calpurnius Agricola missus est, contra Cattos Aufidius Victorinus. Ad Parthicum vero bellũ, senatu cõsentiente, Verus frater eius missus est: ipse Romæ remansit, quod res vrbanæ Imperatoris præsentiã postularent. Et Verum quidem Marcus Capuam vsq; prosequutus, amicis comitantibus e senatu ornauit, additis officiorũ omniũ principibus. Sed quum Romam redisset Marcus, cognouissetq; Verum apud Canusiũ ægrotare, ad eum videndũ contendit, susceptis in senatu votis: quæ, posteaquã Romam rediit, audita Veri transmissione, statim reddidit. Et Verus quidẽ, posteaquã in Syriam venit, in deliciis apud Antiochiã & Daphnen vixit, armisq; se gladiatoriis & venatibus exercuit, quum per legatos bellũ Parthicũ gerens, Imperator appellatus esset: quum Marcus horis omnib. reip. actibus incubaret, patienterq; delicias fratris, & prope inuitus ac nolens, ferret. Deniq; omnia quæ ad bellũ erant necessaria, Romæ positus & disposuit Marcus, & ordinauit. Gestę sunt res in Armenia prospere per Statium Priscũ Artaxatis captis: delatumq; *Armeniacũ* nomen vtriq; principum: quod Marcus per verecundiam primo recusauit, postea tamen recepit. Profligato autem bello vterq; *Parthicus* appellatus est, sed hoc quoq; Marcus delatũ nomen repudiauit; quod postea recepit. *Patris patriæ* autem nomen, delatum fratre absente, in eiusdẽ præsentiam distulit: medio belli tempore* & Ciuicam patruum Veri, & filiam suam nupturã, commissam *sorori suæ, eamdẽ locupletatam, Brundusium vsq; deduxit, & ad eum misit. Romam vero statim rediit, reuocatus eorum sermonibus qui dicebant Marcum velle finiti belli gloriã sibimet vindicare, atq; idcirco in Syriam proficisci. Ad proconsulẽ scribit, ne quis filiæ suæ iter facienti occurreret. Inter hæc liberales caussas ita muniuit, vt *primus iuberet apud præfectos ærarii Saturni vnumquemque ciuium natos liberos profiteri, intra* tricesimum diem nomine imposito. Per prouincias tabulariorum publicorũ vsum instituit; apud quos idem de originibus fieret quod Romæ apud præfectos ærarii: vt si forte aliquis in prouincia natus caussam liberalem diceret, testationes inde ferret: atque hanc totam legem de assertionibus firmauit: aliasque de mensariis & auctionibus tulit. Senatum multis cognitionibus, & maxime ad se pertinentibus, iudicem dedit. De statu etiam defunctorum intra quinquennium quæri iussit: neque quisquam principum amplius senatui detulit. In senatus autem honorificentiam, multis & prætoriis & consularibus priuatis decidenda negotia delegauit; quo magis eorum cum exercitio iuris autoritas cresceret. Multos ex amicis in senatum allegit cum ædilitiis aut prætoriis dignitatibus: multis* senatoribus vel pauperibus sine crimine, dignitates tribunitias ædiliciasque concessit: nec quemquam in ordinem legit nisi quem ipse bene scisset. Hoc quoque senatoribus detulit, vt quoties de eorum capite esset iudicandum, secreto pertractaret, atque ita in publicum prodiret; nec pateretur equites Romanos talibus interesse caussis. Semper autem, quum potuit, interfuit senatui, etiamsi nihil esset referendum, si Romæ fuit: si vero aliquid referre voluit, etiam de Campania ipse venit. Comitiis præterea etiam vsque ad noctem frequenter interfuit: neque vmquam recessit de curia, nisi consul dixisset, *Nihil vos moramur patres conscripti*: sin autem, appellationibus a consule factis, iudicem dedit. Iudiciariæ rei singularem diligentiam adhibuit: fastis dies iudiciarios addidit; ita vt ducentos triginta dies* annuos reb. agendis litibusq; disceptandis constitueret. Prætorem tutelarẽ primus fecit, quum ante tutores a consulibus poscerentur; vt diligentius de tutorib. tractaretur. De curatoribus vero, quũ ante non nisi ex lege *Lectoria, vel propter lasciuiam, vel propter dementiam darentur, ita statuit, vt omnes adulti curatores acciperent, non redditis caussis. Cauit & sumptibus publicis, & ca-

lumniis quadruplatorum intercessit, apposita falsis delatoribus nota. Delationes quibus fiscus augeretur, contempsit. De alimentis publicis multa prudenter inuenit. Curatores multis ciuitatibus, quo latius senatorias tenderet dignitates a senatu dedit. Italicis ciuitatibus famis tempore frumentum ex vrbe donauit: omnique frumentariæ rei consuluit. Gladiatoria spectacula omnifariam temperauit. Temperauit etiam *scenicas donationes: iubens vt quinos aureos scenici acciperent: ita tamen vt nullus editor decem aureos egrederetur. Vias etiam vrbis atque *itinerum, diligentissime curauit. Rei frumentariæ grauiter prouidit. Datis iuridicis, Italiæ consuluit ad id exemplum quo Adrianus consulares viros reddere iura præceperat. Hispaniis exhaustis Italica allectione, contra Traiani præcepta, verecunde consuluit. Leges etiam addidit de vicesima hæreditatum, de tutelis liberorum, de bonis maternis, & item de filiorum successionibus pro parte materna; vtque senatores peregrini quartam partem in Italia possiderent. Dedit præterea curatoribus regionum ac viatorum potestatem, vt vel punirent, vel ad præfectum vrbi puniendos remitterent eos qui vltra vectigalia quidquam ab aliquo exegissent. Ius autem magis vetus restituit quam nouum fecit. Habuit secum præfectos, quorum & autoritate & periculo semper iura dictauit. Vsus autem est Scæuola præcipue iuris perito. Cum populo autem non aliter egit quam est actum sub ciuitate libera. Fuitque per omnia moderatissimus in hominibus deterrendis a malo, inuitandis ad bona, remunerandis copia, indulgentia liberandis: fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos: moderate etiam cauillationes nonnullorum ferens. Nam quum quemdam Veretasinum famæ detestandæ, honorem petentem moneret vt se ab opinionibus populi vindicaret, & ille contra respondisset, multos qui secum in harena pugnassent, se prætores videre, patienter tulit. Ac ne in quemquam facile vindicaret, prætorem quoq;, dum pessime *egerat, non abdicate se præturа iussit; sed collegæ iurisdictionem mandauit. Fisco in causis compendii numquam iudicans fauit: sane quamuis esset constans, erat etiam verecundus. Posteaquam autem a Syria victor rediit frater, Patris patriæ nomē ambobus decretum est, quum se Marcus absente Vero erga omnes senatores atque homines moderatissime gessisset. Corona præterea ciuica oblata est ambobus: petiitque Lucius vt secum Marcus triumpharet. Petiit præterea Lucius vt filii Marci Cæsares appellarentur. Sed Marcus tanta fuit moderatione, vt quum simul triumphasset, tamen post mortem *Lucium tantum [Parthicum,] Germanicum se vocaret, quod sibi bello proprio pepererat. In triumpho autem liberos Marci vtriusque sexus secum vexerunt; ita tamen vt & puellas virgines veherent. Ludos etiam ob triumphum decretos spectauerunt habitu triumphali. Inter cætera pietatis eius, hæc quoque moderatio prædicanda est: *Cunabulis post puerorum lapsum culcitras subiici iussit: vnde hodieque rete prætenditur. Dum Parthicum belluum geritur, natum est *Marcomanicum*; quod diu eorum qui aderant arte suspensum est, vt finito iam orientali bello, Marcomanicum agi posset. Et quum famis tempore populo insinuasset de bello, fratre post quinquennium reuerso, in senatu egit, ambos necessarios dicens bello Germanico Imperatores. Tantus autem timor belli Marcomanici fuit, vt vndiq; sacerdotes Antoninus acciuerit, peregrinos ritus impleuerit, Romam omni genere lustrauerit, *retardatusque a bellica profectione sit. Celebrauit & Romano ritu lectisternia per septem dies. *Tanta autem pestilentia fuit, vt vehiculis cadauera sint exportata *sarracisque. Tunc autem Antonini leges sepeliendi sepulcrorumque asperrimas sanxerunt: quando quidem cauerunt vt, siquis vellet, fabricaret sepulcrum: quod hodieq; seruatur. Et multa quidem milia pestilentia consumpsit multosque ex proceribus: quorum amplissimis Antoninus statuas collocauit. Tantaque clementia fuit, vt & sumptu publico vulgaria funera iuberet *efferri: & vano cuidam, qui diripiendæ vrbis occasionem cum quibusdam consciis requirens, de caprifici arbore in campo Martio concionabundus ignem de cœlo lapsurum, finemque mundi affore diceret si ipse lapsus ex arbore in ciconiam verteretur: quum statuto tempore decidisset, atque ex sinu ciconiam emisisset, perducto ad se atque confesso veniam daret. Profecti tamen sunt paludati ambo Imperatores, *Parthis & Marcomanis cuncta turbantibus, aliis etiam

gentibus,

gentibus, quæ pulsæ a superioribus barbaris fugerant, nisi reciperentur, bellum inferentibus. Nec parum profuit ista profectio, quum Aquileiam vsque venissent. nam plerique reges, & cum populis suis se retraxerunt, & tumultus autores interemerunt. *Quadi* autem, amisso rege suo, non prius se confirmaturos eum qui erat creatus, dicebant, quam id nostris placuisset Imperatoribus. Lucius tamen inuitus profectus est, quum pleriq; *ad legatos Imperatorum mitterent, defectionis veniam postulantes. Et Lucius quidem, quod amissus esset præfectus prætorio Furius Victorinus, atque pars exercitus interisset, redeundum esse censebat: Marcus autem, fingere barbaros existimans & fugam & cætera quæ securitatem bellicam ostenderent, ob hoc ne tanti apparatus mole premerentur, instandum esse dicebat. Deniq; transcensis Alpibus longius processerunt, composueruntq; omnia quę ad munimen Italiæ atque Illyrici pertinebant. Placuit autem, vrgente Lucio, vt præmissis ad senatum literis Lucius Romam rediret. *Vna quoque posteaquam iter ingressi sunt; sedens cum fratre in vehiculo Lucius, apoplexi arreptus periit. Fuit autem consuetudo Marco, vt in circensium spectaculo legeret, audiretque ac subscriberet: ex quo quidem sæpe iocis popularibus dicitur lacessitus. Multum sane potuerunt liberti sub Marco & Vero, *Geminas & Agaclytus. Tantæ autem sanctitatis fuit Marcus, vt Veri vitia & celauerit & defenderit, quum ei vehementissime displicerent, mortuumque eum Diuum appellauerit: amitasque eius & sorores honoribus & salariis decretis subleuauerit atque prouexerit, sacrisque cum plurimis honorauerit: flaminem & Antoninianos sodales, & omnes honores qui diuis habetur, eidem dedicauit. Nemo est principum quem non grauis fama perstringat, vsqueadeo vt etiam Marcus in sermonem venerit, quod Verum vel veneno ita sustulerit, vt parte cultri veneno lita vuluam inciderit, venenatam partem fratri edendam propinans, & sibi innoxiam reseruans: vel certe per medicum Posidippum, qui ei sanguinem intempestiue dicitur emisisse. Cassius post mortem Veri a Marco desciuit. Iam in suos tanta fuit benignitate Marcus, vt cum in omnes propinquos cuncta *honoris ornamenta contulerit, tum in filium Commodum (& quidem scelestum atq; impurum) cito nomen Cæsaris, & mox sacerdotium, statimque nomen Imperatoris, ac triumphi participationem, & consulatū. quo quidem tempore *sine Imperatoris filio ad triumphalē currū in circo pedes cucurrit. Post Veri obitum, Marcus Antoninus solus remp. tenuit, multo melior & feracior ad virtutes: quippe qui nullis Veri iam impediretur aut simulatis callidę seueritatis (quo ille ingenito vitio laborabat) erroribus, aut his quib. præcipue displicebat Marco Antonino iam inde a primo ætatis suæ tēpore, vel institutis mentis prauæ, vel moribus. Erat enim ipse tantæ tranquillitatis, vt vultum numquam mutauerit mœrore vel gaudio; philosophiæ deditus Stoicæ, quam & per optimos quosq; magistros acceperat, & vndiq; ipse collegerat. Nam & Adrianus hunc eumdē successorem parauerat, nisi ei ætas puerilis obstitisset. Quod quidē apparet ex eo quod generum pio hunc eumdem delegit, vt ad eum, dignū vt pote virum, quandocumq; Romanum perueniret imperium. Ergo prouincias post hæc ingenti moderatione ac benignitate tractauit. Contra Germanos res feliciter gessit. Speciale ipse bellum Marcomanicum, sed quantum nulla vnquam memoria fuit, *cum virtute, tum etiam felicitate transegit, & eo quidem tempore quo pestilentia grauis multa milia & popularium & militum interemerat. Pannonias ergo, Marcomanis, Sarmatis, Vuandalis, simul etiam Quadis exstinctis, seruitio liberauit: & Romæ cum Commodo, quē iam Cęsarem fecerat, filio (vt diximus) suo triumphauit. Quum autem ad hoc bellum omne ærarium exhausisset suum, neq; in animū induceret vt extra ordinē prouincialibus aliquid imperaret, in foro diui Traiani auctionem ornamentorum imperialiū fecit, vendiditq; aurea pocula & crystallina & murrhina, vasa etiam regia, & vestem vxoriam sericam & auratam, gemmasq; etiā quas multas in *repositorio sanctiore Adriani repererat: & per duos quidem menses hæc venditio celebrata est: tantumq; auri redactum, vt reliquias belli Marcomanici ex sententia persequutus, postea dederit potestatem emptoribus, vt si quis vellet empta reddere atque aurum recipere, sciret licere. Nec molestus vlli fuit qui vel non reddidit empta, vel reddidit. Tunc viris *claris permisit vt eodem cultu quo & ipse

vel* ministeriis similibus conuiuia exhiberent. In munere autem publico tam magnanimus fuit, vt centum leones vna missione simul exhiberet sagittis interfectos. Quum igitur in amore omnium imperasset, atque ab aliis modo frater, modo pater, modo filius, vt cuiusque ætas sinebat, & diceretur & amaretur, octauodecimo anno imperii sui, sexagesimo & primo vitæ, diem vltimum clausit. Tantusque illius amor eo die regii funeris claruit, vt nemo illum plangendum censuerit, certis omnibus quod a diis commodatus, ad deos redisset. Denique priusquam funus conderetur, vt plerique dicunt, (quod numquam antea factum fuerat neque postea) senatus populusque, non diuisis locis, sed in vna sede, propitium deum dixit. Hic sane vir tantus & talis, ac diis vita & morte coniunctus, filium Commodum dereliquit: qui si felix fuisset, filium non reliquisset. Et parum sane fuit quod illi honores diuinos omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio ac dignitas dedit; nisi quod etiam sacrilegus iudicatus est, qui eius imaginem in sua domo non habuit, qui per fortunam vel potuit habere vel debuit. Denique hodieque in multis domibus M. Antonini statuæ consistunt inter deos penates. Nec defuerunt homines qui somniis eum multa prædixisse, * augurantes futura & vera, concinuerunt. Vnde etiam templum ei * constitutum, dati sacerdotes Antoniniani, & sodales & flamines, & omnia quæ de sacratis decreuit antiquitas. Aiunt quidam (quod verisimile videtur) Commodum Antoninum, successorem illius ac filiū, non esse de eo natum, sed de adulterio: ac talem fabellam vulgari sermone contexunt: Faustinam quondam Pii filiam, Marci vxorem, quum gladiatores transire vidisset, vnius ex his amore succensam, quum longa ægritudine laboraret, viro de amore confessam. Quod quum ad Chaldæos Marcus retulisset, illorum fuisse consilium vt occiso gladiatore, sanguine illius sese Faustina sublauaret, atq; ita cum viro concumberet. Quod quum esset factum, solutum quidem amorem, natum vero Commodum gladiatorem esse, non principem: qui mille prope pugnas publice populo inspectante gladiatorias Imperator exhibuit; vt in vita eius docebitur. Quod quidē verisimile ex eo habetur, quod tam sancti principis filius his moribus fuit quibus nullus lanista, nullus scenicus, nullus harenarius, nullus postremo ex omnium dedecorum ac scelerum colluuione concretus. Multi autem ferunt Commodum omnino ex adulterio natum: siquidem Faustinam satis constat apud Caietam conditiones sibi & nauticas & gladiatorias elegisse: de* quo quū diceretur Antonino Marco, vt eam repudiaret, si non occideret, dixisse fertur, *Si vxorem dimittimus, reddamus & dotem.* Dos autem quid habebatur, nisi imperiū, quod ille ab socero volente Adriano adoptatus acceperat? Tantum sane valet boni principis vita, sanctitas, tranquillitas, pietas, vt eius famam nullius proximi decoloret inuidia. Denique Antonino, quum suos mores semper teneret, neque alicuius insusurratione mutaretur, non obfuit gladiator filius, vxor infamis: deus vsque etiam nunc habetur; vt* vobis ipsi sacratissime Imperator Diocletiane, & semper visum est, & videtur: qui eum inter numina vestra, non vt cæteros, sed specialiter veneramini; ac sæpe dicitis, vos vita & clementia tales esse cupere qualis fuit Marcus, etiamsi * philosophia nec Plato esse possit, si reuertatur in vitam. *Et hæc quidem breuiter & congeste sub Marco Antonino sunt gesta post fratrem. Primum corpus eius Romam deuectum est, & illatum maiorū sepulcris: diuini honores decreti. * Deinde quum gratias ageret senatui quod fratrem consecrasset, occulte ostendit, omnia bellica consilia sua fuisse quibus superati sunt Parthi. Addidit præterea quædam, quibus ostendit nunc demum se quasi a principio acturum esse remp. amoto eo qui remissior videbatur. Nec aliter senatus accepit quam Marcus dixerat; vt videretur gratias agere quod Verus excessisset vita. Omnibus deinde sororibus & affinibus & libertis, iuris & honoris & pecuniæ plurimum detulit. Erat enim famæ suæ curiosissimus, & requirens ad verum quid quisque de se diceret, emendas quæ bene reprehensa viderentur. Proficiscens ad bellum Germanicum, filiam suam non decurso luctus tempore, *grandæuo equitis Romani filio Claudio Pompeiano dedit, genere Antiochensi, nec satis nobili. quem postea bis Consulem fecit, quum filia eius Augusta esset & Augustæ filia. Sed has nuptias & Faustina, & ipsa quæ dabatur, inuitæ habuerunt. Quum Mauri Hispanias prope omnes vastarent, res per legatos bene gestæ sunt.

sunt. Et quum per Ægyptum * Bucolici milites grauia multa fecissent, per Auidium Cassium retusi sunt; qui postea tyrannidem arripuit. Sub ipsis profectionis diebus in secessu Prænestino agens, filium nomine Verum Cæsarem exsecto sub aure tubere septennem amisit; quem non plus quinque diebus luxit; * consolatusque etiam medicos, actibus publicis se reddidit. Et quia ludi Iouis optimi maximi erant, interpellari eos publico luctu noluit: iussitque vt statuæ tantummodo filio mortuo decernerentur, & imago aurea circensibus per pompam ferenda, & vt saliari carmini nomen eius * insereretur. Instante sane adhuc pestilentia, & deorum cultum diligentissime restituit; & seruos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam parauit; quos *Voluntarios* exemplo Volonum appellauit. Armauit etiam gladiatores, quos *Obsequentes* appellauit. Latrones etiam Dalmatiæ atque Dardaniæ, milites fecit. Armauit & * diocmitas. emit & Germanorum auxilia contra Germanos. Omni præterea diligentia parauit legiones ad Germanicum & Marcomanicum bellum: ac ne prouincialibus esset molestus, auctionē rerum aulicarum, vt diximus, fecit in foro diui Traiani; in qua præter vestes & pocula & vasa aurea, etiam signa cum tabulis magnorum artificum vendidit. Marcomanos in ipso transitu Danubii deleuit, & prædam prouincialibus reddidit. Gentes omnes ab Illyrici limite vsq; [in] Galliam conspirauerāt, vt Marcomani, Narisci, Hermunduri; & Quadi, Sueui, Sarmatæ, Latringes, & Buri: hi aliiq; cum Victoualis, Sosibes, Sicobotes, Roxolani, Bastarnæ, Alani, Peucini, Costoboci. Imminebat & Parthicum bellum & Britannicū. Magno igitur labore etiam suo, gentes asperrimas vicit, militibus sese imitantibus, ducentibus etiam exercitum legatis & præfectis prætorio: accepitque in deditionē Marcomanos, plurimis in Italiam traductis. Semper sane cum optimatibus, non solum bellicas res, sed etiam ciuiles, priusquam faceret aliquid, contulit. Denique sententia illius præcipua semper hæc fuit; *Aequius est vt ego tot & talium amicorum consilium sequar, quam vt tot & tales amici meam vnius voluntatem sequantur.* Sane quia durus videbatur ex philosophiæ institutione Marcus ad militiæ labores atque ad omnem vitam, grauiter carpebatur: sed male loquentium dictis, vel litteris vel sermone respondebat. Et multi nobiles bello Germanico siue Marcomanico, immo plurimarum gentiū, interierunt: quibus omnibus statuas in foro Vlpio collocauit. Quare amici frequenter suaserunt vt a bellis discederet, Romam veniret: sed ille contempsit ac perstitit, nec prius recessit quam omnia bella finiret. Prouincias ex proconsularibus consulares, aut ex consularibus proconsulares aut prætorias, pro belli necessitate fecit. Res etiam in Sequanis turbatas, censura & autoritate repressit. Compositę res in Hispania, quæ per Lusitaniam turbatæ erant. Filio Commodo accersito ad limitem, togam virilem dedit: quare congiariū populo diuisit; & eum ante tempus * consulem designauit. Si quis vmquam proscriptus esset a præfecto vrbi, non libenter accepit. Ipse in largitionibus pecuniæ publicæ parcissimus fuit: quod laudi potius datur quam reprehensioni: sed tamen & bonis viris pecunias dedit, & oppidis labētibus auxilium tulit, & tributa vel vectigalia, vbi necessitas cogebat, remisit. Absens populi Romani voluptates curari vehementer præcepit per ditissimos editores. Fuit enim populo hic sermo, quum sustulisset ad bellum gladiatores, quod populum sublatis voluptatibus vellet cogere ad philosophiam. iusserat enim, ne * mercimonia impedirentur, tardius pantomimos exhiberi non votis diebus. De amatis pantomimis ab vxore fuit sermo, vt superius diximus: sed hæc omnia per epistolas suas purgauit. Idem Marcus sederi in ciuitatibus vetuit in equis siue vehiculis. lauacra mixta submouit. Mores matronarum composuit * diffluentes. Et iuuenum nobilium sacra Serapidis a vulgaritate Pelusiæ submouit. Fama fuit sane quod sub philosophorum specie quidam temp. vexarent & priuatos: quod ille purgauit. Erat mos iste Antonino, vt omnia crimina minore supplicio, quam legibus plecti solent, puniret: quamuis nonnumquam contra manifestos & grauium criminum reos inexorabilis permaneret. Capitales caussas hominum honestorum ipse cognouit, & quidem summa æquitate; ita vt prætorem reprehenderet qui cito reorum caussas audierat: iuberetq; illum iterum cognoscere; dignitatis eorum interesse dicens, vt ab eo audirētur qui pro populo iudicaret. Æquitatem etiam circa captos hostes custodiuit. Infini-

tos ex gentibus in Romano solo collocauit. *Fulmen de cœlo precibus suis contra hostium machinamentū extorsit, suis pluuia impetrata quum siti laborarent. Voluit Marcomaniam, prouinciam, voluit etiā Sarmatiam facere. & fecisset nisi Auidius Cassius rebellasset sub eodem in oriente, qui Imperatorem se appellauit (vt quidam dicunt) Faustina volente, quæ de mariti valetudine desperaret. Alii dicunt, ementita morte Antonini, Cassium Imperatorem se appellasse quum diuum Marcum appellasset. Et Antoninus quidem non est satis motus defectione Cassii; nec [in] eius affectus sæuiit; sed per senatum hostis est iudicatus, bonaque eius proscripta per ærarium publicum. Relicto ergo Sarmatico Marcomanicoque bello, contra Cassium profectus est. Romæ turbæ etiam fuerunt, quasi Cassius absente Antonino aduentaret: sed Cassius statim interfectus est: caput eius allatum est ad Antoninū. Marcus tamen non exsultauit interfectione Cassii, caputque eius humari iussit. Metianum etiam filium Cassii, cui Alexandria erat commissa, exercitus occidit: nam & præfectum præt. sibi fecerat: qui & ipse occisus est. In conscios defectionis vetuit senatum grauiter vindicare: simul petiit ne quis senator tempore principatus sui occideretur, ne eius pollueretur imperium: eos etiam qui deportati fuerant, reuocari iussit, quum paucissimi centuriones capite essent puniti. Ignouit & ciuitatibus quæ Cassio consenserant: ignouit [&] Antiochensibus qui multa in Marcum pro Cassio dixerant: quibus & spectacula & conuentus publicos *tulerat, & omnium concionum genus; contra quos edictum grauissimum misit. Seditiosos autem eos & oratio Marci indicat, indita a Mario Maximo, qua ille vsus est apud amicos. Deniq. noluit Antiochiam videre quum Syriam peteret: nam nec Cyprum voluit videre, ex qua erat Cassius. Fuit Alexandriæ, clementer cum iis agens. postea tamen Antiochiam vidit. Multa egit cum regibus, & pacem confirmauit, sibi occurrentibus cunctis regibus & legatis Persarum: omnibus orientalibus prouinciis carissimus fuit: apud multas etiam philosophiæ vestigia reliquit. Apud Ægyptios ciuem se egit, & philosophum in omnibus studiis, templis, locis. Et quum multa Alexandrini in Cassium dixissent fausta, tamen omnib. ignouit, & filiam suam apud eos reliquit. Faustinam vxorem suam in radicibus montis Tauri, in vico Halale exanimatam *subito morbo amisit. Petiit a senatu vt honores Faustinæ ædemq; decernerent, laudata eadem, quum tamen impudicitiæ fama grauiter laborasset: quæ Antoninus vel nesciuit vel dissimulauit. Nouas puellas Faustinianas instituit in honorem vxoris mortuæ. Diuam etiam Faustinam a senatu appellatam gratulatus est: quam secum & in æstiuis habuerat, vt Matrem castrorum appellaret. Fecit & coloniam vicum in quo obiit Faustina; & ædem illi exstruxit. sed hæc postea ædes Heliogabalo dedicata est. Ipsum Cassium pro clementia occidi passus est, non occidi iussit. Deportatus est Heliodorus filius Cassii, & alii liberum exsilium acceperunt cum bonorum parte. Filii autem Cassii & *amplius media parte acceperunt paterni patrimonii, & auro atque argento adiuti, mulieres autem etiam ornamentis; ita vt Alexandria filia Cassii, & *Druncianus gener, liberam vagandi potestatem haberent, commendati amitæ marito. Doluit denique Cassium exstinctum, dicens voluisse se sine senatorio sanguine imperium transigere. Orientalibus rebus ordinatis, Athenis fuit, & *inter alia Ceretis templum adiit, vt se innocentem probaret; & sacrarium solum ingressus est. Reuertens ad Italiam nauigio, tempestatem grauissimam passus est. Per Brundisium veniens in Italiam, *togam & ipse sumpsit, & milites togatos esse iussit: nec vnquā sagati fuerunt sub eo milites. Romam vt venit [cum Commodo filio suo, quem iam, vt diximus, Cæsarem fecerat] triumphauit. Exinde Lauiniū profectus est. Commodum deinde sibi collegam in tribunitiam potestatem iunxit: congiarium populo dedit, & spectacula mirifica: dein ciuilia multa correxit. Gladiatoru muneris *sumptus modum fecit. Sententia Platonis semper in ore illius fuit, *Florere ciuitates, si aut philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur.* Filio suo *Brutii Præsentis filiam iunxit, nuptiis celebratis exemplo priuatorum. quare etiam congiarium dedit populo. Deinde ad conficiendum bellum conuersus, in administratione eius belli obiit, labentibus iam filii moribus ab instituto suo. Triennio bellum postea cum Marcomanis, Hermunduris, Sarmatis, Quadis etiam egit: & si anno vno super-

fuisset,

fuisset, prouincias ex his fecisset. Ante biduum quam exspiraret, admissis amicis dicitur ostendisse sententiã de filio eamdem quam Philippus de Alexandro, quum de hoc male sentiret; addens, minime se *ægre ferre, filium superstitem relinquens. nam iam Commodus turpem se & cruentum ostentabat. Mors autem talis fuit: Quum ægrotare cœpisset, filium aduocauit, atq; ab eo primum petiit vt belli reliquias non contemneret, ne videretur remp. prodere: & quũ filius ei respondisset, cupere se primum sanitatem, vt vellet permisit; petens* tamen vt exspectaret paucos dies, aut simul proficisceretur. Deinde abstinuit cibo potuque, mori cupiens, auxitque morbum. Sexta die vocatis amicis, & ridens res humanas, mortem autem contemnens, ad amicos dixit, *Quid me fletis, & non magis de pestilentia & communi morte cogitatis?* Et quum illi vellent recedere, ingemiscens ait, *Si iam me dimittitis, vale vobis dico, vos præcedens.* Et quum ab eo quæreretur cui filium cõmendaret, ille respõdit; *Vobis; si dignus fuerit, & diis immortalibus.* Exercitus cognita mala valetudine, vehementissime dolebant, quia illum vnice amauerunt. Septimo die grauatus est, & solum filium admisit: quem statim dimisit, ne in eum morbus transiret. Dimisso filio, caput operuit, quasi volens dormire: sed nocte animam efflauit. *Fertur filium mori voluisse, quum eum talem videret futurũ qualis exstitit post eius mortem; ne, vt ipse dicebat, similis Neroni, Caligulæ & Domitiano esset. Crimini ei datũ est quod adulteros vxoris promouerit, Tertullum & * Vtilium & Orphitum & Moderatum, ad varios honores: quum Tertullum etiam prandentem cum vxore deprehenderit. de quo mimus in scena præsente Antonino dixit, quum stupidus nomen adulteri vxoris a seruo quæreret, & ille diceret *ter Tullus*, & adhuc stupidus quæreret, respondit ille, *iam tibi* dixi, Tertullus dicitur.* Et de hoc quidem multa populus, multa [etiam] alii dixerunt, patientiã Antonini incusantes. Ante tempus sane mortis, prius quam ad bellum Marcomanicum rediret, in Capitolio iurauit, nullũ senatorem se sciente occisum; quum etiam *rebelles dixerit se seruaturum fuisse, si scisset. Nihil etiam magis & timuit & deprecatus est quam auaritiæ famam: de qua se multis epistolis purgat. Dederunt ei vitio quod & fictus fuisset, nec tam simplex quam videretur, aut quam vel Pius vel Verus fuisset. Dederunt etiam crimini [quod liberti multum potuere sub eo & Vero, maxime Geminas & Agaclytus; &] quod aulicam arrogantiam confirmauerit, submouendo amicos a societate communi & a conuiuiis. Parentibus consecrationẽ decreuit. Amicos parentũ etiam mortuos statuis ornauit. Suffragatoribus non cito credidit, sed semper diu quæsiuit quod erat verum. Enisa est Fabia vt Faustina mortua in eius matrimonium coiret. sed ille concubinam sibi asciuit procuratoris vxoris suæ filiam, ne tot liberis *superduceret nouercam.

IVLII CAPITOLINI,

VERVS IMPERATOR,

AD DIOCLETIANVM AVG.

SCio plerosq; ita vitam Marci ac Veri, litteris atq; historiæ dedicasse, vt priorem Verum intimandum legentibus darent, non imperandi sequutos ordinem, sed viuendi. Ego vero quod prior Marcus imperare cœpit, deinde Verus, qui superstite periit Marco; priorẽ Marcum, dehinc Verum credidi celebrandum. Igitur *L. Ceionius Aelius Commodus Verus Antoninus*, qui ex Adriani voluntate *Aelius* appellatus est, ex Antonini coniunctione *Verus & Antoninus*: neq; inter bonos neq; inter malos principes ponitur; quem constat non *inhorruisse vitiis, nec abundasse virtutibus: vixisse deinde non in* libero principatu, sed sub Marco in simili ac pari maiestatis imperio. a cuius secta, lascivia morum & vitæ licentioris nimietate dissensit. erat enim morum simpliciũ, & qui adumbrare nihil posset. Huic naturalis pater fuit L. Aelius Verus, qui ab Adriano adoptatus, primus *Cæsar* est dictus, & in eadem statione constitutus periit. Aui ac proaui, & item maiores plurimi, consulares. Natus est Lucius Romæ in prætura patris sui, XVIII Calend. Ianuarias,

die quo & Nero qui rerum potitus est. Origo eius paterna, pleraq; ex Etruria fuit: materna, ex Fauentia. Hac prosapia genitus, patre ab Adriano adoptato, in familiam *Æliam deuenit: mortuoque patre Cæsare, in Adriani familia remansit, a quo, Aurelio datus est adoptandus, quum sibi ille Pium filium, Marcum nepotem esse voluisset; posteritati satis prouidens; & ea quidem lege, vt filiam Pii Verus acciperet: quæ data est Marco idcirco, quia hic ad hoc impar videbatur ætate, vt in Marci vita exposuimus. Duxit autem vxorem Marci filiam Lucillam: educatus est in domo Tiberiana. Audiuit Scaurum grammaticum Latinum, Scauri filium, qui grammaticus Adriani fuit: Græcos, Telephum, Hephæstionem, Harpocrationem: rhetores, Apollonium, Celerem Caninium, Herodem Atticum: Latinum, Cornelium Frontonem: philosophos, Apollonium & Sextum. Hos omnes amauit vnice, atque ab his inuicem dilectus est, nec tamen ingeniosus ad litteras. Amauit autem in pueritia versus facere; post, orationes: & melior quidem orator fuisse dicitur quam poeta: imo (vt verius dicam) peior poeta quam rhetor. Nec desunt qui dicant eum adiutum ingenio amicorum, atque ab aliis ei illa ipsa, qualiacumque sunt, scripta. Siquidem multos disertos & eruditos semper secum habuisse dicitur. Educatorem habuit Nicomedem. Fuit voluptarius & nimis lætus, & omnibus deliciis, ludis, iocis decenter aptissimus. Post septimũ annum in familiam Aureliam traductus, Marci moribus & autoritate formatus est. Amauit venatus, palæstras, & omnia exercitia iuuentutis. Fuitq; priuatus in domo imperatoria viginti & tribus annis. Qua die togam virilem Verus accepit, Antoninus Pius ea occasione qua patris templũ dedicabat, populo liberalis fuit: mediusq; inter Pium & Marcum idem resedit, quum quæstor populo munus daret. Post quæsturã statim consul est factus cum* Sextilio Laterano: interiectis annis, cum Marco fratre iterum factus est consul. Diu autem & priuatus fuit, & ea honorificẽtia caruit qua Marcus ornabatur. Namq; in senatu ante quæsturã non sedit: neq; in itinere cum patre, sed cum præfecto prætorii vectus est: nec aliud ei honorificentiæ ad nomen adiunctũ est quam quod Augusti filius appellatus est. Fuit studiosus etiam circensiũ, haud aliter quam gladiatorii muneris. Hic quum tantis deliciatũ & luxuriæ quateretur erroribus, ab Antonino videtur ob hoc retentus, quod eum pater ita in adoptionẽ Pii transire iusserat vt nepotẽ appellaret: cui, quantum videtur, fidem exhibuit, non amorem. Amauit tamẽ Antoninus Pius simplicitatem ingenii, puritatemq; viuendi: hortatusq; est vt imitaretur & fratrem. Defuncto Pio, Marcus in eum omnia contulit, *participatu etiam imperatoriæ potestatis indulto, sibiq; consortem fecit, quum illi soli senatus detulisset imperiũ. Dato igitur imperio, & indulta tribunitia potestate, *proconsulatus etiam honore delato, *Verum* vocari præcepit, suum in eum transferens nomen, quũ ante *Commodus* vocaretur. Lucius quidẽ Marco vicem reddens, si susciperet, obsequutus vt legatus proconsuli, vel pręses imperatori iam primũ quũ Marcus pro ambobus ad milites est loquutus, &*pro consensus imperio grauiter se & ad Marci mores egit. Vbi vero in Syriam profectus est, non solum licentia vitæ liberioris, sed etiam adulteriis & iuuentutis amoribus infamatus est. Siquidem tantę luxurię fuisse dicitur, vt etiam posteaquã de Syria rediit, popinam domi instituerit; ad quam post conuiuium Marci diuertebat, ministrantibus sibi omni genere turpium personarũ. Fertur & nocte perpeti alea lusisse, quũ in Syria concepisset id vitium: atq; in tantum vitiorũ *Caianorum & Neronianorum ac Vitellianorum fuisse æmulũ, vt vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria, obtecto capite cucullione vulgari viatorio, & commisceretur cum triconibus, & committeret rixas, dissimulans quis esset: sæpeq; afflictũ liuida facie redisse, & in tabernis agnitum quum sese absconderet. Iaciebat & nummos in popinas maximos, quibus calices frangeret. Amauit & aurigas, prasino fauens. Gladiatorum etiam frequentius pugnas in conuiuio habuit, trahens cœnam in noctem; & in toro conuiuali condormiens, ita vt leuatus cum stromatibus in cubiculum perferretur. Somni fuit permodici, digestionis facillimæ. Sed Marcus hæc omnia quasi nesciens, dissimulabat rem, pudore illo, ne reprehenderet fratrem. Et nouissimum eius quidẽ fertur tale conuiuiũ, in quo *primum duodecim accubuisse dicitur, quum sit notissimũ dictum de numero conuiuarum, *Septem, conuiuium, nouem vero conuitium.* donatos

autem

autem pueros decoros, qui ministrabant singulis: donatos etiã structores & lances singulis quibusq;: donata & viua animalia, vel cicurũ vel ferarũ auium vel quadrupedum quorũ cibi appositi erant. donatos etiam calices singulis per singulas potiones, murrhinos & crystallinos Alexandrinos, *ac quotiens bibitũ est. data etiam aurea atq; argentea pocula & gemmata. Coronas quinetiam datas, lemniscis aureis interpositis, & alieni temporis floribus. Data & vasa aurea cum vnguentis ad speciem alabastrorũ. data & vehicula cum mulabus ac mulionibus, cum iuncturis argenteis: vt ita de conuiuio redirent. Omne autem conuiuiũ æstimatum dicitur sexagies [centenis] milibus I. I. S. Hoc conuiuium posteaquam Marcus audiuit, ingemuisse dicitur, & doluisse publicum fatum. Post conuiuium lusum est tesseris vsq; ad lucem. Et hæc quidem post Parthicum bellum: ad quod eum misisse dicitur Marcus, ne vel in vrbe ante oculos omniũ peccaret, vel vt parcimoniã peregrinatione addisceret, vel vt timore bellico emendatior rediret, vel vt se Imperatorem esse cognosceret. Sed quantũ profecerit, cum alia vita, tum hæc quam narrauimus cœna monstrauit. Circensium tantã curã habuit, vt frequenter prouincialibus literas caussa circensium & miserit & acceperit. Deniq; etiã præsens & cum Marco sedens, multas a Venetianis est passus iniurias, quod turpissime contra eos faueret. Nam & volucri equo prasino aureum simulacrũ fecerat, quod secum portabat. cui quidẽ passas vuas & nucleos in vicem hordei in præsepe ponebat, quem sagis fuco tinctis coopertum, in Tiberianã ad se adduci iubebat. cui mortuo sepulcrum in Vaticano fecit. In huius equi gratiam primum ceperunt *equi aurei vel *brauia postulari. In tanto autem equus ille honore fuit, vt ei a populo *prasinianorum sæpe modius aureorum postularetur. Profectũ eum ad Parthicum bellum, Marcus Capuam prosequutus est. Quumq; inde per omnium villas se ingurgitaret, morbo implicitus, apud Canusium ægrotabat: quo ad eum visendum frater contendit. Multa in eius vita ignaua & sordida, etiã belli tempore, deteguntur. Nam quum interfecto legato, cæsis legionibus, Syris defectionem cogitantibus, oriens vastaretur, ille in Apulia venabatur: & apud Corinthũ & Athenas inter symphonias & cantica nauigabat: & per singulas maritimas ciuitates Asiæ, Pamphyliæ, Ciliciæq; clariores, voluptatibus immorabatur. Antiochiã posteaquã venit, ipse quidem se luxuriæ *dedit: duces autem confecerunt Parthicum bellum Statius Priscus, & Auidius Cassius, & Marcius Verus per quadriennium, ita vt Babylonem & Mediam peruenirent, & Armeniam vindicarent: partumq; est ipsi nomen *Armenici, Parthici, Medici,* quod etiam Marco Romæ agenti delatum est. Egit autem per quadriennium Verus hiemem Laodiceæ, æstatem apud Daphnen; reliquã partem Antiochiæ. Risui fuit omnibus Syris, quorum multa ioca in theatro in eum dicta exstãt. Vernas in tricliniũ Saturnalibus & diebus festis semper admisit. Ad Euphratem tamen impulsu comitum suorum secundo profectus est. Ephesum etiã rediit, vt Lucillam vxorem missam a patre Marco susciperet: & idcirco maxime, ne Marcus cum ea in Syriam veniret, ac flagitia eius agnosceret. Nam senatui Marcus dixerat, se filiam in Syriam deducturum. Confecto sane bello, regna regibus, prouincias vero comitibus suis regendas dedit. Romam inde ad triumphum inuitus, quod Syriam quasi regnum suum relinqueret, rediit, & pariter cum fratre triumphauit, susceptis a senatu nominibus quę in exercitu acceperat. Fertur præterea ad amicę vulgaris arbitrium in Syria posuisse barbã. vnde in eum a Syris multa sunt dicta. Fuit eius fati, vt in eas prouincias per quas rediit, Romam vsque, luem secum deferre videretur. Et nata fertur pestilentia in Babylonia: vbi de templo Apollinis, ex arcula aurea quam miles forte inciderat, spiritus pestilens euasit: atq; inde Parthos orbemq; complesse. & hoc non Lucii Veri vitio, sed Cassii, a quo contra fidem Seleucia, quæ vt amicos milites nostros receperat, expugnata est. quod quidem inter cæteros etiam Quadratus belli Parthici scriptor, incusatis Seleucenis qui fidẽ primi ruperant, purgat. Habuit hãc reuerentiã Marci Verus, vt nomina quę sibi delata fuerant, cum fratre communicaret die triumphi, quẽ pariter celebrarunt. Reuersus a Parthico bello, minore circa fratrem cultu fuit Verus. Nam & libertis inhonestius indulsit, & multa sine fratre disposuit. His accessit quod, quasi reges aliquos ad triumphũ adduceret, sic histriones eduxit e Syria: quorum præcipuus fuit *Maximinus, quem Paridis nomine

nuncupauit. Villam præterea exstruxit in via Clodia famosissimam, in qua permultos dies & ipse ingenti luxuria debacchatus est cum libertis suis & amicis parib*, quorum præsentiæ nulla inerat reuerentia. Et Marcum rogauit: qui venit, vt fratri venerabilem morum suorum & imitandam ostenderet sanctitudinem: & quinq; diebus in eadem villa residens, cognitionibus continuis operam dedit, aut conuiuante fratre, aut conuiuia comparante. Habuit &*Agrippum histrionem, cui cognomentum erat Memphi, quem & ipsum e Syria veluti tropæum Parthicum adduxerat, quem Apolaustum nominauit. Adduxerat secũ & fidicinas & tibicines & histriones, scurrasq; mimarios & præstigiatores, & omnia manciporum genera quorum Syria & Alexandria pascitur voluptate: prorsus vt videretur bellum non Parthicum sed histrionicum confecisse. Et*hæc vitæ diuersitas atq; alia multa, inter Marcum & Verum simultates fecisse, non *aperta veritas indicabat, sed occultus rumor* insusurrabat. Verum illud præcipuum, quod quum Libonem quemdã patruelem suum Marcus legatum in Syriam misisset, atq; ille se insolentius quam *verecundius senator efferret, dicens, ad *fratrem se scripturum esse siquid forte dubitaret, nec Verus præsens pati posset, subitoq; morbo notis prope veneni existentibus interisset, visum est nonnullis, non tamen Marco, quod eius fraude putaretur occisus. Quæ res simultatum auxit rumorem. Liberti multum potuerunt apud Verum, vt in vita Marci diximus, Geminas & Agaclytus; cui dedit inuito Marco Libonis vxorem. denique, nuptiis*ab Vero celebratis, Marcus conuiuio[non]interfuit. Habuit & alios libertos Verus improbos, *Codem & Eclectum, ceterosque: quos omnes Marcus post mortem Veri, specie honoris abiecit, Eclecto retento, qui postea Commodũ filium eius occidit. Ad bellum Germanicum (quod Marcus nollet Lucium sine se vel ad bellũ mittere, vel in vrbe dimittere causa luxuriæ) simul profecti sunt, atq; Aquileiam venerunt: inuitoque Lucio Alpes transgressi; quum Verus apud Aquileiam tantum venatus conuiuatusque esset, Marcus autem omnia prospexisset. De quo bello quid per legatos barbarorũ pacem petentium, quid per duces nostros gestum sit, in Marci vita plenissime disputatum est. Composito autem bello in Pannonia, vrgente Lucio Aquileiam rediret, quod vrbanas desiderabat Lucius voluptates, in vrbem destinatus est: sed non longe ab Altino, subito in vehiculo morbo quem apoplexin vocant, correptus Lucius, depositus e vehiculo, detracto sanguine Altinum perductus, quum triduo mutus vixisset, apud Altinum periit. Fuit sermo quod & socrum Faustinam incestasset. Et dicitur Faustinæ socrus dolo, aspersis ostreis veneno, exstinctus esse: idcirco quod consuetudinem quam cum matre habuerat, filiæ prodidisset: quamuis & illa fabula quæ in Marci vita posita est, abhorrens a talis viri vita, sit exorta: quum multi etiam vxori eius, flagitium mortis assignent, idcirco quod Fabiæ nimium indulserat Verus: cuius potentiã vxor Lucii vel Marci ferre non posset. Tanta sane familiaritas inter Lucium & Fabiam sororem fuit, vt hoc quoque vsurpauerit rumor, quod inierint consilium ad Marcum e vita tollendum. Idque quum esset per Agaclytum libertum proditum Marco, ante aduentum, Lucium Faustina nece præuenerat. Fuit decorus corpore, vultu gemmatus, barba prope barbarice demissa procerus, & fronte in supercilia adductiore venerabilis. Dicitur sane tantã habuisse curam flauentium capillorum, vt capiti auri ramenta respergeret, quo magis coma illuminata flauesceret. Lingua impeditior fuit; aleæ cupidissimus, vitæ semper luxuriosæ, atq; in pluribus Nero, præter crudelitatem & ludibria. Habuit inter alium luxuriæ apparatum calicem crystallinum nomine Volucrem, ex eius equi nomine quem dilexit, humanæ potionis modum supergressum. Vixit annis quadraginta duobus. Imperauit cum fratre annis vndecim. Illatumque eius corpus est Adriani sepulcro; in quo & Cæsar pater eius naturalis sepultus est. Nota est fabula quam Marci non capit vita, quod partem vuluæ veneno illitam, quum eam exsecuisset cultro vna parte venenato, Marcus Vero porrexit: sed hoc nefas est de Marco putari, quamuis Veri & cogitata & facta mereantur: quod nos non in medio relinquimus, sed*totam purgatam confutatamque respuimus; quum adhuc post Marcum, præter vestram clementiam, Diocletiane Auguste, Imperatorem talem nec adulatio videatur potuisse confingere.

VVLCA-

VVLCATII GALLICANI V. C.

AVIDIVS CASSIVS,

AD DIOCLETIANVM AVG.

AVIDIVS CASSIVS, vt quidam volunt, ex familia Cassiorum fuisse dicitur; per matrem tamen: *auo genitus Auidio Seuero; qui ordines duxerat, & post ad summas dignitates peruenerat. cuius Quadratus in historiis meminit: & quidem grauiter; quum illum summum virum & necessarium reipubl. asserit, & apud ipsum Marcum prævalidum. nam iam eo imperante perisse fatali sorte perhibetur. Hic ergo Cassius, ex familia (vt diximus) Cassiorum qui in C. Iulium conspirauerant, oderat tacite principatum, nec ferre poterat imperatoriū nomen: dicebatque esse grauius nomen imperii, quod non posset e republ. tolli nisi per alterum imperatorem. Denique tentasse in pueritia dicitur extorquere etiam Pio principatum; sed per patrem virum sanctum & grauem, affectationem tyrannidis latuisse, habitum tamen semper ducibus suspectum. Vero autem illum parasse insidias, ipsius Veri epistola indicat quam inserui. Ex epistola Veri: *Auidius Cassius auidus est imperii; quantum & mihi videtur, & iam inde sub auo meo patre tuo innotuit: quem velim obseruari iubeas. Omnia ei nostra displicent: opes non mediocres parat, litteras nostras ridet. Te philosopham aniculam, me luxuriosum morionem vocat. Vide quid agendum sit: ego hominem non odi: sed vide ne tibi & liberis tuis non bene consulas, quum tales inter præcinctos habeas qualem milites libenter audiunt, libenter vident.* Rescriptum Marci de Auidio Cassio: *Epistolam tuam legi, & sollicitam potius quam imperatoriam, & non nostri temporis. Nam si ei diuinitus debetur imperium, non poterimus interficere, etiamsi velimus. Scis enim proaui tui dictum,* Successorem suum nullus occidit. *sin minus, ipse sponte sine nostra crudelitate fatales laqueos inciderit. Adde quod non possumus reum facere quem nullus accusat, & (vt ipse dicis) milites amant. Deinde in caussis maiestatis hæc natura est, vt videantur vim pati etiam quibus probatur. Scis enim ipse quid auus tuus Adrianus dixerit,* Misera conditio imperatorum, quibus de affectata tyrannide nisi occisis non potest credi. *Eius autem exemplum ponere quam Domitiani, qui hoc primus dixisse fertur, malui. Tyrannorum enim etiam bona dicta non habent tantum auctoritatis quantum debent. Sibi ergo habeat suos mores, maxime quum bonus dux sit & seuerus, & fortis, & respubl. necessarius. Nam quod dicis, liberis meis cauendum esse morte illius, plane liberi mei pereant si magis amari merebitur Auidius quam illi, & si respubl. expedit Cassium viuere quam liberos Marci.* Hæc de Cassio Verus, hæc Marcus. Sed nos hominis naturam & mores breuiter explicabimus. Neque enim plura de his sciri possunt quorum vitam illustrare nullus audet, eorum causa a quibus oppressi fuerint. Addemus autem quemadmodum ad imperium venerit, & quemadmodum sit occisus, & vbi victus. Proposui enim Diocletiane Auguste, omnes qui *Imperatorum nomen siue iuste siue iniuste habuerunt, in litteras mittere; vt omnes purpuratos Augustos cognosceres. Fuit his moribus vt nonnumquam trux & asper videretur, aliquando mitis & lenis; sæpe religiosus, alias contemptor sacrorum, auidus vini, *interim abstinens; cibi appetens, & mediæ patiens, veneris cupidus, & castitatis amator. Nec defuere qui illum *Catilinam* vocarent; quum & ipse se ita gauderet appellari, addens futurum se Sergium, si dialogistam occidisset, Antoninum hoc nomine significans: qui tantum enituit in philosophia, vt iturus ad bellum Marcomannicum, timentibus cunctis nequid fatale prouenires, rogatus sit non adulatione sed serio, vt præcepta philosophiæ ederet: nec ille timuit, sed per ordinē parænesios, hoc est præceptionum, per triduum disputauit. Fuit præterea disciplinæ militaris Auidius Cassius tenax, & qui se *Marium* dici vellet. Quoniam de seueritate illius dicere cœpimus, multa exstāt crudelitatis potius quam seueritatis eius indicia. Nam primū milites qui aliquid prouincialibus *tulissent per vim, in illis ipsis locis in quib. peccauerant, in crucem sustulit. Primus etiam id supplicii genus inuenit, vt stipitem gran-

dem poneret pedum octoginta & centum, *id est materiã, & a summo vsq; ad imum damnatos ligaret; & ab imo focum apponeret, incensisque aliis alios fumi cruciatu, timore etiam alios necaret. Idem denos catenatos in profluentem mergi iubebat, vel in mare. Idem multis desertoribus manus excidit, aliis crura incidit ac poplites; dicens maius exemplum esse viuentis miserabiliter criminosi, quam occisi. Quum exercitum duceret, & inscio ipso manus auxiliaria centurionibus suis auctoribus, tria milia Sarmatarum negligentius agentiũ in Danubii ripis occidissent, & cum præda ingenti ad eum redissent, spectãtibus centurionibus præmium, quod perparua manu tantum hostiũ, segnius agentibus tribunis & ignorantibus, occidissent, rapi eos iussit & in crucem tolli, seruiliq; supplicio affici; quod exemplũ non exstabat: dicens euenire potuisse vt essent insidię, ac periret Romani imperii reuerentia. Et quum ingens seditio in exercitu exorta esset, processit nudus, campestri solo tectus; & ait: *Percutite* (inquit) *me, si audetis, & corruptæ disciplinæ facinus addite.* Tunc conquiescentibus cunctis meruit timeri, quia non timuit. Quæ res tantum disciplinæ Romanis addidit, tantum terroris barbaris iniecit, vt pacem annorum centum ab Antonino absente peterent: siquidem viderant damnatos Romani ducis iudicio etiam eos qui contra fas vicerant. De hoc multa grauia contra militum licentiam facta inueniuntur apud Æmilium Parthenianum; qui affectatores tyrannidis iam inde a veteribus historiæ tradidit. Nam & virgis *cæsos in foro & in mediis castris, securi percussit, qui ita meruerunt; & manus multis amputauit. Et præter laridum ac *bucellatum atque acetum, militem in expeditione [quidquam] portare prohibuit: & si aliud quippiam repetit, luxuriem non leui supplicio affecit. Extat de hoc epistola diui Marci ad præfectum suum talis: *Auidio Cassio legiones Syriacas dedi, diffluentes luxuria, & Daphnicis moribus agentes: quas totas excaldantes se reperisse Cæsonius Vectilianus scripsit. & puto me non errasse; siquidem & tu notum habeas Cassium, hominem Cassianæ seueritatis & disciplinæ. neque enim milites regi possunt nisi in vetere disciplina. Scis enim versum a bono poeta dictum & omnibus frequentatum,* Moribus antiquis res stat Romana virisque. *Tu tantum fac adsint legionibus abunde commeatus. quos (si bene Auidium noui) scio non perituros.* Præfecti ad Marcum: *Recte consuluisti, mi domine; quod Cassium præfecisti Syriacis legionibus. Nihil enim tam expedit quã homo seuerior Græcanicis militib. Ille sane omnes excaldationes, omnes flores de capite, collo, & sinu, militi excutiet. Annona militaris omnis parata est, neq; quidquã deest sub bono duce: non enim multum aut quæritur aut impeditur. Nec fefellit de se iudicium habitum.* Nam statim & ad signa edici iussit, & programma in parietibus fixit, vt siquis cinctus inueniretur apud Daphnen, discinctus rediret. Arma militum septima die semper respexit, vestimenta etiam & calciamenta & ocreas: delicias omnes de castris submouit: iussitque eos hyemem sub pellibus agere, nisi corrigerent suos mores: & egissent, nisi honestius vixissent. Exercitium septimi diei fuit omnium militum, ita vt sagittas mitterent & armis luderent. Dicebat enim, miserum esse, quum exercerentur athletæ, venatores & gladiatores, non exerceri milites; quibus minor esset futurus labor, si consuetus esset. Ergo correcta disciplina, & in Armenia & in Arabia & in Ægypto res optime gessit: amatusque est ab omnibus orientalibus, & speciatim ab Antiochensibus: qui etiam imperio eius consenserunt; vt docet Marius Maximus in vita diui Marci. Nam & quum Bucolici milites per Ægyptum grauia multa facerent, ab hoc retusi sunt; vt idem Marius Maximus refert in eo libro quem secundum de vita *Marci & Antonini edidit. Hic Imperatorem se in oriente appellauit, vt quidam dicunt, Faustina volente; quæ valetudini Marci iam diffidebat, & timebat ne infantes filios tueri sola non posset, atque aliquis exsisteret qui capta statione regia infantes de medio tolleret. Alii autem dicunt hanc artem adhibuisse militibus & prouincialibus Cassium contra Marci amorem, vt sibi posset consentiri, *quo diceret Marcum diem suum obisse. Nam & Diuum eum appellasse dicitur; vt desiderium illius leniret. Imperatorio *nomine quum processisset, eum qui sibi aptauerat ornamenta regia, statim præfectum prætorii fecit; qui & ipse occisus est, Antonino inuito, ab exercitu: qui & Metianum, cui erat commissa Alexandria, quique consenserat spe participatus Cassio, inuito atque ignorante Antonino, interemit.

Nec

Nec tamen Antoninus grauiter est iratus, rebellione cognita; nec in eius liberos aut affectus sæuiit. Senatus illũ hostẽ appellauit, bonaq; eius proscripsit; quæ Antoninus in priuatum ærarium congeri noluit. quare senatu præcipiente in ærarium publicũ sunt relata. Nec Romæ terror defuit, quum quidã Auidium Cassium dicerent, absente Antonino, qui nisi a voluptariis vnice amabatur, Romam esse venturum, atq; vrbem tyrannice directurum; maxime senatorum causa, qui eum hostem iudicauerant bonis proscriptis. Et amor Antonini hoc maxime enituit, quod consensu omnium, præter Antiochenses, Auidius interemptus est: quem quidẽ occidi non iussit, sed passus est, quum apud cunctos clarum esset, si potestatis suæ fuisset, parsurũ illi fuisse. Caput eius ad Antoninum quum delatum esset, ille non exsultauit, non elatus est: sed etiam doluit ereptam sibi esse occasionem misericordiæ, quum diceret, se viuum illum voluisse capere, vt illi exprobraret beneficia sua, eumq; seruaret. Denique quum quidam diceret, reprehendendum Antoninum quod tam mitis esset in hostem suum, eiusque liberos & affectus, atq; omnes quos conscios tyrannidis reperisset, addente illo qui reprehendebat, *Quid si ille fecisset?* dixisse dicitur, *Non sic deos colimus, nec sic viuimus, vt ille nos vinceret.* Enumerauit deinde, omnes principes qui occisi essent, habuisse caussas quibus mererentũr occidi; nec quemquã facile bonũ vel victum a tyranno vel occisum; dicens, meruisse Neronem, debuisse Caligulam; Othonem & Vitelliũ nec imperare voluisse. Nam de *Pertinace & Galba paria sentiebat, quum diceret, *In Imperatore auaritiam esse acerbissimum malum.* Denique non Augustum, non Traianum, non Adrianum, non patrem suum, a rebellibus potuisse superari; quum & multi fuerint, & ipsis *vel inuitis vel insciis exstincti. Ipse autẽ Antoninus a senatu petiit ne grauiter in conscios defectionis animaduerteretur, eo ipso tempore quo rogauit ne quis senator temporibus suis capitali supplicio afficeretur: quod illi maximum amorem conciliauit. Deniq; paucissimis centurionibus punitis, deportatos reuocari iussit. Antiochensibus, qui Auidio Cassio consenserant; sed & aliis ciuitatibus quæ illum iuuerant, ignouit: quum primo Antiochensibus grauiter iratus esset, hisq; spectacula sustulisset & multa alia ciuitatis ornamenta; quæ postea reddidit. Filios Auidii Cassii, Antoninus Marcus parte media paterni patrimonii donauit, ita vt filias eius auro, argento, & gemmis honestaret. Nam & Alexandriæ filiæ Cassii & genero Druentiano, liberã euagandi vbi vellent potestatẽ dedit: vixeruntq; non quasi tyranni pignora, sed quasi senatorii ordinis in summa securitate: quum illis etiam in lite obiici fortunã propriæ vetuisset domus, damnatis aliquibus ob iniuriam *quod in eos petulantes fuissent, quos quidem amitæ suæ marito cõmendauit. Si quis autem omnem hanc historiam scire desiderat, legat Marii Maximi secundũ librum De vita Marci, in quo ille ea dicit quæ solum Marcus mortuo iam Vero egit. tunc enim Cassius rebellauit; vt probat epistola missa ad Faustinã; cuius hoc exemplum est: *Verus mihi de Auidio verum scripserat, quod cuperet imperare. Audisse enim te arbitror *quod grassatores de eo nuntiarent. Veni igitur in Albanum, vt tractemus omnia diis volentibus, nihil timens.* Hic autẽ apparet, Faustinam ista nescisse; quũ dicat Marius, infamari eam cupiens, quod ea conscia Cassius imperium sumpsisset. Nam & ipsius epistola exstat ad Verum, qua vrget Marcum vt in eum grauiter vindicet. Exemplum epistolæ Faustinæ ad Marcum: *Ipsa in Albanum cras, vt iubes, mox veniam: tamen iam hortor vt, si amas liberos tuos, istos *rebelliones acerrime prosequaris. Male enim assueuerunt & duces & milites: qui nisi opprimantur, oppriment.* Item alia epistola eiusdem Faustinæ ad Marcum: *Mater mea Faustina patrem tuum Pium eiusdem in defectione Celsi sic hortata est, vt pietatem primum circa suos seruaret, *sic circa alienos.* Non enim pius est Imperator qui non cogitat vxorem & filios. *Commodus noster vides in qua ætate sit: Pompeianus gener, & senior est & peregrinus. Vide quid agas de Auidio Cassio & de eius consciis. Noli parcere hominibus qui tibi non pepercerunt, & nec mihi nec filiis nostris parcerent, si vicissent. Ipsa iter tuum mox consequor: quia Fadilla nostra ægrotabat, in Formianum venire non potui. Sed si te Formiis inuenire non potero, assequar Capuam: quæ ciuitas & meam & filiorum nostrorum ægritudinem poterit adiuuare. Soteridam medicum in Formianum vt dimittas rogo: ego autem *Pisitheo nihil credo, qui puellæ virgini curationem nescit adhibere. Signatas mihi litteras Cal-*

purnius dedit: ad quas rescribam, si tardauero, per Cæcilium senem spadonem, hominem (vt scis) fidelem: cui verbo mandabo quid vxor Auidii Cassii, & filii, & gener, de te iactare dicantur. Ex his litteris intelligitur Cassio Faustinam consciam non fuisse; quinetiam supplicium eius grauiter exegisse: siquidem Antoninum quiescentem & clementiora cogitantem, ad vindictæ necessitatem impulit. Qui Antoninus quid rescripserit, subdita epistola perdocebit: *Tu quidem mea Faustina religiose pro marito & pro nostris liberis agis. Nam relegi epistolam tuam in Formiano, qua me hortaris vt in Auidii conscios vindicem. Ego vero & eius liberis parcam, & genero & vxori; & ad senatum scribam ne aut proscriptio grauior sit, aut pœna crudelior.* Non enim quidquam est quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus quam clementia. *Hæc Cæsarem deum fecit, hæc Augustum consecrauit, hæc patrem tuum in primis Pii nomine ornauit. Denique si ex mea sententia de bello iudicatum esset, nec Auidius esset occisus. Esto igitur secura. dii metuentur, diis pietas mea cordi est. Pompeianum nostrum in annum sequentem consulem dixi.* Hæc Antoninus ad coniugem. Ad senatum autem qualem orationem miserit, interest scire ex oratione M. Antonini. *Habetis igitur P. C. pro gratulatione victoriæ generum meum consulem, Pompeianum dico: cuius ætas olim* remuneranda fuerat consulatu, nisi viri fortes interuenissent, quibus reddi debuit quod a republ. debebatur. Nunc quod ad defectionem Cassianam pertinet, vos oro atque obsecro P. C. vt censura vestra deposita, meam pietatem clementiamq; seruetis, imo vestram: neque quemquam vllum senatus occidat. nemo senatorum puniatur, nullius fundetur viri nobilis sanguis: deportati redeant; proscripti bona recipiant. Vtinam possem multos etiam ab inferis excitare. Non enim vmquam placet in Imperatore vindicta sui doloris: quæ etsi iustior fuerit, acrior videtur. Quare filiis Auidii Cassii & genero & vxori veniam dabitis. Et quid dico veniam? quum illi nihil fecerint. Viuant igitur securi, scientes sub Marco se viuere. Viuant in patrimonio parentũ pro parte donato: auro, argento, vestibus fruantur: sint diuites, sint securi, sint vagi & liberi, & per ora omnium vbique populorum circumferant meæ, circumferant vestræ pietatis exemplum. Nec magna hæc est P. C. clementia, veniam proscriptorum liberis & coniugibus dari. Ego vero a vobis peto, vt conscios senatorii ordinis & equestris, a cæde, a proscriptione, a timore, ab infamia, ab inuidia, & postremo ab omni vindicetis iniuria: detisque hoc meis temporibus, vt in caussa tyrannidis qui in tumultu cecidit, probetur occisus.* Hanc eius clementiam senatus his acclamationibus prosequutus est; *Antonine pie, dii te seruent. Antonine clemens, dii te seruent. Antonine clemens, dii te seruent. Tu noluisti quod licebat, nos fecimus quod decebat. Commodo imperium iustum rogamus; progeniem tuam robora. Fac securi sint liberi tui: bonũ imperiũ nulla vis lædit. Commodo Antonino tribunitiã potestatẽ rogamus: præsentiam tuã rogamus, philosophiæ tuæ, patientiæ tuæ, doctrinæ tuæ, nobilitatis tuæ, innocentiæ tuæ. Vincis inimicos, hostes exsuperas: dii te tuentur.* & reliqua. Vixerunt igitur posteri Auidii Cassii securi, & ad honores admissi sunt. Sed eos Commodus Antoninus post excessum diui patris sui, omnes viuos incendi iussit; quasi in factione deprehensos. Hæc sunt quæ de Cassio Auidio comperimus: cuius ipsius mores (vt supra diximus) varii semper fuerunt, sed ad censuram crudelitatemque propensiores: qui si obtinuisset imperium, fuisset non modo clemens, sed bonus, sed vtilis & optimus Imperator. Nam exstat epistola eius ad generũ suum iam Imperatoris huiusmodi: *Misera respubl. quæ istos diuitiarũ cupidos & diuites patitur misera. Marcus homo sane optimus: qui dum clemens dici cupit, eos patitur viuere quorum ipse non probat vitam. Vbi L. Cassius, cuius nos frustra tenet nomẽ? Vbi Marcus ille Cato Censorius? Vbi omnis disciplina maiorũ? quæ olim quidẽ intercidit, nunc vero nec quæritur. Marcus Antoninus philosophatur, & quærit de clemẽtia, & de animis, & de honesto & iusto; nec sentit pro republ. Vides multis opus esse gladiis, multis elogiis, vt in antiquum statum publica forma reddatur. Ego vero isti præsidibus prouinciarum an ego proconsules, an ego præsides putem, qui ob hoc sibi a senatu & ab Antonino prouincias datas credũt, vt luxurientur, vt diuites fiant? Audisti præf. prætorii nostri philosophi, ante triduum quam fieret, mendicum & pauperem; sed subito diuitem factum. Vnde quæso, nisi de visceribus respubl. prouincialiumque fortunis? Sint sane diuites, sint locupletes: ærarium publicum* referciunt tantum dii fauenant bonis partibus reddant Cassiani respubl. principatum.* Hæc epistola eius indicat quam seuerus & quam tristis futurus fuerit Imperator.

ÆLII LAMPRIDII

COMMODVS ANTONINVS,

AD DIOCLETIANVM AVG.

DE COMMODI ANTONINI parentibus, * in vita Marci Antonini satis est disputatum. Ipse autem natus est apud Lanuuium cum fratre Antonino * Gemino, pridie Cal. Septemb. patre patruoque COSS. vbi & auus maternus dicitur natus. Faustina quum esset Commodo cum fratre prægnans, visa est in somnis serpentes parere: sed ex his vnum ferociorem. Quum autẽ peperisset Commodum atq; Antoninum, Antoninus quadrimus est elatus; quem parem astrorum cursu Commodo mathematici promittebant. Mortuo igitur fratre, Commodum Marcus & suis pręceptis & etiam magnorum atque optimorum virorum erudire conatus est. Habuit litteratorem Græcum, * Onesicritum: Latinum, Capellam Antistium. orator ei Atteus Sanctus fuit. Sed tot disciplinarum magistri nihil ei profuerunt. *Tantum valet aut ingenii vis, aut eorum qui in aula institutores habentur*. Nam a prima statim pueritia, turpis, improbus, crudelis, libidinosus, ore quoq; pollutus & constupratus fuit: iam in his artifex quæ * stationis Imperatoriæ non erant, vt calices fingeret, saltaret, cantaret, sibilaret, scurram denique & gladiatorem se perfectum ostenderet. Auspicium crudelitatis apud Centumcellas dedit anno ætatis XII. Nam quum tepidius forte lotus esset, balneatorem in fornacem conici iussit: quando a pædagogo, cui hoc iussum fuerat, veruecina pellis in fornace consumpta est, vt fidem pœnę de fœtore nidoris impleret. Appellatus est autem Cæsar puer cum fratre [suo] Seuero XIIII ætatis anno in collegium sacerdotum adscitus est. Cooptatus inter tres solos principes iuuentutis quum togam sumpsit: adhuc in prætexta puerili congiarium dedit, atque ipse in basilica Traiani præsedit. Indutus autem toga est Nonarũ Iuliarum die, quo in terris Romulus non apparuit, & eo tempore quo Cassius a Marco desciuit. Profectus est, cõmendatus militibus, cum patre in Syriam & AEgyptum, & cum eo Romam rediit. Post hæc, venia legis * annariæ impetrata COS. est factus: & cum patre Imperator est appellatus V. Cal Decembr. die, Pollione & Apro COSS. & triumphauit cum patre: nam & hoc patres decreuerant. Profectus est cum patre & ad Germanicum bellũ. Adhibitos custodes vitæ suæ honestiores ferre non potuit, pessimos quosq; detinuit, & submotos vsque ad ægritudinem desiderauit. quibus per patris mollitiem restitutis, popinas & ganeas in palatinis semper ædibus fecit: neque vmquam pepercit vel pudori vel sumptui. In domo aleam exercuit. Mulierculas formæ scitioris, vt prostibula mancipia * lupanarium ad ludibrium pudicitiæ contraxit. Imitatus etiam propolas circumforaneos, equos curules sibi comparauit. Aurigæ habitu currus rexit, gladiatoribus conuixit, aquam gessit vt lenonum minister. vt probris natum magis quam ei loco crederes ad quem eum fortuna prouexit. Patris ministeria seniora submouit, amicos senes abiecit. Filium Saluii Iuliani, qui exercitibus præerat, ad impudicitiam frustra tentauit, atque exinde Iuliano tetendit insidias. Honestissimos quosque, aut per cõtumeliam, aut per honorem indignissimum, abiecit. Appellatus est a mimis quasi obstupratus: eosdemque ita vt non apparerent, subito deportauit. Bellum etiam quod pater pene confecerat, regibus hostium addictus remisit, ac Romam reuersus est. Romam vt rediit, subactore suo * Antero post se in curru locato, ita triumphauit, vt eum * sæpius ceruice reflexa publice oscularetur: etiam in orchestra hoc idem fecit. Et quum potaret in lucem, * helluaretutq; viribus Romani imperii, vespera etiam per tabernas ac lupanaria volitauit. Misit homines ad prouincias regendas, vel criminum socios, vel a criminosis commendatos. In senatus odium ita venit, vt & ipse crudeliter in tanti ordinis perniciem sæuiret, fieretque contemptui. Crudelis vita Commodi Quadratum & Lucillam compulit ad eius interfectionem consilia inire non sine præf. præt. * Tarrutii Paterni consilio.

Datum autem est negotium peragendæ necis Claudio Pompeiano propinquo. qui ingressus ad Commodum districto gladio, quum faciendi potestatem habuisset, in hæc verba prorumpens, *Hunc tibi pugionem senatus mittit*: detexit facinus fatuus, nec impleuit; multis cum eo participantibus caussam. Post hæc interfecti sunt* Pompeianus primo & Quadratus: dein* Narbana atque Norbanus & Paralius; & mater eius Lucilla in exsilium exacta. Quum præf. præt. vidissent Commodum in tantum odium incidisse, obtentu Anteri, cuius potentiam* præf. præt. ferre non poterant, vrbane Anterum eductum a palatio sacrorum causa, & redeuntem in hortos suos, per* frumentarios occiderūt. Id vero grauius quam de se ipso Commodo fuit. Paternum autem, & huius cædis auctorem, & (quantum videbatur) paratæ necis Commodi conscium, & interuentorem ne coniuratio latius puniretur, instigante Tigidio, per* laticlauii honorem a præfecturæ administratione submouit. Post paucos dies insimulauit eum coniurationis; quum diceret ob hoc promissam Iuliani filio filiam Paterni, vt in Iulianum transferretur imperium. Quare & Paternum & Iulianum & Vitruuium Secundum Paterni familiarissimum, qui epistolas imperatorias curabat, interfecit. Domus præterea Quintiliorum omnis exstincta, quod Sextus* Cocidiani filius, specie mortis ad defectionem diceretur euasisse. Interfecta & Vitrasia Faustina, & Velius Rufus, & Egnatius Capito consularis. In exsilium autem acti sunt* AEmilius Iunctus & Attilius Seuerus COSS. & in multos alios varie sæuitum. Post hæc Commodus numquam facile in publicum processit: neque quidquam sibi nuntiari passus, nisi quod Perennis ante tractasset. Perennis autem, Commodi animum persciens, inuenit quemadmodum ipse potens esset. Nam persuasit Commodo vt ipse deliciis vacaret, idem vero Perennis curis incumberet: quod Commodus lætanter accepit. Hac igitur lege viuens ipse cum trecentis concubinis, quas ex matronarum meretricumque delectu ad formæ speciem conciliauerat, trecentisque aliis puberibus exoletis, quos æque ex plebe ac nobilitate,* nuptusque forma disceptatrice collegerat, in palatio per conuiuia & balneas bacchabatur. Inter hæc habitu victimarii, victimas immolauit: in harena rudibus inter* cubicularios gladiatores pugnauit, lucentibus aliquando mucronibus. Tunc tamen Perennis cuncta sibimet vindicauit: quos voluit interemit, spoliauit plurimos, omnia iura subuertit, prædam omnem in sinum contulit. Ipse autem Commodus Lucillam sororem, quum eam* compressisset, occidit: sororibus dein suis cæteris (vt dicitur) constupratis, consobrina patris complexibus suis coniuncta, vni etiam ex concubinis matris nomen imposuit & vxoris. quam deprehensam in adulterio exegit, exactam relegauit, & postea occidit. Ipsas concubinas suas sub oculis suis stuprari iubebat. Nec irruentium in se iuuenum carebat infamia;* omni parte corporis, atque ore, in sexum vtrumque pollutus. Occisus est eo tempore etiam Claudius, quasi a latronibus; cuius filius cum pugione quondam ad Commodum ingressus est: multique alii senatores sine* iudicio interempti, fœminæ quoque diuites. Et nonnulli per prouincias a Perenni ob diuitias insimulati, spoliati sunt, vel etiam interempti. His autem quibus deerat ficti criminis* appositio, obiiciebatur quod scribere* voluissent Commodum heredem. Eo tempore in Sarmatia res bene gestas per alios duces, in filium suum Perennis referebat. Hic tamen Perennis, qui tantum potuit, subito, quod bello Britannico militibus equestris loci viros præfecerat, amotis senatoribus, prodita re per legatos, exercitus hostis appellatus, lacerandusque militibus est deductus. In cuius potentiæ locum Cleandrum ex cubiculariis subrogauit. Multa sane post interfectum Perennem eiusque filium, quasi a se non gesta rescidit, velut in integrum restituens. Et hanc quidem pœnitentiam scelerum vltra triginta dies tenere non potuit, grauiora per Cleandrum faciens quam fecerat per supra dictum Perennem. Et in potentia quidem Cleander Perenni successerat· in præfectura vero Niger, qui sex tantum horis præfectus prætorii fuisse perhibetur. Mutabantur enim præfecti prætorii per horas ac dies, Commodo peiora omnia quam fecerat ante, faciente Fuit item* Marcius Quartus præfectus præt. diebus quinque. Horum successores ad arbitrium Cleandri aut retenti sunt, aut occisi. Ad cuius nutum etiam libertini in senatum atque in patricios* lecti sunt: tuncque primum vi-

gintiquin-

gintiquinque cos. in vnum annum, venditæque omnes prouinciæ. Omnia Cleander pecunia venditabat: reuocatos de exsilio dignitatibus ornabat; res iudicatas rescindebat: qui tantum per stultitiam Commodi potuit, vt* Byrrum sororis Commodi virum reprehendentem, nuntiantemque Commodo quæ fiebant, in suspicionem regni affectantis traheret & occideret, multis aliis qui Byrrum defendebant, pariter interemptis. Præfectus etiã Ebutianus inter hos est interemptus: in cuius locũ ipse Cleander cum aliis duobus quos ipse delegerat, præfectus est factus. Tuncque primum tres præf. prætor. fuere; inter quos libertinus qui a pugione appellatus est. Sed & Cleandro dignus tandem vitæ finis impositus. Nam quum insidiis illius Arrius Antoninus fictis criminibus in * Attali gratiam, quem in proconsulatu Asiæ damnauerat, esset occisus, nec eam tum inuidiam populo sæuiente Commodus ferre potuisset, plebi ad pœnam donatus est: quum etiam Apolaustus, aliique liberti aulici pariter interempti sunt. Cleander inter cetera etiam concubinas eius constuprauit, de quibus filios suscepit, qui post eius interitum cum matribus interempti sunt. In cuius locum Iulianus & Regillus subrogati sunt: quos & ipsos postea pœnis affecit. His occisis, interemit* Seruilium & Dulium Silanos cum suis: mox Anitium Lupum, & Petronios Mamertinum & Suram, filiumque Mamertini Antoninum ex sorore sua genitum. Et post eos sex simul ex consularibus, * Allium Fuscũ, Cælium Felicem, Luceium Torquatum, * Lartium Eurupianum, Valerium Bassianum, Pactuleium Magnum cum suis: atque in Asia Sulpicium Crassum proconsulem, & Iulium Proculum cum suis, Claudiumque Lucanum consularem, & consobrinam patris sui Faustinam Anniam in Achaia, & alios infinitos. Destinauerat & alios quatuordecim occidere, quum sumptus eius initus Romani imperii sustineri non possent. Inter hæc Commodus, senatu semet tradente, quum adulterum matris consulem designasset appellatus est *Pius*; quum occidisset Perennem, appellatus est *Felix*. Inter plurimas cædes multorum ciuium, quasi quidam nouus Sylla, idem Commodus ille Pius, ille Felix, finxisse etiam quãdam contra se coniurationem dicitur, vt multos occideret. Nec alia vlla fuit defectio præter Alexandri, qui postea se & suos interemit & sororis Lucillæ. Appellatus est Commodus etiam *Britannicus* ab adulatoribus; quum Britanni etiam Imperatorem contra eum deligere voluerint. Appellatus est etiã *Romanus Hercules*, quod feras Lanuuii in amphitheatro occidisset. Erat enim hæc illi consuetudo, vt domi bestias interficeret. Fuit præterea ea dementia, vt vrbem Romam, *coloniam Commodianam* vocari voluerit: *cui furor dicitur inter * delenimenta Marciæ iniectus. Voluit etiam in circo quadrigas agitare. Dalmaticatus in publico processit, atque ita signum quadrigis emittendis dedit. Et eo quidem tempore quo ad senatum retulit de Commodiana facienda Roma, non solum senatus hoc libenter accepit per irrisionem, (quantum intelligitur) sed etiam seipsum Commodianum vocauit; Commodum Herculem & Deum appellans. Simulauit se & in Africam iturum, vt sumptum itinerarium exigeret: & exegit, eumque in conuiuia & aleam conuertit. * Motilenum præf. præt. per ficus veneno interemit. Accepit statuas in Herculis habitu; eique immolatum est vt deo. Multos præterea parauerat interimere: quod per* paruulum quemdam proditum est, qui tabulam e cubiculo eiecit, in qua occidendorum erant nomina scripta. Sacra Isidis coluit, vt & caput raderet, & Anubin portaret. Bellonæ seruientes vere * exsecare brachium præcepit, studio crudelitatis. Isiacos vero pineis vsque ad perniciem pectus tundere cogebat. Quum Anubin portaret, capita Isiacorum grauiter obtundebat ore simulacri. Claua non solum leones in veste muliebri & pelle leonina, sed etiam multos homines afflixit. Debiles pedibus, & eos qui ambulare non possent, * in gigantum modum formauit; ita vt a genibus de pannis & linteis quasi dracones digererentur: eosdemque sagittis confecit. Sacra Mithriaca homicidio vero polluit, quum illic aliquid ad speciem timoris vel dici vel fingi soleat. Etiam puer, & gulosus & impudicus fuit. Adolescens omne genus infamauit hominum quod erat secum, & ab omnibus est infamatus. Irridentes se, feris obiiciebat. Eum etiam qui Tranquilli librum vitam Caligulæ continentem legerat, feris obiici iussit: quia eumdem diem natalis habuerat quem & Caligula. Siquis sane se

mori velle prædixisset, hunc inuitum præcipitari iubebat. In iocis quoque perniciosus. nam eum quem vidisset albescentes inter nigros capillos quasi vermiculos habere, sturno apposito, qui se vermes sectari crederet, capite suppuratum reddebat. *Obtonsi onens pinguem hominem medio ventre dissecuit; vt eius intestina subito funderentur. Monopodios & *luscinios, eos quibus aut singulos *tulisset oculos aut singulos pedes fregisset, appellabat. Multos præterea passim exstinxit: alios, quia barbarico habitu occurrerant: alios, quia nobiles & speciosi erant. Habuit in deliciis homines appellatos nominibus verendorum vtriusque sexus; quos libentius suis oculis applicabat. Habuit & hominem pene prominente vltra modum animalium; quem Onon appellabat: sibi carissimum: quem & ditauit, & sacerdotio Herculis rustici præposuit. Dicitur sæpe pretiosissimis cibis humana stercora miscuisse, nec abstinuisse gustu, aliis (vt putabat) irrisis. Duos gibbos retortos in lance argentea sibi sinapi perfusos exhibuit; eosdemque statim promouit ac ditauit. Præf. præt. suum Iulianum togatum, præsente officio suo, in piscinam detrusit: quem saltare etiam nudum ante concubinas suas iussit quatientem cymbala, deformato vultu. Genera leguminum coctorum ad conuiuium propter luxuriæ continuationem *raro vocauit. Lauabat per diem septies atque octies, & in ipsis balneis edebat. Deorum templa polluit stupris & humano sanguine. Imitatus est & medicũ, vt sanguinẽ hominibus emitteret scalpris feralibus. Menses quoq; in honorẽ eius pro Augusto *Commodũ*, pro Septemb. *Herculẽ*, pro Octobri *Inuictũ*, pro Nouembri *Exsuperatorium*, pro Decembri *Amazonium*, ex signo ipsius adulatores vocabant. *Amazonius* aũt vocatus est ex amore concubinæ suæ Marciæ, quã pictã in Amazone diligebat: propter quã & ipse Amazonico habitu in arenã Romanã procedere voluit. Gladiatorum etiã certamen subiit, & nomina gladiatorũ recepit eo gaudio quasi acciperet triumphalia. Ludum semper ingressus est: & quoties ingrederetur, publicis monumentis indi iussit. Pugnasse autem dicitur septingenties tricies quinquies. Nominatus inter Cæsares quarto Iduum Octobrium, quas Herculeas postea nominauit, Pudente & Pollione coss. Appellatus *Germanicus*, Idibus Herculeis, Maximo & Orphito coss. Assumptus est in omnia collegia sacerdotalia sacerdos, XIII Calendas Inuictas, Pisone & Iuliano coss. Profectus in Germaniam XIIII Calendas AElias, vt postea nominauit, iisdem coss. Togam virilem accepit cum patre. appellatus Imperator V Calendas Exsuperatorias, Pollione iterum & Apro coss. Triumphauit X Calendas *Amazonias, iisdem coss. Iterum profectus III Nonas Commodias, Orphito & Rufo coss. Datus in perpetuum ab exercitu & senatu in domo palatina Commodiana conseruandus, XI Calendas Romanas, Præsente iterum cos. Tertio meditans de profectione, a senatu & populo suo retentus est. Vota pro eo facta sunt Nonis Piis, Fusciano iterum cos. Inter hæc refertur in litteras, pugnasse illum sub patre trecenties sexagies quinquies: Item postea *tantum palmarum gladiatoriarum confecisse, vel victis retiariis vel occisis, vt mille contingeret. Ferarum autem diuersarum manu sua occidit multa milia, ita vt elephantos occideret. Et hæc fecit sæpe spectante populo Romano. Fuit autem validus ad hæc, alias debilis & infirmus, vitio etiam inter inguina prominenti, ita vt eius tumorem per sericas vestes populus Romanus agnosceret. Versus in eum multi scripti sunt, de quibus etiam in opere suo Marius Maximus gloriatur. Virium ad conficiendas feras tantatũ fuit, vt elephantum conto transfigeret, & orygis cornu hasta transmiserit; & singulis ictibus multa milia ferarum ingentium conficeret. Impudentiæ tantæ fuit, vt cum muliebri veste in amphitheatro vel theatro sedens, publice sæpissime biberit. Victi sunt sub eo tamen, quum ille sic viueret, per legatos, Mauri, victi Daci, Pannoniæ quoque compositæ: in Britannia, in Germania & in Dacia imperium eius recusantibus prouincialibus. Quæ omnia ista per duces sedata sunt. Ipse Commodus in subscribendo tardus & negligens, ita vt libellis vna forma multis subscriberet: in epistolis autem plurimis, *Vale* tantum scriberet. Agebanturque omnia per alios, qui etiam condemnationes *in sinum vertisse dicuntur. Per hanc autem negligentiam, quum & annonam vastarent ii qui tunc rempub. gerebant, etiam inopia ingens Romæ exorta est quum fruges non deessent:

&c eos

& eos quidem qui omnia vastabant, postea Commodus occidit atque proscripsit. Ipse vero seculum aureum, *Commodianum* nomine assimulans, vilitatem proposuit, ex qua maiorem penuriam fecit. Multi sub eo & alienam pœnam & suam salutem pecunia redemerunt. Vendidit etiam suppliciorum diuersitates, & sepulturas, & immunitates malorum; & alios pro aliis occidit. Vendidit etiam prouincias & administrationes, quum hi per quos venderet, partem acciperent, partem vero Commodus. Vendidit nonnullis & inimicorum suorum cædes. Vendiderunt sub eo etiam euentus litium liberti. Præfectos Paternum & Perennem non diu tulit; ita vt etiam de his præfectis quos ipse fecerat, triennium nullus impleret: quorum plurimos interfecit vel veneno vel gladio. Et præfectos vrbi eadem facilitate mutauit. Cubicularios suos libenter occidit; quum omnia ex nutu eorum semper fecisset. Electus cubicularius, quum videret eum tam facile cubicularios occidere, præuenit eum, & factioni mortis eius interfuit. Spectator gladiatoria sumpsit arma, panno purpureo nudos humeros aduelans. Habuit præterea morem vt omnia quæ turpiter, quæ impure, quæ crudeliter, quæ gladiatorie, quæ lenonice faceret, Actis vrbis mandi iuberet; vt Marii Maximi scripta testantur. *Commodianum* etiam * P R. dixit, quo sæpissime præsente gladiator pugnauit. Sane quum illi sæpe pugnanti, vt deo, populus fauisset, irrisum se credens, populum Romanum a militibus classiariis qui vela ducebant, in amphitheatro interimi præceperat. Vrbem incendi iusserat, vt pote coloniam suam. Quod factum esset nisi Lætus præf. præt. Commodum deterruisset. Appellatus est sane inter cetera triumphalia nomina, etiam sexcenties vicies *Paulus * primus sequutorum.* Prodigia * eius imperio & publice & priuatim hæc facta sunt: Crinita stella apparuit. Vestigia deorum in foro visa sunt exeuntia. Et ante bellum desertorum cælum arsit: & repentina caligo ac tenebra in circo Calend. Ianuariis oborta: & ante lucem fuerant etiam incendiariæ aues ac diræ. De palatio ipse ad Cælium montem in * Vectilianas ædes migrauit, negans se in palatio posse dormire. Ianus geminus sua sponte apertus est: & Anubis simulacrum marmoreum moueri visum est: Herculis signum æneum sudauit in * Minucia per plures dies. Bubo etiam supra cubiculum eius deprehensus est tam Romæ quam Lanuuii. Ipse autem prodigium non leue sibi fecit. Nam quum in gladiatoris occisi vulnus manum misisset, ad caput sibi detersit: & contra consuetudinem, penulatos iussit spectatores, non togatos, ad munus conuenire; quod funeribus solebat; ipse * in pullis vestimentis præsidens. Galea eius bis per * portam libitinensem elata est. Congiarium dedit populo, singulis denarios septingenos vicenos quinos: circa alios omnes parcissimus fuit; quod luxuriæ sumptibus ærarium minuerat. Circenses multos * addidit ex libidine potius quam religione, & vt dominos factionum ditaret. His incitati, licet nimis sero, Quintus * AElius Lætus præfectus, & Marcia concubina eius, inierunt coniurationem ad occidendum eum. Primum ei venenum dederunt: quod quum minus operaretur, per athletam cum quo exerceri solebat, eum strangulauerunt. Fuit forma quidem corporis iusta, vultu * insubido, vt ebriosi solent, & sermone incondito, capillo semper fucato & auri ramentis illuminato: adurens comam & barbam timore tonsoris. Corpus eius vt vnco traheretur, atque in Tiberim mitteretur, senatus & populus postulauit: sed postea iussu Pertinacis in monumentum Adriani translatum est. Opera eius, præter lauacrum, quod Cleander nomine ipsius fecerat, nulla exstant: sed nomen eius alienis operibus incisum, senatus erasit. nec patris autem sui opera perfecit. Classem Africanam instituit: quæ subsidio esset si forte Alexandrina frumenta cessassent. *Ridicule etiam Carthaginem, *Alexandriam Commodianam togatam* appellauit quum classem quoque Africanam, *Commodianam Herculeam* appellasset. Ornamenta sane quædam colosso addidit; quæ postea cuncta sublata sunt. Colossi autem caput dempsit, quod Neronis esset; ac suum imposuit: & titulum more solito subscripsit, ita vt illum gladiatorium effœminatum non prætermitteret. Hunc tamen Seuerus Imperator, amantissimus nominis sui, odio (vt videtur) senatus, inter deos retulit, flamine addito quem ipse viuus sibi parauerat, Herculaneo Commodiano. Sorores tres superstites reliquit. Vt natalis eius celebraretur, Seuerus instituit. Acclamationes sena-

tus post mortem Cōmodi graues fuerunt. Vt aūt sciretur, quod iudiciū senatus de Cōmodo fuerit, ipsas acclamationes de Mario Maximo indidi, & sententiā senatusconsulti. *Hosti patriæ honores detrahantur; parricidæ honores detrahantur; parricida trahatur. Hostis patriæ, parricida gladiator, in spoliario lanietur. Hostis deorū, carnifex senatus: hostis deorum, parricida senatus: hostis deorum, hostis senatus. Gladiatorem in spoliario. Qui senatum occidit, in spoliario ponatur. Qui senatum occidit, unco trahatur. Qui innocentes occidit, unco trahatur: hostis, parricida, vere, seuere. Qui sanguini suo non pepercit, unco trahatur. Qui* te occisurus fuit, unco trahatur. Nobiscum timuisti, nobiscum periclitatus es. Vt salui simus, Iupiter optime maxime, serua nobis Pertinacem. Fidei prætorianorum feliciter: prætoriis cohortibus feliciter. exercitibus Romanis feliciter: pietati senatus feliciter. Parricida trahatur. Rogamus Auguste, parricida trahatur hoc rogamus, parricida trahatur. Exaudi Cæsar. Delatores ad leonem: exaudi Cæsar. Delatores ad leonem: exaudi Cæsar. Speratum ad leonem. Victoriæ populi Romani feliciter. fidei militum feliciter: fidei prætorianorum feliciter: cohortibus prætoriis feliciter. Hostis statuas undique, parricidæ statuas undique, gladiatoris statuas undique gladiatoris & parricidæ statuæ detrahantur. Necator ciuium trahatur, parricida ciuium trahatur. Gladiatoris statuæ detrahantur. Te saluo, salui & securi sumus, vere, vere: modo vere, modo digne, modo vere, modo libere. Nunc securi sumus: delatoribus metum. Vt securi simus, delatoribus metum * salui simus, delatores de senatu. Delatoribus fustem te saluo. delatores ad leonem te* imperante. delatoribus fustem. Parricidæ gladiatoris memoria aboleatur; parricidæ gladiatoris statuæ detrahantur. Impuri gladiatoris memoria aboleatur. gladiatorem in spoliario. Exaudi Cæsar. Carnifex unco trahatur: carnifex senatus, more maiorum, unco trahatur. Sæuior Domitiano, impurior Nerone; * sic fecit, sic patiatur. Memoriæ innocentium seruentur. honores innocentium restituas. Rogamus, parricida cadauer unco trahatur, gladiatoris cadauer unco trahatur; gladiatoris cadauer in spoliario ponatur. Præroga, præroga: omnes censemus unco trahendum. Qui omnes occidit, unco trahatur. Qui omnem ætatem occidit, unco trahatur. Qui utrumque sexum occidit, unco trahatur. Qui sanguini suo non pepercit, unco trahatur. Qui templa spoliauit, unco trahatur. Qui testamenta deleuit, unco trahatur. Qui viuos spoliauit, unco trahatur. Seruis seruiuimus. Qui pretia vitæ exegit, unco trahatur. Qui pretia vitæ exegit, & fidem non seruauit, unco trahatur. Qui senatum vendidit, unco trahatur. Qui filiis abstulit hereditatem, unco trahatur. Indices de senatu, delatores de senatu: seruorum subornatores de senatu. Et * tu nobiscum timuisti, omnia scis, bonos & malos nosti: omnia scis, omnia emenda. Pro te timuimus. O nos felices te viro imperante. De parricida refer, refer, * perroga. præsentiam tuam rogamus. Innocentes sepulti non sunt: parricidæ cadauer trahatur. Parricida sepultos eruit: parricidæ cadauer trahatur.* Et quum iussu Pertinacis Liuius Laurensis procurator patrimonii, Fabio * Chiloni consuli designato dedisset, per noctem Commodi cadauer sepultum est. Senatus acclamauit; *Quo auctore sepelierunt? Parricida sepultus eruatur, trahatur.* Cingius Seuerus dixit: *Iniuste sepultus est. Quia pontifex dico, hoc collegium pontificum dicit. Quoniam læta percensui, nunc conuertar ad necessaria, censeoque (quod is qui nonnisi ad perniciem ciuium & ad dedecus suum vixit, ob honorem suum decerni coegit) abolendas statuas; quæ undique sunt abolendæ, nomenque ex omnibus priuatis publicisque monumentis eradendum: mensesque his nominibus nuncupandos quibus nuncupabantur quum primum illud malum in rempubl. incubuit.*

IVLII CAPITOLINI PERTINAX IMPERATOR.

PVBLIO *Heluio Pertinaci, pater libertinus *Heluius Successus fuit; qui filio *nomen ex continuatione lignariæ negotiationis, quod pertinaciter eam rem gereret, imposuisse fertur. Natus est Pertinax in Apennino in villa Martis. Equus pullus ea hora qua natus est, in tegulas ascendit; atque ibi breuiter commoratus decidit atque exspirauit. Hac re motus pater, ad Chaldæum venit. Qui quum illi futura ingentia prædixisset, *stipem se perdidisse dixit. Puer litteris elementariis & calculo imbutus, datus etiam Græco grammatico; atque inde Sulpicio Apollinari: post quem idem Pertinax grammaticen professus est. Sed quum in ea minus quæstus proficeret, per Lollianum Auitum consularem virum, patris patronum, ducendi ordinis dignitatem petiit. Dein præfectus cohortis in Syriam profectus, T. Aurelio imperatore, a præside Syriæ, quod sine diplomatibus cursum vsurpauerat, pedibus ab Antiochia ad *legationem suam iter facere coactus est. Bello Parthico industria sua promeritus, in Britanniam translatus est ac retentus. Post in Mœsia rexit alam: deinde alimentis diuidendis in via AEmilia procurauit. Inde classem Germanicam rexit. Mater eum vsque in Germaniam prosequuta est; ibique obiit. cuius etiam sepulcrum stare nunc dicitur. Inde ad *ducentorum LLS stipendium translatus in Daciam, suspectusque Marco quorumdam relatu, a partibus remotus est. & postea per Claudium Pompeianum generum Marci, quasi adiutor eius futurus, vexillis regendis adscitus est. In quo munere approbatus, lectus est in senatum. Postea iterum re bene gesta, prodita est factio quæ illi concinnata fuerat. Marcusque Imperator, vt compensaret iniuriam, prætorium eum fecit, & primæ legioni regendæ imposuit: statimque Rhætias & Noricum ab hostibus vindicauit. Ex quo, eminente industria, studio Marci Imperatoris COS. est designatus. Exstat oratio apud Marium Maximum, laudes eius continens, & omnia vel quæ fecit, vel quæ perpessus est & præter illam orationem, quam longum fuerit connectere, sæpissime Pertinax a Marco & in concione militari & in senatu laudatus est: doluitque palam Marcus quod quum senator esset, præf. præt. fieri a se non posset. Cassiano motu composito, e Syria ad Danubii tutelam profectus est: atque inde Mœsiæ vtriusque, mox Daciæ regimen accepit. Bene gestis his prouinciis, Syriam meruit. Integre se vsque ad Syriæ regimen Pertinax tenuit; post excessum vero Marci, pecuniæ studuit. quare etiam dictis popularibus lacessitus, curiam Romanam post quatuor prouincias consulares, quia consulatum absens gesserat, iam diues ingressus est; quum eam senator antea non vidisset. Iussus est præterea statim a Perenne in Liguriam secedere in villam paternam. Nam pater eius tabernam *coctiliciam in Liguria exercuerat. Sed posteaquam in Liguriam venit, multis agris coemptis, tabernam paternam, manente forma priore, infinitis ædificiis circumdedit: fuitque illic per triennium, & mercatus est per suos seruos. Occiso sane Perenni, Commodus Pertinaci satisfecit, eumque petiit per litteras vt ad Britanniam proficisceretur: profectusque milites ab omni seditione deterruit, quũ illi quemcumque imperatorem vellent habere, & ipsum specialiter Pertinacem. Tunc Pertinax maleuolentiæ notam subiit, quod dictus est insimulasse apud Commodum affectati imperii Antistium Burrum, & Arrium Antoninum. Et seditiones quidem contra ipse compescuit in Britannia: verum ingens periculum adiit seditione legionis pene occisus, certe inter occisos relictus. quam quidem rem idem Pertinax acerrime vindicauit. Denique postea veniam legationis petiit; dicens sibi ob defensam disciplinam infestas esse legiones. Accepto successore, alimentorum ei cura mandata est: deinde proconsul Africę factus est. In quo proconsulatu multas seditiones perpessus dicitur, vaticinationibus earum quæ de templo *Cælestis emer-

gunt. Post hoc præf. vrbi factus: in qua præfectura post Fuscianum hominem seuerum, Pertinax mitissimus & humanissimus fuit, & ipsi Commodo plurimum placuit, quia ille esset iterum, quum Pertinax factus est. Tunc Pertinax interficiendi Commodi conscientiam delatam sibi ab aliis, non fugit. Commodo autem interempto, Lætus præf præt & Electus cubicularius ad eum venerunt vt eum confirmarent, atque in castra duxerunt. Illic Pertinax milites alloquutus est. Donatiuum promisit; ingeri sibi imperium a Læto & Electo dixit. Fictum est autem quod morbo esset Commodus exstinctus; quia & milites, ne tentarentur, pertimescebant. Denique a paucis primum est Pertinax Imperator appellatus. Factus est autem sexagenario maior Imperator, prid Calend. Ianuarias. De castris nocte quum ad senatum venisset, & cellam curiæ iussisset aperiri, neque inueniretur* aditus, in templo Concordiæ resedit. Et quum ad eum Claudius Pompeianus *gener Marci venisset, casumque Commodi lacrymasset, eum hortatus est Pertinax vt imperium sumeret: sed ille recusauit, quia iam Imperatorem Pertinacem videbat. Statim ergo omnis magistratus cum consule ad curiam venerunt; ingressumque Pertinacem nocte Imperatorem appellauerunt. Ipse autem Pertinax, post laudes suas a consulibus dictas, & post vituperationem Commodi acclamationibus senatus ostensam, egit gratias senatui, & præcipue Læto præfecto prætorii, quo auctore & Commodus interemptus & ipse Imperator est factus. Sed quum Læto gratias egisset Pertinax, Falco consul dixit; *Qualis Imperator es futurus, hinc intelligimus quod Lætũ &* *Marciam ministros scelerum Commodi post te videmus*. cui Pertinax respondit, *Iuuenis es consul, nec parendi scis necessitatem. Paruerunt inuiti Commodo; sed vbi habuerunt facultatem, quid semper voluerint, ostenderunt.* Eadem die qua Augustus est appellatus, & *Flauia Titiana vxor eius Augusta est appellata. His horis quibus ille in Capitolium vota soluebat, primus sane omnium ea die qua Augustus est appellatus, etiam Patris patriæ nomen recepit: necnon simul etiam imperium proconsulare. necnon ius quartæ relationis, quod ominis loco fuit Pertinaci. Ad palatium ergo Pertinax profectus, quod tunc vacuum erat, quia Commodus in Vectilianis occisus est, petenti signum prima die tribuno dedit,* *Militemus*; exprobrans vtique segnitiem temporum superiorum: quod quidem etiam ante in omnibus ducatibus dederat. Exprobrationem autem istam milites non tulerunt; statimque de Imperatore mutando cogitarunt. Ea die etiam ad conuiuium magistratus & proceres senatus rogauit; quam consuetudinem Commodus prætermiserat. Sane quũ postero Calendarum die statuæ Commodi deiicerentur, gemuerunt milites: simul quia [iterum] signum idem dederat Imperator. Timebatur autem militia sub sene Imperatore. Denique * tertium nonarum diem votis ipsis milites Triarium Maternum * Lasciuium, senatorem nobilem, ducere in castra voluerunt, vt eum rebus Romanis imponerent: sed ille nudus fugit, atque ad Pertinacem in palatium venit, & post ex vrbe decessit. Timore sane Pertinax coactus, omnia quæ Commodus militibus & veteranis dederat, confirmauit. Suscipere se etiam imperium a senatu dixit, quod iam sponte inierat. Quæstionem maiestatis penitus tulit cum iureiurando. Reuocauit etiam eos qui deportati fuerant crimine maiestatis, eorum memoria restituta qui occisi fuerant. Filium eius Pertinacem senatus Cæsarem appellauit. Sed Pertinax nec vxoris augustæ appellationẽ recepit, & de filio dixit, *Quum meruerit* Et quum Commodus allectionibus innumeris * prætorios miscuisset, senatusconsultum Pertinax fecit, iussitque eos qui præturas non gessissent, sed * allectione accepissent, post eos esse qui vere prætores fuissent. Sed hinc quoque grande odium sibi multorum commouit. Census retractari iussit: delatores vinctos grauiter puniri iussit, & tamen mollius quam priores Imperatores vnicuique dignitati, si delationis crimen incurreret, pœnam statuens. Legem sane tulit vt testamenta priora non prius essent irrita quam alia perfecta essent; neue ob hoc fiscus aliquando succederet. Ipseque professus est nullius se aditurum hereditatem, quæ aut adulatione alicuius delata esset, aut lite perplexa, * vt legitimi heredes & necessarii priuarentur: addiditque senatusconsulto hæc verba; *Sanctius est P. C. inopem remp. obtinere, quam ad diuitiarum cumulum per discriminum atque dedecorum vestigia peruenire.* Donatiua

& con-

& congiaria quæ Commodus promiserat, soluit. Annonæ consultissime prouidit. Et quum tantam pecuniam ærarii haberet, vt præter decies L L S non se inuenisse fateretur, coactus est ea exigere quæ Commodus indixerat, contra quam professus fuerat. Denique aggressus eum Lollianus * Gentianus consularis, quod contra promissum faceret, necessitatis rationem accepit. Auctionem rerum Commodi habuit, ita vt & pueros & concubinas vendi iuberet, exceptis iis qui per vim palatio videbantur inserti. Et de his quos vendi iussit, multi postea reducti ad ministerium, oblectauerunt senem; qui per alios principes vsque ad senatoriam dignitatem peruenerunt. Scurras turpissimorum nominum dedecora * præferentes, proscripsit ac vendidit. Cuius nundinationis pecuniam, quæ ingens fuit, militibus * donatiuo dedit. A libertis etiam ea exegit quibus Commodo vendente ditati fuerant. Auctio sane rerum Commodi in his insignior fuit: Vestis subtegmine serico, aureis filis insignior, per tunicas pænulasque, lacernas & * chiridotas Dalmatarum & * cirratas militares, purpureasque chlamydes Græcanicas atque castrenses: & cuculli Bardaici. Et toga armaque gladiatoria gemmis auroque composita: & * machæras Herculaneas, & torques gladiatorias: vasaque * eluro auro, ebore, argento, citroque composita; atque etiam * phallouitroboli ex materie eadem: & vasa * Samnitica, calfactãdæ resinæ ac pici * deuellendis hominibus ac leuigandis: necnon vehicula arte fabricæ noua, perplexis * diuersisque rotarum orbibus & exquisitis sedilibus, nunc ad solem declinandum, nunc ad spiritus opportunitatem per vertiginem: & alia iter metientia horasque monstrantia, & cetera vitiis eius conuenientia. Reddidit præterea dominis eos qui se ex priuatis domibus in aulam contulerant. Conuiuium imperatorium ex immenso ad certum reuocauit modum: sumptus etiam omnes Commodi * reddidit. Exemplo autem Imperatoris quum ille parcius se ageret, ex omniũ continentia vilitas nata est. Nam imperatorium sumptum, pulsis non necessariis, ad soliti dimidium detraxit. Præmia militantibus posuit. AEs alienum, quod primo imperii tempore contraxerat, soluit. AErarium in suum statum restituit. Ad opera publica certum sumptum constituit. Reformandis suis pecuniam contulit: stipendia plurimis retro debita exsoluit. Obeundis postremo cunctis muneribus fiscum parem fecit. Alimentaria etiam compendia, quæ nouem annorum ex instituto Traiani debebantur, obdurata verecundia sustulit. Auaritiæ suspicione priuatus non caruit, quum apud vada Sabatia oppressis fœnore possessoribus, latius suos teneret fines. Denique ex versu Luciliano *agrarius mergus* est appellatus. Multi autem eum etiam in prouinciis quas consularis gessit, sordide se egisse in litteras retulere. Nam vacationes & legationes militares dicitur vendidisse. Denique quum parentum minimum esset patrimonium, & nulla hereditas obuenisset, subito diues est factus. Omnibus sane possessiones suas reddidit quibus Commodus ademerat, sed non sine pretio. Senatui legitimo semper interfuit, ac semper aliquid retulit. Ciuilem se salutantibus & interpellantibus semper exhibuit. Eos qui calumniis appetiti per seruos fuerant, damnatis seruis delatoribus liberauit, in crucem sublatis talibus seruis; aliquos etiam mortuos vindicauit. Insidias parauit ei Falco, volens imperare: de quo conquestus est in senatu: quod quidem senatus credidit. Dum sibi quidam seruus, quasi Fabiæ esset filius ex Ceionii Commodi familia, palatinam domum ridicule vindicasset, cognitus, iussus est flagellis cæsus domino restitui. In cuius vindicta hi qui oderant Pertinacem, occasionem seditionis inuenisse dicuntur. Falconi tamen pepercit, & a senatu impunitatem eius petiit. Denique Falco in rebus suis securus vixit, & herede filio periit: quamuis multi Falconem nescisse dixerint imperium sibi parari. Alii etiam a seruis qui rationes interuerterant, falsis testimoniis appetitum eum esse dixerunt. Sed Pertinaci factio præparata est per Lætum præf. præt. & eos quos Pertinacis sanctimonia offenderat. Lætum enim pœnituerat quod Imperatorem fecerat Pertinacem, idcirco quia eum velut stultum intimatorem nonnullarum rerum reprehendebat. Graue præterea militibus visum, quod in causa Falconis multos milites ad vnius serui testimonium occidi præceperat. Trecenti igitur de castris armati ad imperatorias ædes cuneo facto milites venere. Eadem * tamen die immolante Pertinace, negatur in hostia cor repertum:

& quum id vellet procurare, caput extorum non deprehendit. Et tunc quidem omnes milites in castris manebant. Qui quum de castris ad obsequium principis conuenissent, & Pertinax eo die processionem, quam ad Athenæum parauerat vt audiret poetam, ob sacrificii præsagium distulisset, hi qui ad obsequium venerant, redire in castra cœperunt. Sed subito globus ille in palatium peruenit: neque aut arceri potuit, aut imperatori nunciari. Enimuero tantum odium in Pertinacem omnium aulicorum fuit, vt ad facinus milites hortarentur. Superuenerunt autem Pertinaci, quum ille aulicum famulitium ordinaret, ingressique porticus palatii vsque ad locum qui appellatur *Sicilia & Iouis cœnatio*. Hoc cognito, Pertinax Lætum præf. præt. ad eos misit. Sed ille declinatis militibus per porticus egressus, adoperto capite, domum se contulit. Verum quum ad interiora prorumperent, Pertinax ad eos processit, eosque longa & graui oratione placauit. Sed quum Tausius quidam, vnus e Tungris, in iram & timorem milites loquendo adduxisset, hastam in pectus Pertinacis obiecit. Tunc ille precatus Iouem vltorem, toga caput operuit, atque a cæteris confossus est: & Electus quidem, confossis duobus, cum eodem periit: reliqui autem cubicularii palatini (nam suos statim vt Imperator factus est, filiis emancipatos dederat) diffugerunt. Multi sane dicunt etiam cubiculum milites irrupisse, atque illic circa lectum fugientem Pertinacem occidisse. Fuit autem senex venerabilis, *immissa barba, reflexo capillo, habitudine corporis pinguiore, ventre prominulo, statura imperatoria, eloquentia mediocri, & magis blandus quam benignus, nec vnquam creditus simplex. Et quum verbis esset affabilis, re erat illiberalis ac prope sordidus, vt dimidiatas lactucas & carduos in priuata vita conuiuis apponeret: & nisi quod missum esset edulium, quotquot essent amici, nouem libras carnis per tres missus ponebat. si autem plus aliquid missum esset, etiam in alium diem differebat, quum semper ad conuiuium multos vocaret. Imperator etiam, si sine conuiuis esset, eadem consuetudine cœnitabat. Amicis si quando de prandio suo mittere voluit, misit offulas binas, aut omasi partem, aliquando lumbos gallinaceos. Fasianum numquam priuato conuiuio comedit, aut alicui misit. Quum sine amicis cœnaret, adhibebat vxorem suam & Valerianum, vt cum eodem qui docuerat, fabulas literatas haberet. Sane nullum ex iis quos Commodus rebus agendis imposuerat, mutauit; exspectans vrbis natalem, quod cum diem, rerum principium volebat esse: atque ideo etiam in balneis ei Commodiani ministri necem parasse dicuntur. Imperium & omnia imperialia sic horruit, vt sibi semper ostenderet displicere. denique non alium se quam fuerat videri volebat. Fuit in curia honorificentissimus; ita vt senatum fauentem adoraret, & quasi præfectus vrbi cum omnibus sermonem participaret. Voluit etiam imperium deponere, atque ad priuatam vitam redire. Filios suos in palatio nutriri noluit. Tam parcus autem & tam lucri cupidus fuit, vt apud vada Sabatia mercaturas exercuerit Imperator per homines suos, non aliter quam priuatus solebat. Nec multum tamen amatus est. Siquidem omnes qui libere fabulas conferebant, male Pertinaci loquebantur; *chrestologum eum appellantes, qui bene loqueretur, & male faceret. nam & ciues sui, qui ad eum confluxerant iam imperatorem, & nihil de eo meruerant, sic eum appellabant. Munera quoque lucri libidine libenter accepit. Reliquit filium & filiam superstites. Habuit vxorem Flauii Sulpiciani filiam, quam præf. vrbi loco suo fecerat. Circa vxoris pudicitiam minus curiosus fuit, quum palam citharœdum illa diligeret: ipse præterea Cornificiam *infamissime dicitur dilexisse. Libertos aulicos [vehementissime] compressit: vnde grande quoque odium contraxit. Signa interitus hæc fuerunt: Ipse ante triduum quam occideretur, in piscina sibi visus est videre hominem cum gladio infestantem. Et ea die qua occisus est, negabant in oculis* eius pupulas cum imaginibus, quas reddunt spectantibus, visas. Et quum apud lares sacrificaret, carbones viuacissimi exstincti sunt, quum inflammari soleant. & (vt supra dictum est) cor & caput in hostiis non est repertum. Stellæ etiam iuxta solem per diem visæ sunt clarissimæ ante *dies quam obiret. Et ipse omen de Iuliano successore dedisse dicitur. Nam quum ei Didius Iulianus fratris filium obtulisset, cui desponderat filiam suam, adhortatus iuuenem ad patrui obseruationem, ad-

iecit,

iecit, *Obserua collegam & successorem meum:* nam ante Iulianus ei & in consulatu collega fuerat, & in proconsulatu successerat. Milites eum & aulici odio habuerunt: populus mortem eius indignissime tulit, quia videbat omnia per eum antiquata posse restitui. Caput eius conto fixum, milites qui eum occiderant, per vrbem in castra pertulerunt. Reliquiæ eius recuperato capite, in sepulcro aui vxoris locatæ sunt. Et Iulianus successor illius, corpus eius quanto potuit honore funeratus est, quũ id in palatio repetisset: qui numquam eius vllam mentionem vel apud populum vel apud senatum publice fecit: sed quum ipse quoque a militibus desertus iam esset, per senatum & populum Pertinax in deos relatus est. Sub Seuero autem Imperatore, quum senatus ingens testimonium habuisset Pertinax, funus imaginarium ei & censorium ductum est, & ab ipso Seuero funebri laudatione honoratus est. Ipse autem Seuerus amore boni principis, a senatu Pertinacis nomen accepit. Filius Pertinacis, patri flamen est factus. Marciani sodales, qui diui Marci sacra curabant, Heluiani sunt dicti propter Heluium Pertinacem. Circenses, & imperii natalis additi, (qui a Seuero postea sublati sunt) & *Genitalis, qui manent. Natus autem Cal. Augustis, Vero & Bibulo coss. [Interfectus est V Kal. April. Falcone & Claro coss.] Vixit annis LX, mensibus VII, diebus XXVI. Imperauit mensibus II, diebus XXV. Congiarium dedit populo denarios centenos. Prætorianis promisit duodena milia nummûm: sed dedit sena. Quod exercitibus promissum est, datum nõ est: quia mors eum præuenit. Horruisse autem illum imperium, epistola docet quæ vitæ illius a Mario Maximo apposita est: quam ego inseri, ob nimiam longitudinem nolui.

ÆLII SPARTIANI
DIDIVS IVLIANVS,
AD DIOCLETIANVM AVG.

DIDIO Iuliano, qui post Pertinacem imperium adeptus est, proauus fuit *Saluius Iulianus, bis consul, præfectus vrbi, & iurisconsultus: *quod magis eum nobilem fecit. Mater Clara AEmilia: pater Petronius Didius Seuerus: fratres Didius Proculus, & Nummius Albinus: auunculus Saluius Iulianus: auus paternus, Insubris Mediolanensis; maternus, ex *Adrumentina colonia. Educatus est apud Domitiam Lucillam, matrem Marci Imperatoris. Inter viginti viros electus est suffragio matris Marci. Quæstor *ante annũ quam legitima ætas sinebat, designatus est. AEdilitatem suffragio Marci consequutus est. Prætor eiusdem suffragio fuit. Post præturam legioni præfuit in Germania vicesimæ secundæ primigeniæ. Inde Belgicam sancte ac diu rexit. Ibi Cauchis, Germaniæ populis qui Albim fluuium accolebant, erumpentibus restitit, tumultuariis auxiliis prouincialium: ob quæ consulatum meruit, testimonio Imperatoris. Cattos etiam debellauit. Inde Dalmatiam regendam accepit, eamque a confinibus hostibus vindicauit. Post, Germaniam inferiorem rexit. Post hoc curam alimentorum in Italia meruit. Tunc factus est reus per quemdam Seuerum clarissimum militem, cõiurationis cum *Saluio contra Commodum: sed a Commodo, quia multos iam senatores occiderat, & quidem nobiles ac potentes in caussis maiestatis, ne tristius grauaretur, Didius liberatus est, accusatore damnato. Absolutus, iterum ad regendam prouinciam missus est. Bithyniam deinde rexit: sed non ea fama qua ceteras. Fuit consul cum Pertinace, & in proconsolatu Africæ eidem successit, & semper ab eo collega est & successor appellatus; maxime eo die quum filiam suam Iulianus despondẽs affini suo, ad Pertinacem venisset, idque intimasset. dixitque debita reuerentia, *quia collega & successor meus est.* Statim enim mors Pertinacis sequuta est. Quo interfecto, quum Sulpicianus Imperator in castris appellari vellet, & Iulianus cum genero ad senatum venisset quem indictum acceperat, quumque clausas valuas inue-

inuenisset, atque illic duos tribunos reperisset, P. Florianum & Vectium Aprum, cœperunt cohortari tribuni, vt locum arriperet: quibus quum diceret, iam alium Imperatorem appellatum, retinentes eum ad prætoria castra duxerunt. Sed posteaquam in castra ventum est, quum Sulpiciano præfecto vrbi, socero Pertinacis, cõcionante sibique imperium vindicante, Iulianum e muro ingentia pollicentem nullus admitteret, primum Iulianus monuit prætorianos ne eum facerent Imperatorem qui Pertinacem vindicaret: deinde scripsit in tabulis se Commodi memoriam restituturum: atque ita & admissus est & Imperator appellatus, rogantibus prætorianis ne Sulpiciano aliquid noceret quod Imperator esse voluisset. Tunc Iulianus Flauium Genialem & Tullium Crispinum suffragio prætorianorum præfectos prætoriũ fecit; stipatusque est caterua imperatoria per * Maurentium, qui & ante se Sulpiciano coniunxerat. Sane quum vicena quina milia militibus promisisset, tricena dedit. Inde habita concione militari, vespera in senatum venit, totumque se senatui permisit: factoque senatusconsulto Imperator est appellatus, & tribunitiam potestatẽ, ius proconsulare, in patricias familias relatus, emeruit. Vxor etiam * Mallia Scantilla, & filia eius Didia Clara, Augustæ sunt appellatæ. Inde se ad palatium recepit, vxore ac filia illuc vocatis, trepidis & inuitis eo transeuntibus, quasi iam imminens exitium præsagirent. Præfectum vrbi Cornelium Repentinum, generum suum, fecit in locum Sulpiciani. Erat interea in odio populi Didius Iulianus, ob hoc quod creditum fuerat, emendationem temporum Commodi, Pertinacis auctoritate reparandam: habebaturque ita, quasi Iuliani consilio esset Pertinax interemptus. Etiam hi primum qui Iulianum odisse cœperant, disseminarunt, prima statim die Pertinacis cœna despecta, luxuriosum parasse conuiuium ostreis & altilibus & piscibus adornatũ. quod falsum fuisse constat. Nam Iulianus tantæ parcimoniæ fuisse perhibetur, vt per triduum porcellum, per triduum leporem diuideret, siquis ei forte misisset: sæpe autem nulla existente religione, oleribus leguminibusque contentus, sine carne cœnauerit. Deinde neque cœnauit priusquam sepultus esset Pertinax, & tristissimus cibum ob eius necem sumpsit; & primam noctem vigiliis continuauit, de tanta necessitate sollicitus. Vbi vero primũ illuxit, senatum & equestrem ordinem in palatium venientem admisit: atque vnumquemque, vt erat ætas, vel patrem vel filium, vel parentem affatus blandissime est. Sed populus in rostris atque ante curiam, ingentibus cũ conuitiis lacessebat, sperans deponi ab eo posse imperium quod milites dederant. Lapidationem quoque fecere: descendenti cum militibus & senatu in curiam diras imprecati sunt: rem diuinam facienti ne litaret optarunt. Lapides etiam in eum iecerunt, quum Iulianus manu eos semper placare cuperet. Ingressus autem curiã, placide & prudenter verba fecit. Egit gratias quod esset adscitus, quod [& ipse] & vxor & filia eius Augustorum nomen * acceperunt Patris patriæ quoque nomen recepit: argenteam statuam respuit. * E senatu in Capitolium pergenti populus obstitit: sed ferro & vulneribus, & pollicitationibus aureorum, quos digitis ostendebat ipse Iulianus, (vt fidem faceret) summotus atque depulsus est: inde ad circense spectaculum itum est. Sed occupatis indifferenter omnium subselliis, populus geminauit conuitia in Iulianum; Pescennium Nigrum, qui iam imperare dicebatur, ad vrbis præsidium vocauit. Hæc omnia Iulianus placide tulit, totoque imperii sui tempore mitissimus fuit: populus autem in milites vehementissime inuehebatur, qui ob pecuniam Pertinacem occidissent. Multa igitur quæ Commodus statuerat, Pertinax tulerat, ad conciliandum fauorem populi, restituit. De ipso Pertinace neq; male neque bene quidquam egit: quod grauissimum plurimis visum est. Constitit propter metum militum de honore Pertinacis tacitum esse. Et Iulianus quidem neque Britannicos exercitus, neque Illyricos timebat: Nigrum vero, misso primipilario, occidi præceperat, timens præcipue Syriacos exercitus. Ergo Pescennius Niger in Syria, Septimius Seuerus in * Illyrico cum exercitibus quibus præsidebãt, a Iuliano desciuere. Sed quum ei nuntiatum esset Seuerum desciuisse, quem suspectum non habuerat, perturbatus ad senatum venit: impetrauitque vt hostis Seuerus renuntiaretur: militibus etiam qui Seuerum sequuti fuerant, dies præstitutus, vltra quem si cum Seuero fuissent, hostium numero haberentur. Missi sunt præterea legati a senatu

consu-

consulares ad milites, qui suaderent vt Seuerus repudiaretur, & is esset imperator quem senatus elegerat. Inter ceteros legatus est * Vespronius Candidus, vetus consularis, olim militibus inuisus ob durum & sordidum imperiũ. Missus est successor Seuero Valerius Catulinus: quasi posset ei succedi qui militem iam sibi tenebat. Missus præterea Aquilius centurio, notus cædibus senatoriis, qui Seuerum occideret. Ipse autẽ Iulianus prætorianos in campum deduci iubet, muniri turres: sed milites desides & vrbana luxuria dissolutos, inuitissimos ad exercitium militare* produxit, ita vt vicarios operis quod vnicuique præscribebatur, mercede conducerent. Et Seuerus quidem ad vrbem infesto agmine veniebat: sed Didius Iulianus nihil cum exercitu prætoriano proficiebat; quem quotidie populus & magis oderat & ridebat. Et Iulianus * sperans Lętum fautorem Seueri, quum per eum Commodi manus euasisset, ingratus tanto beneficio, iussit eum occidi: iussit etiam * Marciam interfici. Sed dum hæc * egit Iulianus, Seuerus classem Rauennatem occupat. legati senatus qui Iuliano promiserant operam suã, ad Seuerum transierunt. Tullius Crispinus præfectus prætorio, contra Seuerum missus vt classem produceret, repulsus Romã redit. Hæc quum Iulianus videret, senatum rogauit vt virgines Vestales & ceteri sacerdotes cũ senatu obuiam exercitui Seueri prodirent, & prætentis infulis rogarent: inane contra barbaros milites [præsidium] parans. Hæc tamen agenti Iuliano * Faustus Quinrellus consularis augur contradixit, asserens, non debere imperare eum qui armis aduersario non posset resistere. cui multi senatores consenserunt. Quare iratus Didius, milites e castris petiit qui senatum ad obsequium cogerent, aut obtruncarent. Sed id consilium displicuit. Neque enim decebat * vt quum senatus hostem Seuerum Iuliani caussa iudicasset, eumdem Iulianum pateretur infestum. Quare meliore consilio ad senatum venit, petiitque vt fieret senatusconsultum de participatione imperii. Quod statim factum est. Tunc omen quod sibi Iulianus quum imperium acciperet fecerat, omnibus venit in mentem. Nam quum consul designatus, de eo sententiam dicens, ita pronuntiasset, *Didium Iulianum Imperatorem appellandum esse censeo*, Iulianus suggessit, *Adde & Seuerum*: quod cognomentum aui & proaui sibi Iulianus adsciuerat. Sunt tamen qui dicant nullum fuisse Iuliani consilium de obtruncando senatu, quum tanta in eum senatus contulisset. Post senatusconsultum statim Didius Iulianus vnum ex præfectis Tullium Crispinum misit. Ipse autem tertium fecit præfectum Veturium Macrinum; ad quem Seuerus litteras miserat vt esset præfectus. Sed pacem simulatam [esse] tentatamque cædem Seueri Tullio Crispino præf. prætorii, & populus loquutus est, & Seuerus suspicatus. Denique hostem se Iuliano Seuerus esse maluit quam participem, consensu militum. Seuerus autem statim & ad plurimos Romam scripsit, & occulte misit edicta quæ proposita sunt. Fuit præterea in Iuliano hæc amentia, vt per magos pleraque faceret quibus putaret vel odium populi deleniri, vel militum arma compesci. Nam & quasdam non conuenientes Romanis sacris hostias immolauerunt, & carmina profana incantauerunt, & ea quæ ad * speculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis oculis incantato vertice respicere dicuntur, Iulianus fecit. tuncque puer vidisse dicitur & aduentum Seueri, & Iuliani decessionem. Et Crispinus quidem quum occurrisset præcursoribus Seueri, Iulio * Læto auctore a Seuero interemptus est. Delecta sunt etiam [ea consulta] e senatu. Iulianus conuocato senatu quæsitisque sententiis quid facto opus esset, certi nihil comperit a senatu: sed postea sponte sua gladiatores Capuæ iussit armari per Lollianum Titianum; & Claudium Pompeianum * e Tarracinensi ad participatum euocauit, quod & gener Imperatoris fuisset, & diu militibus præfuisset. Sed hoc ille recusauit, senem se & debilem luminibus respondens. Transierant & ex Vmbria milites ad Seuerum: & præmiserat quidem litteras Seuerus, quibus iubebat interfectores Pertinacis seruari. Breui autem desertus est ab omnibus Iulianus, & remansit in palatio cum vno de præfectis suis Geniali, & genero Repentino. Actũ est denique vt Iuliano senatus auctoritate abrogaretur imperium, & abrogatum est, appellatusque statim Seuerus Imperator, quum fingeretur quod veneno se absumpsisset Iulianus: missi tamen a senatu quorum cura per militem gregarium in palatio idem Iulianus occisus est, fidem Cæsaris implorans, hoc est Seueri. Filiam suam

potitus imperio, dato patrimonio emancipauerat; quod ei cum Augustæ nomine statim sublatum est. Corpus eius a Seuero vxori Manliæ Scantillæ ac filiæ ad sepulturam est redditum, & in proaui monumento translatum, miliario quinto, via Lauicana. Obiecta sane sunt Iuliano hæc, quod gulosus fuisset, quod aleator, quod armis gladiatoriis exercitus esset, eaque omnia senex fecerit, quum ante numquam adolescens his esset vitiis infamatus. Obiecta est etiam superbia, quum ille etiam in imperio fuisset humillimus. Fuit autem contra humanissimus ad conuiuia, benignissimus ad subscriptiones, moderatissimus ad libertatem. Vixit annis quinquaginta sex, mensibus quatuor: imperauit mensibus duobus, diebus quinque. Reprehensum in eo præcipue, quod eos quos regere auctoritate sua debuerat, regendæ reipubl. [sibi] præsules ipse fecisset.

ÆLII SPARTIANI

SEVERVS IMPERATOR

AD DIOCLETIANVM AVG.

INTERFECTO Didio Iuliano, Seuerus Africa oriundus imperium obtinuit: cui ciuitas *Lepris, pater Geta: maiores, equites Romani *ante ciuitatem omnibus datam: mater, Fuluia Pia: patrui, M. Agrippa & Seuerus consulares. auus maternus, Macer; paternus, Fuluius Pius fuere. Ipse natus est Erucio *Claro bis & Seuero coss. VI Idus Apriles. In prima pueritia, priusquam Latinis Græcisque litteris imbueretur, quibus eruditissimus fuit, nullum alium inter pueros ludum nisi ad iudices exercuit, quum ipse prælatis fascibus ac securibus, ordine puerorum circumstante, sederet ac iudicaret. Octauodecimo anno publice declamauit. Postea studiorum causa Romam venit, latum clauum a diuo Marco petiit, & accepit, fauente sibi Septimio Seuero affine suo, bis iam consulari. Quum Romam venisset, hospitem nactus qui Adriani vitam imperatoriam eadem hora legeret, *sibi omen futuræ felicitatis arripuit. Habuit etiam aliud omen imperii. Quum rogatus ad cœnam imperatoriam palliatus venisset, qui togatus venire debuerat, togam præsidiariam ipsius Imperatoris accepit. Eadem nocte somniauit, lupæ se vberibus vt Remum inhærere vel Romulum: sedit & in sella imperatoria temere a ministro posita, ignarus quod non liceret. Dormienti etiam in stabulo serpens caput cinxit, & sine noxa expergefactis & acclamantibus familiaribus abiit. Iuuentam plenam furorum, nonnumquam & criminum, habuit. Adulterii caussam dixit, absolutusque est a Iuliano proconsule; cui & in proconsulatu successit, & in consulatu collega fuit, & in imperio item successit. Quæsturam diligenter egit: omnibus sortibus in actu natus militari. Post quæsturam sorte Bæticam accepit: atque inde Africam petiit, vt mortuo patre rem domesticam componeret. Sed dum in Africa est, pro Bætica Sardinia ei attributa est, quod Bæticam Mauri populabantur. Acta igitur quæstura Sardiniensi, legationem proconsulis Africæ accepit. In qua legatione quum eum quidam municipum suorum Leptitanus, præcedentibus fascibus, vt antiquum contubernalem ipse plebeius amplexus esset, fustibus eum sub elogio eiusdem præconis cecidit, **Legatum P. R. homo plebeius temere amplecti noli.* Ex quo factum est vt in vehiculo etiam legati sederent, qui ante pedibus ambulabant. Tunc in quadam ciuitate Africana quum sollicitus mathematicum consuluisset, positaque hora, ingentia vidisset astrologus, dixit ei, *Tuam, non alienam pone genituram.* cumque Seuerus iurasset suam esse, omnia ei dixit quæ postea facta sunt. Tribunatum plebis Marco Imperatore decernente promeruit, eumque seuerissime *exercitatissimeque egit. Vxorem tunc Marciam duxit, de qua *tacuit in historia vitæ priuatæ. cui postea in imperio statuas collocauit. Prætor designatus a Marco est non in candida, sed in competitorum grege, anno ætatis XXXII. Tunc ad Hispaniã missus somniauit primo, sibi dici vt templũ Tarraconẽse Augusti, quod iã labebatur, restitue-

restitueret. deinde, ex altissimi montis vertice, orbem terrarum Romamque despexit, concinentibus prouinciis lyra, voce, vel tibia. Ludos absens edidit. * Legioni IIII Scythicæ deinde præpositus est circa Massiliam. Post hoc Athenas petiit studiorum sacrorumque causa, & operum ac vetustatum. vbi quum iniurias quasdam ab Atheniensibus pertulisset, inimicus his factus, minuendo eorum priuilegia iam Imperator se vltus est. Deinde Lugdunensem prouinciam legatus accepit. Quum amissa vxore aliam vellet ducere, genituras sponsarum requirebat, ipse quoque matheseos peritissimus: & quum audisset esse in Syria quandam quæ id genituræ haberet vt regi iungeretur, eamdem vxorem petiit, Iuliam scilicet: & accepit interuentu amicorum: ex qua statim pater factus est. A Gallis ob seueritatem & honorificentiam & abstinentiam, tantum quantum nemo dilectus est. Deinde Pannonias proconsulari imperio rexit. Post hoc Siciliam proconsularem sorte meruit, suscepitque Romæ alterum filium. In Sicilia, quasi de imperio vel vates vel Chaldæos consuluisset, reus factus, [apud] præfectos prætorio, quibus audiendus datus fuerat, iam Commodo in odium veniente absolutus est, calumniatore in crucem acto. Consulatum cum Apuleio Rufino primum egit, Commodo se inter plurimos designante. Post consulatum anno ferme fuit otiosus: deinde Læto suffragante, exercitui * Germanico præponitur. Proficiscens ad Germanicos exercitus, hortos spatiosos comparauit, quum antea ædes breuissimas Romæ habuisset, & vnum fundum. In his hortis quum humi iacens epularetur cum filiis parca cœna, pomaque apposita maior filius, qui tunc quinquennis erat, * conlusoribus puerulis manu largiore diuideret, paterque illum reprehendens dixisset, *Parcius diuide: non enim regias opes possides*; quinquennis puer respondit, *Sed possidebo*. In Germaniam profectus, ita se in ea legatione egit, vt famam nobilitatemq; iam ante * cumularet. Et hactenus militarem priuatus egit. Dehinc a * Germanicis legionibus, vbi auditum est Commodum occisum, Iulianum autem cum odio cunctorum imperare, multis hortantibus, repugnans Imperator est appellatus apud * Carnuntum idibus Augustis: qui etiam * sestertia, quod nemo vmquam principum, militibus dedit. Deinde firmatis quas post tergum relinquebat prouinciis, Romam iter contendit, cedentibus sibi cunctis quacumq; iter fecit, quum iam Illyriciani exercitus & Gallicani, cogentibus ducibus, in eius verba iurassent. excipiebatur enim ab omnibus quasi vltor Pertinacis. Per idem tempus auctore Iuliano Septimius Seuerus a senatu hostis est appellatus, legatis ad exercitum senatus verbis missis, qui iuberent vt ab eo milites, senatu præcipiente discederent. Et Seuerus quidem quum audisset senatus consentientis auctoritate missos legatos, primo pertimuit: postea id egit, corruptis legatis, vt apud exercitum pro se loquerentur, transirentque in eius partes. His compertis, Iulianus senatusconsultum fecit fieri de participando imperio cum Seuero. Incertum vere id an dolo fecerit, quum iam ante misisset * notos ducum interfectores quosdam qui Seuerum occiderent, ita vt ad Pescennium Nigrum interficiendum miserat. qui & ipse imperium contra eũ susceperat, auctoribus Syriacis exercitibus. Verum Seuerus, euitatis eorum manibus quos ad se interficiendum Iulianus miserat, missis ad prætorianos litteris, signũ vel deserendi vel occidendi Iuliani dedit: statimque auditus est. Nam & Iulianus occisus est in palatio, & Seuerus Romam inuitatus [Ita,] quod nulli vmquam contigit, nutu tantum Seuerus victor est factus, armatusque Romam contendit.

Occiso Iuliano, quum Seuerus in castris & tentoriis, quasi per hosticum veniens, adhuc maneret, centum senatores legatos ad eum senatus misit ad gratulandum rogandumque: qui ei occurrerunt Interamne, armatumque circumstantibus armatis salutarunt, excussi ne quid ferri haberent. Et postera die occurrente omni famulitio aulico, * septuagenos vicenos aureos legatis dedit: eosdem præmisit, facta potestate si qui vellent remanere, ac secum Romam redire. Fecit etiam statim præfectum præt. Flauium Iuuenalem: quem etiam Iulianus tertium præfect. præt. sibi assumpserat. Interim Romæ ingens trepidatio militum ciuiumque, quod armatus contra eos Seuerus veniret, * qui se hostem iudicassent. His accessit quod comperit Pescennium Nigrum a Syriacis legionibus Imperatorem appellatum: cuius edicta & litteras ad populum vel senatum, intercepit per eos qui missi fuerant, ne vel propo

nerentur populo, vel legerentur in curia. Eodem tempore etiam de Clodio Albino sibi substituendo cogitauit; cui Cæsarianum decretum aut Commodianum videbatur imperium. Sed eos ipsos* pertimescens de quibus recte iudicabat, Heraclitum ad obtinendas Britannias, Plautianum ad occupandos Nigri liberos misit. Quum Romam Seuerus venisset, prætorianos cum subarmalibus inermes sibi iussit occurrere: eosdem sic ad tribunal vocauit, armatis vndique* circumdatis. Ingressus deinde Romam, armatus cum armatis militibus Capitolium ascendit. Inde palatium eodem habitu perrexit, prælatis signis quæ prætorianis ademerat, supinis, non erectis. Tota deinde vrbe milites in templis, in porticibus, in ædibus palatinis quasi in stabulis manserunt: fuitque ingressus Seueri odiosus atque terribilis, quum milites* inempta diriperent, vastationem vrbi minantes. Alia die armatis stipatus non solum militibus sed etiam amicis, in senatum venit. In curia reddidit rationem suscepti imperii: causatusque est quod ad se occidendum Iulianus notos ducum cædibus misisset. Fieri etiam senatusconsultum coegit, ne liceret imperatori inconsulto senatu occidere senatorem. Sed quum in senatu esset, milites per seditionem dena milia poposcerunt a senatu, exemplo eorum qui Augustum Octauianum Romam deduxerant, tantumque acceperant. Et quum eos voluisset comprimere Seuerus, nec potuisset, *tamen mitigatos addita liberalitate dimisit. Funus deinde censorium Pertinacis imagini duxit, eumque inter diuos sacrauit, addito flamine & sodalibus* Heluianis, qui Marciani fuerant. Se quoque *Pertinacem* vocari iussit: quamuis postea id nomen aboleri voluerit, querimonia amicorum. Dehinc æs alienum dissoluit. Filias suas dotatas, maritis Probo &* Aetio dedit. Et quũ Probo genero suo præfecturam vrbis obtulisset, ille recusauit, dixitque, minus sibi videri præfectum esse quam principis generum. Vtrumque autem generum statim consulem fecit, vtrumque ditauit. Alia die ad senatum venit, & amicos Iuliani incusatos, proscriptioni ac neci dedit. Causas plurimas audiuit. Accusatos a prouincialibus iudices, probatis rebus grauiter puniuit. Rei frumentariæ, quam minimam reperetat, ita consuluit, vt excedens ipse vita, septem annorum canonem* P. R. relinqueret. Ad Orientis statum confirmandum profectus est, nihil adhuc de Nigro palam dicens. Ad Africam tamen legiones misit, ne per Libyam & AEgyptum Niger Africam occuparet, ac P. R. penuria rei frumentariæ perurgeret. Domitium Dextrũ in locũ Bassi præf. vrbi reliquit; atque intra triginta dies quam Romã venerat, est profectus. Egressus ab vrbe, ad saxa rubra, seditionem ingentem ob locum castrorum metandorum, ab exercitu passus est. Occurrit ei statim & Geta frater suus, quẽ prouinciam sibi creditam regere præcepit aliud sperantem. Nigri liberos ad se adductos, in eo habuit honore quo suos. Miserat sane legionem quæ Græciam Thraciamque* præriperet, ne eas Pesceonius occuparet: sed iam Byzantium Niger tenebat. Perinthum etiam Niger volens occupare, plurimos de exercitu interfecit: atq; ideo hostis cum AEmiliano est appellatus: quumque Seuerum ad participatum vocaret, contemptus est. Promisit sane Nigro tutum exsilium, si vellet: AEmiliano autẽ non ignouit. AEmilianus dehinc victus in Hellesponto a Seueri ducibus, Cyzicum primum confugit, atque inde in aliam ciuitatem: in qua eorum iussu occisus est. Fusæ sunt irẽ copiæ ab iisdem ducibus, etiam Nigri. His auditis, ad senatũ Seuerus Pertinax, quasi confectis rebus, litteras misit. deinde conflixit cum Nigro, eumque apud* Cyzicum interemit, caputque eius pilo circumtulit. Filios Nigri post hoc, quos suorum liberorum cultu habuerat, in exsilium cum matre misit. Litteras ad senatum de victoria dedit. Neque quemquam senatorum qui Nigri partium fuerant, præter vnum, supplicio affecit. Antiochensibus iratior fuit, quod & administrantem se in Oriente riserant, & Nigrum etiam* victu iuuerant. denique multa his ademit. Neapolitanis* etiam Palæstinensibus ius ciuitatis* tulit, quod pro Nigro diu in armis fuerant. In multos animaduertit, præter ordinem senatorium, qui Nigrum fuerant sequuti. Multas etiam ciuitates eiusdem partis, iniuriis affecit & damnis. Eos senatores occidit qui cum Nigro militauerant ducum vel tribunorum nomine. Deinde circa Arabiam plura gessit, Parthis etiam in dicionem redactis, necnon etiam Adiabenis: qui quidem omnes cum Pescennio senserant. Atque ob hoc reuersus triumpho dela-

delato, appellatus est *Arabicus, Adiabenicus, Parthicus*. Sed triumphum respuit, ne videretur de ciuili triumphare victoria. recusauit & Parthicum nomen, ne Parthos lacesseret. Redeunti sane Romam, post bellum ciuile Nigri, aliud bellũ ciuile Clodii Albini nuntiatum est, qui rebellauit in Gallia: quare postea occisi sunt filii * Nigri cum matre. Albinum igitur statim hostem iudicauit, & eos qui ad illum mollius vel scripserunt vel rescripserant. Et quũ iret contra Albinum, in itinere apud Viminatiũ filium suum maiorem *Bassianum*, apposito *Aurelii Antonini* nomine, Cæsarem appellauit vt fratrem suum Getam ab spe imperii, quam ille conceperat, submoueret. Et nomen quidem Antonini idcirco filio apposuit, quod somniauerat, Antoninum sibi successurum. Vnde Getam etiam quidam Antoninum putant dictum, vt & ipse succederet in imperio. Aliqui putant idcirco illum Antoninum appellatum, quod Seuerus ipse in Marci familiam transire voluerit. Et primo quidem ab Albinianis Seueri duces victi sunt. Tunc sollicitus quum consuleret a Pannoniacis auguribus, comperit se victorem futurum, aduersarium vero nec in potestatem venturum, nec euasurum, sed iuxta aquam esse periturum. Multi statim amici Albinum deserentes venere; multi duces capti sunt, in quos Seuerus animaduertit. Multis interim varie gestis in Gallia, primo apud * Tinurtium contra Albinum felicissime pugnauit Seuerus. quum quidem ingens periculum equi casu adiit; ita vt mortuus ictu plumbeæ crederetur: ita vt alius iam pene Imperator ab exercitu deligeretur. Eo tempore lectis actis quæ de Clodio Celsino laudando, qui Adrumetinus & affinis Albini erat, facta sunt, iratus senatui Seuerus, quasi hoc Albino senatus præstitisset, Commodum inter diuos referendum esse censuit, quasi hoc genere se de senatu posset vlcisci: primusque inter milites diuum Commodum pronuntiauit, idque ad senatum scripsit addita oratione victoriæ. Senatorum deinde qui in bello erant interempti, cadauera dissipari iussit. Deinde Albini corpore allato, pene seminecis caput abscindi iussit, Romamque deferri: idque litteris prosequutus est. Victus est Albinus die XI Calendas Martii. Reliquum autem cadauer eius ante domum * propriam exponi ac diuidi iussit. Equum præterea, ipse residens, supra cadauer Albini egit; expauescentemq; admonuit vt effrenatus audacter protereret. Addunt alii quod idem cadauer in Rhodanum abiici præcepit, simul etiam vxoris liberorumque eius. Interfectis innumeris Albini partium viris, inter quos multi principes ciuitatis, multæ fœminæ illustres fuerunt, omniũ bona publicata sunt, ærariumque auxerunt. tum Hispanorum & Gallorum proceres multi occisi sunt. Denique militibus tantum stipendiorum quantum nemo principum, dedit. Filiis etiam suis ex hac proscriptione tantum reliquit quantum nullus Imperatorum, quum magnam partem auri per Gallias, per Hispanias, per Italiam Imperator iam fecisset: tumque primum priuatarum rerum procuratio constituta est. Multi sane post Albinum, fidem ei seruantes, bello a Seuero superati sunt. Eodem tempore etiam legio Arabica defecisse ad Albinum nuntiata est. Vltus igitur grauiter Albinianam defectionem, interfectis plurimis, genere quoque eius exstincto, iratus populo & senatoribus Romam venit. Commodum in senatu & concione laudauit, deum appellauit, infamibus displicuisset dixit: vt appareret eum apertissime furere. Post hoc de sua clementia disseruit, quum crudelissimus fuerit, & senatores infra scriptos occiderit. Occidit autem sine causæ dictione hos nobiles, Mummium Secundinum, Asellium Claudianum, Claudium Rufum, Vitalium Victorem, Papium Faustum, AElium Celsum, Iulium Rufum, Lollium Professum, * Aruncuieium Cornelianum, Antoninum Balbum, Posthumium Seuerum, Sergium Lustralem, Fabium Paulinum, Nonium * Gracchum, Mustium Fabianum, Casperium Agrippinum, Ceionium Albinum, Claudium Sulpicianum, Memmium Rufinum, Caspetium AEmilianum, Cocceium Verum, Erucium Clarum, L. Stilonem, Clodium Rufum, Egnatuleium Honoratum, Petronium Iuniorem, Pescennios, Festum & * Neratianum, & Aurelianum * & Materianum, & Iulianum & Albinum: Cerellios, Macrinum & Faustinianum & Iulianum: Herennium Nepotem, * Sulpicium Canum, Valerium Catulinum, Nouium Rufum, Claudium Arabianum, Marcum Asellionem. Horum igitur tantorum ac tam illustrium virorum (nam multi in his con-

ſulares, multi prætorii, omnes certe ſummi viri fuere) interfector, ab Afris vt deus habetur. Cincium Seuerum calumniatus eſt quod ſe veneno appetiſſet; atque ita interfecit. Narciſſum deinde Commodi ſtrangulatorem leonibus obiecit. Multos præterea obſcuri loci homines interemit, præter eos quos ius prœlii abſumpſit. Poſt hæc quum ſe vellet commendare hominibus, vehicularium munus a priuatis ad fiſcum traduxit. Cæſarem deinde Baſſianum Antoninum a ſenatu appellari iuſſit, decrens imperatoriis inſignibus. Rumore deinde belli Parthici exſtincto, patri, matri, auo, & vxori priori, per ſe ſtatuas collocauit. Plautianum ex amiciſſimo, cognita eius vita, ita odio habuit vt & hoſtem publicum appellaret, & depoſitis ſtatuis eius per orbem terræ graui eum inſigniret iniuria, iratus præcipue quod inter propinquorum & affinium Seueri ſimulacra ſuam ſtatuam ille poſuiſſet. Palæſtinis pœnam remiſit quam ob cauſſam Nigri meruerant. Poſtea iterum cum Plautiano in gratiam rediit; & veluti ouans vrbem ingreſſus, Capitolium petiit: quamuis & ipſum procedenti tempore occiderit, Getæ minori filio togam virilem dedit; maiori, *Plautiani filiam vxorem iunxit Hi qui hoſtem publicum Plautianum dixerant, deportati ſunt. ITA *omnium rerum ſemper quaſi naturali lege mutatio eſt.* Filios deinde conſules deſignauit. Getam fratrẽ extulit. Profectus dehinc ad bellum Parthicum eſt, edito gladiatorio munere, & cõgiario populo dato Multos inter hæc cauſis vel veris vel ſimulatis occidit. Damnabantur aũt pleriq; cur iocati eſſent, alii cur tacuiſſent, alii cur pleraq; figurata dixiſſent, vt eſſet *imperator vere nominis ſui, vere Pertinax, vere Seuerus*. Erat ſane in ſermone vulgari, Parthicũ bellum affectare Septimium Seuerum, gloriæ cupiditate, non aliqua neceſſitate deductum. Traiecto denique exercitu, a Brunduſio continuato itinere, venit in Syriam, Parthosq; ſubmouit. Sed poſtea in Syriam rediit, ita vt ſe pararet ac bellum Parthis inferret. Inter hæc Peſcennianas reliquias Plautiano auctore perſequebatur, ita vt nonnullos etiam ex amicis ſuis quaſi vitæ ſuæ inſidiatores appeteret. Multos etiam, quaſi Chaldæos aut vates de ſua ſalute conſuluiſſent, interemit: præcipue ſuſpectos vnumquemque idoneum imperio, quum ipſe paruulos adhuc filios haberet; idque dici ab his vel crederet vel audiret qui ſibi augurabantur imperium. Denique quum occiſi eſſent nonnulli, Seuerus ſe excuſabat: & poſt eorum mortem negabat fieri ſe iuſſiſſe quod factum eſt: quod de Læto præcipue Marius Maximus dicit. Quum ſoror ſua Leptitana ad eum veniſſet vix Latine loquens, ac de illa multum Imperator erubeſceret, dato filio eius lato clauo, atque ipſi multis muneribus, redire mulierem in patriam præcepit; & quidem cum filio, qui* breui vita defunctus eſt. Æſtate igitur iam exeũte, Parthiam ingreſſus, Creſiphontem pulſo rege peruenit, & cepit hiemali prope tempore, (quod in illis regionibus melius per hiemem bella tractantur) quum herbarum radicibus milites viuerent, atq; inde morbos ægritudinesque contraherent. quare quum obſiſtentibus Parthis, fluente quoque per inſuetudinem cibi aluo militum, longius ire non poſſet, tamen perſtitit, & oppidum cepit, & regem fugauit, & plurimos interemit, & Parthicum nomen meruit. Ob hoc etiam filium eius Baſſianum Antoninum, qui Cæſar appellatus iam fuerat, annum decimumtertium agentem, participem imperii dixerunt milites. Getam quoque minorem filium Cæſarem dixerunt eumdem Antoninum, vt plerique in litteras tradunt, appellantes. Harum appellationum cauſſa donatiuum militibus largiſſimum dedit, conceſſa omni præda oppidi Parthici; quod milites quærebant. Inde in Syriam rediit victor; & Parthicum deferentibus ſibi patribus triumphum, idcirco recuſauit, quod conſiſtere in curru affectus articulari morbo non poſſet: filio ſane conceſſit vt triumpharet: cui ſenatus Iudaicum triumphum decreuerat, idcirco quod & in Syria res bene geſtæ fuerant a Seuero. Deinde quum Antiochiam tranſiſſet, data virili toga filio maiori, ſecum eum conſulem deſignauit, & ſtatim in Syria conſulatum inierunt. Poſt hoc dato ſtipendio cumulatiore militibus, Alexandriam petiit. In itinere Palæſtinis p'uri ma iura fundauit. Iudæos fieri ſub graui pœna vetuit. Idem etiam de Chriſtianis ſanxit. Deinde* Alexandrinis ius buleutarum dedit; qui ſine publico conſilio, ita vt ſub regibus, ante viuebant vno iudice contenti quem Cæſar dediſſet. Multa præterea his iura mutauit. Iucundam ſibi peregrinationem hanc propter

*religio-

*religionem dei Serapidis, & propter nouitatem animalium *vel locorum fuisse, Seuerus ipse postea semper ostendit. Nam & *Memphin & Memnonem, & pyramides, & labyrinthum, diligenter inspexit. Et quoniam longum est minora persequi, huius magnifica illa; Quod victo & occiso Iuliano, prætorianas cohortes exauctorauit: Pertinacem contra voluntatem militum in deos retulit: Saluii Iuliani decreta iussit aboleri: quod non obtinuit. Denique cognomentum Pertinacis non tam ex sua voluntate quam ex morum parcimonia videtur habuisse. Nam & infinita multorum cæde crudelior habitus, & quum quidam ex hostibus eidem se suppliciter obtulisset, dixissetque ille* quid facturus esset, non mollitus tam prudente dicto, interfici eum iussit. Fuit præterea delendarum cupidus factionum: prope a nullo congressu nisi* victor. Persarum regem *Abagarum subegit. Arabas in *deditionem accepit. Adiabenos in tributarios coegit. Britanniam (quod maximum eius imperii decus est) muro per transuersam insulam ducto, vtrimque ad finem oceani muniuit: vnde etiam *Britannici* nomen accepit. Tripolim, vnde oriundus erat, contusis bellicosissimis gentibus, securissimam reddidit: ac pacem diuturnam, oleum gratuitum, & fœcundissimum *agrum donauit. *Idem cum implacabilis delictis fuit, tum ad eligendos industrios quosque iudicii singularis. Philosophiæ ac dicendi studiis satis deditus; doctrinæ quoque nimis cupidus. Latronum vbique hostis, vitam suam priuatam publicamque ipse composuit ad fidem, solum tamen viuũ crudelitatis excusans. De hoc senatus ita iudicauit, *illum aut nasci nõ debuisse, aut [non] mori, quod & nimis crudelis, & nimis vtilis reip. videretur. Domi tamen minus cautus, qui vxorem Iuliam famosam adulteriis tenuit, etiam coniurationis consciam. Idem quum pedibus æger bellum moraretur, idque milites anxie ferrent, eiusque filium Bassianum qui vna erat, Augustum fecissent, tolli se atque in tribunal ferri iussit: adesse deinde omnes tribunos, centuriones, duces, & cohortes, quibus auctoribus id acciderat: sisti deinde filium qui Augusti nomen acceperat. quumque animaduerti in omnes auctores facti, præter filium, iuberet, rogareturque omnibus ante tribunal prostratis, caput manu contingens ait, *Tandem sentitis caput imperare, non pedes.* Huius dictum est, quum eum ex humili per litteratum & militiæ officia ad imperium *plurimis gradibus fortuna duxisset, *Omnia (inquit) fui, & nihil expedit.* Periit Eboraci in Britannia, subactis gentibus quæ Britanniæ videbantur infestæ, anno imperii decimooctauo, morbo grauissimo exstinctus iam senex. Reliquit filios duos, Antoninum Bassianum, & Getam, cui & ipsi in honorẽ Marci, Antonini nomen imposuit. Illatus sepulcro Marci Antonini, quem ex omnibus imperatoribus tantum coluit, vt & Commodum in diuos referret, & Antonini nomen omnibus deinceps quasi Augusti adscribẽdum putaret. Ipsi a senatu, a gentilibus liberisque eius funus amplissimũ exhibitum fuit, atq; inter diuos est relatus. Opera publica præcipue eius exstant, septizonium & thermæ Seuerianæ. Eius denique etiam *ianuæ in Transtiberina regione ad portam nominis sui; quarum *forma intercidens statim vsum publicum inuidit. Iudicium de eo post mortem magnum omnium fuit, maxime quod diu nec a filiis eius boni aliquid reip. venit: & postea inuadentibus multis remp. res Romana prædonibus direptui fuit. Hic tam exiguis vestibus vsus est, vt vix tunica eius aliquid purpuræ haberet, [&] cum hirta chlamyde humeros velaret: cibi parcissimus, leguminis patrii auidus, vini aliquando cupidus, carnis frequenter ignarus. Ipse decorus, ipse ingens, promissa barba, cano capite & crispo, vultu reuerendus, canorus voce, sed Afrum quiddam vsque ad senectutem sonans: ac multum post mortem amatus, vel inuidia deposita, vel crudelitatis metu. Legisse me apud Ælium Maurum *Phlegontis Tralliani libertũ memini, Septimiũ Seuerum *immoderatissime quum moreretur lætarum, quod duos Antoninos pari imperio reipubl. relinqueret, exemplo Pii, qui Verum & Marcum Antoninos per adoptinnem filios reipubl. reliquit: hoc melius, quod ille filios per adoptionem, hic per se genitos, rectores Romanæ reipubl. daret, Antoninum scilicet Bassianum, quem ex priore matrimonio susceperat & Getam, quem de Iulia genuerat. Sed illum multum spes fefellit. Nam vnum, parricidium; alterum, sui mores reipubl. inuiderunt: sanctumque illud nomen in nullo diu bene mansit. Et reputanti mihi,

Diocletiane Auguste, neminem prope magnorum virorum optimum & vtilem filium reliquisse, satis claret. Denique aut sine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt plerique, vt melius fuerit de rebus humanis sine posteritate discedere. Et vt ordiamur a Romulo, hic nihil liberorum reliquit, nihil Numa Pompilius, quod vtile posset esse reipubl. Quid Camillus? num sui similes liberos habuit? Quid Scipio? Quid Catones, qui magni fuerunt? Iam vero quid de Homero, Demosthene, Virgilio, Crispo, & Terentio, Plauto, ceterisque aliis loquar? Quid de Cæsare? Quid de Tullio, cui soli melius fuerat liberos non habere? Quid de Augusto, qui nec adoptiuum bonum filium habuit, quum illi eligendi potestas fuisset ex omnibus? Falsus est etiam ipse Traianus in suo municipe ac nepote deligendo. Sed vt omittamus adoptiuos, ne nobis Antonini Pius & Marcus numina reipublicæ occurrant, veniamus ad genitos. Quid Marco felicius fuisset, si Commodum non reliquisset heredem? Quid Seuero Septimio, si Bassianum non genuisset? qui statim insimulatum fratrem insidiarum contra se cogitatarum, parricidiali etiam figmento interemit: qui nouercam, matrem quinimmo, in cuius sinu Getam filium eius occiderat, vxorem duxit: qui Papinianum iuris asylum & doctrinæ legalis thesaurum, quod parricidium excusare noluisset, occidit; & præfectum quidem suum, ne homini per se & per scientiam suam magno deesset & dignitas. Denique, vt alia omittam, ex huius moribus factum puto vt Seuerus tristior vir ad omnia, immo etiam crudelior, pius & dignus deorum altaribus duceretur. qui quidem diuinam Sallustii orationem qua Micipsa filios ad pacem hortatur, ingrauatus morbo, misisse filio dicitur maiori. idque frustra, *& hominem tantum valetudine. Vixit denique in odio populi diu Antoninus, nomenque illud venerabile diu, minus amatum est: quamuis & vestimenta populo dederit, (vnde *Caracallus* est dictus) & thermas magnificentissimas fecerit. Exstat sane Romæ Seueri porticus, gesta eius exprimens, a filio, quantum plurimi docent, structa. Signa mortis eius hæc fuerunt: Ipse somniauit quatuor aquilis & gemmato curru, præuolante nescio qua ingenti humana specie, ad cœlum se raptum, quumque raperetur, octoginta & nouem numeros explicuisse: (vltra quot annos ne vnum quidem annum vixit: nam ad imperium senex venit) quumque positus esset in circulo ingenti æreo, diu solus & destitutus stetit. quum vereretur autem ne præceps rueret, a Ioue se vocatum vidit, atque inter Antoninos locatum. Die circensium, quum tres* victoriæ more solito essent locatæ gypseæ cum palmis, media quæ ipsius nomine *adscriptum orbem palmis tenebat, vento icta, de podio stans decidit, & humi constitit. eaque quæ Getæ nomine inscripta erat, corruit, & omnis comminuta est: illa vero quæ Bassiani titulum præferebat, amissa palma venti turbine vix constitit. Post* murum apud vallum missum in Britannia, quũ ad proximam mansionem rediret, non solum victor, sed etiam in æternum pace fundata, voluens animo quid ominis sibi occurreret, AEthiops quidam e numero militari, claræ inter scurras famæ, & celebratorum semper iocorum, cum corona e cupressu facta eidem occurrit. Quem quum ille iratus remoueri ab oculis præcepisset, & coloris eius tactus omine & coronæ, dixisse ille dicitur ioci causa, *Totum fuisti, totum vicisti; iam deus esto victor.* Et in ciuitatem veniens, quum rem diuinam vellet facere, primum ad Bellonæ templum ductus est errore aruspicis rustici; deinde hostiæ furuæ sunt applicitæ. Quod quum esset aspernatus, atque ad palatium se reciperet, negligentia ministrorum nigræ hostiæ vsque ad limen domus palatinæ Imperatorem sequutæ sunt. Sunt per plurimas ciuitates opera eius insignia. Magnum vero illud in ciuitate eius, quod Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, instaurauit, nusquam prope suo nomine adscripto, seruatis tamen vbique titulis conditorum. Moriens, septem annorum canonem, ita vt quotidiana septuagintaquinque milia modiorum expendi possent, reliquit: olei vero tantum, vt per quinquennium non solum vrbis vsibus, sed & totius Italiæ, quæ oleo egeret, sufficeret. Vltima verba eius dicuntur hæc fuisse; *Turbatam Rempubl. vbique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo, senex & pedibus æger, firmum imperium Antoninis meis relinquens, si boni erunt, imbecillum, si mali.* Iussit deinde signum tribuno dari, *Laboremus*: quia Pertinax, quando in imperium adscitus est, signum dederat, *Militemus.*

temus. Fortunam deinde regiam, quæ comitari principes & in cubiculis poni solebat, geminare statuerat, vt sacratissimum simulacrum vtrique relinqueret filiorum. Sed quum videret se perurgeri sub horam mortis, iussisse fertur vt alternis diebus apud filios imperatores in cubiculis Fortuna poneretur. Quod Bassianus prius contempsit quam faceret particidium. Corpus eius a Britannia Romam vsque cum magna prouincialium reuerentia susceptum est: quamuis aliqui vrnulam auream tantum fuisse dicant, Seueri reliquias continentem, eamdemque Antoninorum sepulcro illatam, quum Septimius Seuerus Pertinax illic vbi vita functus est, esset incensus. Quum * septizonium faceret, nihil aliud cogitauit quam vt ex Africa venientibus suum opus occurreret: & nisi absente eo per præfectum vrbis medium simulacrũ eius esset locatum, aditum palatinis ædibus, id est regium atrium, ab ea parte facere voluisse perhibetur: quod etiam post Alexander quum vellet facere, ab aruspicibus dicitur esse prohibitus, quum hoc sciscitatus non litasset.

ÆLII SPARTIANI

PESCENNIVS NIGER,

AD DIOCLETIANVM AVG.

RARVM atque difficile est vt quos tyrannos aliorum victoria fecerit, bene mittantur in litteras: atque ideo vix omnia de his plene in monumentis atque annalibus habentur. Primum enim quæ magna sunt, in eorum honorem ab scriptoribus deprauantur; deinde alia supprimuntur: postremo non magna diligentia * eorum generatio ac vita requiritur, quum satis sit audaciam eorum & bellum in quo victi fuerint, ac pœnã, proferre. PESCENNIVS ergo NIGER, vt alii tradunt, modicis parentibus; vt alii, nobilibus fuisse dicitur; patre Annio Fusco, matre Lampridia, auo curatore Aquini, ex qua familia originem ducebat: quod quidem dubium etiam nunc habetur. Hic eruditus mediocriter, moribus ferox, diuitiis immodicus, vita parcus, libidinis effrenatæ ad omne genus cupiditatum. Ordines diu duxit, multisque ducatibus peruenit vt exercitus Syriacos iussu Commodi regeret, suffragio maxime athletæ qui Commodum strangulauit; vt omnia tunc fiebant. Is posteaquam comperit occisum Commodum, Iulianum Imperatorem appellatum, eumdemque iussu Seueri & senatus occisum, Albinum etiam in Gallia sumpsisse nomẽ Imperatoris, ab exercitibus Syriacis, quos regebat, appellatus est Imperator; vt quidam dicunt, magis in Iuliani odium quam in æmulationem Seueri. Huic, ob detestationem Iuliani, primis Imperii diebus ita Romæ fautum est a senatoribus dumtaxat, qui & Seuerum oderant, vt inter lapidationes exsecrationesque omnium, illi feliciter * optaretur, illum Principem * insuper, & illum Augustum populus acclamaret. Iulianum autem oderant populares, quod Pertinacem milites occidissent, & illum Imperatorem aduersa populi voluntate appellassent. Denique ingentes ob hoc sediones fuerunt. Ad occidendum autem Nigrum, primipilarem Iulianus miserat, stulte, ad eum qui haberet exercitus, & se tueri posset: * perinde quasi qualislibet imperator a primipilario posset occidi. Eadem autem dementia etiam Seuero iam Principi Iulianus successorem miserat. Denique etiam Aquilium centurionem, notum cædibus ducem miserat, quasi imperator tantus a centurione posset occidi. Par denique insania fuit quod cum Seuero ex interdicto de imperio egisse fertur, vt iure videretur ad principatum peruenisse. Et de Pescennio Nigro iudicium populi ex eo apparuit, quod quum ludos circenses Iulianus Romæ daret, & indiscrete subsellia circi maximi repleta essent, ingentiq; iniuria populus affectus esset, per omnes vno consensu Pescennius Niger ad tutelam vrbis est expetitus, odio (vt diximus) Iuliani, & amore occisi Pertinacis: * cui quidẽ Iulianus dixisse fertur, *Nec sibi neq; Pescennio longum imperiũ deberi, sed Seuero, qui magis esset odio habẽdus a senatoribus, militibus, prouincialibus, popularibus:* q; probauit rei euentus.

euentus. Et Pescennius quidē Seuero, eo tēpore quo Lugdunensem prouinciā regebat, amicissimus fuit: nā ipse missus erat ad cōprehendendos desertores qui innumeri Gallias tunc vexabant. In quo officio quod se honeste gessit, iucundissimum fuit Seuero, ita vt de eo ad Commodum Septimius referret, asserens necessarium reip. virum. Et re vera in re militari vehemens fuit. Numquam sub eo miles prouinciali lignum, oleum, operam extorsit. ipse a milite nihil accepit: quum tribunatus ageret, nihil accipi passus est. Nam & Imperator tribunos duos quos constitit stellaturas accepisse, lapidibus obrui ab auxiliaribus iussit. Exstat epistola Seueri * qua scribit ad Rogonium Celsum Gallias regentem: *Miserum est vt imitari eius disciplinam militarem non possimus, quem per bellum vicimus. Milites tui vagantur, tribuni medio die lauant, pro tricliniis popinas habent, pro cubiculis meritoria. saltant, bibunt, cantant, & * mēsuris conuiuiorum vacant, quum sine mensura potent. Hæc si vlla vena paternæ disciplinæ [in nobis] viueret, fierent? Emenda igitur primum tribunos, deinde militem: quem quamdiu timueris, tamdiu timeberis. Sed scias id de Nigro, militem timere non posse, nisi integri fuerint tribuni & duces militum.* Hæc de Pescennio Seuerus Augustus, adhuc milite. Marcus Antoninus ad Cornelium Balbum; *Pescennium mihi laudas: agnosco. nam & decessor tuus eum manu strenuum, vita grauem, & iam tum plusquam militem dixit. Itaque misi litteras recitandas ad signa, quibus eum trecentis * Armenicis, & centum Sarmatis, & mille nostris præesse iussi. Tuum est ostendere hominem non ambitione (quod nostris non conuenit moribus) sed virtute venisse ad eum locum quem auus meus Adrianus, quem Traianus proauus, non nisi exploratissimis dabat.* De hoc eodem Commodus; *Pescennium fortem virum noui, & ei tribunatus iam duos dedi: ducatum mox dabo, vbi per senectutem AElius Corduenus rempublicam recusauerit.* Hæc de eo iudicia omnium fuerūt. Sed & Seuerus ipse sæpe dixit, ignoturum se Pescennio, nisi perseueraret. A Commodo denique Pescennius c o s. declaratus, Seuero præpositus est: & quidem irato quod primipilaribus commendantibus, consulatum Niger mereretur. In vita sua Seuerus dicit, se, priusquam filii sui id ætatis haberent vt imperare possent, ægrotantem id in animo habuisse vt, si quid forte sibi accidisset, Niger Pescennius eidem & Clodius Albinus succederent; qui ambo Seuero grauissimi hostes exstiterant. Vnde apparet quod etiam Seueri de Pescennio iudicium fuerit. Si Seuero credimus, fuit gloriæ cupidus Niger, vita fictus, moribus turpis; ætatis prouectæ quum imperium inuasit: ex quo cupiditates eius incusat; * perinde quasi Seuerus minor ad imperium venerit, qui annos suos contrahit, quum decem & octo annis imperarit, & octogesimo nono perierit. Sane Seuerus Heraclitum ad obtinendam Bithyniam misit, Fuluium autem ad occupandos adultos Nigri filios: nec tamen in senatu quidquam de Nigro Seuerus dixit, quum iam audisset de eius imperio, ipse autem proficisceretur ad componendum Orientis statum: tantum sane illud fecit proficiscens, vt legiones ad Africam mitteret, ne eam Pescennius occuparet, & fame populum Romanum perurgeret. * Et videbatur id facere posse per Libyam AEgyptumque vicinas Africæ, difficili licet itinere ac nauigatione. Et Pescennius quidem, veniente ad Orientem Seuero, Græciam, Thracias, Macedoniam, interfectis multis * illustribus viris, tenebat, ad participatum imperii Seuerum vocans: a quo, causa eorum quos occiderat, cum AEmiliano hostis est appellatus: deinde a ducibus Seueri per AEmilianum pugnans victus est. Et quum illi tutum exsilium promitteret si ab armis recederet, persistens iterum pugnauit, & victus est, atque apud Cyzicum circa paludem fugiens sauciatus; & sic ad Seuerum adductus, atque statim mortuus. Huius caput circumlatum pilo, Romam missum; filii occisi, necata vxor, patrimonium publicatum, familia omnis exstincta. Sed hæc omnia, posteaquam de Albini rebellione cognitum est, facta sunt: nam prius & filios Nigri & matrem in exsilium miserat. Sed exarsit secundo ciuili bello, imo & iam tertio, & factus est durior. Tunc enim innumeros senatores interemit Seuerus, & ab aliis *Syllæ Punici*, ab aliis Marii nomen accepit. Fuit statura Pescennius prolixa, forma decorus, capillo in verticem ad gratiam reflexo; vocis canoræ, ita vt in campo loquens, per mille passus audiretur, nisi ventus aduersaretur: oris verecundi & semper rubidi: ceruice adeo nigra, vt quemadmodum multi dicunt, ab ea *Nigri* nomen acceperit. Cetera corporis parte

candidus

candidus & magis pinguis: vini auidus, cibi parcus, rei venereæ nisi ad creandos liberos prorsus ignarus. Denique etiam sacra quædam in Gallia quæ a castissimis decernuntur, consensu publico celebranda suscepit. Hunc in Commodianis hortis, in porticu curua, pictum de musiuo inter Commodi amicissimos videmus sacra Isidis ferentem: quibus Commodus adeo deditus fuit, vt & caput raderet, & Anubim portaret, & omnes pausas expleret. Fuit ergo miles optimus, tribunus singularis, dux præcipuus, legatus seuerissimus, consul insignis, vir domi forisque conspicuus, imperator infelix. vsui denique reipubl. sub Seuero homine tetrico esse potuisset, si eum eo esse voluisset. Sed deceptus est consiliis Seueri Aureliani; qui filias suas eius filiis despondens, persistere eum fecit in imperio. Hic tantæ fuit auctoritatis, vt ad Marcum primum, deinde ad Commodum scriberet, quum videret prouincias facili administrationum mutatione subuerti: Primum, vt nulli ante quinquennium succederetur prouinciæ præsidi, vel legato, vel procõsuli; quod prius deponerent potestatem quam scirent administrare: deinde, ne noui ad regendam remp. accederent, præter militares administrationes, intimauit vt assessores in quibus prouinciis assedissent, in his administrarent: quod postea Seuerus, & deinceps multi tenuerunt; vt probant Pauli & Vlpiani præfecturæ, qui Papiniano in consilio fuerunt: ac postea quum vnus ad memoriam, alter ad libellos paruisset, statim præfecti facti sunt. Huius etiam illud fuit, Vt nemo assideret in sua prouincia, nemo administraret Romæ, nisi Romanus, hoc est oriundus vrbe. Addidit præterea consiliariis salaria; ne eos grauarent quibus assidebant; dicens, iudicem nec dare debere, nec accipere. Hic erga milites tanta fuit censura, vt quum apud AEgyptum ab eo limitanei milites vinum peterent, responderit, *Nilum habetis, & vinum quæritis?* siquidem tanta illius fluminis dulcedo, vt accolæ vina non quærant. Idem tumultuantibus iis qui a Sarracenis victi fuerant, & dicentibus, *Vinum non accepimus, pugnare non possumus*: *Erubescite, inquit: illi qui vos vincunt, aquam bibunt.* Idem Palæstinis rogantibus vt eorum censitio leuaretur idcirco quod esset grauata, respondit; *Vos terras vestras leuari censitione vultis; ego vero etiam aerem vestrum censere vellem.* Denique Delphici Apollinis vates in motu reip. maximo, quum nunciaretur tres esse Imperatores, Seuerum Septimium, Pescennium Nigrum, Clodium Albinum, consultus quem expediret reip. imperare, versum Græcum huiusmodi fudisse dicitur, *Optimus est Fuscus, bonus Afer, pessimus Albus.* Ex quo intellectum, *Fuscum*, Nigrum appellatum vaticinatione; Seuerum, *Afrum*: *Album* vero, Albinum dictum. Nec defuit alia curiositas. * requisitum est qui esset obtenturus rempubl. Ad quod ille respondit alium versum talem; *Fundetur sanguis Albi, Nigrique * minantis: Imperiũ mundi Pœna reget vrbe profectus.* Itẽ quum quæsitũ esset quis illi successurus esset, respondisse itidem Græco versu dicitur; *Cui dederint superi, nomen habere Pij.* Quod omnino intellectũ non est nisi quũ Bassianus Antonini, quod verũ signum Pii fuit, nomen accepit. Itẽ quum quæreretur quamdiu imperaturus esset, respondisse Græce dicitur, *Bis denis Italum conscendet nauibus æquor: Si tamen vna ratis transiliet pelagus.* Ex quo intellectum, Seuerum viginti annos expleturũ. Hæc sunt, Diocletiane maxime Augustorũ, quæ de Pescennio didicimus ex pluribus libris. Nõ enim facile (vt in principio libri diximus) quisquam vitas eorũ mittit in libros, qui aut principes in rep. nõ fuerunt, aut a senatu appellati non sunt Imperatores; aut occisi citius, ad famã venire nequiuerunt. Inde, quod latet Vindex, quod Piso nescitur; quod oẽs illi qui aut tantum adoptati sunt, aut a militibus Imperatores appellati, vt sub Domitiano Antonius, aut cito interempti, vitam cum imperii vsurpatione posuerunt. Sequitur nunc vt de * CLODIO ALBINO dicã; qui quasi socius huius habetur, quod & pariter contra Seuerum rebellauerũt, & ab eodem victi atque occisi sunt. De quo ipso neque satis clara exstant: quia eadem fortuna illius fuit quæ Pescennii, etiam si vita satis dispar. Ac nequid ex iis quæ ad Pescennium pertinent, prætermisse videamur, (licet aliis libris cognosci possint) de hoc, * Seuero Septimio vates dixerũt quod neq; viuus neque mortuus in potestatem Seueri venturus esset, sed iuxta aquas illi pereundum esset: quod quidam dicunt ipsum Seuerum de mathesi quam callebat, dixisse. Nec abfuit responsis veritas, quũ ille inuentus sit iuxta paludẽ semiuiuus. Hic

tantæ fuit seueritatis, vt quum milites quosdam in * caueo argenteo expeditionis tēpore bibere vidisset, iussent omne argentum submoueri de vsu expeditionali; addito eo vt ligneis vasis vterentur: quod quidem illi odium militare concitauit. Dicebat enim posse fieri vt sarcinæ militares in potestatem hostium venirent; ne se barbaræ nationes argento nostro gloriosiores facerent; quum alia minus apta hosticam viderentur ad gloriam. Idem iussit vinum in expeditione neminem bibere; sed acetum vniuersos esse contentos. Idem pistores sequi expeditionem prohibuit; bucellatu iubens milites & omnes contentos esse. Idem ob vnius gallinacei direptionem, decem commanipulones, qui raptum ab vno comederant, securi percuti iussit: & fecisset, nisi ab omni exercitu prope vsque ad metum seditionis esset rogatus: & quū pepercisset, iussit vt denarium gallinaceorum pretia prouinciali redderent decem qui simul furto conuixerant; addito eo vt tota in expeditione in commanipulatione nemo focum faceret, ne vmquam recens coctum cibum sumerent, sed pane ac frigidis vescerentur, appositis speculatoribus qui id curarent. Idem iussit ne * in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent, sed publice commendarent, recepturi post prœlia quod dederant; addens, liberis eorum & vxoribus [&] heredibus certe reddendum qui venissent: ne ad hostes aliquid prædæ perueniret, siquid forte aduersi fortuna fecisset. Sed hæc omnia, vt se habuerat Commodi temporum dissolutio, aduersa eidem fuere. Denique etsi nemo fuit qui suis temporibus dux seuerior videretur, ad perniciem illi magis ista fuere quam mortuo. vbi & inuidia & odium deposita erant, talia exempla valuerunt. Idem in omni expeditione ante omnes militarem cibum sumpsit ante papilionem: nec sibi vmquam vel contra solem, vel contra imbres quæsiuit tecti suffragium. similes non habuit. Tantum denique belli tempore, ratione militibus demonstrata, sibi & seruis suis vel cōtubernalibus portauit, quantum a militibus ferebatur: quum seruos suos annona oneraret, ne illi securi ambularent, [&] onusti milites; idque ab exercitu cum suspirio videretur. Idem in concione iurauit, se, quamdiu in expeditionibus fuisset essetque adhuc futurus, non aliter esse acturum se quam militem; Marium ante oculos habentem & duces tales. nec alias fabulas vmquam habuit nisi de Annibale, ceterisque talibus. Denique quum Imperatori facto quidam panegyricum recitare vellet, dixit ei; *Scribe laudes Marii vel Annibalis, vel alicuius ducis optimi vita functi; & dic quid ille fecerit, vt eum nos imitemur. Nam viuentes laudare, irrisio est, maxime imperatores; a quibus speratur, qui timentur, qui præstare publice possunt, qui possunt necare, qui proscribere: se autem viuum placere velle, mortuum etiam laudari.* Amauit de principibus Augustum, Vespasianum, Titum, Traianum, Pium, Marcum; reliquos fœmineos vel venenatos vocans: maxime tamen in historiis Marium & Camillum & * Q. Marcium Coriolanum dilexit. Interrogatus autem quid de Scipionibus sentiret, dixisse fertur, Felices illos fuisse magis quam fortes: idque probare domesticam vitam & iuuentutem; quæ in vtroque * nimis speciosa domi fuisse apud omnes constat. Quod si rerum potitus fuisset, omnia correcturus fuerat quæ Seuerus vel non potuit emendare, vel noluit; & quidem sine crudelitate, imo etiam cum lenitate, sed * militari, non remissa & inepta atque ridicula. Domus eius hodie Romæ visitur in campo Iouis, quæ appellatur *Pescenniana*: in qua simulacrum eius in trichoro constituit, statim post annum ex Thebaico marmore; quod ille ad similitudinem sui factum a rege Thebæorum acceperat. Exstat etiam epigramma Græcum, quod Latine hanc habet sententiam: *Terror Aegyptiaci Niger astat militis ingens, Thebaidos socius, aurea secla volens. Hunc reges, hunc gentes amant, hunc aurea Roma: Hic Antoninis carus, & imperio. Nigrum nomen habet, Nigrum formauimus ipsi; Vt consentirent * forma metalla tibi.* Quos quidem versus Seuerus eradi noluit, quum hoc ei & præfecti suggererent, & officiorum magistri, addens, *Si talis fuit, sciant omnes qualem vicerimus: si talis non fuit, putent omnes nos talem vicisse: imo sic sit, quia fuit talis.*

IVLII CAPITOLINI
CLODIVS ALBINVS,
AD CONSTANTINVM AVG.

VNo eodemque tempore post Pertinacem, qui auctore Albino interemptus est, Iulianus a senatu Romæ, Septimius Seuerus ab exercitu in *Illyrico, Pescennius Niger in Oriente, Clodius Albinus in Gallia, Imperatores appellati sunt. Et Clodium quidem Herodianus dicit Seueri Cæsarem fuisse: sed quum [alter] alterum indignaretur imperare, nec Galli ferre possent aut *Germani exercitus, (quod & ipsi suum specialem principem haberent) vndique cuncta turbata sunt. Fuit autem CLODIVS ALBINVS familia nobili; Adrumetinus tamen, ex Africa. Quare sortem illam qua Seuerum laudatum in Pescennii vita diximus, ad se trahebat, nolens intelligi *Pessimus Albinus: quod eodem versu continebatur quo & Seueri laus, & approbatio Nigri Pescennii. Sed priusquam vel de vita eius vel de morte dixero, etiam hoc dicendum est quod eum nobilem fecit. Nam ad hunc eundem quondam Commodus, quum *eum successorem Albino daret, litteras dederat, quibus iusserat vt Cæsar esset. Exemplum indidi. *Imperator Commodus Clodio Albino. Alias ad te publice de successore atque honore tuo misi: sed hanc familiarem & domesticam, omnem (vt vides) manu mea scriptam epistolam dirigo, qua tibi do facultatem vt, si necessitas fuerit, ad milites prodeas, & tibi Cæsareum nomen assumas. Audio enim & Septimium Seuerum & Nonium *Murcum male de me apud milites loqui; vt sibi parent stationis augustæ procurationem. Habebis præterea, quum id feceris, dandi stipendii vsque ad tres aureos liberam potestatem. quin & super hoc ad procuratores meos litteras misi, quas ipse signotas excipies signo Amazoniæ: & quum opus fuerit, rationalibus dabis, ne te non audiant quum de ærario volueris imperare. Sane vt tibi insigne aliquod imperialis maiestatis accedat, habebis vtendi coccinei pallii facultatem me præsente, & ad me, & quum mecum fueris; habiturus & * purpuram, sed sine auro: quia ita & proauus meus Verus, qui puer vita functus est, ab Adriano, qui eum adoptauit, accepit.* His litteris acceptis a Nonio, facere id quod iubebat, noluit; timens, odiosum Commodum propter mores suos, quibus rempubl. perdiderat & se dedecorauerat, quandocumque feriendum; ne ipse pariter occideretur. Exstat denique illius concio, quæ quum accepit imperium, & quidem Seueri (vt quidam) voluntate firmatum, huius rei memoriam facit. cuius hoc exemplum est: *Inuitum me commilitones ductum ad Imperium etiam illud probat, quod Commodum donantem me Cæsariano nomine, contempsi. sed & vestræ voluntati & Seueri Augusti parendum est; quia credo sub homine optimo & viro forti posse bene remp. regi: nec negari potest.* Marius Maximus dicit, hunc animum Seuero primum fuisse, vt si quid ei contingeret, Pescennium Nigrum, & Clodium Albinum sibi substitueret. Sed postea & filiis iam maiusculis *studens, & Albini amori inuidens, sententiam mutasse, atque illos vtrosque bello oppressisse, maxime precibus vxoris adductum. Denique Seuerus eum COS. designauit: quod vtique nisi de optimo viro non fecisset, homo in legendis magistratibus diligens. Sed vt ad eum redeam, fuit (vt dixi) Albinus *Adrumetinus oriundus; sed nobilis apud suos, & originem a Romanis familiis trahens, Posthumiorum scilicet & Albinorum Ceioniorum. quæ familia hodie quoque, Constantine maxime, nobilissima est, & per te aucta & augenda; quæ per Galienum & Gordianos plurimum creuit. Hic tamen natus lare modico, patrimonio pertenui, parentibus sanctis, patre Ceionio Posthumio, matre Aurelia Messalina, primus suis parentibus fuit quum exceptus vtero, quod contra consuetudinem puerorum qui nascuntur, & solent rubere, esset candidissimus, *Albinus* est dictus. Quod verum esse, patris epistola ad Ælium Bassianum tunc proconsulem Africæ data, designat, affinem (quantum videtur) eorum ipsorum. Epistola Ceionii Posthumii ad Ælium Bassianum. *Filius mihi natus est VII Cal. Decembr. ita candidus statim toto corpore, vt*

linteamen quo exceptus est, vinceret. Quare susceptum eum, Albinorum familiæ, quæ mihi tecum communis est, dedi, ALBINI *nomine imposito. Fac vt remp. & te & nos, vt facis, diligas.* Hic ergo omnem pueritiam in Africa transegit, eruditus litteris Græcis ac Latinis mediocriter, quod esset animi iam militaris & superbi. Fertur in scholis sæpissime cantasse inter puerulos; *Arma amens capio, nec sat rationis in armis*; repetens, *Arma amens capio.* Huic multa imperii signa, quum esset natus, facta dicuntur. Nam & bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus est: quod mirandum fuit: quæ tamen cornua in templo Apollinis Baiani ab eodem posita iam tribuno diu fuisse dicuntur, quod, quum ille sortem de fato suo tolleret, his versibus eidem dicitur esse responsum; *Hic rem Romanam magno turbante tumultu, Sistet eques, sternet Pœnos Gallumque rebellem.* Et in Gallia quidem eum multas gentes domuisse constat. Ipse autem suspicabatur de Seuero sibi prædictum *Sternet Pœnos*, quod Septimius Afer esset. Fuit & aliud signum futuri imperii. Nam quum Cæsariana familia hoc speciale habuerit vt paruuli domus eius in testudineis alueis lauarentur, nato infantulo testudo ingens patri eius munere piscatoris allata est: quod ille homo litteratus omen accipiens, & testudinem libenter accepit, & eam curari iussit, atq; infantulo ad excaldationes pueriles dicari, nobilitãdum etiam hinc sperans. Quum rarum esset aquilas in his locis videri in quibus natus est Albinus, septima eius diei hora * cõuiuio quod celebritati pueri deputabatur, quum ei fierent nomina, septem aquilæ paruulæ de nidis allatæ sunt, & quasi ad iocum circa cunas pueri cõstitutæ. nec hoc omen pater abnuit, qui iussit aquilas ali, & diligẽter curari. Accessit omen, quod quum pueri eius familiæ * russulis fasciolis illigarentur, quod forte lotæ atq; vdæ essent russulæ fasciolæ, quas mater prægnans parauerat, purpurea matris illigatus est fascia. vnde illi ioco nutricis etiam *Porphyrii* nomen inditum est. Hæc atque alia signa imperii futuri fuere. quæ qui volet nosse, Ælium Cordum legat, qui friuola super huiusmodi ominibus cuncta persequitur. Adolescens igitur, statim se ad militiam contulit, atque Antoninis per Lollium Serenum, & Bæbium Metianum, & Ceionium Posthumianum suos affines, innotuit. Egit tribunus equites Dalmatas: egit & legionem quartanorum & primanorum: Bithynicos exercitus eo tempore quo Auidius rebellabat, fideliter tenuit. Deinde per Commodum ad Galliam translatus: in qua fusis * Frisiis Transrhenanis, celebre nomen suum & apud Romanos & apud barbaros fecit. Quibus rebus accensus Commodus, Cæsarianum ei nomen obtulit, & dandi stipendii facultatem, & pallei coccini vtendi. Quibus omnibus ille prudenter abstinuit, dicens, Commodum quærere qui aut cum eo perirent, aut quos cum caussa ipse posset occidere. Quæsturæ gratia illi facta est: qua concessa, ædilis non amplius quam decem diebus fuit, quod ad exercitum festinãter mitteretur. Deinde præturam egit sub Commodo famosissimã. Nam eiusdẽ ludis Cõmodus & in foro & in theatro pugnas exhibuisse perhibetur. COS. a Seuero declaratus est eo tempore quo Albinum sibi cum Pescennio parauerat subrogare. Ad imperium venit natu iam grandior, & maior Pescennio Nigro, vt Seuerus ipse in vita sua testatur. Sed victo Pescennio, quum & filiis suis imperium seruare * cuperet, & voluntatem senatus maiorem circa Clodium Albinum videret, quod esset vir antiquę familiæ, litteras ad eum per quosdam summi honoris ac summæ affectionis misit; quibus hortabatur, vt quoniam occisus esset Pescennius Niger, ipse cum eo fideliter remp. regeret. Quarum exemplum hoc esse Cordus ostendit: *Imperator Seuerus Augustus Clodio Albino Cæsari fratri amantissimo & desideratissimo salutem. Victo Pescennio, litteras Romam dedimus, quas senatus tui amantissimus libenter accepit. Te quæso, vt eo animo Remp. regas quo delectus es frater animi mei, frater imperii. Bassianus & Geta te salutant. Iulia nostra & te & sororem salutat. Infantulo tuo Pescennio Princo munera digna suo loco tuoque mittemus. Tu velim exercitus respub. ac nobis retentes mi vnanime, mi carissime, mi amantissime.* Et has quidem litteras missis stipatoribus fidelissimis dedit; quibus præcepit vt epistolam publice darent, postea vero dicerent se velle pleraque occulte suggerere quæ ad res bellicas pertinerent, & ad secreta castrorum atque aulicam fidem: vbi vero in secretum venissent, quasi mandata dicturi, quinque validissimi eum interimerent gladiolis intra vestem latentibus. Nec illorum quidem fides defuit.

fuit. Nam quum ad Albinum venissent, & epistolam dedissent; *qua lecta, quum dicerent quædam secretius suggerenda, & locum semotum ab omnibus arbitris postularent, & quum omnino neminem paterentur ad porticum longissimam cum Albino progredi, ea specie ne mandata proderentur: Albinus intellexit insidias. Denique indulgens suspicionibus, eos tormentis dedit. qui diu primo pernegarunt; sed postea victi necessitate, confessi sunt ea, quæ Seuerus iisdem præceperat. Tunc iam proditis rebus & apertis insidiis, ea quæ suspicabatur Albinus clara esse intelligens, exercitu ingenti collecto, contra Seuerum atque eius duces venit. Et primo quidem conflictu habito contra duces Seueri, potior fuit: post autem Seuerus ipse quum id egisset apud senatum vt hostis iudicaretur Albinus, contra eum profectus, acerrime fortissimeque pugnauit in Gallia non sine varietate fortunæ. Denique quum sollicitus augures consuleret, responsum illi est (vt dicit Marius Maximus) venturum quidem in potestatem eius Albinum, sed non viuum nec mortuum: quod & factum est. Nam quum vltimum prœlium commissum esset, innumeris suorum cæsis, plurimis fugatis, multis etiam deditis, Albinus fugit: &, vt multi dicunt, se ipse percussit: vt alii, a seruo suo percussus, semiuiuus ad Seuerum deductus est. vnde confirmatum est augurium quod fuerat ante prædictum. Multi præterea dicunt, a militibus; cuius nece a Seuero gratiam requirebant. Fuit Albino vnus (vt aliqui dicunt) filius: Maximus dicit *duos. quibus primum veniam *dedit, postea vero eos cum matre percussit, & in profluentem abiici iussit. Caput eius excisum pilo circumtulit, Romamque misit litteris ad senatum datis, quibus insultabat quod Albinum tantopere dilexissent vt eius affines & fratrem præcipue ingenti honore *cumularent. Iacuisse ante prætorium Seueri, Albini corpus per dies plurimos dicitur vsque ad fœtorem, laniatumque a canibus in profluentem abiectum esse. De moribus eius varia dicuntur. Et Seuerus quidem ipse hæc de eodem loquitur, vt eum dicat turpem, malitiosum, improbum, inhonestum, cupidum, luxuriosum. sed hæc belli tempore vel post bellum; quando ei iam velut de hoste credi nō poterat; quum & ipse ad eum quasi ad amicissimum frequentes miserit litteras, & multi de Albino bene senserint, & Seuerus ipse Cæsarem suum eumdem appellari voluerit; & quum de successore cogitaret, hunc primum habuerit ante oculos. Exstant præterea Marci epistolæ de hoc eodem, quæ testimonium & virtutum eius ferant, & morum: quarum vnam inserere ad præfectos datam super eius nomine, absurdum non* fuit.

*M. Aurelius Antoninus præfectis suis salutem. Albino ex familia Ceionorum, Afro quidem homini, sed non multa ex Afris habenti, *Plautilli genero, duas cohortes alares regendas dedi. Est homo exercitatus, vita tristis, grauis moribus. puto eum rebus castrensibus profuturum: certe obfuturum non esse, satis noui. Huic salarium duplex decreui, vestem militarem simplicem; sed loci sui stipendium quadruplum. Hunc vos adhortamini vt se reipubl. ostentet, habiturus præmium quod merebitur.* Est & alia epistola, qua idem Marcus Auidii Cassii temporibus de hoc eodem scripsit: cuius exemplum hoc est: *Laudanda est Albini constantia, qui grauiter deficientes exercitus tenuit, quum ad Auidium Cassium confugerent. & nisi hic fuisset, omnes defecissent. Habemus igitur virum dignum consulatu: quem sufficiam in locum Cassii Papirii, qui mihi exanimis prope iam nuntiatus est. Quod interim a te publicari nolo, ne aut ad ipsum Papirium, aut ad eius affectus perueniat; nosque videamur in locum viuentis* COS *subrogasse.* Et istæ igitur epistolæ testantur, Albinum virum vtilem fuisse. Indicat & illud præcipue quod ad eas ciuitates instaurandas quas Niger attriuerat pecuniam misit; quo facilius sibi earum *accolas conciliaret. Gulosum eum Cordus, qui talia persequitur in suis voluminibus, fuisse dicit: & ita quidem, vt pomorum tantum hauserit quantum ratio humana non patitur. Nam & quingentas ficus passarias, quas Græci *callistruthias vocant, ieiunum comedisse dicit, & centum persica Campana, & melones Ostienses decem, & vuarum Lauicanarum pondo viginti, & ficedulas centum, & ostrea quadringenta. Vini sane parcum fuisse dicit: quod Seuerus negat, qui eum asserit ebrium etiam in bello fuisse. Cum suis etiam numquam cœnauit, vel propter vinolentiam, (vt dicit Seuerus) vel propter morum acrimoniam. Vxori odiosissimus fuit, seruis iniustus, atrox circa militem. Nam sæpe & ordinarios centuriones, vbi caussæ qualitas non

postulabat, in crucem sustulit. Verberauit certe virgis sæpissime: neque vmquam delictis pepercit. In vestitu nitidissimus fuit, in conuiuio sordidissimus, & soli studens copiæ: mulierarius inter primos amatores, auersæ veneris semper ignarus, & talium persequutor: agri colendi peritissimus; ita vt etiam Georgica cōscripserit. Milesias nonnulli eiusdem esse dicunt; quarum fama non ignobilis habetur, quamuis mediocriter scriptæ sint. A senatu tantum amatus est quantum nemo principum, in odium speciatim Seueri, quem vehementer ob crudelitatem oderant senatores. Deniq; victo eo plurimi senatores a Seuero interfecti sunt, qui eius partium vel vere fuerant, vel esse videbantur. Deniq; quum apud Lugdunum eumdem interfecisset, statim litteras inquiri iussit, ita vt inueniret vel ad quos ipse scripsisset, vel qui ad eum rescripsissent: omnesque illos quorum epistolas reperit, hostes iudicari a senatu fecit: nec his pepercit: sed & ipsos interemit, & bona eorum proposuit, atq; in ærarium publicum retulit. Exstat epistola Seueri,* quæ ostendit animū suum, missa ad senatum; cuius hoc exemplum est: *Nihil mihi gratius potest euenire* P. C. *quam vt vestrum iudicium Albinus haberet potius quam Seuerus. Ego frumenta respubl. detuli; ego multa bella pro republica gessi; ego populo Romano tantum olei detuli quantum rerum natura vix habuit. ego interfecto Pescennio Nigro, vos a malis tyrannicis liberaui. Magnam sane mihi reddidistis vicem, magnam gratiam. Vnum ex Afris, & quidem Adrumetinis, fingentem quod de Ceioniorum stemmate sanguinem duceret, vsqueadeo extulistis vt eum principem habere velitis, me principe, saluis liberis meis. Defuitne quæso tanto senatui quem amare deberetis, qui vos amaret? Huius fratrem honoribus extulistis: ab hoc consulatus, ab hoc præturas, ab hoc speratis cuiusuis magistratus insignia. Non eam gratiam mihi redditis quam maiores vestri contra Pisonianam factionem, quam item pro Traiano, quam nuper contra Auidium Cassium præstiterunt: fictum illum, & ad omnia mendaciorum genera paratum, qui nobilitatem quoq; mentitus est, mihi præposuistis. Quin etiam audiendus in senatu fuit Statilius Corfulenus, qui honores Albino & eius fratri decernendos ducebat: cui hoc* superfuit vt de me ille decerneret homo nobilis ad triumphum. Maior fuit dolor quod illum pro litterato laudandum plerique duxistis, quum ille næniis quibusdam anilibus occupatus, inter Milesias Punicas Apuleii sui, & ludicra litteraria consenesceret.* Hinc apparet quanta seueritate factionem vel Pescennianam vel Clodianam vindicauerit. Quæ quidem omnia in vita eius posita sunt: quæ qui diligentius scire velit, legat Marium Maximum, de Latinis scriptoribus; de Græcis, Herodianum; qui ad fidem pleraque dixerunt. Fuit statura procerus, capillo renodi & crispo, fronte lata, candore mirabili: &, vt plerique putant, ex eo nomen accepit: voce muliebri, & probe ad eunuchorum sonum: motu facili, iracundia graui,* furore tristissimo. in luxuria varius: nam sæpe appetens vini, frequenter abstinens. Armorum strenuus prorsus; vt non male *sui temporis Catilina* diceretur. Non ab re esse credimus, caussas ostendere quibus amorem senatus Clodius Albinus* meruit. Quum Britannicos exercitus regeret iussu Commodi, atque illum interemptum adhuc falso comperisset, quum sibi ab ipso Commodo Cæsarianum nomen esset delatum, processit ad milites, & hac concione vsus est: *Si senatus** P. R. *suum illud vetus haberet imperium, nec in vnius potestate res tanta consisteret, non ad Vitellios, neque ad Nerones, neque ad Domitianos publica fata venissent. in imperio consulari nostræ illæ gentes Ceioniorum, Albinorum, Posthumiorum: de quibus patres vestri, qui & ipsi ab auis suis audierant, multa didicerunt. & certe Africam Romano imperio senatus adiunxit: Galliam senatus subegit, & Hispanias: orientalibus populis senatus dedit leges. Parthos tentauit senatus: & subegisset, nisi tam auarum principem Romano exercitui fortuna reipublicæ tunc dedisset. Britannias Cæsar subegit, certe senator, nondum tamen dictator. Hic ipse Commodus quanto melior fuisset, si timuisset senatum? Et vsque ad Neronem quidem senatus auctoritas valuit; qui sordidum & impurum principem damnare non timuit, quum sententiæ in eum dictæ* sunt qui vitæ necisque potestatem atque imperium tunc tenebat. Quare, commilitones, ego Cæsareum nomen, quod mihi Commodus detulit, nolo: dii faxint vt ne alii quidem velint. Senatus imperet, prouincias diuidat: senatus nos consules faciat: & quid dico senatus?* vos ipsi, & patres vestri. eritis enim ipsi senatores.* Hæc concio, viuo adhuc Commodo, Romam delata est: quæ Commodum in Albinum exasperauit, statimque successorem misit Iunium Seuerum, vnum ex

contu-

contubernalibus suis. Senatui autem tantum placuit, vt miris acclamationibus absentem eum ornaret, & viuo Commodo & deinceps interempto; ita vt nonnulli etiam Pertinaci auctores fuerint vt eum sibi socium adsciscerer, apud Iulianum de occidendo Pertinace ipsius plurimum auctoritas valuerit. Vt autem hoc verum intelligatur, epistolam Commodi ad præfectos prat. suos datam inserui; qua de occidendo Albino significauit suam mentem. *Aurelius Commodus Seuerus præfectis salutem. Audisse vos credo primum fictum esse quod ego meorum consilio interfectus essem. deinde concionem Clodii Albini apud milites meos habitam, qui se multum senatui commendat; idque, quantum videmus, non frustra. Nam qui principem vnum in republica negat esse debere, quique asserit a senatu oportere totam rempublicam regi, is per senatum sibi petit imperium. Cauete igitur diligentissime: iam enim hominem scitis, vobis, militibus, populoque vitandum.* Has litteras quum Pertinax inuenisset, in Albini odium publicauit. Quare Albinus occidendi Pertinacis Iuliano auctor fuit.

ÆLII SPARTIANI

ANTONINVS *CARACALLVS.

Ex duobus liberis quos Septimius Seuerus reliquit, Getam & Bassianum, quorum vnum exercitus, alterum pater dixit; Geta hostis est iudicatus, Bassianum autem obtinuisse imperium constat: de cuius maioribus frustra putamus iterandũ, quum omnia in Seueri vita satis dicta sint. Huius igitur pueritia blanda, ingeniosa, parentibus affabilis, amicis parentum iucunda, populo accepta, grata Senatui, ipsi etiam ad amorem conciliandum salutaris fuit. Non ille in litteris tardus, non in beneuolentiis segnis, non tenax in largitate, non lentus in clementia, sed *sub parentibus, visus. Deniq; , siquando feris obiectos damnatos vidit, fleuit aut oculos auertit: quod populo plusquam amabile fuit. Septennis puer, quum collusorem suum puerũ, ob Iudaicam religionem grauius verberatum audisset, neq; patrem suum, neq; patrem pueri, vel auctores verberũ, diu respexit. Antiochensibus & Bizantiis interuentu suo iura vetusta restituit: quibus iratus fuit Seuerus quod Nigrum iuuerant. Plautiani odium crudelitatis caussa concepit. Quæ a parẽtibus gratia sigillariorũ acceperat, ea vel clientibus vel magistris sponte donauit. Sed hæc puer. Egressus vero pueritiam, seu patris monitis, seu calliditate ingenii, siue quod se Alexandro Magno Macedoni æquandum putabat, restrictior, grauior, vultu etiam truculentior factus est: prorsus vt eum quem puerum scirent, multi esse non crederent. Alexandrum Magnum eiusque gesta in ore semper habuit: Tiberium & Syllam in conuentu plerumque laudauit. Patre superbior fuit: fratrem *magna eius humilitate despexit. Post patris mortem in castra prætoria pergens, apud milites conquestus est, circumueniri se fratris insidiis: atque ita fratrem in palatio fecit occidi. eius corpus statim cremari præcepit. Dixit præterea in castris, fratrem sibi venenum parasse, matri eum irreuerentem fuisse: egitque publice iis gratias qui eum occiderunt. Addidit deniqueiis qui fideliores erga se *fuerant, stipendium. Pars militum apud Albam, Getam occisum ægerrime accepit, dicentibus cunctis, duobus se fidem promisisse liberis Seueri, duobus seruare debere. clausisque portis diu Imperator non admissus, nisi delinitis animis, non solum querelis de Geta & criminationibus editis, sed enormitate stipendii militibus (vt solet) placatis: atque inde Romam rediit. Tunc sub veste senatoria loricam habens, cum armatis militibus curiam ingressus est. Hos in medio inter subsellia duplici ordine collocauit; & sic verba fecit. Questus est de fratris insidiis inuolute & incondite, ad illius accusationem, sui vero excusationem: quod quidem nec senatus libenter accepit, quum ille dixisset, fratri se omnia permisisse, fratrem ab insidiis liberasse: & illum tamen sibi

grauissimas insidias fecisse, nec vicem amori reddidisse fraterno. Post hoc relegatis deportatisque reditum in patriam restituit: inde ad prætorianos processit, & in castris mansit. Altera die Capitolium petiit: & eos quos occidere parabat, affabiliter est alloquutus; innitensque* Papiniano & Chiloni, ad palatium rediit. Quum flentem matrem Getæ vidisset, aliasque mulieres, post necem fratris, mulieres occidere conatus est: sed ob hoc retentus, ne augeretur fratris occisi crudelitas. Lætum ad mortem coegit, misso a se veneno: ipse enim inter suasores Getæ mortis primus fuerat, qui & primus interemptus est. Ipse mortem eius sæpissime fleuit: multos qui cædis eius conscii fuerant, interemit; eumque & imaginem eius honorauit. Post hoc fratrem patruelem Afrum, cui pridie partes de cœna miserat, iussit occidi. Qui quum se præcipitasset percussorum timore, & ad vxorem crure fracto erepsisset, * tamen per ludibrium a percussoribus deprehensus est & occisus. Occidit etiam Pompeianum Marci nepotem, ex filia natum & ex Pompeiano cui nupta fuerat Lucilla post mortem Veri Imperatoris: quem & consulem bis fecerat, & omnibus bellis præposuerat, quæ grauissima tunc fuerunt: & ita quidem, vt videretur a latronibus interemptus. Deinde in conspectu eius Papinianus securi percussus [a militibus occisus] est: quo facto percussori dixit, *Gladio te exsequi oportuit meum iussum.* Occisus est etiam eius iussu Petronius ante templum diui Pii, tractaque sunt eorum per plateam cadauera sine aliqua humanitatis reuerentia. Filium etiam Papiniani, qui ante triduum quæstor opulentum munus ediderat, interemit. Iisdem diebus occisi sunt innumeri, qui fratris eius partibus fauerant. Occisi etiam liberti qui Getæ administrauerant. Cædes deinde in omnibus locis & in balneis factæ. Occisique nonnulli etiam cœnantes: inter quos etiam Sammonicus Serenus, cuius libri plurimi ad doctrinam exstant. In summum discrimen etiam Chilo iterum præfectus & consul venit, ob hoc quod concordiam inter fratres suaserat. Et quum idem Chilo sublata veste senatoria, nudis pedibus ab * vrbaniciānis raptus esset, Antoninus seditionem compressit. Multas præterea postea cædes in vrbe fecit, passim raptis a militibus nonnullis hominibus & occisis, quasi seditionem vindicans. Heluium Pertinacem suffectum cos. ob hoc solum quod filius esset imperatoris, occidit. Neque cessauit vmquam sub diuersis occasionibus eos interficere qui fratris amici fuissent. Sæpe in senatum, sæpe in populum superbe inuectus est, aut edictis propositis aut orationibus editis, Syllam se etiam ostendens futurum. His gestis Galliam petiit: atque vt primum in eam venit, Narbonensem proconsulem occidit. Cunctis deinde turbatis qui in Gallia res * regebant, odium tyrannicum meruit, quamuis aliquando fingeret se benignum, quum esset natura truculentus. Et quum multa contra homines, & contra iura ciuitatum fecisset, morbo implicitus grauiter laborauit. Circa eos qui eum curabant, crudelissimus fuit. Deinde ad Orientem profectionem parans, omisso itinere in Dacia resedit. Circa Rhætiam non paucos barbaros interemit, militesque suos quasi Syllæ milites & cohortatus est & donauit. Deorum sane se nominibus appellari vetuit; quod Commodus fecerat, quum illi eum, quod leonem aliasque feras occidisset, Herculem dicerent. Et quum Germanos subegisset, * *Germanicum* se appellauit: vel ioco vel serio, vt erat stultus & demens, asserens, si Lucanos vicisset, *Lucanicum* se appellandum. Damnati sunt eo tempore qui vrinam in eo loco fecerant in quo statuæ aut imagines erant principis: & qui coronas imaginibus eius detraxerant vt alias ponerent. Damnati sunt & qui remedia quartanis tertianisq; collo annexa gestarent. Per Thracias cum præf. præt. iter fecit. inde quum in Asiam traiiceret, naufragii periculum adiit, antemna fracta, ita vt in scapham cum protectoribus descenderet. vnde in triremem a præfecto classis receptus, euasit. Excepit apros frequenter, contra leonem etiam stetit: quo etiam missis ad amicos litteris gloriatus est: seque ad Herculis virtutem accessisse iactauit. Post hoc ad bellum Armeniacum Parthicumque conuersus, ducem bellicum qui suis competebat moribus, fecit. Inde Alexandriam petiit: in gymnasium populum conuocauit, eumque obiurgauit: legi etiam validos ad militiam præcepit. Eos autem quos legerat, occidit exemplo Ptolemæi Euergetis, qui octauus hoc nomine appellatus est. Dato præterea signo militibus vt hospites suos occiderent, magnam cædem Alexan-

driæ fecit. Dehinc per Cadusios & [fines] Babylonios ingressus, tumultuarie cum Parthorum satrapis manum contulit, feris etiam bestiis in hostes immissis. Datis ad senatum [quasi] post victoriam, litteris, *Parthicus* appellatus est: nam Germanici nomen patre viuo fuerat consequutus. Deinde quum iterum vellet Parthis bellum inferre, atque hibernare Edessæ, atque inde Carras Luni dei gratia venisset, die natalis sui, VIII Idus Aprilis, ipsis Megalensibus, quum ad requisita naturæ discessisset, insidiis a Macrino præfecto præt. positis, qui post eum inuasit imperium, interemptus est. Conscii cædis fuerunt Nemesianus & frater eius Apollinaris * Retianusque qui præfect. legionis secundæ Parthicæ militabat, & qui equitibus extraordinariis præerat; non ignorantibus Martio Agrippa qui classi præerat, & præterea plerisque officialium impulsu Martialis. Occisus est autem in medio itinere inter Carras & Edessam, quum leuandæ vesicæ gratia ex equo descendisset, atque inter protectores suos, coniuratos cædis, ageret. Denique quum illum in equum strator eius leuaret, pugione latus eius confodit: conclamatumque ab omnibus est id Martialem fecisse. Et quoniam dei Luni fecimus mentionem, sciendum doctissimis quibusque id memoriæ traditum, atque ita * nunc quoque a Carrenis præcipue haberi, vt qui Lunam fœmineo nomine ac sexu putauerit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inseruiat: at vero qui marem deum esse crediderit, is dominetur vxori, neque vllas muliebres patiatur insidias. Vnde quamuis Græci vel Ægyptii eo genere quo fœminam hominem, etiam Lunam deam dicant; mystice tamen deum dicunt. Scio de Papiniani nece multos ita in litteras retulisse, vt cædis non adsciuerint caussam, aliis alia referentibus: sed ego malui veritatem opinionum edere quam de tanti viri cæde reticere. Papinianum amicissimum fuisse Imperatori Seuero, & (vt aliqui loquuntur) affinem etiam per secundam vxorem, memoriæ traditur: & huic præcipue vtrumque filium a Seuero commendatum, eumq; cum Seuero professum, sub Scæuola & Seuero in aduocatione fisci successisse, atque * ad hoc concordiam fratrum Antoninorum fouisse: egisse quinetiam ne occideretur, quum iam de insidiis eius Bassianus quereretur: atque ideo vna cum iis qui fautores fuerant Getæ, a militibus, non solum permittente, verumetiam suadente Antonino, occisum. Multi dicunt Bassianum occiso fratre illi mandasse, vt & in senatu per se & apud populum facinus dilueret: illum autem respondisse, *Non tam facile parricidium excusari posse quam fieri.* Est etiam hæc fabella quod dictare noluerit orationem qua inuehendum erat in fratrem, vt caussa eius melior fieret qui occideret: illum autem negantem respondisse, *Aliud est parricidium, * accusare innocentem occisum.* Sed hoc omnino non conuenit: nam neque præfectus poterat dictare orationem; & constat eum quasi fautorem Getæ occisum. Et fertur quidem, Papinianum, quum raptus a militibus ad palatium traheretur occidendus, prædiuinasse, dicentem, Stultissimum fore qui in suum subrogaretur locum, nisi appetitam crudeliter præfecturam vindicaret. Quod factum est: nam MACRINVS occidit; vt supra exposuimus: qui cum filio factus in castris Imperator, filium suum qui DIADVMENVS * vocabatur, ANTONINVM vocauit, idcirco quod a prætorianis multum Antoninus desideratus est. Bassianus vixit annis XLIII: imperauit annis VI. Publico funere elatus est. Filium reliquit qui postea & ipse M. ANTONINVS HELIOGABALVS est dictus ita enim nomen Antoninorum inoleuerat, vt velli ex animis hominum non posset, quod omnium pectora velut Augusti nomen obsederat. Fuit male moratus, & patre duro crudelior. Auidus cibi, vini etiam appetens. suis odiosus, & præter milites prætorianos omnibus castris exosus: prorsus nihil inter fratres simile. Opera Romæ reliquit, thermas nominis sui eximias: quarum cellam * solearem architecti negant posse vlla imitatione qua facta est, fieri. Nam & ex ære vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est: & tantum est * spatium vt idipsum fieri negent potuisse docti * mechanici. Reliquit & porticum patris nomine, quæ gesta illius contineret, & triumphos & bella. [Ipse] CARACALLI nomen accepit a vestimento quod populo dederat, demisso vsque ad talos: (quod ante non fuerat) vnde hodieque *Antoninianæ* dicuntur Caracallæ huiusmodi, in vsu maxime Romanæ plebis frequentatæ. Idem viam nouam muniuit, quæ est sub eius thermis,

Antoninianis scilicet; qua pulchrius inter Romanas plateas non facile quidquam inuenias. Sacra Isidis Romam deportauit, & templa vbique * magnifica eidem deæ fecit. Sacra etiam maiore reuerentia celebrauit quam ante celebrabantur. In quo quidem mihi mirum videtur, quem ad modum sacra Isidis primum per hunc Romam venisse dicantur, quum Antoninus Commodus ita ea celebrauerit vt & Anubin portaret, & * Pausa sederet: nisi forte iste addidit celebritati, non eam primus inuexit. Corpus eius Antoninorum sepulcro illatum est; vt ea sedes reliquias eius acciperet quæ nomen addiderat. Interest scire quemadmodum nouercam suam Iuliam vxorem duxisse dicatur. Quæ quum esset pulcherrima, & quasi per negligentiam se maxima corporis parte nudasset, dixissetque Antoninus, *Vellem, si liceret*: respondisse fertur, *Si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere?* Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus est: nuptiasque eas celebrauit * quas, si sciret se leges dare, vere solus prohibere debuisset. Matrem enim (non alio dicenda erat nomine) duxit vxorem: ad paricidium iunxit incestum: siquidem eam matrimonio sociauit cuius filium nuper occiderat. Non ab re est etiam diasyrticum * quoddam in eum dictum addere. Nam quum *Germanici* & *Parthici* & *Arabici* & *Alamanici* nomen adscriberet, (nam Alamanorum gentem deuicerat) Heluius Pertinax filius Pertinacis dicitur ioco dixisse; *Adde, si placet, etiam* GETICVS MAXIMVS; quod Getam occiderat fratrem, & * Gotti *Getæ* dicerentur: quos ille, dum ad Orientem transiit, tumultuariis prœliis deuicerat. Occidendi Getæ multa prodigia exstiterunt, vt in vita eius exponemus. Nam quamuis prior ille e vita excesserit, nos tamen ordinem sequuti sumus, vt, qui & prior natus est & prior imperare cœperat, prior scriberetur. Eo sane tempore quo ab exercitu appellatus est Augustus viuo patre, quod ille pedibus æger gubernare non posse videretur imperium, confusis animis militum & tribunorum, Seuerus dicitur animo volutasse, vt & hunc occideret, nisi repugnassent præfecti eius, graues viri. Aliqui côtra dicunt, præfect. voluisse id fieri, sed Septimium noluisse, ne & seueritas illius crudelitatis nomine inquinaretur: & quum auctores criminis milites fuerint, adolescẽs stultæ temeritatis pœnas lueret tam grauis supplicii titulo vt a patre videretur occisus. Hic tamen omnium durissimus, & (vt vno complectamur verbo) paricida & incestus, patris [&] matris [&] fratris inimicus, a Macrino qui eum occiderat, timore militum, ac maxime prætorianorum, inter deos relatus est. Habet templum, habet salios, habet sodales Antoninianos, qui Faustinæ templum & diuale nomen eripuit; certe templum quod ei sub Tauri radicibus fundauerat olim maritus [Antoninus;] in quo postea filius * Bassiani Heliogabalus Antoninus sibi, vel Ioui Syrio, vel Soli (* incertum id est) templum fecit.

ÆLII SPARTIANI
ANTONINVS GETA,
AD CONSTANTINVM AVG.

SCIO, Constantine Auguste, & multos & clementiam tuam, quæstionem mouere posse cur etiam GETA ANTONINVS a me tradatur. De cuius prius quam vel vita vel nece dicam, disseram cur & ipsi *Antonini* a Seuero patre sit nomen appositum. Neque enim multa in eius vita dici possunt, qui prius rebus humanis exemptus est quam cum fratre teneret imperium. Septimius Seuerus quodam tempore quum consuluisset ac petisset vt sibi indicaretur quo esset successore moriturus, in somnis vidit Antoninum sibi successurum. Quare statim ad milites processit, & Bassianum filium maiorem natu, *M. Aurelium Antoninum* appellauit. Quod quum fecisset, paterna cogitatione, vel (vt quidam dicunt) a Iulia vxore commonitus, quæ gnara erat somnii, quod minori filio hoc

facto

facto ipse interclusisset aditum impetandi, etiam Getam minorem filium, *Antoninum* vocari iussit. Itaque semper ab eo in epistolis familiaribus dictus est Antoninus, quum si forte abesset, scriberet, *Salutate Antoninos filios & successores meos.* Sed nihil valuit patris matrisue cautio. nam solus ille successit qui primus Antonini nomen accepit. Et hæc de Antonini nomine. GETA autem dictus est, vel a patrui nomine, vel aui paterni: de cuius vita & moribus in vita Seueri Marius Maximus primo septenario satis copiose retulit. Fuit autem Antoninus Geta etiam ob hoc ita dictus, quod in animo habuit Seuerus vt omnes deinceps principes quemadmodum *Augusti*, ita etiam *Antonini* dicerentur: * atque amore Marci, * quem fuisse vel fratrem suum dicebat, & cuius philosophiam literarumque institutionem semper imitatus est. Dicunt aliqui, non in Marci honorem tantum Antonini nomini delatum, quum id Marcus adoptiuus habuerit, sed in eius qui Pius cognominatus, Adriani scilicet successoris: & quidem ob hoc quod Seuerum ille ad fisci aduocationem delegerat ex formula forensi, quum ad tantos processus ei patuisset dati ab Antonino primi gradus vel honoris auspicium: simul quod nemo ei videretur felicior Imperator ad commodandum nomen, eo principe cuius proprium nomen iam per quatuor principes cucurrisset. De hoc eodem Seuerus, gnarus genituræ illius, cuius, vt plerique Afrorum peritissimus fuit, dixisse fertur, *Mirum mihi videtur, Iuuenalis amantissime, * Geta noster diuus futurus, cuius nihil imperiale in genitura video.* Erat enim Iuuenalis præf. eius præt. Nec eum fefellit. Nam Bassianus, quum eum occidisset, ac vereretur tyrannicam ex paricidio notam, audiretque posse mitigari facinus si *diuum* fratrem appellaret, dixisse fertur, *Sit diuus dum non sit viuus.* Denique eum inter diuos retulit; atque ideo vtcumque redut cum fama in gratiam paricida. Natus est Geta Seuero & Vitellio COSS. Mediolani, etsi aliter alii prodiderunt, VI Calend. Iunias, ex Iulia: quam idcirco Seuerus vxorem duxerat, quod eam in genitura habere compererat vt regis vxor esset; isque priuatus, sed iam optimi in republ. loci. Statim vt natus est, nuntiatum est ouum gallinam in aula peperisse purpureum. Quod quum allatum Bassianus frater eius accepisset, & quasi paruulus applosum ad terram fregisset, Iulia dixisse fertur ioco, *Maledicte paricida, fratrem tuum occidisti.* Idque ioco dictum, Seuerus altius quam quisquam præsentium accepit: a circumstantibus autem postea, velut diuinitus effusum, approbatum est. Fuit etiam aliud omen. Nam quum in villa cuiusdam Antonini plebeii hominis, agnus natus esset qui vellus in fronte purpureum haberet, eadem die atque hora qua Geta natus est, audissetque ille ab aruspice, post Seuerum Antoninum imperaturum, ac de se ille auguraretur, sed tamen tale fati timeret indicium, ferro eum adegit: quod & ipsum signo fuit, Getam ab Antonino interimendum, vt postea satis claruit. Fuit etiam aliud omen ingens postea, vt exitus docuit, huius facinoris quod euenit. Nam quum infantis Getæ natalem Seuerus commendare vellet, hostiam popa nomine Antoninus percussit: quod tunc nec quæsitum nec animaduersum, post vero intellectum est. Fuit* adolescens moribus asperis, sed non impiis, a natura decorus, tractator, gulosus, cupidus ciborum & vini varie conditi. Huius illud pueri fertur insigne, quod quum vellet partium diuersarum viros Seuerus occidere, & inter suos diceret, *Hostes vobis eripio*; consentiretque adeo vsque Bassianus vt eorum etiam liberos, si sibi consuleret, diceret occidendos, Geta interrogasse fertur, quantus esset interficiendorum numerus: quumque dixisset pater, ille interrogauit, *Isti habent parentes, habent propinquos?* quum responsum esset, habere complures: *Plures ergo in ciuitate tristes erunt quam læti quod vicimus.* Et obtinuisset eius sententia, nisi Plautianus præfectus vel Iuuenalis institissent spe proscriptionum, ex quibus ditati sunt. His accedebat Bassiani fratris nimia crudelitas: qui quum contenderet & diceret * quasi ioco quasi serio, omnes cum liberis occidendos partium diuersarum, Geta ei dixisse dicitur, *Tu qui nulli parcis, potes etiam fratrem occidere.* Quod dictum eius tunc * nihil, post vero pro præsagio fuit. Fuit in litteris assequendis & tenax veterum scriptorum, paternarum etiam sententiarum memor: fratri semper inuisus, matri amabilior quam frater: subbalbe tamē canorus. Vestitus nitidi cupidissimus, ita vt patri doleret: si quid accepit a

præsentibus, ad suum contulit cultum, neque quidquam cuipiam dedit. Post Parthicum bellum quum * ingenti gloria floreret, Bassiano participe imperii appellato, Geta quoque Cæsaris & Antonini, vt quidam dicunt, nomen accepit. Familiare illi fuit has quæstiones grammaticis proponere, vt dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, velut, *Agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, vrsi sæuiunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt*; easque de veteribus approbare. Sereni Samonici libros familiarissimos habuit, quos ille ad Antoninum scripsit. Habebat etiam istam consuetudinem, vt conuiuia & maxime prandia per singulas litteras iuberet scientibus seruis, velut in quo erat anser, * aprugna, anas: item pullus, perdix, pauus, porcellus, piscis, perna, & quæ in eam litteram genera edulium caderent: & item fasianus, * farta, ficus, & talia. Quare comis etiam habebatur in adolescentia. Occiso eo, pars militum quæ incorrupta erat, paricidium ægerrime accepit, dicentibus cunctis, duobus se liberis [Seueri] fidem promisisse, duobus seruare debere: clausisque portis diu non est Imperator admissus. Denique nisi querelis de Geta editis, & animis militum delinitis, enormibus etiam stipendiis datis, Romam Bassianus redire non potuit. Post hæc denique & Papinianus, & multi alii interempti sunt, qui vel concordiæ fauerant, vel qui partium Getæ fuerant: ita vt vtriusque ordinis viri & in balneo cœnantes, & in publico percuterentur: Papinianus ipse securi percussus sit, improbante Bassiano quod non gladio res peracta sit. Ventum denique est vsque ad seditionem vrbanicianorum militum: quos quidem non leui auctoritate Bassianus compressit, tribuno eorum, vt alii dicunt, interfecto; vt alii, relegato. Ipse autem tantum timuit vt loricam * sub lato habens clauo, etiam curiam sit ingressus, atque ita rationem facti sui & necis Geticæ reddiderit. Quo quidem tempore Heluius Pertinax, filius Pertinacis, qui postea est ab eodem Bassiano interemptus, recitanti * Faustino prætori & dicenti, *Sarmaticus maximus & Parthicus maximus*, dixisse dicitur, *Adde &* GETICVS MAXIMVS; quasi Gotticus: quod dictum altius in pectus Bassiani descendit, vt postea nece Pertinacis est approbatum: nec solum Pertinacis, sed & aliorum, vt supra dictum est, passim & inique. Heluium autem etiam suspectum habuit affectatæ tyrannidis, quod esset in amore omnium, & filius Pertinacis Imperatoris: quæ res nulli facile priuato satis tuta est. Funus Getæ accuratius fuisse dicitur quam eius qui a fratre videretur occisus. Illatusque est maiorum sepulcro, hoc est Seueri, quod est in Appia via euntibus ad portam dextrum, specie septizonii exstructum, quod sibi ille viuus ornauerat. Occidere voluit & matrem Getæ, nouercam suam, quod fratrem lugeret, & mulieres quas post reditum de curia flentes reperit. Fuit præterea eius immanitatis Antoninus, vt iis præcipue blandiretur quos ad necem destinabat: vt eius magis blandimentum timeretur quam iracundia. Mirum sane omnibus videbatur quod mortem Getæ toties ipse etiam fleret quoties nominis eius mentio fieret, quoties imago videretur aut statua. Varietas autem tanta fuit Antonini Bassiani, immo tanta sitis cædis, vt modo fautores Getæ, modo inimicos occideret, quos fors obtulisset. quo facto magis Geta desiderabatur.

IVLII CAPITOLINI,

OPILIVS MACRINVS,

AD DIOCLETIANVM AVG.

VITÆ illorum principum, seu tyrannorum, siue Cæsarum, qui non diu imperauerunt, in obscuro latent, idcirco quod neque de priuata eorum vita digna sunt quæ dicantur, quum omnino nescirentur quidem, nisi aspirassent ad imperium: & de imperio quod non diu tenuerunt, non multa dici possunt. Nos tamen ex diuersis hi-

ſis hiſtoriis erutam lucem proferemus, & ea quidem quæ memoratu digna erunt. Non enim eſt quiſquam in vita qui non ad diem quodcumque fecerit: ſed eius qui vitas aliorum ſcribere orditur, officium eſt digna cognitione perſcribere. Et Iunio quidem Cordo ſtudium fuit eorum Imperatorum vitas edere quos obſcuriores videbat: qui non multum profecit. Nam & pauca reperit & indigna memoratu, aſſerens ſe minima quæque perſequuturum: quaſi vel de Traiano, aut Pio, aut Marco ſciendum ſit, quoties proceſſerit, quando cibos variauerit, & quando veſtem mutauerit, & quos quando promouerit: quæ ille omnia exſequendo, libros mythiſtoriis repleuit talia ſcribendo: quum omnino rerũ viliũ aut nulla ſcribenda ſint, aut nimis pauca, ſi tamen ex his mores poſſint animaduerti, qui reuera ſciendi ſunt: ſed ex parte [conſcribam,] vt ex ea cetera colligantur. Occiſo ergo Antonino Baſſiano, OPILIVS MACRINVS præfectus prætorio eius, qui antea *priuatas curabat, imperium arripuit; humili natus loco, & animi atque oris inuerecundi: ſeque nunc *Seuerum*, nunc *Antoninum*, quum in odio eſſet omnium & hominum & militum, nuncupauit. Statimq; ad bellum Parthicum profectus, & * vindicandi ſe de militibus, & rumoribus, quibus premebatur, adoleſcendi poteſtatẽ dempſit: quamuis ſenatus eum Imperatorem odio Antonini Baſſiani libenter acceperit, quum in ſenatu omnibus vna vox eſſet, *quemuis magis quam parricidam, quemuis magis quam inceſtum, quemuis magis quam impurum, quemuis magis quam interfectorem & ſenatus & populi.* Et mirum omnibus fortaſſe videatur cur *Diadumenus* filius Macrini, *Antoninus* voluerit nuncupari; quum auctor necis Antoninianæ fuiſſe dicatur. De ipſo quæ in annales relata ſunt, proferam. Vates *Cæleſtis apud Carthaginem, quæ deo repleta ſolebat vera canere, ſub Antonino Pio, quum ſciſcitante proconſule de ſtatu, vt ſolebat, publico, & de ſuo imperio, futura prædiceret, vbi ad principes ventum eſt, clara voce numerari iuſſit, quoties diceret *Antoninum*. Tuncq; attentis omnibus, *Antonini* nomen *Auguſti* octauo edidit. Sed credentibus cunctis quod VIII annis Antoninus Pius imperaturus eſſet, & ille *tranſcendit hunc annorum numerum, & conſtitit apud credentes vel tunc vel poſtea per vatem aliud deſignatum. Denique adnumeratis omnibus qui Antonini appellati ſunt, is Antoninorum numerus inuenitur. Enimuero Pius primus, Marcus ſecundus, Verus tertius, Commodus quartus, quintus Caracallus, ſextus Geta, ſeptimus Diadumenus, octauus Heliogabalus, Antonini fuere. Nec inter Antoninos referendi ſunt duo Gordiani: qui aut prænomen tantum Antoninorum habuerunt, aut etiam Antonii dicti ſunt, non Antonini. Inde eſt quod ſe & Seuerus Antoninum vocauit, & plurimi fuerunt, & Pertinax & Iulianus, & idem Macrinus. Et ab ipſis Antoninis, qui veri ſucceſſores Antonini fuerunt, hoc nomẽ magis quam proprium retentum eſt. Hæc alii. Sed alii idcirco Antoninum Diadumenum a Macrino patre appellatum ferunt, vt ſuſpicio a Macrino interfecti Antonini militibus tolleretur. Alii vero tantum deſiderium nominis huius fuiſſe dicunt, vt niſi populus & milites Antonini nomen audirent, imperatorium non putarent. Et de Macrino quidem in ſenatu a multis, quando nuntiatum eſt Varium Heliogabalum imperatorem, quum iam Cæſarem Alexandrũ ſenatus dixiſſet, ea dicta ſunt, vt appareat ignobilem, ſordidum, ſpurcum fuiſſe. Verba denique Aurelii Victoris, cui Primo cognomen erat, hæc fuerunt: *Macrinum libertinum hominem *proſtibulum, ſeruilibus officiis occupatum in domo imperatoria, venali fide, vita ſordida ſub Commodo, a Seuero remotum etiam a *miſerrimis officiis, relegatumq; in Africam: vbi vt infamiam damnationis tegeret, lectioni operam dediſſe, egiſſe cauſſulas, declamaſſe, ius poſtremo dixiſſe. Donatum autem anulis aureis, patrocinante *ſibi liberto ſuo Feſto, aduocatum fiſci factum ſub Vero Antonino.* Sed & hæc dubia ponuntur, & alia dicuntur ab aliis; quæ ipſa quoque non tacebimus. Nam plerique gladiatoriam pugnam eum exhibuiſſe dixerunt: & accepta rudi, ad Africam iſſe: venatorem primo, poſt etiam tabellionem fuiſſe, deinceps aduocatum fuiſſe fiſci: ex quo officio ad ampliſſima quæque peruenit. Deinde quum eſſet præf. præt. collega ablegato, Antoninum Caracallum Imperatorem ſuum interemit, tanta* fictione vt ab eo non videretur occiſus. Nam ſtratore eius redempto, & ſpe ingenti propoſita, id egit vt quaſi militaribus inſidiis, quod vel ob parricidium vel inceſtum diſpliceret, interemptus diceretur. Statim denique

arripuit Imperium, filio Diadumeno in participatum adscito: quem continuo (vt diximus) Antoninum appellari a militibus iussit. Deinde corpus Antonini Romam remisit sepulcris maiorum inferendum. Mandauit collegæ dudum suo præfecto prætorii, vt munus suum curaret, ac præcipue Antoninum honorabiliter sepeliret ducto funere regio; quod sciebat ob vestimenta populo & congiaria data multum Antoninum a plebe dilectum. Accedebat etiam illud quod militarem motum timebat, ne eo interueniente, suum impediretur Imperium quod raptum ierat, sed quasi inuitus acceperat; *vt sunt homines qui ad ea se cogi dicunt quæ vel sceleribus comparant.* Timuit autem etiam collegam, ne & ipse imperare cuperet, sperantibus cunctis quod si [vel] vnius numeri consensus accederet, neque ille recusaret, [&] omnes cupidissime id facerent, odio Macrini, vel propter vitam improbam, vel propter ignobilitatem, quum omnes superiores, nobiles fuissent Imperatores. * Infulsit præterea nomen Seueri, quum illius nulla cognatione tangeretur: vnde iocus exstitit, *Sic Macrinus est Seuerus, quomodo Diadumenus Antoninus.* Statim tamen ad delendum militum motum, stipendium & legionariis & prætorianis dedit solito vberius; vtpote qui extenuare cuperet Imperatoris occisi crimen: *profuitque pecunia, vt solet, cui innocentia prodesse non poterat.* Retentus est enim aliquanto tempore in imperio homo vitiorum omnium. Ad senatum deinde litteras misit de morte Antonini, Diuum illum appellans, excusansq; se, & iurans quod de cæde illius nescierit. Ita sceleri suo, more hominum perditorum, iunxit periurium (a quo incipere decuit hominem improbum) quum ad senatum scriberet. Interest scire cuiusmodi oratio fuerit qua se excusauit; vt & impudentia hominis noscatur & sacrilegium, a quo initium sumpsit improbus Imperator. Capita ex oratione Macrini & Diadumeni Imperatorum. *Vellemus P. C. & incolumi Antonino nostro, & reuecto cum triumpho, vestram clementiam videre. Tunc demum enim florente rep. & omnes felices essemus, & sub eo principe viueremus quem nobis Antoninorum loco dii dederant. Verum quia id euenire per tumultum militarem non potuit, nuntiamus primum quid de nobis exercitus fecerit: deinde honores diuinos (quod primum faciendum est) decernimus ei viro in cuius verba iurauimus, quum exercitus vltorem cædis Bassiani neminem digniorem præfecto eius putauit; cui & ipse vtique vindicandam factionem mandasset, si viuus deprendere potuisset.* Et infra: *Detulerunt ad me Imperium: cuius ego P. C. interim tutelam recepi, tenebo regimen, si & vobis placuerit quod militibus placuit: quibus & stipendium dedi, & omnia imperatorio more iussi.* Item infra: *Diadumenum filium meum vobis notum, & imperio miles donauit, & nomine, Antoninum videlicet appellans; vt cohonestaretur prius nomine, * sic etiam regni honore. quod vos P. C. bono faustoque omine approbetis petimus; ne * vobis desit Antoninorum nomen, quod maxime diligitis.* Item infra: *Antonino autem diuinos honores & miles decreuit, & nos decreuimus: & vos P. C. vt decernatis, quum possimus imperatorio iure præcipere, tamen rogamus, dicantes & duas statuas equestres, pedestres duas habitu militari, sedentes ciuili habitu duas: item diuo Seuero duas triumphales. Quæ omnia P. C. vos impleri iubebitis, nobis religiose pro prioribus ambientibus.* Lectis igitur in senatu litteris, contra opinionem omnium, & mortem Antonini senatus gratanter accepit, & Opilium Macrinum libertatem publicam curaturum sperans, primum in patricios allegit, nouum hominem, & qui paullo ante procurator priuatæ rei fuisset. Eumdem, quum scriba pontificum esset, (quos hodie *pontifices minores* vocant) Pontificem Max. appellauit, Pii nomine decreto. Diu tamen, lectis litteris, quum omnino nemo crederet de Antonini morte, silentium fuit. Sed posteaquam constitit occisum, senatus in eum velut in tyrannum inuectus est. Denique statim Macrino & proconsulare imperium, & potestatem tribunitiam detulerunt. Filium sane suum, quum ipse *Felicis* nomen recepisset, vt suspicionem occisi a se Antonini remoueret, *Antoninum* vocauit, *Diadumenum* antea dictum. quod quidem etiam Varius Heliogabalus, qui se Bassiani filium diceret, homo sordidissimus, & ex meretrice cōceptus, idem postea nomen accepit. Denique versus exstant cuiusdam poetæ, quibus ostenditur, Antonini nomen cœpisse a Pio, & paulatim per Antoninos vsq; ad sordes vltimas peruenisse: siquidem Marcus nomen illud sanctum vitę genere auxisse videtur, Verus autem degenerasse,

Commodus

Commodus vero etiam posuisse sacrati nominis reuerentiam. Iam quid de Caracallo Antonino, quidue de hoc potest dici? Postremo etiam quid de Heliogabalo, qui Antoninorum vltimus in summa impuritate vixisse memoratur? Appellatus igitur Imperator, suscepto bello contra Parthos, profectus est magno apparatu, studens sordes generis & prioris vitæ infamiam victoriæ magnitudine abolere. Sed conflictu habito contra Parthos, defectu legionum quæ ad Varium Heliogabalum confugerant, interemptus est. Sed anno amplius imperauit. Sane quum esset inferior in eo bello quod Antoninus gesserat, Artabane grauiter necem suorum ciuium vindicante, primo Macrinus repugnauit: postea vero missis legatis petiit pacem: quam libenti animo interfecto Antonino Parthus concessit. Inde quum se Antiochiam recepisset ac luxuriæ operam daret, iustam caussam interficiendi sui præbuit exercitui, ac Bassiani (vt putabatur) filium sequendi, id est *Heliogabalum Bassianum Varium*, qui postea & *Bassianus* & *Antoninus* appellatus est. Fuit quædam mulier *Mœsa, siue Varia, ex Emissena vrbe, soror Iuliæ vxoris Seueri Pertinacis Afri; quæ post mortem Antonini Bassiani ex aulica domo fuerat expulsa per Macrini superbiam: cui quidem omnia concessit Macrinus quæ diu illa collegerat. Huic erant duæ filiæ, *Semiamira & Mammæa, quarum maiori filius erat Heliogabalus, qui & Bassiani & Antonini nomen accepit. Nam Heliogabalum Phœnices vocant solem. Sed Heliogabalus pulchritudine ac statura & sacerdotio conspicuus erat, ac notus omnibus hominibus qui ad templum veniebant, militibus præcipue. His Mœsa, siue Varia, dixit, Bassianum filium esse Antonini, quod paulatim omnibus militibus innotuit. Erat prætérea Mœsa ipsa ditissima; ex quo etiam Heliogabalus luxuriosissimus: qua promittente militibus, legiones abductæ sunt a Macrino. Suscepta enim illa noctu in opidum cum suis, nepos eius *Antoninus* est appellatus, Imperii delatis insignibus. Hæc vbi sunt Macrino apud Antiochiam posito nuntiata, miratus audaciam muliebrem, simul etiam contemnens, Iulianum præfectum ad obsidendos eos cum legionibus misit. Quibus quum Antoninus ostenderetur, miro amore in eum omnibus inclinatis, occiso Iuliano præfecto, ad eum omnes transierunt. Deinde parte exercitus coniuncta, venit contra Macrinum Antoninus contra se festinantem: commissoque prœlio, Macrinus est victus proditione militum eius & amore Antonini. Fugiens sane Macrinus cum paucis & filio, in vico quodam Bithyniæ occisus est cum Diadumeno: ablatumque eius caput est, & ad Antoninum perlatum. Sciendum præterea quod Cæsar fuisse dicatur, non Augustus, Diadumenus puer; quem plerique pari fuisse cum patre imperio tradiderunt. Occisus est etiam filius: cui hoc solum attulit Imperium, vt interficeretur a milite. Non enim aliquid dignum in eius vita erat quod dicatur, præter hoc quod Antoninorum nomini est velut nothus appositus. Fuit tamen in vita imperatoria paulo rigidior & austerior, sperans se anteacta omnia posse obliuioni dare; quum ipsa seueritas illius, occasionem reprehendendi & lacerandi eius aperiret. Nam & *Seuerum* se & *Pertinacem* voluerat nuncupari: quæ duo illi asperitatis nomina videbantur. Et quum illum senatus *Pium* & *Felicem* nuncupasset, Felicis nomen recepit, Pii habere noluit. Vnde in eum epigramma illarum Græci cuiusdam poetæ videtur exstare, quod Latine hac sententia continetur; *Histrio iam senior turpis, grauis, asper, iniquus, Impius; & felix sic simul esset cupit, Vt nolit pius esse, velit tamen esse beatus: Quod natura negat, nec recipit ratio. Nam Pius & Felix poterat dici atque videri: Cui Imperium infelix est, erit ille sibi.* Hos versus nescio quis de Latinis, iuxta eos qui Græci erant propositi, in foro posuit. quibus acceptis Macrinus his versibus respondisse fertur; *Si talem Graium retulissent fata poetam, Qualis Latinus Gabalus iste fuit, Nil populus nosset, nil nosset curia, magno Nullus scripsisset carmina tetra mihi.* His versibus Macrinus longe peioribus quam illi Latini sunt, respondisse se credidit: sed non minus risui est habitus quam poeta ille qui * de Græco Latine coactus est scribere. Fuit igitur superbus & sanguinarius & volens militariter imperare; incusans quinetiam superiorum temporum disciplinam, ac solum Seuerum præ ceteris laudans. Nam & in crucem milites tulit, & seruilibus suppliciis semper affecit: & quum seditiones militares pateretur, multos sæpius decumauit, aliquando etiam centesimauit: quod

verbum proprium ipsius est, quum se clementem diceret, quando eos cetitesimaret qui digni essent decumatione atque vicesimatione. Longum est eius crudelitates omnes aperire: attamen vnam ostendam, non magnam, vt ipse credebat, sed omnibus tyrannicis immanitatibus tristiorem. Quum quidam milites ancillæ hospitis pudorem deprauasse suspecti essent, atque per quemdam frumentarium ille didicisset, adduci eos iussit, interrogauitque vtrum esset factum: quod quum constitisset, duos boues miræ magnitudinis viuos subito aperiri iussit, atque his singulos milites inseri, capitibus, vt secum colloqui possent, exsertis. Itaque pœna bos affecit: quum ne adulteris quidem talia apud maiores sui temporis essent constituta supplicia. Pugnauit tamen & contra Parthos & contra *Armenos, & contra Arabas quos Eudæmonas vocant, non minus fortiter quam feliciter. Tribunum qui excubias deseri passus est, carpento rotali superadnexum, per totum iter viuum atque exanimem traxit. Reddidit etiam Mezentii supplicium, * quod ille viuos mortuis illigabat, & ad mortem cogebat longa tabe confectos. Vnde etiam in circo, quum fauor publicus in Diadumenum semper fuisset, acclamatum; * *Egregius forma iuuenis; cui pater haud Mezentius esset*. Viuos etiam homines parietibus inclusit, & *struxit. Adulterii reos semper viuos simul incendit, iunctis corporibus. Seruos qui a dominis fugissent, repertos, ad gladium ludi deputabat. Delatores, si non probarent, capite affecit: si probarent, delato pecuniæ præmio, infames dimisit. Fuit in iure non incallidus, adeo vt statuisset omnia rescripta veterum principum tollere, vt iure, non rescriptis ageretur; nefas esse dicens, leges videri Commodi & Caracalli & hominum imperitorum voluntates; quum Traianus numquam libellis responderit, ne ad alias caussas facta præferrentur, quæ ad gratiam composita viderentur. In annonis tribuendis largissimus fuit, in auro, parcissimus. In *vernaculis vel aulicis tam impius, tam pertinax, tam asper, vt serui illum sui non Macrinum dicerent, sed *macellinum*, quod macelli specie domus eius cruentaretur sanguine vernularum. Vini cibiq; auidissimus, nonnumquam vsque ad ebrietatem: sed vespertinis horis. Nam si prandisset, vel priuatim, parcissimus, in cœna, effusissimus. Adhibuit conuiuio litteratos; vt loquens de studiis liberalibus, necessario abstineret. Sed quum eius vilitatem homines antiquam cogitarent, crudelitatem nimiam viderent, hominem putidulum in Imperio ferre non possent, & maxime milites, qui multa eius meminerant funestissima: & aliquando turpissima, inita factione illum occiderunt cum puero suo Diadumeno, scilicet Antonino cognomine, de quo dictum est quod in somnis Antoninus fuisset. Vnde etiam versus exstant huiusmodi; *Vidimus in somnis ciues (nisi fallor) & istud: Antoninorum nomen puer ille gerebat, Qui patre venali genitus, sed matre pudica: Centum nam mœchos passa est, centumque rogauit. Ipse etiam caluus mœchus fuit, inde maritus. En pius, en Marcus: Verus nam non fuit ille.* Et isti versus ex Græco translati sunt in Latinum. nam Græce sunt disertissimi. videntur autem mihi ab aliquo poeta vulgari translati esse. Quod quum Macrinus audisset, fecit iambos qui non exstant: iucundissimi autem fuisse dicuntur. qui quidem perierunt in eo tumultu in quo ipse occisus est; quando & omnia eius a militibus peruersa sunt. Genus mortis (vt diximus) tale fuit. Quum in Antoninum Heliogabalum exercitus inclinasset, ille fugit, belloque victus est & occisus in suburbano Bithyniæ, suis partim deditis, partim occisis, partim fugatis. Ita Heliogabalus clarus redditus est, quod videretur patris vindicasse mortem: atque inde in imperium venit; quod dedecorauit vitiis ingentibus, luxuria, turpitudine, abligurritione, superbia, immanitate: qui & ipse similem exitum vitæ suæ sortitus est. Hæc de Macrino nobis sunt cognita, multis aliqua variantibus; vt se habet omnis historia. quæ de plurimis collecta, serenitati tuæ, Diocletiane Auguste, detulimus; quia te cupidum veterum Imperatorum esse perspeximus.

ÆLII LAMPRIDII

ANTONINVS DIADVMENVS.

ANTONINI DIADVMENI pueri, quem cum patre Opilio Macrino Imperatorem dixit exercitus, occiso Bassiano factione Macriniana, nihil habet vita memorabile, nisi quod Antoninus est dictus, & quod ei stupenda omina sunt facta Imperii non diuturni: vt euenit. Nam quum primum innotuit per legiones, occisum esse Bassianum, ingens mœror obsedit omnium pectora quod Antoninum in repub. non haberent, existimantium quod cum eo Romanum esset Imperium periturum. Id vbi Macrino iam Imperatori nuntiatum est, veritus ne in aliquem Antoninorum, qui multi ex affinibus Antonini Pii erant inter duces, exercitus inclinaret, statim, concionem parari iussit, filiumque suum hunc puerum Antoninum appellauit. Concionis verba eiusdem: *Videtis, commilitones, & me ætatis prouectæ, & Diadumenum puerum: quem diu principem, si dii faueant, habebitis. Intelligo præterea desiderium ingens* * *Antonini nominis apud vos manere. quare quoniam mihi per conditionem fragilitatis humanæ, non multum superesse videtur ad vitam, hunc puerum Antoninum vobis auctoribus nuncupo, diu vobis Antoninum repræsentaturum.* Acclamatum, *Macrine Imperator, dii te seruent: Antonine Diadumene, dii te seruent. Antoninum diuum omnes rogamus: Iupiter optime maxime Macrino & Antonino vitam. Tu scis Iupiter, Macrinus vinci non potest: Tu scis Iupiter, Macrinus vinci non potest. Antoninum habemus; omnia habemus. Antoninum nobis dii dederunt patrem: Antoninus dignus imperio.* Macrinus Imperator dixit: *Habete igitur commilitones pro imperio aureos ternos, pro Antonini nomine aureos quinos, & solitas promotiones, sed geminatas: Dii faciant vt hæc sæpius fiant. Dabimus autem per cuncta quinquennia id quod hodie deputauimus.* Post hoc ipse puerulus Diadumenus Antoninus Imperator dixit; *Gratias ago vobis, commilitones, quod me & imperio donastis & nomine: siquidem dignos & me & patrem meum duxistis quos Imperatores Romanos diceretis, & quibus committeretis rempubl. Et pater quidem meus curabit ne desit imperio: ego autem elaborabo ne desim nomini Antoninorum. Scio enim me Pii, me Marci, me Veri suscepisse nomen, quibus satisfacere perdifficile est. Interim tamen causa Imperii, caussa nominis, id omne quod pater, & tantumdem promitto, honoribus, vt venerandus Macrinus pater præsens promisit, duplicatis.* Herodianus Græcus scriptor hæc præteriens, * Diadumenum tantum Cæsarem dicit puerum a militibus nuncupatum, & cum patre occisum. Hac habita concione, statim apud Antiochiam moneta Antonini Diadumeni nomine percussa est: Macrini, vsque ad iussum senatus dilata est. Missæ etiam ad senatum litteræ quibus nomen Antonini indicatum est. Quare etiam senatus Imperium id libenter dicitur recepisse; quamuis alii Antonini Caracalli odio id factum putent. Parauerat sane pænulas populo coloris rosei dare Macrinus Imperator in honorem Antonini filii sui, quæ vocarentur Antoninianæ, vt Caracallæ Bassiani dictæ sunt; asserens filium suum *Pænuleum* vel *Pænularium* dicendum, quia *Caracallus* esset dictus Bassianus. Congiarium etiam prædictum Antoninianum promisit; vt ipsum edictum poterit indicare. Verba edicti: *Vellem, Quirites, iam præsentes essemus. Antoninus vester vobis congiarium sui nominis daret. Daret præterea & pueros Antoninianos, & puellas Antoninianas, quæ tam grati nominis gloriam propagarent*: & reliqua. His ita gestis, signa in castris & vexilla fieri Antoniniana iussit. Fecitque Bassiani simulacra ex auro atq; argento, atque dies septem supplicatio pro Antonini nomine celebrata est. Puer fuit omnium speciosissimus, statura longiuscula, crine flauo, nigris oculis, naso deducto ad omnem decorem, mento composito, ore ad oscula parato: fortis naturaliter, exercitio delicatior. Hic vbi primum indumenta * coccea & purpurea ceteraque castrensia Imperii insignia accepit, quasi sidereus & cælestis emicuit; vt amaretur ab omnibus gratia

venustatis. Hæc sunt quæ de imperio pueri dicenda putaui. Nunc veniamus ad omina Imperii, quæ cum in aliis, tum in hoc præcipue sunt stupenda. Die qua natus est, pater eius purpuras * tum forte procurator iam ærarii maioris inspexit, & quas claras probauit, in id conclaue redigi præcepit, in quo post duas horas Diadumenus natus est. Solent deinde pueri pileo insigniri naturali, quod obstetrices rapiunt & aduocatis credulis vendunt: siquidem caussidici hoc iuuari dicuntur. at iste puer pileum non habuit, sed diadema tenue, sed ita forte vt rumpi non potuerit, * venis intercedentibus specie nerui sagittarii. ferunt denique *Diadematum* puerum appellatum: sed vbi adoleuit, aui sui nomine materni *Diadumenum* vocatum; quamuis non multum abhorruerit ab illo signo Diadematis nomen Diadumeni. In agro patris eius oues purpureas XII ferunt natas, quarum vna tantum varia fuerit. Eadem die qua hic natus est, aquilam ei constat sensim palumbum regium paruulum attulisse, & posuisse in cunis dormienti, ac recessisse sine noxa. Pantagathi in domo patris eius nidum posuerunt. His diebus quibus ille natus est, mathematici accepta genitura eius exclamauerunt & ipsum filium Imperatoris esse, & ipsum Imperatorem: [quasi] mater eius adulterata esset, quod fama retinebat. * Huic eidem aquila pileum in agro ambulanti tulit: & quum comitum infantis clamor esset factus, in monumento regio quod iuxta villam esset, in qua tunc pater agebat, supra statuam regis posuit, ita vt capiti eius aptaret: quod multi ominosum putarunt & morti accommodum. clarum autem euentus ostendit. Natus est præterea natali Antonini, & ea hora & signis prope continentibus quibus & Antoninus Pius. quare dixerunt mathematici, & Imperatoris illum filium futurum, & Imperatorem; sed non diu. Die qua natus est, quod Antonini esset natalis, mulier quædam propinqua dicitur exclamasse, *Antoninus vocetur*: sed Macrinum timuisse, quod nullus ex eius genere hoc nomine censeretur; abstinuisseque nomine Imperatorio; simul quod iam rumor de vi geniture illius emanasset. Hæc atque alia omina fuisse multi in litteras retulerunt. sed illud præcipue quod quum in cunis esset Diadumenus, & leo ruptis vinculis, & quidem ferus, effugisset atque ad incunabula eius venisset, puerum delinxit, & inuiolatum reliquit, quum nutrix se in leonem misisset, atque eius morsu affecta periisset; quæ sola forte in areola inuenta erat, in qua infans iacebat. Hæc sunt quæ digna memoratu in Antonino Diadumeno esse videantur: cuius vitam iunxissem patris gestis, nisi Antoninorum nomen me ad edendam puerilis specialem expositionem vitæ coegisset. Et fuit quidem tam amabile illis temporibus nomen Antoninorum, vt qui eo nomine non niteretur, mereri non videretur Imperium. Vnde etiam quidam & Seuerum, & Pertinacem, & Iulianum, Antoninorum prænominibus honorandos putant: vnde postea duos Gordianos, patrem & filium, Antoninos cognominatos putent. Sed aliud est quum prænomen adsciscitur; aliud, quum ipsum nomen imponitur. Nam Pius verum nomen, Antonini habuit, cognomen Pii: Marcus verum nomen Verissimi habuit; sed hoc sublato atque abolito, non prænomen Antonini, sed nomen accepit. Verus autem, Commodi nomen habuit: quo abolito, Antonini non prænomen, sed nomen accepit. Commodum autem Marcus Antoninum appellauit, atque ita in publicum edidit diem natalis sui. Iam Caracallum Bassianum satis constat vel somnii caussa, quod Seuerus viderat, quum sibi Antoninum successorem prædictum sensisset, anno demum XIII Antoninum dixisse; quando ei etiam Imperatoriam addidisse dicitur potestatem. Getam vero, quem multi Antoninum negant dictum, eadem ratione qua Bassianum appellatum satis constat, vt patri Seuero succederet: quod minime factum est. Post hoc ipse Diadumenus vt commendaretur exercitui, senatui populoque Romano, essetque ingens desiderium Bassiani Caracallæ, Antoninum appellatum satis constat. Exstat epistola Opilii Macrini patris Diadumeni, qua gloriatur non tam se ad Imperium peruenisse, qui esset * secundus Imperii, quam quod Antoniniani nominis esset pater factus, quo clarius illis temporibus non fuerat vel deorum. Quam epistolam priusquam * interseram, libet versus inserere in Commodum dictos, qui se Herculem appellauerat: vt intelligant omnes, tam clarum fuisse Antoninorum nomen, vt illi nec deorum nomen commode videretur adiungi.

Versus

Versus in Commodum Antoninum dicti; *Commodus Herculeum nomen habere cupit, Antoninorum non putat esse bonum: Expers humani iuris & Imperii. Sperans quinetiam clarius esse deum, Quam si sit princeps nominis egregii. Non erit iste deus, nec tamen vllus homo.* Hi versus a Græco nescio quo compositi, a malo poeta in Latinum translati sunt: quos ego idcirco inserendos putaui, vt scirent omnes, Antoninos pluris fuisse quam deos: ac trium principum * amorem, quo sapientia, bonitas, pietas, consecrata sit: in Antonino pietas, in Vero bonitas, in Marco sapientia. Redeo nunc ad epistolam Macrini Opilii. *Opilius Macrinus Noniæ Celsæ coniugi. Quid boni adepti simus, mea vxor, caret æstimatione; & fortassis de Imperio me putes dicere. Non magnum istud, quod etiam indignis fortuna concessit. Antonini pater factus sum: Antonini mater es facta. O nos beatos, ô fortunatam domum, præclaram laudem nunc demum felicis Imperii. Dii faxint & bona Iuno quam colis, vt & ille Antonini meritum effingat, & ego qui sum pater Antonini, dignus omnibus videar.* Hæc epistola indicat, quantum gloriæ adeptus sibi videretur quod vocatus est filius Antoninus. Hic tamen XIIII mense Imperii, ob inciuilem patris atque asperum principatum, interfectus est cum patre, non suo nomine. Quamuis etiam istum vltra ætatem sæuisse in plerosque reperiam; vt docent litteræ ab hoc eodem ad patrem missæ. Nam quum quidam defectionis suspicionem incurrissent, & eos Macrinus sæuissime punisset, filio forte absente, atque hic audisset auctores quidem defectionis occisos, quorum tamen vnus, dux Armeniæ erat; & item legatos Asiæ atque Arabiæ ob antiquam familiaritatem dimissos, his litteris conuenisse patrem dicitur, patibus missis etiam ad matrem: quarum exemplum historiæ caussa inserendum putaui. *Patri Augusto filius Augustus. Non satis mi pater videris in amore nostro tenuisse tuos mores, qui tyrannidis affectatæ conscios reseruasti, sperans eos vel amiciores tibi futuros si tu parceres, vel ob antiquam familiaritatem dimittendos quod nec debuit fieri, nec potuit. Nam primum omnium iam te exulceratu suspicionibus amare non possunt. denique crudeliores inimici sunt, qui obliti veteris familiaritatis, se inimicissimis tuis iunxerunt. Adde quod exercitus adhuc habent.* Si te nulla mouet tantarum gloria rerum, Ascanium surgentem, & spes heredis Iuli Respice; cui regnum Italiæ Romanaque tellus, Deberur. *Ferendi sunt isti, si vis esse securus. Nam vitio generis humani alii non * sunt defuturi, quum isti seruantur.* Hanc epistolam quidam ipsius, quidam magistri eius Cæliani ferunt, Afri quondam rhetoris. ex qua appatet, quam asper futurus iuuenis, si vixisset. Exstat alia epistola ad matrem ab eodem destinata, talis. *Dominus noster & Augustus nec te amat, nec ipsum se, qui inimicos suos seruat. Age igitur vt Arabianus, & Tuscus, & Gellius, ad palum deligentur: ne, si occasio fuerit, nos interimant.* Et, quantum Lollius Vrbicus in historia sui temporis dicit, istæ litteræ per notarium proditæ, illi puero multum apud milites obfuisse dicuntur. Nam, quum patrem occidissent, quidam hunc seruare voluerunt: sed exstitit cubicularius qui has epistolas concioni militum legit. Interfectis igitur ambobus, & capitibus pilo circumlatis, in Marcum Aurelium Antoninum, caritate nominis, inclinauit exercitus. Is filius Bassiani * Caracallæ ferebatur. Erat autem templi Heliogabali sacerdos, homo omnium impurissimus, & qui fato quodam Romanum deformauerit Imperium. De quo quidem, quia multa sunt dicenda, loco suo differam.

ÆLII LAMPRIDII
ANTONINUS *HELIOGABALUS,
AD CONSTANTINUM AUG.

VITAM HELIOGABALI ANTONINI impurissimam, qui VARIUS etiam dictus est, numquam in litteras misissem, ne quis fuisse Romanorum principem sciret; nisi ante Caligulas, & Nerones, & Vitellios, hoc idem habuisset Imperium. Sed quum eadem terra & venena ferat & frumentum, atque alia salutaria, alia contraria, eadem serpentes & ciconias; compensationem sibi lector diligens faciet, quum legerit Augustum, Vespasianũ, Titum, Traianum, Adrianum, Pium, Marcum, contra hos prodigiosos tyrannos: simul intelliget Romanorum iudicia, quod illi & diu imperarunt, & exitu naturali functi sunt, hi vero interfecti, tracti, tyranni etiam appellati; quorum nec nomina libet dicere. Igitur occiso Macrino, eiusq; filio Diadumeno, qui pari potestate imperii, Antonini etiam nomen acceperat, in Varium Heliogabalum imperium collatum est, idcirco quod Bassiani filius diceretur. Fuit autem Heliogabali, vel Iouis, vel Solis sacerdos, atq; Antonini sibi nomen adsciuerat, vel in argumẽtum generis, vel quod id nomen vsqueadeo carum esse cognouerat gentibus, vt etiam paricida Bassianus caussa nominis amaretur. Et hic quidem prius dictus est *Varius*; post *Heliogabalus*, a sacerdotio dei Heliogabali; cui templum Romæ in eo loco constituit in quo prius ædes Horci fuit; quem e Syria secum adduxit. Postremo quum accepit imperium, *Antoninus* appellatus est: atque ipse in Romano imperio vltimus Antoninorum fuit. Hic tantum *Semiamitæ matri deditus fuit, vt sine illius voluntate nihil in rep. faceret, quum ipsa meretricio more viuens, in aula omnia turpia exerceret: Antonino autem Caracallo stupro cognita; ita vt hinc vel Varius vel Heliogabalus vulgo conceptus putaretur. Et aiunt quidam, *Varii* etiam nomen idcirco eidem inditum a condiscipulis, quod vario semine, de meretrice vtpote, conceptus videretur. Hic fertur, occiso Macrini factione patre (vt dicebatur) Antonino, in templum dei Heliogabali confugisse velut in asylum, ne interficeretur a Macrino, qui sæuissime cum filio luxurioso & crudeli exercuit imperium. Sed de nomine hactenus, quamuis sanctum illud Antoninorum nomen polluerit: quod tu Constantine sacratissime ita veneraris, vt Marcum & Pium inter Cõstantios Claudiosque, velut maiores tuos, aureos formaueris, adoptans virtutes veterum tuis moribus congruentes, & tibi amicas carasq;. Sed vt ad Antoninum Varium reuertamur, nactus imperium, Romã nuntios misit: excitatisq; omnibus ordinibus, omni etiam populo ad nomen Antoninum, quod non solum titulo, vt in Diadumeno fuerat, sed etiam in sanguine redditum videbatur, quum se Antoninum Bassiani filium scripsisset; ingens eius desiderium factum est. Erat præterea etiam rumor qui *nouis post tyrannos solet donari principibus: qui nisi ex summis virtutibus non permanet, & quem multi mediocres principes amiserunt. Denique vbi in senatu lectæ sunt litteræ Heliogabali, statim fausta in Antoninum, & dira in Macrinum eiusq; filium dicta sunt: appellatusque Antoninus princeps, volentibus cunctis, & studiose credentibus, vt sese habent vota hominum ad credulitatem festinantium, quum quod optãt, verum esse desiderant. Sed vbi primum ingressus est vrbem, omissis iis quæ in prouincia gerebantur, Heliogabalum in Palatino monte iuxta ædes imperatorias consecrauit, eiq; templum fecit; studens & *Matris typũ, & Vestæ ignem, & Palladium, & ancilia, & omnia Romanis veneranda in illud transferre templum, & id agens ne quis Romæ deus nisi Heliogabalus coleretur. Dicebat præterea, Iudæorum & Samaritanorum religiones, & Christianam deuotionem illuc transferendam; vt omnium culturarum secretum Heliogabali sacerdotium teneret. Deinde vbi primum diem senatus habuit, matrem suam* in senatum rogari iussit. Quæ quum venisset, vocata ad consulum subsellia, scribendo affuit, id est, senatusconsulti conficiendi

ciendi testis: solusque omnium Imperatorum fuit, sub quo mulier quasi clarissima, loco viri senatum ingressa est. Fecit & in colle Quirinali *senaculum, id est mulierum senatum; in quo ante fuerat conuentus matronalis, solennibus dumtaxat diebus, & si *vmquam aliqua matrona consularis coniugii ornamentis esset donata: quod veteres Imperatores affinibus detulerunt, & his maxime quæ nobilitatos maritos non habuerant; ne innobilitatæ remanerent. Sed *Semiamirica facta sunt senatuscōsulta ridicula de legibus matronalibus; quæ quo vestitu incederent, quæ cui *cederet, quæ ad cuius osculum veniret: quæ pilento, quæ equo *sagmario, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum; quæ sella veheretur; & vtrum pellicea, an ossea, an eborata, an argentata: & quæ aurum vel gemmas in calciamentis haberent. Ergo quum hibernasset Nicomediæ, atque omnia sordide ageret, inireturque a viris & *subaret, statim milites facti sui pœnituit quod in Macrinum conspirauerant vt hunc principem facerent: atque in consobrinum eiusdem Heliogabali Alexandrum, quem Cæsarem senatus Macrino interempto appellauerat, inclinauere animos. *Quis enim ferre posset principem per cuncta caua corporis libidinem recipientem; quum ne belluam quidem talem quisquam ferat?* Romæ denique nihil egit aliud, nisi vt emissarios haberet qui ei bene *nasatos perquirerent, eosque ad aulam perducerent, vt eorum conditionibus frui posset. Agebat præterea domi fabulam Paridis, ipse Veneris personam subiens, ita vt subito vestes ad pedes defluerent; nudusque vna manu ad mammam, altera pudendis adhibita ingenicularet, posterioribus eminentibus in subactorem reiectis & oppositis. Vultum præterea eodem quo Venus pingitur, schemate figurabat, corpore toto expolitus: eum fructum vitæ præcipuum existimans, si dignus atque aptus libidini plurimorum videretur. Vendidit & honores & dignitates & potestates, tam per se quam per omnes seruos ac libidinum ministros. In senatum legit sine discrimine ætatis, census, generis, pecuniæ merito, militaribus etiam præpositurls & tribunatibus, & legationibus & ducatibus venditis, etiam procurationibus & palatinis officiis. Aurigas Protogenem & Gordium, primo in certamine curuli socios, post in omni vita & actu participes habuit. Multos quorum corpora placuerant, de scena & circo & harena in aulam traduxit. Herodem vero sic amauit vt eidem inguina oscularetur; quod dictu etiam verecundum est; Floralia sacra se asserens celebrare. In virginem Vestalem incestum admisit. Sacra P. R. sublatis penetralibus profanauit. Ignem perpetuum exstinguere voluit. Nec Romanas tantum exstinguere voluit religiones, sed per orbem terræ vnum *studens vt Heliogabalus deus vnus vbique coleretur: & in penum Vestæ, *quod solæ virgines solique pontifices adeunt, irrupit, pollutus ipse omni contagione morum, cum iis qui se polluerant: & penetrale sacrum est auferre conatus: quumque seriam quasi veram rapuisset, quamuis virgo maxima falsam monstrauerat, atque in ea nihil reperisset, applosam fregit: nec tamen quidquam religioni dempsit; quia plures similes factæ dicuntur esse, ne quis veram vmquam possit auferre. Hæc quum ita essent, signum tamen quod Palladium esse credebat, abstulit: & auro *vinctum, in sui dei templo locauit. Matris etiam *deûm sacra accepit, & adeo *debacchatus est vt typum eriperet & alia sacra quæ penitus habentur condita. Iactauit autem caput inter præcisos phanaticos, & genitalia sibi deuinxit, & omnia fecit quæ *Galli facere solent. ablatumque sanctum *nomen in penetrale dei sui transtulit. Salambonem etiam omni planctu & iactatione Syriaci cultus exhibuit; omen sibi faciens imminentis exitii. Omnes sane deos sui dei ministros esse aiebat, quum alios eius cubicularios appellaret, alios seruos, alios diuersarũ rerum ministros *Lapides qui Diui dicuntur, ex proprio templo; Dianæ Laodiceæ [simulacrũ,] ex adyto suo, in quo id Orestes posuerat, auferre voluit. Et Orestem quidem ferunt nõ vnum simulacrum Dianæ, nec vno in loco posuisse, sed multa in multis. posteaquã se apud tria flumina circa Hebrum ex responso purificauit, etiam Orestam condidit ciuitatẽ; quam sæpe cruentari hominum sanguine necesse est. Et Orestam quidem vrbem Adrianus suo *nomine vindicari iussit, eo tempore quo furore cœperat laborare, vt ex respõso, quum ei dictum esset vt in furiosi alicuius domũ vel nomen irreperet. nam ex eo emollitam insaniam ferunt, per quam multos senatores

occidi iuſſerat: quibus ſeruatis, Antoninus Pii nomen meruit; quod eos poſt ad ſenatum adduxit, quos omnes iuſſu principis interfectos credebant. *Cædit & humanas hoſtias lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam, patrimis & matrimis; credo vt maior eſſet vtrique parenti dolor. Omne denique magorum genus aderat illi, operabaturque quotidie, hortante illo & gratias diis agente quod amicos eorum inueniſſet quum inſpiceret exta puerilia, & *excuteret hoſtias ad ritum gentilem ſuum. Quum collatum *miſiſſet in populum, non nummos vel argenteos vel aureos, vel bellaria, vel minuta animalia, ſed boues opimos & camelos, & aſinos, & ſeruos populo diripiendos abiecit; imperatorium id eſſe dictitans. Inſectatus eſt famam Macrini crudeliter, ſed multo magis Diadumeni, quod Antoninus dictus eſt, Pſeudoantoninum & Pſeudophilippum eum appellans, ſimul quod quum luxurioſiſſimus extitiſſet, vir fortiſſimus, optimus, grauiſſimus, ſeueriſſimus diceretur. Coegit denique ſcriptores nonnullos nefanda, immo potius non ferenda eius dicta de luxuria diſputare; vt in vita *eius. Lauacrum publicum in ædibus aulicis fecit, ſimul & palam populo exhibuit; vt ex eo conditiones bene *naſatorum hominum *colligeret. idque diligenter curatum eſt vt ex tota penitus vrbe atque ex nauticis *monobelos quærerent: ſic eos appellabant qui viriliores videbantur. Quum Marcomanis bellum inferre vellet, quos Antoninus pulcherrime profligauerat, dictum eſt a quibusdam, per Chaldæos & magos Antoninum Marcum id egiſſe, vt Marcomani P. R. ſemper deuoti eſſent atque amici; idque factis carminibus & conſecratione. quum quæreret *quæ illa eſſent, vel vbi eſſent, ſuppreſſum eſt. Conſtabat enim illum ob hoc conſecrationem quærere, vt eam diſſiparet ſpe belli concitandi: & idcirco maxime quod audierat reſponſum fuiſſe, ab Antonino bellum Marcomanicum finiendum; quum hic Varius, & Heliogabalus, & ludibrium publicum diceretur; nomen autem Antonini pollueret in quod inuaſerat. Prodebatur autem per eos maxime qui dolebant ſibi homines ad exercendas libidines bene *naſatos & maioris peculii opponi. Vnde etiam de nece eius cogitari cœpit. Et hæc quidem domi. Sed milites *peſtem illam velati Imperatoris nomine, pati nequiuerunt: ac primum inter ſeſe, deinde per coronas iecere ſermones in Alexandrum omnes inclinantes, qui iam Cæſar erat a ſenatu dictus eo tempore quo Macrinus, [conſobrinus] huius Antonini. Nam Varia vna his erat auia, vnde Heliogabalus *Varius* dicebatur. Zoticus ſub eo tantum valuit vt ab omnibus officiorum principibus ſic haberetur quaſi domini maritus eſſet. Erat præterea *idem Zoticus, qui hoc familiaritatis *nomine abutens, omnia Heliogabali dicta & facta venderet fumis; quam maxime diuitias enormes ſperans; quum aliis minaretur, aliis polliceretur, omnes falleret: egrediensque ab illo, ſingulos adiret, dicens, *De te hoc loquutus ſum, de te hoc audiui, de te hoc futurum eſt*; vt ſunt homines huiuſmodi, qui ſi admiſſi fuerint ad nimiam familiaritatem principum, famam non ſolum malorum, ſed & bonorum principum vendunt, & qui ſtultitia vel innocentia Imperatorum, qui hoc non perſpiciunt, infami rumigeratione paſcuntur. Nupſit & coiit, vt & pronubum haberet, clamaretque, *Concide magire*. Et eo quidem tempore quo Zoticus ægrotabat, quærebat deinde a philoſophis & grauiſſimis viris, an & ipſi in adoleſcentia perpeſſi eſſent quæ ipſe pateretur, & quidem impudentiſſime. neque enim vnquam verbis pepercit infamibus, quum & digitis impudicitiam oſtentaret, nec vllus in conuentu & audiente populo eſſet pudor. Fecit libertos præſides, legatos, conſules, duces: omnesque dignitates polluit ignobilitate hominum perditorum. Quum ad *vindemias vocaſſet amicos nobiles, & ad corbes ſediſſet, grauiſſimum quemque percunctari cœpit an promptus eſſet in venerem: erubeſcentibusq; ſenibus exclamabat, *Erubuit, ſalua res eſt*; ſilentium ac ruborem pro conſenſu ducens. Addidit præterea ipſe quæ faceret, ſine vllius pudoris velamento. Poſteaquã ſenes vidit erubeſcere ac tacere, vel quia ętas vel quia dignitas talia refutabat, contulit ſe ad iuuenes, & ab his cœpit omnia exquirere. a quibus quum audiret ætati cõgrua, gaudere cœpit & dicere, vere *liberam vindemiam eſſe quam ſic *celebrarent. Ferunt multi ab ipſo primum repertum, vt in vindemiarum *feſtiuo multa in dominos iocularia, & audientibus dominis, dicerentur, quę ipſe cõpoſuerat, & Gręca maxime.

Horum

Horum plerāque Marius Maximus dicit in vita ipsius Heliogabali. Erant amici improbi, & senes quidam, & specie philosophi, qui caput reticulo componerent, qui improba quædam pati se dicerent, qui maritos se habere iactarent. Quos quidam finxisse dicunt, vt illi fierent vitiorum imitatione clariores. Ad præfecturam prætorii saltatorem qui histrionicam Romæ fecerat, adsciuit: præfectum vigilum Gordium aurigam fecit, præfectum annonæ Claudium *censorem. ad honores reliquos promouit commendatos sibi pudibilium enormitate membrorum. ad vicesimam hereditatum mulionem curare iussit. iussit & cursorem; iussit & cocum & *claustrarium artificem. Quum ingressus est vel castra vel curiam, auiam suam Variam nomine, de qua superius dictum est, secum induxit; vt eius auctoritate honestior fieret, quia per se non poterat. nec ante eum (quod iam diximus) senatum mulier ingressa est ita, vt ad scribendum rogaretur & sententiam diceret. In conuiuiis exoletos maxime iuxta se ponebat; eorumque attrectatione & tactu præcipue gaudebat: nec quisquam ei magis poculum quum bibisset, dabat. Inter hæc mala vitæ impudicissimæ, Alexandrum, quem sibi adoptauerat, a se amoueri iussit, dicens se pœnitere adoptionis; mandauitque ad senatum vt Cæsaris ei nomen abrogaretur. Sed in senatu hoc prodito ingens silentium fuit. siquidem erat optimus iuuenis Alexander, postea comprobatus genere Imperii eius; quum ideo displiceret patri quod impudicus non esset. Erat autem idem consobrinus, & vt quidam dicunt, a militibus etiam amabatur, & senatui acceptus erat & equestri ordini. Nec defuit tamen furor vsque ad *exitium voti pessimi. nam et percussores immisit. Et hoc quidem modo ipse secessit ad hortos Spei veteris, quasi contra nouum iuuenem vota concipiens, relicta in palatio matre & auia & consobrino suo: iussitque vt trucidaretur iuuenis optimus & reip. necessarius. Misit & ad milites litteras quibus iussit vt abrogaretur nomen Cæsaris Alexandro. Misit qui & in castris statuarum eius titulos luto tegerent; vt fieri solet de tyrannis. Misit & ad nutritores eius quibus imperauit sub præmiorum spe atque honorum, vt eum occiderent quo vellent modo, vel in balneis, vel veneno, vel ferro. *Sed nihil agunt improbi contra innocentes.* Nam nulla vi quis adduci potuit vt tantum facinus impleret, quum in ipsum magis conuersa sint tela quæ parabat aliis, ab iisque sit interfectus quibus alios appetebat. Sed vbi primum lutati sunt tituli statuarum, milites omnes exarserunt: & pars in palatium, pars in hortos in quibus erat Varius, ire tendunt vt Alexandrum vindicarent, hominemque impurum eundemque *parricidialis animi tandem a rep. depellerent. Et quum in palatium venissent, Alexandrum cum matre atque auia custoditum diligentissime postea in castra duxerunt. Sequuta autem erat illos Semiamira mater Heliogabali pedibus, sollicita filio. Inde itum est in hortos: vbi Varius inuenitur certamen aurigandi parans, exspectans tamen intentissime quando eidem nuntiaretur consobrinus occisus. Qui subito militum strepitu exterritus, in angulum se condidit: obiectuque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, se texit. Misit ex præfectis alios ad compescendos milites in castra, alios vero ad eos placandos qui iam in hortos venissent. Antiochianus igitur ex præfectis vnus, milites qui in hortos venerant, & sacramenti admonitione exorauit ne illum occiderent, quia nec multi venerant, & pleriq; cum vexillo quod Aristomachus tribunus retinuerat, remanserant. hæc in hortis. In castris vero milites precanti præfecto dixerunt se parsuros esse Heliogabalo, si & impuros homines & aurigas & histriones a se dimoueret, atque ad bonam frugem rediret; his maxime submotis qui cum omnium dolore apud eum plurimum poterant, & qui omnia eius vendebant, vel *vanitate vel fumis. Remoti sunt denique ab eo Herodes, Gordius, & Murissimus, & duo improbi familiares qui eum ex stulto stultiorem faciebant. Mandatum præterea a militibus præfectis, ne paterentur illum ita diutius viuere: & vt Alexander custodiretur, ne vel illi aliqua vis afferretur, simul ne Cæsar quempiam amicum Augusti videret, ne vlla fieret imitatio turpitudinis. Sed Heliogabalus & ingenti prece Herodem reposcebat impudicissimum hominem, & insidias in dies *Cęsari propagabat. Deniq; Cal. Ianuariis, quum simul tum designati essent consules, noluit cum consobrino procedere. Ad extremum quum ei auia & mater dicerent, imminere milites ad eius exitium, nisi concordiam viderent inter

se consobrinorum, sumpta prætexta hora diei sexta processit ad senatum, auia sua ad senatum vocata, & ad sellam producta. Deinde in Capitolium ad vota concipienda, & perficienda solennia ire noluit: omnia per præfectum vrbanum facta sunt, quasi consules illic non essent. Nec distulit cædem consobrini, sed timens ne senatus ad aliquem se inclinaret si ille consobrinum occidisset, iussit subito senatum vrbe decedere: omnesque etiam quibus aut vehicula aut serui deerant, subito proficisci iussi sunt: quum alii per baiulos, alii per fortuita animalia & mercede conducta veherentur. Sabinum consularem virum, ad quem libros * Vlpianus scripsit, quod in vrbe remansisset, vocato centurione mollioribus verbis, iussit occidi. Sed cẽturio aure surdior imperari sibi credidit vt vrbe pelleretur: itaque fecit. sic vitium centurionis Sabino saluti fuit. Remouit & Vlpianum iurisconsultum, vt bonum virum: & Siluinum rhetorem, quem magistrum Cæsaris fecerat. Et Siluinus quidem occisus est, Vlpianus vero reseruatus. Sed milites, & maxime prætoriani, vel scientes quæ mala in Heliogabalum pararent, vel quod sibi viderent * inuidiam, facta conspiratione ad liberandam remp. primum [in] conscios vario genere mortis, quum alios * vitalibus exemptis necarent, alios ab ima parte perfoderent, vt mors esset vitæ consentiens: post hoc in eum impetus factus est, atq; in latrina ad quam confugerat, occisus. Tractus deinde per publicũ, additaq; iniuria cadaueri est, vt id in cloaculam milites mitterent. Sed quum non cepisset cloacula * fortuito, per pontem Æmilium, annexo pondere ne fluitaret, in Tiberim abiectum est, ne vmquam sepeliri posset. Tractum est cadauer eius etiam per circi spatia, priusquam in Tiberim præcipitaretur. Nomen eius, id est Antonini, erasum est senatu iubente: remansitq; Varii Heliogabali: siquidem illud * affectato retinuerat, quum vult videri filius Antonini. Appellatus est post mortem *Tiberinus*, & *Tractitius*, & *Impurus*, & * multa, siquando ea erant designanda quæ sub eo facta videbantur: solusque omnium principum & tractus est, & in cloacam missus, & in Tiberim præcipitatus. Quod odio communi omnium contigit, a quo speciatim cauere debent Imperatores: siquidem nec sepulcra mereantur qui amorem senatus, populi, ac militum non merentur. Opera publica ipsius, præter ædem Heliogabali dei, quem Solem alii, alii Iouem dicunt, & * amphitheatri instauratio post exustionẽ, & lauacrum in vico Sulpicio, quod Antoninus Seueri filius cœperat, nulla exstant. & lauacrum quod Antoninus Caracallus dedicauerat, & lauando & populum admittendo. Sed porticus defuerant; quæ postea ob hoc sub Decio Antonino exstructæ sunt, & ab Alexandro perfectæ. Hic vltimus Antoninorum fuit; quamuis cognomine postea Gordianos multi Antoninos putent, qui Antonii dicti sunt, non Antonini. Vita, moribus, improbitate ita odibilis, vt eius nomen senatus eraserit. quem nec ego Antoninum vocassem, nisi caussa cognitionis; quæ cogit plerumq; dici ea etiam nomina quæ sunt abolita. Occisa est cum eo & mater Semiamira probrosissima mulier, & digna filio. Cautumque ante omnia post Antoninum Heliogabalum, ne vmquam mulier senatum ingrederetur, vtque inferis eius caput dicaretur deuoueretur que per quem id esset factum. De huius vita multa in litteras missa sunt obscena: quæ quia digna memoratu non sunt, ea solum prodenda censui quæ ad luxuriam pertinebant: quorum aliqua priuatus, aliqua iam Imperator fecisse perhibetur: quum ipse priuatus diceret, se Apicium; Imperator vero, Neronem, Othonem, & Vitellium imitari. Nam primus omnium priuatorum toros aureis toralibus texit; quia tunc ex Antonini Marci auctoritate id fieri licebat, qui omnem apparatum Imperatorium publice vendiderat. Deinde æstiua conuiuia coloribus exhibuit; vt hodie prasinum vitreum, alia die venetum deinceps exhiberet, semper varie per dies omnes æstiuos. Primus deinde mensas & capsas argenteas habuit; primus etiam cacabos. Vasa deinde centenaria argentea sculpta, & nonnulla schematibus libidinosissimis inquinata. & masticatum, & * puleiatum: & omnia hæc quæ nunc luxuria retinet, primus inuenit. Nam rosatum ab aliis acceptum, pinearum etiam attritione odoratius reddidit. Denique hæc genera poculorum ante Heliogabalum non leguntur. Nec erat ei vlla vita nisi exquirere nouas voluptates. Primus fecit de piscibus isicia, primus de ostreis, & * leiostreis, & aliis huiusmodi marinis conchis, & locustis, & cammaris, & scillis. Strauit & triclinia de rosa, &

lectos,

lectos, & porticus; ac sic per ea deambulauit; idque omni florum genere, liliis, violis, hyacinthis & narcissis. Hic non nisi vnguento nobili aut croco piscinis infectis natauit. Nec cubuit in *accubitis facile, nisi iis quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum, * subalares sæpe culcitras mutans. Senatum nonnumquam ita contempsit vt mancipia togata appellaret: populum vero Rom. vnius fundi cultorem: equestrem ordinem in nullo loco habens. Præfectum vrbicum sæpe post cœnam ad potandum vocabat, adhibitis & præfectis prætorio: ita vt si recusarent, magistri * horum eos cogerent. Voluit & per singulas * vrbes lenones præfectos vrbi facere, & vt essent in vrbe XIIII: & fecisset, si vixisset; promoturus omnes turpissimos & vltimæ professionis homines. Hic solido argento [factos] habuit lectos, & tricliniares & cubiculares. Comedit sæpius ad imitationem Apicii calcanea camelorum, & cristas viuis gallinaceis demptas; linguas pauonum & lusciniarum: quod qui ederet, ab epilepsia tutus diceretur. Exhibuit & palatinis ingentes dapes extis mullorum refertas, & cerebellis phœnicopterum, & perdicum ouis, & cerebellis turdorum, & capitibus psittacorum & fasianorum & pauonum. Barbas sane mullorum tantas iubebat exhiberi, vt pro nasturtiis, apiastris & faselaribus, & fœnogræco exhiberet plenis fabatariis & discis: quod præcipue stupendum est. Canes * iecinoribus anserum pauit. Habuit leones & leopardos exarmatos in deliciis: quos edoctos per mansuetarios subito ad secundam & tertiam mensam iubebat accumbere; ignorantibus cunctis quod exarmati essent; ad pauorem & ridiculum excitandum. Misit & vuas Apamenas in præsepia equis suis: & psittacis atque fasianis leones pauit & alia animalia. Exhibuit & sumina *aprugna per dies decem, tricena quotidie cum suis *bulbis: pisum cum aureis, lentem cum ceraunis, fabam cum electris, & orizam cum * albis exhibens. Albas præterea in vicem piperis piscibus & tuberibus conspersit. Oppressit in tricliniis versatilibus parasitos suos violis & floribus; sic vt animam aliqui efflauerint, quum eripi ad summum non possent. Condito piscinas & solia temperauit, & rosato atque *absinthiato vulgus ad bibendum inuitauit: & ipse cum populo tantum bibit, vt in piscina eum bibisse intelligeretur, viso quod vnus bibisset. Eunuchos pro * apophoretis dedit: dedit quadrigas, equos stratos, mulos * basternas & rhedas: dedit & aureos millenos, & centena pondo argenti. Sortes sane conuiuales scriptas in cochlearibus habuit tales, vt alius exhiberet decem camelos, alius decem muscas; alius decem libras auri, alius decem plumbi; alius decem struthiones, alius decem oua pullina; vt *veræ sortes essent & fata tentarentur: quod quidem & ludis suis exhibuit, quum & vrsos decem, & decem gryllos; & decem lactucas, & decem auri libras in sorte habuit. Primusque hunc morem sortis instituit quem nunc videmus. Sed vere ad sortem scenicos vocauit, quum & canes mortuos, & libram bubulæ carnis haberet in sorte: & item centum aureos, & mille argenteos, & centum folles æris, & alia talia, quæ populus tam libenter accepit vt eum postea imperare gratularetur. Fertur in euripis vino plenis nauales circenses exhibuisse, pallia * de œnanthio fudisse, & elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitasse, dirutis sepulcris quæ obsistebant: iunxisse etiam camelos quaternos ad currus in circo priuato spectaculo. Serpentes per Marsicæ gentis sacerdotes collegisse fertur: eosque subito ante lucem, vt solet populus ad ludos celebres conuenire, effudisse; multosque afflictos morsu & fuga. Vsus est aurea omni tunica, vsus & purpurea: vsus & de gemmis Persica, quum grauari se diceret onere voluptatis. Habuit & in calciamentis gemmas, & quidem sculptas: quod risum omnibus mouit, quasi possent sculpturæ nobilium artificum videri in gemmis quæ pedibus adhærebant. Voluit vti & diademate gemmato; quia pulchrior fieret, & magis ad fœminarum vultum aptus: quo & vsus est domi. Fertur & promisisse phœnicem conuiuis, vel pro ea libras auri mille, vt in prætorio eas dimitteret. Marinæ aquæ *colymbos exhibuit, in mediterraneis locis maxime eosdem & singulis amicis natantibus dimisit, & iterum [cum] piscibus impleuit. Montem niuium in viridario domus æstate fecit aduectis niuibus. Ad mare piscem numquam comedit: in longissimis a mari locis omnia marina semper

exhibuit. Murænarum lactibus & luporum in locis mediterraneis rusticos pauit. Pisces semper quasi in marina aqua cum colore suo coctos conditura venera comedit: momentarias de rosato & rosis piscinas exhibuit, & bibit cum omnibus suis caldaria de nardo exhibens. Idem in lucernis balsamum exhibuit. Idem mulieres numquam iterauit, præter vxorem. Lupanaria domi amicis, clientibus & seruis exhibuit. Idem numquam minus C L L S cœnauit, hoc est argenti libris triginta: aliquando autem tribus milibus L L S cœnauit, omnibus supputatis quæ impendit. Cœnas vero & Vitellii & Apicii vicit. Pisces ex viuariis suis bubus traxit: per macellum transiens, mendicitatem publicam fleuit. Parasitos ad *rotam aquariam ligabat, & cum vertigine sub aquas mittebat, rursusque in summum reuoluebat: eosque *Ixionios amicos* vocauit. Strauit & saxis Lacedæmoniis ac Porphyreticis plateas in palatio; quas *Antoninianas* vocauit: quæ saxa vsque ad nostram memoriam manserunt, sed nuper eruta & exsecta sunt. Constituerat & columnam vnam dare ingentem, ad quam ascenderetur intrinsecus, ita vt in summo Heliogabalum deum collocaret: sed tantum saxum non inuenit, quum id de Thebaide afferre cogitaret. Ebrios amicos plerumque claudebat, & subito nocte leones, & leopardos, & vrsos exarmatos immittebat; ita vt expergefacti in cubiculo eodem, leones, vrsos, pardos, cum luce vel (quod est grauius) nocte inuenirent: ex quo plerique exanimati sunt. Multis vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat; eosque * reflabat prandentibus illis: ita vt plerumque subito sub mensis inuenirentur prandentes. Primus denique inuenit sigma in terra sternere, non in lectulis, vt a pedibus vtres per pueros ad reflandum spiritum soluerentur. *Mimicis adulteriis ea quæ solent simulato fieri, effici ad verum iussit. Meretrices a lenonibus cunctis redemit sæpe, & manumisit. Quum inter fabulas priuatas sermo esset ortus quanti bernios esse possent in vrbe Roma, iussit omnes notari, eosq; ad balneas suas exhibere, & cum iisdem lauit, nonnullis etiam honestis. Gladiatores ante conuiuium pugnantes sibi frequenter exhibuit. Strauit sibi triclinium in summo lusorio. Et dum pranderet noxios & venationes sibi exhibuit. Parasitis in secunda mensa sæpe ceream cœnam, sæpe ligneam, sæpe eburneam, aliquando fictilem; nonnumquam vel marmoream etiam vel lapideam exhibuit: ita vt omnia illis exhiberentur videnda de diuersa materia, quæ ipse cœnabat, quum tantum biberent per singula fercula, & manus, quasi comedissent, lauarent. Primus Romanorum holoserica veste vsus fertur, quum iam subserica in vsu essent. Linteamen lotum numquam attigit, mendicos dicens qui linteis lotis vterentur. Dalmaticatus in publico post cœnam sæpe visus est; Gurgitem Fabium & Scipionem se appellans, quod cum ea veste esset cum qua Fabius & Cornelius a parentibus ad corrigendos mores * adolescentes in publicum essent producti. Omnes de circo, de theatro, de stadio, & omnibus locis, & balneis meretrices collegit in ædes publicas; & apud eas concionem habuit quasi militarem, dicens eas commilitones: disputauitque de generibus schematum & voluptatum. Adhibuit in tali concione postea lenones, exoletos vndique collectos, & luxuriosissimos puerulos & iuuenes. Et quum ad meretrices muliebri ornatu processisset, papilla * eiecta exoletos habitu puerorum qui prostituuntur, post concionem pronuntiauit his quasi militibus ternos aureos donatiuum. petiitque ab his vt a diis peterent vt alios haberet ipsis commendandos. Iocabatur sane ita cum seruis, vt eos iuberet millena pondo sibi aranearum deferre, proposito præmio: collegisseque dicitur decem milia pondo aranearum, dicens & hinc intelligendum quam magna esset Roma. Mittebat parasitis per cellarios salaria annua, vasa cum ranis & scorpiis, & cum serpentibus, & huiusmodi monstris. Claudebat in eiuscemodi vasis * infinitum muscarum; *apes mansuetas* eas appellans. Quadrigas circensium in tricliniis & in porticibus sibi semper exhibuit prandsitans & cœnitans, conuiuas senes agitare cogens, nonnullos honoratos iam Imperatori. Iubebat sibi & decem milia murium exhiberi, mille mustellas, mille sorices. Dulciarios & lactarios tales habuit, vt quæcumq; coqui de diuersis edulibus exhibuissent, vel structores vel pomarii, illi modo de dulciis, modo de lactariis exhiberent. *Exhibuit parasitis cœnas & de vitreis, & nonnumquam tot picta mantilia in mensam mittebat his edulibus picta

quæ

quæ apponerentur, quot missus esset habiturus; ita vt de acu aut de textili pictura exhiberentur. Nonnumquam tamen & tabulæ illis pictæ exhibebantur: ita vt quasi omnia illis exhiberentur, & tamen fame macerarentur. Miscuit gemmas pomis ac floribus. Iecit & per fenestram cibos totidem quot exhibuit amicis. Iusserat & canonem P. R. vnius anni meretricibus, lenonibus, exoletis intramuranis dari; extramuranis alio promisso; quum eo tempore iuxta prouisionem Seueri & Traiani, septem annorum canon *frumentarius Romæ esset. Canes quaternos ingentes iunxit ad currum, & sic est vectatus intra domum regiam: idque priuatus in agris suis fecit. Processit in publicum & quatuor ceruis iunctis ingentibus. Iunxit sibi & leones; Matrem magnam se appellans: iunxit & tigres; Liberum sese vocans, eodemque habitu agens quo dii pinguntur quos imitabatur. Ægyptios dracunculos Romæ habuit, [quos illi *agathodæmonas* vocant.] Habuit & hippopotamos & crocodilum & rhinocerotem, & omnia Ægyptia quæ per naturam sui exhiberi poterant. *Struthiones & camelos exhibuit in cœnis aliquoties, dicens præceptum Iudæis vt ederent. Illud sane mirum videtur quod dicitur ab eo factum, vt de croco sigma straueret, quum summos viros rogasset ad prandium; pro eorum dignitate se dicens fœnũ exhibere. Traiecit & dierum actus noctibus, & nocturnos diebus; æstimans hoc inter instrumenta luxuriæ; ita vt sero de somno surgeret & salutari inciperet, mane autem dormire inciperet. Amicis quotidie* nec quemquam facile indonatum relinquebat; nisi quem frugi quasi perditum reperisset. Habuit gemmata vehicula & aurata, contemptis argentatis & eboratis & æratis. Iunxit & quaternas mulieres pulcherrimas & binas, ad papillam, vel ternas & amplius; & sic vectatus est: sed plerumque nudus, quum illum nudæ traherent. Habuit & hanc consuetudinem vt octo caluos rogaret ad cœnam, item octo luscos, & item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, & octo pingues; quum capi non possent vno sigmate; vt de his omnibus risus citaret. Donauit & argentum omne conuiuis quod habuit in conuiuio, & omnem apparatum poculorum; idque sæpius. Hydrogarum Romanorum ducum primus publice exhibuit; quum antea militaris mensa esset; quam postea statim Alexander reddidit. Proponebat præterea* his quasi themata, vt iura noua dapibus condiendis inuenirent: cuius placuisset commentum, ei dabat maximum præmium; ita vt & sericam vestem donaret, quæ tunc & in raritate videbatur, & in honore. Si aliquis autẽ displicuisset, iubebat vt semper id comesset, quamdiu tamen melius inuenisset. Semper sane aut inter flores sedit, aut inter odores pretiosos. Amabat sibi pretia maiora dici earum rerum quæ mensæ parabantur, orexin conuiuio hãc esse asserens. Pinxit se vt cupediarium, vt seplasiarium, vt popinarium, vt tabernarium, vt lenonem: idque totum domi semper exercuit. Sexcentorum struthionum capita vna cœna multis exhibuit ad edenda cerebella. Exhibuit aliquando & tale conuiuium, vt haberet viginti & duo fercula ingentium epularum; sed per singula lauarent, & mulieribus vterentur & ipse & amici, cum iureiurando quod efficerent voluptatem. Celebrauit item tale conuiuium, vt apud amicos singulos singuli missus appararentur; & quum alter maneret in Capitolio, alter in Palatio, alter super aggerem, alter in Cælio, alter trans Tiberim, & vt quisque mansisset, tamen per ordinẽ in eorum domibus singula fercula ederentur, iretur q; ad omnium domos: sic vnum conuiuiũ vix toto die finitũ est, quum & lauarent per singula fercula, & mulieribus vterentur. Sybariticum missum semper* exhibuit ex oleo & garo: quẽ quo anno Sybaritæ repererunt, perierunt. Dicitur & balneas fecisse multis locis, ac semel lauisse, atque statim destruxisse, ne ex vsu balneas haberet. Hoc idem de domibus, de prætoriis, de* zetis fecisse dicitur. Sed * & hæc nonnulla fidem transeuntia, credo esse ficta ab iis qui in gratiam Alexandri Heliogabalum deformare voluerunt. Fertur & meretricem notissimam & pulcherrimam redemisse c IↃIↃ S, eamque intactam, velut virginem coluisse. Huic eidem priuato quum quidam diceret, *Non times pauper fieri?* dixisse dicitur, *Quid melius quam vt ipse mihi heres sim & vxori meæ?* Habuerat præterea facultates, a multis dimissas gratia patris. Idem filios se nolle dicebat; ne quis ei frugi contingeret. Odores Indicos sine carbonibus ad vaporandas zetas iubebat incendi. Iter priuatus numquam minus sexaginta vehicu-

lis fecit, auia sua Varia reclamante, quod omnia perditurus esset. Imperator vero etiam sexcenta vehicula dicitur duxisse; asserens decem milibus camelorum Persarum regem iter facere, & Neronem quingentis carrucis iter inisse. Caussa vehiculorum erat, lenonum, lenarum, meretricum, exoletorum, subactorum etiam bene *nasatorum multitudo. In balneis semper cum mulieribus fuit; ita vt eas ipse psilothro curaret: ipse quoque barbam psilothro accurans; quodque pudendum dictu est, eodem quo mulieres accurabantur, & eadem hora: rasit & virilia subactoribus suis nouacula manu sua, qua postea barbam fecit. Scobe auri porticum strauit & argenti; dolens quod non posset & electri: idq; frequenter quacumque fecit iter pedibus vsque ad equum vel carpentum; vt fit hodie de aurosa harena. Calciamentum numquam iterauit: annulos etiam negatur iterasse. Pretiosas vestes sæpe conscidit: vel lanam cepit & appendit, atq; ad eius æstimationē ponderis, pisces amicis exhibuit. Naues onustas mersit in portu; magnanimitatis hoc esse dicens. Onus ventris auro excepit. in murrhinis & onychinis minxit. Idem dixisse fertur, *Si habuero heredem, dabo illi tutorē qui illum hæc facere cogat quæ ipse feci facturusq; sum.* Habuit etiam istam consuetudinē vt cœnas sibi exhiberet tales: vna die *nonnisi de fasianis tantum ederet, omnesq; missus sola fasianorū carne strueret: item alia die de pullis; alia de pisce illo, & item illo, alia de porcis, alia de struthionibus, alia de holeribus, alia de pomis, alia de dulcis, alia de opere lactario. *Sępe amicos suos cū Æthiopibus aniculis inclusit nocturnis mansionibus, & vsq; ad lucem detinuit; quum pulcherrimas his diceret apparatas. Fecit hoc idem etiam de pueris: & tunc, *vtpote ante Philippum, licebat. Ridebat autem sic nonnumquā, vt publice in theatro solus audiretur: ipse cantauit, saliauit, ad tibias dixit, tuba cecinit, pandurizauit, organo modulatus est. Fertur & vna die ad omnes circi & theatri & amphitheatri, & omnium vrbis locorum meretrices, tectus cucullione mulionico, ne agnosceretur, ingressus; quum tamē omnibus meretricibus sine effectu libidinis aureos donaret, addens, *Nemo sciat, Antoninus hæc donat.* Libidinum genera quædam inuenit, vt spintrias veterum malorum vinceret: & omnes apparatus Tiberii & Caligulæ & Neronis norat. Et prædictum eidem erat a sacerdotibus *Syris, biothanatum se futurum. Parauerat igitur funes blatta & serico & cocco intortos, quibus, si necesse esset, laqueo vitam finiret. Parauerat & gladios aureos, quibus se occideręt si aliqua vis vrgeret. Parauerat & in ceraunis & hyacinthis & in smaragdis venena, quib. se interimeret si quid grauius immineret. Fecerat & altissimā turrim, substratis aureis gēmatisq; ante tabulis, ex qua se præcipitaret; dicens, etiam mortem suam pretiosam esse debere, & ad speciē luxuriæ; vt diceretur nemo sic perisse. Sed nihil ista valuerunt. Nam (vt diximus) & occisus est per scurras, & per plateas tractus est sordidissime; per cloacas ductus, & in Tiberim submissus est. Hic finis Antoninorū nomini in rep. fuit, scientibus cunctis istum *Antoninū tam vita falsum fuisse quam nomine. Mirum fortasse cuipiam videatur, Constantine venerabilis, quod hæc clades quā retuli, loco principū fuerit, & quidem prope triennio; ita, vt nemo [vir] inuentus fuerit qui istum a gubernaculis Romanæ maiestatis abduceret; quū Neroni, Vitellio, Caligulæ, ceterisq; huiusmodi, numquam tyrannicida defuerit. Sed primum omnium ipse veniam peto, quod hæc quæ apud diuersos reperi, litteris tradidi; quum multa improba reticuerim, & quæ ne dici quidem sine maximo pudore possunt. Ea vero quę dixi, prætextu verborum adhibito, quantū potui, texi. Deinde illud quod clementia tua solet dicere, *credidisse reficiendum, *Imperatorem esse, fortunæ est.* Nam & minus boni reges fuerunt, & pessimi. Agendum vero quod pietas tua solet dicere, *Vt sint imperio digni quos ad regendi necessitatem vis fatalis adduxerit.* Et quoniā hic vltimus Antoninorum fuit, neq; postea hoc nomen in republ. loco principum frequentatum est, etiam illud addendum est, ne quis error oriatur, quum duos Gordianos narrare cœpero, patrē ac filium, qui se de Antoninorum genere dici volebant: non nomen in illis primū fuit, sed prænomen. deinde, vt plerisq; in libris inuenio, Antonii dicti sunt, non Antonini. Hæc sunt de Heliogabalo: cuius vitam me inuitum & *reluctantem, ex Græcis Latinisq; collectam, scribere ac tibi afferre voluisti, quum iam aliorum ante tulerimus. Scribere autē ordiar qui post sequentur: quorum Alexander optimus, & cum vera

dicendus

dicendus assertione, & annorum tredecim princeps: semestres alii, & vix annui & bimi. Aurelianus præcipuus; & horum omnium decus, auctor tui generis Claudius: de quo vereor ad clementiam tuam scribens vera dicere, ne maleuolis adulatus videar esse. Sed absoluar contra liuorem improborum, quum apud alios clarum esse perspexerim. His iungendi sunt Diocletianus, aurei parens seculi, & Maximianus (vt vulgo dicitur) *ferrei, ceterique ad pietatem tuam. Te vero Auguste venerabilis, multis paginis, iisdemque disertioribus, illi prosequentur quibus id felicior natura detulerit. His addendi sunt Licinius, *Seuerus Alexander, atq; Maxentius: quorum omnium ius in dicionem tuam deuenit: sed ita vt nihil eorum virtuti derogetur. Non enim ego id faciam quod pleriq; scriptores solent, vt de his detraham qui victi sunt; quum intelligam gloriæ tuæ accedere, si omnia de illis quæ bona in se habuerunt, vera prædicaro.

ÆLII LAMPRIDII
ALEXANDER SEVERVS,
AD CONSTANTINVM AVG.

INTERFECTO Vario Heliogabalo, (sic enim maluimus dicere quam Antoninum: quia & nihil Antoninorum pestis illa ostendit, & hoc nomen ex annalibus senatus auctoritate erasum est) ad remedium generis humani AVRELIVS ALEXANDER, vrbe* Arcena genitus, Varii filius, Variæ nepos, & consobrinus ipsius Heliogabali, accepit imperiũ, quũ ante Cæsar a senatu esset appellatus, mortuo scilicet Macrino: augustumque nomen idem recepit; addito eo vt & patris patriæ nomen, & ius proconsulare, & tribunitiam potestatem, & ius quintæ relationis, deferente senatu, vno die assumeret. Et ne præceps ista honorũ continuatio videatur, exponam caussas quibus id & senatus coactus est facere, & ille perpeti. Non enim aut grauitati senatus congruebat omnia simul deferre, aut bono principi raptum ire tot simul dignitates. Milites iam insueuerant sibi Imperatores & tumultuario iudicio facere, & item facile mutare; *afferentes nonnumquam ad defensionem, se idcirco fecisse, quod nescissent senatum principem appellasse. nam & Pescennium Nigrum, & Clodium Albinum, & Auidium Cassium, & antea Lucium Vindicem, & L. Antonium, & ipsum Seuerum, quum senatus iam Iulianum dixisset principem, Imperatores fecerant: atque ista res bella ciuilia seuerat: quibus necesse fuit militem contra hostem paratum parricidialiter petire. Hac igitur caussa festinatum est vt omnia simul Alexander, quasi verus iam Imperator, acciperet. Huc accessit nimia & senatus & populi inclinatio post illam cladem quæ non solum Antoninorum nomen decolorauit, sed etiam Romanum dehonestauit imperium. Certatim denique omnia decreta sunt & nominum genera & potestatum. Primus denique omnium cuncta insignia, & honorificentiæ genera simul recepit, suffragante sibimet Cæsaris nomine, quod iam ante aliquot annos meruerat: & magis suffragante vita & moribus, quum illi magnum conciliasset fauorem quod eum Heliogabalus occidere conatus est, nec potuit, & militibus repugnantibus, & senatu refragante. Atque hæc parua, nisi quod dignum se exhibuit quem senatus seruaret, quem saluum milites cuperent, quem omnium bonorum sententia principem diceret. Alexander igitur, cui Mammæa mater fuit, (nam & ita dicitur a plerisq;) a prima pueritia artibus bonis imbutus, tam ciuilibus quam militaribus, ne vnum quidem diem sponte sua transire passus est, quo se* non & ad litteras & ad militiam exerceret. Nam in prima pueritia litteratores habuit Valerium Cordum & *L. Veturium, & Aurelium Philippum libertum patris: qui vitam eius postea in litteras misit. Grammaticum in patria Græcum* Nebonem, rhetorem Serapionem, philosophum Stilionem: Romæ grammaticos, Scaurinum Scaurini filium doctorem ce-

lebettimum: rhetores Iulium Frontinum, & Bæbium Macrinum, & Iulium Granianum, cuius hodieque orationes declamatæ feruntur. Sed in Latinis non multum profecit, vt ex eiusdem orationibus apparet quas in senatu habuit, vel in concionibus, quas apud milites vel apud populum. nec valde amauit Latinam facundiam; sed amauit litteratos homines, vehementer eos etiam reformidans, nequid de se asperum scriberent. Denique eos dignos adesse iubebat: singula quæque quæ publice priuatimque agebat, se ipso docente volebat addiscere, si forte ipsi non affuissent: eaque petebat, vt, si vera essent, in litteras mitterent. Dominum se appellari vetuit. Epistolas ad se quasi ad priuatum scribi iussit, seruato tantum nomine Imperatoris. Gemmas de calciamentis & vestibus tulit, quibus vsus fuerat Heliogabalus. Veste (vt & pingitur) alba vsus est, nec aurata, pænulis togisq; cõmunibus. Cum amicis tam familiariter vixit, vt communis esset ei sæpe consessus, iret & ad conuiuia eorum: aliquos autem haberet quotidianos etiam non vocatos: salutaretur vero quasi vnus de senatoribus, *patente velo, admissionalibus remotis: aut solis iis qui ministri ad fores fuerant: quum antea salutare principem non liceret, quod eos videre non poterat. Et erat corporis venustate decorus, vt hodie[q;] in picturis & statuis videmus. Fuit *ei statura militaris; robur militis, valetudo eius qui vim sui corporis sciret ac semper curaret. Erat præterea cunctis hominibus amabilis: & ab aliis pius appellabatur, ab omnibus certe sanctus & vtilis reip. Huic sors in templo *Prænestinæ [Vestæ] talis exstitit, quum illi Heliogabalus insidiaretur, *- Si qua fata aspera rumpas, Tu Marcellus eris.* ALEXANDRI nomen accepit, quod in templo dicato apud Arcenam vrbem Alexandro Magno, natus esset, quũ casu illuc die festo Alexandri pater cum vxore, patriæ solennitatis implendæ caussa, venisset cui rei argumentum est, quod eadem die natalem habet hic Mammææ Alexander, qua ille Magnus excessit e vita. Delatum sibi *Antonini* nomen a senatu recusauit, quum hic magis affinitate Caracalli iungeretur, quam ille Heliogabalus subdititius. Siquidem (vt Marius Maximus dixit in vita Seueri) nobilem orientis mulierem Seuerus, cuius hãc genituram esse compererat vt vxor Imperatoris esset, adhuc priuatus & non magni satis loci, duxit vxorem. ex qua affinitate hic Alexander fuit, cui vete per matrem suam cõsobrinus Varius Heliogabalus fuit. Recusauit & *Magni* nomen, quod ei quasi Alexandro est oblatum senatus iudicio. Interest retexere orationem qua nomen Antonini & Magni delatum sibi a senatu recusauit: quam priusquam* referam, addam acclamationes senatus quibus id decretum est ex Actis vrbis ad pridie nonas Martias. Quum senatus frequens in curiam, hoc est in ædem concordiæ, templum inauguratum conuenisset, rogatusque esset Aurelius Alexander Cæsar Augustus vt conciperet, ac primo recusasset, quod sciret de honoribus suis agendum, deinde postea venisset; acclamatum, *Auguste innocens, dii te seruent: Alexander Imperator, dii te seruent, Dii te nobis dederunt. dii conseruent: Dii te ex manibus impuri eripuerunt, dii te perpetuent. Impurum tyrannum & tu perpessus es: impurum & obscænum & tu* videre doluisti. Dii illum eradicauerunt: dii te seruent. Infamis Imperator rite damnatus. Felices nos imperio tuo, felicem remp. Infamis vnco tractus est ad exemplum timoris luxuriosus Imperator iure punitus est. Contaminator honorum, iure punitus est. Dii immortales Alexandro vitam: iudicia deorum hinc apparent.* Et quum egisset gratias Alexander, acclamatum est, *Antonine Alexander, dii te seruent. Antonine Aureli, dii te seruent. Antonine Pie, dii te seruent: Antonini nomen suscipias rogamus. Præsta bonis Imperatoribus vt Antoninus dicaris. Nomen Antoninorũ tu purifica. Quod ille infamauit, tu purifica Redde in integrum nomen Antoninorum: Sanguis Antoninorum se cognoscat. Iniuriam Marci tu vindica: Iniuriam Veri tu vindica: Iniuriam Bassiani tu vindica. Peior Commodo solus Heliogabalus, nec Imperator, nec Antoninus, nec ciuis, nec senator, nec nobilis, nec Romanus. In te salus, in te vita, vt viuere delectet: Antoninorum Alexandro vitam, vt viuere delectet; & Antoninus vocetur. Antoninorum templa Antoninus dedicet. Parthos & Persas Antoninus vincat. Sacrum nomen sacratus accipiat, sacrum nomen castus accipiat. Antonini* nomen; vt agnoscat Antoninorum honorem. Dii conseruent in te omnia; per te omnia Antonine habeas.* Et post acclamationes Aurelius Alexander Cæsar Augustus: *Gratias vobis P. C. non nunc primum, sed & de Cæsareo nomine, & de vita seruata, & Augusti nomine*

addito,

addito, & de pontificatu maximo, & de tribunitia potestate, & proconsulari imperio: quæ omnia nouo exemplo vno die in me contulistis. Et quum diceret, acclamatum, *Hæc suscepisti, Antonini nomen suscipi mereatur, senatus Antonini mereatur. Antonine Auguste dii te seruent; dii te Antoninum conseruent. moneta nomen Antonini reddatur. Templa Antoninorum Antoninus consecret.* Aurelius Alexander Augustus; *Ne quæso P. C. ne me ad hanc certaminis necessitatem vocetis; vt ego cogar tanto nomini satisfacere; quum etiam hoc ipsum nomen, licet peregrinum, tamen grauare videatur. Hæc enim nomina insignia, onerosa sunt. Quis enim Ciceronem diceret mutum? quis indoctum Varronem? quis impium Metellum? Et (vt hoc dii auertant) quis non æquitatem nomina ferat digerentem in spem clarissimam dignitatum?* Item acclamata quæ supra. Item Imperator dixit; *Antoninorum nomen, vel iam numen potius, quale fuerit, meminit vestra clementia. si pietatem, quid Pio sanctius? si doctrinam, quid Marco prudentius? si innocentiam, quid Vero simplicius? si fortitudinem, quid Bassiano fortius? Nam nunc Commodi meminisse nolo, qui hoc ipso deterior fuit, quod cum illis moribus Antonini nomen obtinuit. Diadumenus autem nec tempus [habuit,] nec ætatem, & arte patris hoc nomen incurrit.* Item acclamatum vt supra. Item Imperator dixit; *Nuper certe P. meministis, quum ille omnium non solum bipedum, sed etiam quadrupedum spurcissimus, Antonini nomen præferret, & in turpitudine atque luxuria Nerones, Vitellios, & Commodos vinceret, qui gemitus omnium fuerint, quum per populi & honestorum coronas vna vox esset, hunc non rite Antoninum dici, & per hanc pestem tantum violari nomen.* Et quum diceret, acclamatum est, *Dii mala prohibeant. Hæc te imperante non timemus: de his te duce securi sumus. Vicisti vitia, vicisti crimina, vicisti dedecora. Antonini nomen ornauisti. Certi sumus, bene præsumimus: nos te & a pueritia probauimus, & nunc probamus.* Item Imperator; *Neque ego P. C. idcirco timeo istud venerabile omnibus nomen accipere, quod verear ne in hæc vitia delabatur vita, aut quod nominis pudeat, sed primum displicet alienæ familiæ nomen assumere; deinde, quod grauari me credo.* Et quum hæc diceret, acclamatum est vt supra. Item dixit; *Si enim Antonini nomen accipio, possum & Traiani, possum & Titi, possum & Vespasiani.* Et quum diceret, acclamatum est, *Quomodo Augustus, sic & Antoninus.* Tunc Imperator; *Video P. C. quid vos moueat ad hoc nobis addendum. Augustus primus, primus est [huius] auctor imperii, & in eius* nomen velut quadam adoptione, aut iure hereditario succedimus: Antonini ipsi, Augusti dicti sunt. Antoninus idem Pius Marcum, & item Verum iure adoptionis vocauit. Commodo autem hereditarium fuit, susceptum Diadumeno, affectatum in Bassiano, ridiculum in Aurelio.* Et quum diceret, acclamatum est; *Alexander Auguste, dii te seruent verecundiæ tuæ, prudentiæ tuæ, innocentiæ tuæ, castitati tuæ. Hinc intelligimus qualis futurus sis: hinc probamus. Tu facies vt senatus bene principes eligat: tu facies optimum esse iudicium senatus. Alexander Auguste, dii te seruent. Templa Antoninorum Alexander Augustus dedicet. Cæsar noster,* Augustus noster, Imperator noster; dii te seruent. Vincas, valeas, multis annis imperes.* Alexander Imperator dixit; *Intelligo P. C. me obtinuisse quod volui, &* id acceptum refero; plurimas gratias & agens & habens,* enisurus vt & hoc nomen quod in imperium detulimus, tale sit vt ab aliis desideretur, & bonis vestræ pietatis iudiciis* offeratur.* Post hæc acclamatum est, *Magne Alexander, dii te seruent. Si Antonini nomen repudiasti, Magni prænomen suscipe. Magne Alexander, dii te seruent.* Et quum sæpius dicerent, Alexander Augustus ait; *Facilius fuit P. C. vt Antoninorum nomen acciperem. aliquid enim vel affinitati deferrem, vel consortio nominis imperialis.* MAGNI *vero nomen cur accipitur? quid enim iam magnum feci? quum id Alexander post magna gesta, Pompeius vero post magnos triumphos acceperit. Quiescite igitur venerandi patres; & vos ipsi magnifici, vnum me de vobis esse censete potius quam Magni nomen ingerite.* Post hæc acclamatum est, *Aureli Alexander Auguste, dii te seruent* & reliqua ex more. Dimisso senatu, quum & alia multa eo die essent acta, quasi triumphans domum se recepit. Multo clarior visus est alienis nominibus non receptis quam si recepisset; atque ex eo constantiæ ac plenæ grauitatis famam obtinuit. Siquidem vni adolescenti senatus totus persuadere non potuit. Sed quamuis senatu rogante non potuerit persuaderi vt vel Antonini vel Magni nomina susciperet, tamen ob ingentem vigorem animi, & mirandam singularemque constantiam contra militum insolentiam, SEVERI nomen a militibus eidem indi-

tum est; quod illi ingentem in præsentia reuerentiam, magnam apud posteros gloriam peperit, quum eo accessisset vt de atrumi virtute nomen acceperit: siquidem solus inuentus sit, qui tumultuantes legiones exauctorauerit, vt suo loco ostendetur: in milites autem grauissime *attimaduerterit, qui forte incurrerunt aliquid quod videretur iniustum; vt & ipsum locis suis declarabimus. Omina imperii hæc habuit: Primum quod ea die natus est qua defunctus vita Magnus Alexander dicitur. deinde, quod in templo *eius mater enixa est: tertio, quod ipsius nomen accepit. tum præterea, quod ouum purpurei coloris, eadem die natum qua ille natus est, palumbinum, anicula quædam matri eius obtulit: ex quo quidem aruspices dixerunt, Imperatorem quidem illum, sed non diu futurum, & cito ad imperium peruenturũ. Tum præterea, quod tabula Traiani Imperatoris, quæ geniali lecto *patris imminebat, dum mater eum in templo pareret, in lectum eius decidit. His accessit quod nutrix ei Olympias data est; quo nomine mater Alexandri appellata est: nutritor Philippus prouenit casu vnus ex rusticis; quod nomen patri Alexandri Magni fuit. Fertur die prima natalis toto die apud *Arcam Cæsareã stella primæ magnitudinis visa, & sol circa domum patris eius fulgido ambitu coronatus. Quum eius natalem aruspices commendarent, dixerunt eum summam rerum tenturum; idcirco quod hostiæ de ea villa quæ esset Seueri Imperatoris, adductæ essent, & quas in illius honorẽ coloni parassent. Nata in domo laurus iuxta persici arborem, intra vnum annum persici arborem vicit. Vnde etiam coniectores dixerunt, Persas ab eo esse vincendos. Mater eius pridie quam pareret, somniauit se purpureum dracunculum parere. Pater eadem nocte in somnis vidit alis se Romanæ victoriæ, quæ *in senatu, ad cœlum vehi. Ipse quum vatem consuleret de futuris, hos accepisse dicitur versus adhuc paruulus: & primis quidem sortibus, *Te manet imperium cæli terræque marisque*: intellectum est quod inter diuos etiam referretur. *Te manet imperium, quod tenet imperium*: ex quo intellectum est, Romani illum imperii principem futurum. Nam vbi est imperium nisi apud Romanos, quod tenet imperium? Et hæc quidem de Græcis versibus sunt prodita. Ipse autem quum parentis hortatu animum a philosophia & musica ad alias artes traduceret, Virgilii sortibus huiusmodi illustratus est; *Excudent alii spirantia mollius æra; Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus; Orabunt caussas melius, cælique meatus Describent radio, & surgentia sidera *dicent: Tu regere imperio populos Romane memento; Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem, Parcere subiectis & debellare superbos.* Fuerunt multa alia signa quibus principem humani generis esse constaret. Nimius ardor oculorum & diutius intuentibus grauis, & diuinatio mentis frequẽtissima: rerum memoria singularis; quam nemo nisi Acholius ferebat *adiutam. Et quum puer ad imperium peruenisset, fecit cuncta cum matre, vt & illa videretur pariter imperare, mulier sancta; sed auara, & auri atque argenti cupida. Vbi ergo augustum agere cœpit imperium, primum remouit iudices omnes a republ. & a ministeriis atque muneribus quos impurus ille Heliogabalus ex genere hominum turpissimo prouexerat: deinde senatum & equestrem ordinem purgauit. Ipsas deinde tribus, & eos qui militaribus nituntur prærogatiuis, purgauit, & palatium suum comitatumque omnem, abiectis ex aulico ministerio cunctis obscœnis & infamibus: nec quemquam passus est esse in palatinis nisi necessarium hominem. Iureiurando deinde constrinxit ne quem ascriptum, id est *vacantium, haberet, ne annonis rempublicam grauaret, dicens, malum pupillum esse Imperatorem qui ex visceribus prouincialium homines non necessarios, nec reipublicæ vtiles pasceret. Fures *indicare iussit in ciuitatibus vllis numquam videri: & si essent [visi] iussit deportari per rectores prouinciarum. Annonam militum diligenter inspexit: tribunos qui per stellaturas militibus aliquid tulissent, capitali pœna affecit. Negotia & caussas prius a scriniorum principibus, & doctissimis iurisperitis & sibi fidelibus, quorum primus tunc Vlpianus fuit, tractari ordinarique, atque ita referri ad se præcepit. Leges *de iure populi & fisci moderatas & infinitas sanxit: neque vllam constitutionem sacrauit sine viginti iurisperitis & doctissimis ac sapientibus viris: iis denique disertissimis non minus quinquaginta: vt non minus in consilio essent sententiæ quam senatusconsultum

tum*conficerent: & id quidem ita, vt iretur per sententias singulorum, ac scriberetur quid quisque dixisset; dato tamen spatio ad disquirendum cogitandumque priusquam dicerent: ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus. Fuit praeterea illi consuetudo, vt si de iure aut de negotiis tractaret, solos doctos & disertos adhiberet: si vero de re militari, milites veteres, & senes [ac] benemeritos, & locorum peritos ac bellorum & castrorum; & omnes litteratos; & maxime eos qui historiam norant: requirens quid in talibus caussis quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores vel Romani vel exterarum gentium fecissent. Referebat Encolpius, quo ille familiarissimo vsus est, illum, si vmquam furem iudicem vidisset, paratum habuisse digitum vt illi oculum erueret. tantum odium eum tenebat eorum de quibus apud se probatum esset quod fures fuissent. Addit Septimius, qui vitam eius non mediocriter exsequutus est, tanti stomachi fuisse Alexandrum in eos iudices qui furtorum fama laborassent, etiamsi damnati non essent, vt si eos casu aliquo videret, commotione animi stomachi choleram euomeret, toto vultu inardescente, ita vt nihil posset loqui. Nam quum quidam Septimius Arabinus, famosus crimine furtorum, & sub Heliogabalo iam liberatus, inter senatores principem salutatum venisset, exclamauit, **O numina, o Iupiter, o dii immortales: Arabinus non solum viuit, verumetiam in senatum venit: fortassis etiam de me sperat, tam fatuum tam stultum esse me iudicat.* Salutabatur autem *nomine, hoc est, *Aue Alexander.* Si quis caput flexisset, aut blandius aliquid dixisset, [vti adulator] vel abiiciebatur, si loci eius qualitas pateretur; vel ridebatur ingenti cachinno, si eius dignitas grauiori subiacere non posset iniuriae. Salutatus consessum obtulit omnibus senatoribus: atque adeo nisi honestos & bonae famae homines ad salutationem non admisit. Iussitque, quemadmodum in *Eleusiniis sacris dicitur, **vt nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem nouit.* Per praeconem edixit vt nemo salutaret principem qui se furem esse nosset; ne aliquando detectus, capitali supplicio subderetur. Ipse adorari se vetuit, quum iam coepisset Heliogabalus adorari regum more Persarum. Erat praeterea haec illius sententia; *Solos fures de paupertate conqueri, dum volunt scelera vitae suae tegere.* Idem addebat sententiam de furibus notam, & Graece quidem, quae Latine hoc significat; *Qui multa rapuerit, pauca suffragatoribus dederit, saluus erit*: quae Graece talis est, ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς ἐκφεύξεται. Praefect. praetor. sibi ex senatus auctoritate constituit: praefect. vrbis a senatu accepit; alterum praefect. praetor. fecit: qui ne fieret, etiam fugerat, dicens; *Inuitos, non ambientes, in rempubl. collocandos.* Senatorem numquam sine omnium senatorum qui aderant consilio fecit; ita vt per sententias omnium crearetur, testimonia dicerent summi viri: ac si fefellissent vel testes vel ii qui sententias dicebant, postea in vltimum reicerentur locum, ciuium condemnatione adhibita, quasi *falsi rei approbati sine vllius indulgentiae proposito. Idem senatores nonnisi ad summorum in palatio virorum suffragium fecit; dicens, magnum virum esse oportere qui faceret senatorem. Idem libertinos numquam in equestrem locum redegit, asserens seminarium senatorum equestrem locum esse. Moderationis tantae fuit, vt nemo vmquam ab eius latere submoueretur, vt omnibus se blandum affabilemque praeberet: vt amicos non solum primi ac secundi loci, sed etiam inferiores aegrotantes viseret: vt sibi ab omnibus libere quae sentiebant, dici cuperet: & quum dictum esset, audiret: & quum audisset, ita vt res poscebat emendaret atque corrigeret. si minus bene factum esset aliquid, etiam ipse conuinceret, idq; sine fastu & sine amaritudine *animi; consensum omnibus semper offerret, praeter eos quos furtorum densior fama perstrinxerat; de absentibus semper requirens. Denique quum ei obiicerent nimiam ciuilitatem & Mammaea mater, & vxor Memmia Sulpicii consularis viri filia, Catuli neptis, & saepe dicerent, *Molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem imperii fecisti*: ille respondit: *Sed securiorem atque diuturniorem.* Dies denique numquam transiit quin aliquid mansuetum, ciuile, pium faceret: sed ita vt aerarium non euerteret. Condemnationes & raras esse iussit: & quae factae fuerant,

non indulsit. Vectigalia ciuitatibus ad proprias fabricas deputauit. Fœnus publicum trientarium exercuit; ita vt pauperibus plerisque sine vsuris pecunias dederit ad agros emendos, reddendas de fructibus. Præfect. præt. suis senatoriam addidit dignitatem, vt viri clarissimi & essent & dicerentur: quod antea vel raro fuerat, vel omnino non fuerat: eo vsque vt si quis Imperatorum successorem præfect. præt. dare vellet, laticlauiam eidem per libertum submitteret; vt in multorum vita Marius Maximus dixit. Alexander autem idcirco senatores esse voluit præfect. præt. nequis non senator de Romano senatore iudicaret. Milites suos sic vbique sciuit, vt in cubiculo haberet breues & numerum & tempora militantium, semperq; quum solus esset, & rationes eorū, & numerum, & dignitates, & stipendia recenseret; vt esset ad omnia instructissimus. Denique quum inter militares aliquid ageretur, multorum dicebat & nomina. De promouendis etiam sibi annotabat: & perlegebat cuncta *pittacia. & sic faciebat diebus etiam pariter annotatis, & quis, & qualis esset, & quo insinuante promotus. Commeatum populi Romani sic adiuuit, vt quum frumenta Heliogabalus euertisset, vicem de propria pecunia loco suo reponeret. Negotiatoribus, vt Romam volētes concurrerent, maximam immunitatem dedit. Oleum quod Seuerus populo dederat, quodque Heliogabalus imminuerat, turpissimis hominibus præfecturam annonæ tribuendo, integrum restituit. Ius conferendi rationes, quod impurus ille sustulerat, hic omnibus reddidit. Mechanica opera Romæ plurima instituit. Iudæis priuilegia reseruauit. Christianos esse passus est. Pontificibus tantum detulit & quindecim viris atque auguribus, vt quasdam caussas sacrorum a se finitas, iterari & aliter distingui pateretur. Præsides prouinciarum, quos vere non factionibus laudari comperit, & in itineribus secum semper in vehiculo habuit, & muneribus adiuuit; dicens, & fures a republ. pellendos ac pauperandos, & integros esse redimendos atque ditandos. Quum edulitatem P. R. ab eo peteret, interrogauit per curionem, quam speciem caram putarent. Illi continuo exclamauerunt, carnem bubulam atque porcinam. Tunc ille non quidem edulitatem proposuit; sed iussit nequis suminatam occideret, nequis lactantem; nequis vaccam, nequis *damalionem: tantumque intra biennium vel prope annum porcinæ carnis fuit & bubulæ, vt quum fuisset octominutalis libra, ad duos vnumque vtriusque carnis libra redigeretur. Caussas militum contra tribunos sic audiuit, vt si aliquem reperisset tribunorum in crimine, pro facti qualitate sine indulgentiæ proposito puniret. De omnibus hominibus per fideles homines suos semper quæsiuit, & per eos quos nemo nosset hoc agere; quum diceret omnes præda corrumpi posse. Seruos suos semper cum seruili veste habuit; liberos, cum ingenuorum. Eunuchos de ministerio suo abiecit, & vxori vt seruos seruire iussit. Et quum Heliogabalus mancipium eunuchorū fuisset, ad certū numerum eos redegit; nec quidquam in palatio curare voluit nisi balneas fœminarum. quum plerosq; eunuchos rationib. & procurationibus præposuisset Heliogabalus; hic illis & veteres sustulit dignitates. Idem tertium genus hominum eunuchos esse dicebat; nec videndū nec in vsu habendum a viris, sed vix a fœminis nobilibus. Qui de eo fumum vendiderat, & a quodam militari centum aureos acceperat, in crucem tolli iussit per eam viam qua esset seruis suis ad suburbana imperatoria iter frequentissimum. Prouincias prætorias, præsidiales plurimas fecit: procōsulares ex senatus voluntate ordinauit. Balnea mixta Romæ exhiberi prohibuit: quod quidem iam ante prohibitum, Heliogabalus fieri permiserat. Lenonum vectigal & meretricum & exoletorū, in sacrum ærarium inferri vetuit: sed sumptibus publicis ad instaurationē theatri, circi, amphitheatri, & ærarii deputauit. Habuit in animo vt *exoletos vetaret: quod postea Philippus fecit: sed veritus est, ne prohibens, publicū dedecus in priuatas cupiditates conuerteret; quū homines illicita magis poscant, prohibitaq; furore persequatur. *Braccariorum, linteonum, vitreariorum, pellionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum, & ceterarum artium vectigal pulcherrimum instituit: ex eoq; iussit thermas, & quas ipse fundauerat, & superiores, populi vsibus exhiberi: syluas etiam thermis publicis deputauit. Addidit & *oleum luminibus thermarum; quum antea non ante auroram paterent, & ante solis occasum clauderentur. Huius im-

perium

perium incruentum quidam litteris tradiderunt: quod contra est. Nam & *Seuerus* est appellatus a militibus ob austeritatem, & in animaduersionibus asper in quibusdã fuit. Opera veterum principum instaurauit: ipse noua multa constituit: in his thermas nominis sui iuxta eas quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ *Alexandrina* nunc dicitur. Nemus thermis suis de priuatis ædibus suis quas emerat, diruptis ædificiis, fecit. *Oceani solium* primus inter principes appellauit, quum Traianus id non fecisset, sed diebus solia deputasset. Antonini Caracalli thermas additis porticibus perfecit & ornauit. *Alexandrinum opus* marmoris de duobus marmoribus, hoc est Porphyretico & Lacedæmonio, primus instituit, *palatio exornato hoc genere marmorandi. Statuas colossas in vrbe multas locauit, artificibus vndiq; conquisitis. Alexandri habitu nummos plurimos figurauit: & quidem electreos aliquantos; sed plurimos tamen aureos. A mulieribus famosis matrem & vxorem suam salutari vetuit. Conciones in vrbe multas habuit more veterũ tribunorum & consulum. Congiarium populo ter dedit; donatiuum militibus ter: carnem populo addidit. Vsuras fœneratorum contraxit ad trientes pensiones, etiam pauperibus consulens. Senatores si fœnerarentur, vsuras accipere primo vetuit, nisi aliquid muneris caussa acciperent: postea tamen iussit * in semisses acciperent donum, munus tamen sustulit. Statuas summorum virorum in foro Traiani collocauit vndiq; translatas. Paulum & Vlpianum in magno honore habuit: quos præfectos ab Heliogabalo alii dicunt factos, alii ab ipso. Nam & consiliarius Alexandri, & magister scrinii Vlpianus fuisse perhibetur: qui tamen ambo assessores Papiniani fuisse dicuntur. Basilicam Alexandrinam instituerat inter campum Martium & septa Agrippiana, in latum pedum centum, in longum pedum mille, ita vt tota columnis penderet: quam efficere non potuit morte præuentus. *Isium & Serapium decenter ornauit, additis signis & deliacis & omnibus mysticis. In matrem Mammæam vnice pius fuit, ita vt Romæ in palatio faceret diætas nominis Mammææ; quas imperitũ vulgus hodie *ad Mammam* vocant. Et in Baiano palatium cum stagno, quod Mammææ nomine hodieq; censetur. Fecit & alia in Baiano opera magnifica in honorem affinium suorum, & stagna stupenda admisso mari. Pontes quos Traianus fecerat, instaurauit pene in omnibus locis: aliquos etiam nouos fecit, sed instauratis nomen Traiani reseruauit. In animo habuit omnibus officiis genus vestium proprium dare, & omnibus dignitatibus; vt a vestitu dignoscerentur: & omnibus seruis, vt in populo possent agnosci, nequis seditiosus esset, simul ne serui ingenuis miscerentur. Sed hoc Vlpiano Pauloque displicuit, dicentibus, plurimum rixarum fore si faciles essent homines ad iniurias. Tum satis esse constituit vt equites Romani a senatoribus claui qualitate discernerentur. Pænulis intra vrbem frigoris caussa vt * senes vterentur permisit; quum id vestimenti genus semper itinerarium fuisset, aut pluuiæ. Matronas tamen intra vrbẽ pænulis vti vetuit, in itinere permisit. Facundiæ fuit Græcæ magis quam Latinæ, nec versu inuenustus. Et ad musicam pronus, matheseos peritus: & ita quidem vt ex eius iussu mathematici publice proposuerint Romæ, ac sint professi vt docerent. Aruspicinæ quoq; peritissimus fuit. ὀρνεοσκόπος magnus, vt & Vascones & Hispanorum & Pannoniorum augures vicerit. Geometriam fecit, pinxit mire, cantauit nobiliter: sed numquam alio conscio, nisi pueris suis testibus. Vitas principum bonorum versibus scripsit. Lyra, tibia, organo cecinit: tuba etiam, quod quidem Imperator numquam ostendit. Palæstes primus fuit, in armis magnus; adeo vt multa bella & gloriose gesserit. Consulatum ter iniit tantum ordinarium: ac primo nundino sibi alios semper suffecit. Seuerissimus iudex contra fures; appellans eosdem quotidianorum scelerum reos, & damnans acerrime, ac solos hostes inimicosque reipubl. vocans. Eum notarium qui falsum caussæ breuem in consilio imperatorio retulisset, incisis digitorum neruis, ita vt numquam posset scribere, deportauit. Quum quidam ex honoratis, vitæ sordidæ & aliquando furtorũ reus, per ambitionẽ nimiam ad militiam aspirasset, idcirco quod per reges amicos ambierat, admissus statim in furto præsentibus patronis detectus est: iussusque a regibus audiri, damnatus est re probata. Et quum quæreretur a regibus, quid apud eos paterentur fures, illi respõderunt, Crucem. Ad eorum responsum in crucem sublatus est. Ita &

patronis auctoribus damnatus ambitor est; & Alexandri, quam præcipue tuebatur, seruata clementia est. Statuas colossas, vel pedestres nudas, vel equestres, diuis Imperatoribus in foro diui Neruæ, quod *transitorium* dicitur, locauit omnibus cum titulis, & columnis æreis, quæ gestorũ ordinẽ continerent, exemplo Augusti, qui summorum virorum statuas in foro suo e marmore collocauit, additis gestis. Volebat videri originẽ de Romanorũ gente trahere, quia eum pudebat Syrum dici: maxime quod* quodã tempore festo, vt solent, Antiochenses, Ægyptii, Alexandrini, lacessiuerant eum conuitiolis, *Syrum archisynagogum* eum vocantes & *archierea*. Antequã de bellis eius & expeditionibus & victoriis loquar, de vita quotidiana & domestica pauca differam. Vsus viuendi eidẽ hic fuit. Primum, si facultas esset, id est si non cum vxore cubuisset, matutinis horis in larario suo (in quo & diuos principes, sed optimos electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantũ scriptor suorũ temporum dicit, Christum, Abrahã, & Orpheum, & huiuscemodi deos habebat, ac maiorum effigies) rem diuinã faciebat. Si id non poterat, pro loci qualitate vel vectabatur, vel piscabatur, vel deambulabat, vel venabatur. Dehinc si hora permitteret, actibus publicis post multam operam dabat: idcirco quod & res bellicæ & res ciuiles (vt superius dictũ est) per amicos tractabantur, sed sanctos & fideles, & numquã venales: & tractatæ firmabantur; nisi quid noui etiam ipsi placeret. Sane si necessitas cogeret, ante lucem actibus operam dabat, & in longã* horam producebat: neq; vmquam tædiauit, aut morosus aut iratus resedit, fronte semper pari & lætus ad omnia. Erat enim ingentis prudentiæ; & cui nemo posset imponere: & quem si aliquis vrbane tentare voluit, intellectus, tulit pœnas. Post actus publicos seu bellicos seu ciuiles, lectioni Græcæ operam maiorẽ dabat, De rep libros Platonis legens. Latina quũ legeret, non alia magis legebat quam De officiis Ciceronis & De rep. Nonnumquã & oratores & poetas, in queis Serenũ Sammonicũ, quẽ ipse nouerat & dilexerat, & Horatium. Legit & vitã Alexandri, quã præcipue imitatus est: etsi in eo condemnabat ebrietatẽ & crudelitatẽ in amicos; quamuis vtrumq; defendatur a bonis scriptoribus, quibus sæpius ille credebat. Post lectionem operam palæstræ, aut sphæristerio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus dabat. Atq; inde vnctus lauabatur, ita vt caldariis vel numquã vel raro, *piscina semper vteretur, in eaq; vna hora prope maneret: biberet etiã frigidã Claudiam ieiunus ad vnum prope sextariũ. Egressus balneas multũ lactis & panis sumebat, oua, deinde mulsum: atq; his refectus, aliquãdo prandium inibat, aliquando cibum vsq; ad cœnã differebat, prandit tamen sæpius. Vsusq; est Adriani tetrapharmaco frequenter, de quo in libris suis Marius Maximus loquitur, quum Adriani disserit vitam. Post meridianas horas subscriptioni & lectioni epistolarum semper dedit operam; ita vt ab epistolis & libellis & a memoria semper assisterent, nonnumquam etiam, si stare per valetudinem non possent, sederẽt, relegentibus cuncta librariis & iis qui* scrinium gerebant, ita vt Alexander sua manu adderet siquid esset addendum: sed ex eius sentẽtia qui disertior habebatur. Post epistolas, omnes amicos simul admisit, cum omnibus pariter est loquutus: neq; vmquã solum quemquam, nisi præfectum suum, vidit, & quidẽ Vlpianum, ex assessore semper suo, caussa iustitiæ singularis. Quum autẽ alterum adhibuit, & Vlpianum rogari iussit. Virgilium autem, *Platonem poetarũ* vocabat, eiusq; imaginem cum Ciceronis simulacro, in secũdo larario habuit, vbi & Achillis & magnorũ virorũ. Alexandrum vero Magnum inter diuos & optimos in larario maiore consecrauit. Iniuriam nulli vmquam amicorum comitumue fecit, nec magistris quidẽ aut principibus officiorum. Præfectis autem semper detulit, asserens eum qui mereatur iniuriam pati, ab Imperatore damnandum esse, non dimittendum. Si vmquã alicui præsentium successorem dedit, semper illud addidit, *Gratias tibi agit respubl.* eumque muneratus est, ita vt priuatus pro loco suo posset honeste viuere: his quidem muneribus, agris, bobus, equis, frumento, ferro, impendiis ad faciendam domum, marmoribus ad ornandum, & operis, quas ratio fabricæ requirebat. Aurum & argentum raro cuiquam, nisi militi diuisit: nefas esse dicens, vt dispensator publicus in delectationes suas & suorum conuerteret id quod prouinciales dedissent. Aurum negotiatorium & coronarium Romæ remisit. Fecit Romæ curatores vrbis quatuordecim:

decim; sed*ex consularibus viris: quos audire negotia vrbana cum præfecto vrbis iussit, ita vt omnes aut magna pars adessent, quum acta fierent. Corpora omnium constituit, vinariorum, *lupinariorum, caligariorum, & omnino omnium artium: hisq; ex sese defensores dedit, & iussit quid ad quos iudices pertineret. Scenicis numquam aurum, numquã argentum, vix pecuniam donauit: pretiosas vestes quas Heliogabalus dederat, etiam sustulit. Milites quos *ostensionales* vocant, non pretiosis, sed speciosis clarisq; vestibus ornabat; nec multum insignibus, aut ad apparatum regium auri & serici deputabat; dicens, *Imperium in virtute esse, non in decore.* Chlamydes bittas Seueri, & tunicas asemas vel macrochetas ex purpura non magna, ad vsum reuocauit suum. In conuiuio aurum nesciit: pocula mediocria, sed nitida semper habuit. Ducentarum librarũ argenti pondus ministeriũ eius numquam transiit. Nanos & nanas, & moriones & vocales exoletos, & omnia acroamata, & pantomimos; populo donauit: qui autem vsui non erant, singulis ciuitatibus putauit alendos singulos, ne grauarentur specie mendicorum. Eunuchos quos Heliogabalus & in consiliis turpibus habebat & promouebat, donauit amicis; addito elogio, vt si non redissent ad bonos mores, eosdẽ liceret occidi sine auctoritate iudicii. Mulieres infames, quarum infinitũ numerum deprehenderat, publicari iussit, exoletis omnibus deportatis, aliquibus etiã naufragio mersis, cum quibus illa clades consuetudinẽ habuerat funestissimam. Auratam vestem ministrorum vel in publico conuiuio nullus habuit. Quum inter suos conuiuaretur, aut Vlpianum aut doctos homines adhibebat, vt haberet fabulas litteratas; quibus se recreari dicebat & pasci. Habebat, quum priuatim conuiuaretur, & librum in mensa, & legebat; sed Græca magis. Latinos autẽ poetas lectitabat. Publico cõuiuio ea simplicitate egit qua priuato; nisi quum numerus accubantium crescebat & multitudo conuiuarum, qua ille offendebatur, dicens se in theatro & circo manducare. Oratores & poetas non sibi panegyricos dicentes, (quod exemplo Nigri Pescennii stultum dicebat) sed aut orationes recitantes, aut facta veterum quos ante retuli, libenter audiuit: libentius tamẽ, si quis ei recitauit Alexandri Magni laudes, aut meliorum retro principum, aut magnorũ vrbis Romæ virorum. Ad Athenæum, audiendorum & Græcorum & Latinorum rhetorum vel poetarum caussa, frequenter processit. Audiuit autem etiam forenses oratores caussas recitantes, quas vel apud ipsum, vel apud præfectos vrbis egerant. Agoni præsedit, & maxime Herculeo in honore Magni Alexandri. Solus post meridiem, vel matutinis horis, idcirco numquã aliquos videbat, quod emẽtitos de se multa cognouerat: speciatim Vetronium Thurinum: quem quũ familiarẽ habuisset, ille omnia vel fingendo sic vendiderat, vt Alexandri, quasi stulti hominis & quem ille in potestate haberet & cui multa persuaderet, infamaret imperiũ: sicq; omnibus persuaserat quod ad nutum suum omnia faceret. Deniq; hac illum arte deprehendit, vt quemdam immitteret qui a se quiddã publice peteret, ab illo autem occulte quasi præsidiũ postularet, vt pro eo Alexandro secreto suggereret. Quod quum factũ esset, & Thurinus suffragium promisisset, dixissetq; se quædã Imperatori dixisse quum nihil dixisset, sed in eo pẽdere vt adhuc impetraret, euentũ vendens: quumq; iterum iussisset Alexander interpellari, & Thurinus quasi agens aliud nutibus annuisset, neque tamen interim quidquam dixisset, impetratũ autem esset quod petebatur, Thurinusq; ab illo qui meruerat, fumi venditor, ingentia præmia percepisset: accusari eum Alexander iussit; probatisque per testes omnibus, & quibus præsentibus quid accepisset, & quibus audientibus quid promisisset, in foro transitorio ad stipitem illum ligari præcepit; & fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri iusserat, necauit, præcone dicente; *Fumo punitur, qui vendidit fumum.* Ac ne in vna tantum caussa videretur crudelior fuisse, quæsiuit diligẽtissime antequam eum damnaret: & inuenit Thurinũ sæpe & in*caussis ab vtraq; parte accepisse, quũ euẽtus vẽderet, & ab omnibus qui aut præposituras aut prouincias acceperãt. Spectacula frequẽtauit cũ summa donandi parcimonia, dicens, & scenicos & venatores & aurigas sic alẽdos, quasi seruos nostros, aut venatores, aut muliones, aut voluptarios. Conuiuium neq; opimum, neq; nimis parcũ, sed nitoris summi fuit: ita tamen vt pura mantilia mitterentur, sæpius cocco clauata, aurata vero numquam; quum hæc Heliogabalus iam re-

cepisset, & ante (vt quidam prædicant) Adrianus habuisset. Vsus conuiuii diurnis hic fuit. Vini ad totum diem sextarii XXX, panis mundi pondo XXX, panis sequentis ad donandum pondo L. Nam semper de manu sua ministris conuiuii & panem & partes aut olerum aut carnis aut leguminum dabat; senili prorsus maturitate patremfamilias agens. Erant decreta & carnis diuersæ pondo XXX, erant & gallinæ oua; adhibebatur & anser diebus festis: Calendis autem Ianuariis, & hilariis matris deûm, & ludis Apollinaribus, & Iouis epulo, & Saturnalibus, & huiusmodi festis diebus, fasianus: ita vt aliquando & duo ponerentur, additis gallinaceis duobus. Leporem quotidie habuit, venationem frequentem; sed eam cum amicis diuidebat, & his maxime quos sciebat per se non habere. Nec diuitibus quidquam talium munerum misit, sed ab his semper accepit. Habuit quotidie* mili sine pipere sextarios quatuor; cum pipere duo: &, ne sit longum omnia inserere quæ Gargilius Martialis eius temporibus scriptor singulatim persequutus est, omnia illi ad modum & rationem sunt præbita. Pomis vehementer indulsit, ita vt secunda mensa illi sæpius poneretur: vnde etiam iocus exstitit, *Non secundam mensam Alexandrum habere, sed secundum.* Ipse cibo plurimo reficiebatur: vino neque parce, neque copiose, affatim tamen. Frigida semper pura vsus, [&] æstate vino cum rosa condito: quod quidem solum ex diuerso genere Heliogabali tenuerat. Et quoniam de lepusculis facta est mentio, quod ille leporem quotidie haberet, iocus poeticus emersit, idcirco quod multi septem diebus pulchros esse dicunt eos qui leporem comederint; vt Martialis coci epigramma significat, quod contra quamdam Gelliam scripsit huiusmodi, *Quum leporem mittis, semper mihi Gellia mandas, Septem formosus Marce diebus eris Si verum dicis, si verum Gellia mandas, Edisti numquam Gellia tu leporem.* Sed hos versus Martialis in eam quæ deformis esset, composuit: poeta vero temporum Alexandri, hæc in eum dixit; *Pulchrum quod vides esse nostrum regem, Quem Syrum sua detulit propago, Venatus facit, & lepus comesus; Ex quo continuum capit leporem.* Hos versus quum ad eum quidam ex amicis detulisset, respondisse ille dicitur Græcis versibus in hanc sententiã; *Pulchrum quod putas esse vestrum regem, Vulgari miserande de fabella: Si verum putas esse, non irascor. Tantum tu comedas velim lepusclos, Vt fias, animi malis repulsis, Pulcher, ne inuideas liuore mentis.* Quum amicos militares habuisset, vt vsum Traiani, quem ille post secundam mensam potandi vsque ad pocula instituerat, reseruaret, vnum tantum poculum amicis exhibebat, in honorem Alexandri Magni: id autem breuius; nisi siquis, quod licebat, maius habere postulasset. Vsus Veneris in eo moderatus fuit, exoletorum ita expers, vt (quemadmodum supra diximus) legem de his auferendis ferre voluerit. Horrea in omnibus regionibus publica fecit; ad quæ conferrent bona ii qui priuatas custodias non haberent. Balnea omnibus regionibus addidit quæ forte non habebant. Nam hodieque multa dicuntur Alexandri. Fecit & domos pulcherrimas; easdemq; amicis suis maxime integris viris donauit. Vectigalia publica in id contraxit, vt qui X aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam partem auri præstarent, hoc est tricesimam partem. Tuncque primum semisses aureorum formati sunt: tunc etiam, quum ad tertiam partem auri vectigal decidisset, *tremisses, dicente Alexandro etiam quartarios futuros; quod minus non posset. Quos quidem iam formatos in moneta detinuit, exspectans vt si vectigal contrahere potuisset, & eosdem ederet. Sed quum non potuisset per publicas necessitates, conflari eos iussit, & tremisses tantum solidosque formari. Formas binarias, ternarias, & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius vsque ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus inuenerat, resolui præcepit, neque in vsu cuiusquam versari; atque ex eo his materiæ nomen inditum est, quum diceret plus largiendi hanc esse Imperatori caussam, si, quum multos solidos minores dare possit, dans decem vel amplius vna forma, triginta & quinquaginta & centum dare cogeretur. Vestes sericas ipse* raras habuit: holosericas numquam induit, subsericam numquam donauit. Diuitis nullius inuidit; pauperes iuuit: honoratos, quos pauperes vere non per luxuriam aut simulationem vidit, semper multis commodis auxit, agris, seruis, animalibus, gregibus, ferramentis rusticis. In thesauris vestem numquam nisi* annum esse passus est; eamque statim expendi iussit. Omnem ve-

stem

ſtem quam donauit, ipſe perſpexit: omne aurum, omne argentum; idque frequenter appendit. Donauit & ocreas, & braccas, & calceamenta inter veſtimenta militaria. Purpuræ clariſſimæ non ad vſum ſuum, ſed ad matronarum, ſi quæ aut poſſent aut vellent, certe ad vendendum grauiſſimus exactor fuit: ita vt *Alexandrina purpura* hodieque dicatur, quæ vulgo *Probiana* dicitur, idcirco quod Aurelius Probus *baphiis præpoſitus id genus muricis reperiſſet. Vſus eſt ipſe chlamyde coccina ſæpe, in vrbe tamen ſemper togatus fuit, & in Italiæ vrbibus. Prætextam & pictam togam numquam niſi c o s. accepit: & eam quidem quam de Iouis templo ſumptam alii quoque accipiebant, aut præt. aut c o s s. Accepit prætextam etiam quum ſacra faceret, ſed loco Pont. max. non Imperatoris. Boni linteaminis appetitor fuit, & quidem puri; dicens, *Si lintea idcirco ſunt vt nihil aſperum habeant, quid opus eſt purpura?* In linea autem aurum mitti, etiam dementiam iudicabat, quum aſperitati adderetur rigor. *Faſceis ſemper vſus eſt. Braccas albas habuit, non *coccineas vt prius ſolebant. Gemmarum quod fuit, vendidit, & aurum in ærarium contulit; dicens gemmas viris vſui non eſſe: matronas autem regias contentas eſſe debere vno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona cum qua ſacrificium facerent, & vnico pallio auro ſparſo, & cyclade quæ ſex vnciis auri plus non haberet. Prorſus cenſuram ſuis temporibus de propriis moribus geſſit. Imitati ſunt eum magni viri, & vxorem eius matronæ pernobiles. Aulicum miniſterium in id contraxit, vt eſſent tot homines in ſingulis officiis quot neceſſitas poſtularet: ita vt annonas, non dignitatem, acciperent fullones & veſtitores, & pictores & pincernæ, omnes *caſtrenſes miniſtri, quemadmodum peſtis illa inſtituerat: ſed annonas ſingulas, vix binas. Et quum argentum in miniſterio plus ducentis libris non haberet, nec plures miniſtros, argentum & miniſtros ante quando poſcebat, accipiebat ab amicis: quod hodieque fit, ſi præſtatur a præfectis abſente Imperatore. Voluptates ſcenicas in conuiuio numquam habuit; ſed ſumma illa oblectatio fuit, vt catuli cum *porcellis luderent, aut perdices inter ſe pugnarent, aut aues paruulæ ſurſum & deorſum volitarent. Habuit ſane in palatio vnum genus voluptatis, quo maxime delectatus eſt, & quo ſollicitudines publicas ſubleuaret. Nam auiaria inſtituerat pauonum, faſianorum, gallinaceorum, anarum, perdicum etiam: hisque vehementer oblectabatur, maxime palumborum, quos habuiſſe ad viginti milia dicitur: &, ne eorum paſtus grauaret annonam, ſeruos habuit vectigales, qui eos ex ouis ac *pullicinis ac pipionibus alerent. Thermis & ſuis & veterum frequenter cum populo vſus eſt, & æſtate maxime, balnean veſte ad palatium reuertens; hoc ſolum imperatorium habens quod lacernam coccineam accipiebat. Curſorem numquam niſi ſeruum ſuum, dicens ingenuum currere, niſi in ſacro certamine, non debere. Cocos, piſcatores, fullones & balneatores, nonniſi ſeruos ſuos habuit: ita vt ſiquis deeſſet, emeret. Medicus ſub eo vnus palatinus ſalarium accepit: ceteri omnes, qui vſque ad ſex fuerunt, annonas binas aut ternas accipiebant, ita vt mundas ſingulas conſequeretur alias alter. Iudices quum promoueret exemplo veterum, vt & Cicero docet, & argento & neceſſariis inſtruebat; ita vt præſides prouinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas ſenas, *mulos binos, equos binos, veſtes forenſes binas, domeſticas ſingulas, balneares ſingulas, aureos centenos, cocos ſingulos; &, ſi vxores non haberent, ſingulas concubinas; (quod ſine his eſſe non poſſent) reddituri depoſita adminiſtratione, mulas, mulos, equos, muliones, & cocos: cetera ſibi habituri, ſi bene egiſſent; in quadruplum reddituri, ſi male. Præter condemnationem aut peculatus aut repetundarum, leges innumeras ſanxit. Carrucas Romæ & rhedas ſenatoribus omnibus vt argentatas haberent, permiſit: intereſſe Romanæ dignitatis putans, vt his tantæ vrbis ſenatores vterentur. Conſules quoſcumque vel ordinarios vel ſuffectos creauit, ex ſenatus ſententia nominauit, ſumptum eorum contrahens. & nundina vetera* ex ordine inſtituit, [vel dies vel tempora.] Quæſtores candidatos, ex ſua pecunia iuſſit munera populo dare, ſed vt poſt quæſturam præturas acciperent, & inde prouincias regerent: ærarios vero inſtituit qui de *ære fiſci ederent munera, eademque parciora. Habuit in animo vt munera per totum annum diſpergeret, vt per xxx dies munus populo daretur: ſed cur id non fecerit, in occulto habetur. Ca-

pitolium septimo die, quũ in vrbe esset, ascendit, templa frequentauit. Christo templum facere voluit, eumque inter deos recipere. quod & Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus sine simulacris iusserat fieri: quæ hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur *Adriani*; quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab iis qui consulentes sacra, repererant omnes Christianos futuros si id optato euenisset, & templa reliqua deserenda. In iocis Alexander dulcissimus fuit, in fabulis amabilis, in conuiuiis comis, ita vt quisque posceret quod vellet. Ad aurum colligendum attentus, ad seruandum cautus; ad inueniendum sollicitus, sed sine cuiusquã excidio. Syrum se dici*noluit, sed a maioribus Romanum. Et stemma generis depinxerat, quo ostendebatur genus eius a Metellis descendere. Rhetoribus, grãmaticis, medicis, aruspicibus, mathematicis, mechanicis, architectis salaria instituit, & auditoria decreuit, & discipulos cum annonis pauperum filios, modo ingenuos, dari iussit. Etiam in prouinciis oratoribus forensibus multum detulit, plerisque etiam annonas dedit, quos constitisset gratis agere. Leges in annos firmauit; easq; etiam ipse diligentissime seruauit. Theatralia spectacula sæpe obiit. Theatrum Marcelli reficere voluit. Multis ciuitatibus, quæ post terræ motus deformes erant, [sumptus] ad instaurationem operum & publicorũ & priuatorũ, pecuniã ex vectigalibus dedit. In templis sane numquã præter quatuor aut quinq; argenti libras, auri ne guttulam quidem aut bracteolam posuit; susurrans versum Persii, *in sanctis quid facit aurum?* Expeditiones bellicas habuit; de quibus ordine suo edisserã. Primum tamen eius consuetudinem dicam de rebus vel tacendis vel prodendis. Tacebantur secreta bellorũ: itinerum autem dies publice proponebantur, ita vt edictum penderet ante menses duos in quo scriptũ esset, *Illa die, illa hora ab vrbe sum exiturus, &, si dii voluerint, in prima mansione mansurus:* deinde per ordinem mansiones, deinde statiuæ, deinde vbi annona esset accipienda: & id quidem eousque quamdiu ad fines barbaricos veniretur. iam enim inde tacebatur, & omnes ambulabant, ita ne dispositionem Romanam barbari scirent. Certum est autem eum numquam id quod proposuerat, fefellisse; quum diceret, *Nolle ab aulicis suas vendi dispositiones*; quod factum fuerat sub Heliogabalo, quũ ab eunuchis omnia venderentur quod genus hominum idcirco secreta omnia in aula*nosse cupiunt, vt soli aliquid scire videantur, & habeant vnde vel gratiam vel pecuniam requirant. Et quia de publicandis dispositionibus mentio contigit, vbi aliquos voluisset vel rectores prouinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores (id est rationales) ordinare, nomina eorũ proponebat, hortans populum vt siquis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret pœnam capitis: dicebatque, graue esse, quum id Christiani & Iudæi facerent in prædicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in prouinciarũ rectoribus, quib. & fortunæ hominũ committerẽtur & capita. Assessoribus salaria instituit: quamuis sæpe dixerit eos esse promouẽdos qui per se rempubl. gerere possent, non per assessores; addens, militares habere suas administrationes, habere litteratos: & ideo *vnumquemq; hoc agere debere quod nosset.* Thesauros repertos, iis qui repererant, donauit: &, si multi essent, addidit his eos quos in suis habebat officiis. Cogitabat secum & descriptum habebat, cui quid præstitisset: & siquos sciret vel nihil petisse, vel non multũ, vnde sumptus suos augerent, vocabat eos, & dicebat, *Quid est cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete, ne priuatus de me queraris.* Dabat autem hæc in beneficiis, quæ famam eius non læderent, Bona punitorum, sed numquam cum auro, argento, vel gemmis (nam id omne in ærarium reponebat) dabat præposituras locorũ ciuiliũ, non militum: dabat eas administrationes quæ ad procurationes pertinerent. Rationales cito mutabat, ita vt nemo nisi annum compleret: eosq;, si boni essent, oderat, malum necessariũ vocans. Præsides vero, proconsules, & legatos, numquam fecit ad beneficium, sed ad iudicium vel suum vel senatus. Milites expeditionis tempore sic disposuit, vt in mansionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria decem & septẽ (vt solent) dierum, nisi in barbarico: quamuis & illic mulis eosdem atq; camelis adiuuerit; dicens, *milites se magis seruare, quã seipsum, quod salus publica in his esset.* *Ægrotantes ipse visitauit per tentoria milites, etiam vltimos, & carpentis vexit, & omnibus necessariis adiuuit. & si forte grauius laborassent, per

ciuitates

ciuitates & agros patribusfamilias hominibus, & sanctioribus matronis eos distribuebat; reddens impendia quæ fecissent, siue conualuissent illi, seu periissent. Quũ quidam *Ouinius Camillus*, senator antiquæ familiæ delicatissimus, rebellare voluisset, tyrannidem affectans; eique nuntiatũ esset, ac statim probatum; ad palatium eum rogauit: eique gratias egit quod curam reipubl. quæ recusantibus bonis imponeretur, sponte reciperet: deinde ad senatum processit, & timentem ac tantæ conscientiæ tabe confectum, participem imperii appellauit, in palatium recepit, conuiuio adhibuit; ornamentis imperialibus & melioribus quam ipse vtebatur, affecit. Et quum expeditio barbarica esset nuntiata, vel ipsum, si vellet, ire, vel vt secum proficisceretur, hortatus est. Et quum ipse pedes iter faceret, illum inuitauit ad laborem: quem post quinque milia cunctantem, equo sedere iussit: quumq; post duas mansiones equo etiam fatigatus esset, carpento imposuit. Hoc quoque seu timore seu vere respuentem, abdicantem quinetiam imperium & mori paratum, dimisit, commendatumque militibus, a quibus Alexander vnice amabatur, tutum ad villas suas ire præcepit; in quibus diu vixit, sed post iussu Imperatoris occisus est, quod ille militaris esset & a militibus amatus. Scio vulgum hanc rem quam contexui, Traiani putare: sed neque in vita eius id Marius Maximus ita exposuit, neque Fabius Marcellinus; neq Aurelius Verus, neque Statius Valens, qui omnem eius vitam in litteras miserunt. Contra autem & Septimius & Acholius, & Encolpius vitæ scriptores, ceterique de hoc talia prædicauerunt: quod ideo addidi, ne quis vulgi magis famam sequeretur, quam historiam quæ rumore vtique vulgi verior repetitur. Honores* iuris gladii, numquam vendi passus est, dicens, *Necesse est vt qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores potestatum: quos si patiar, damnare non possim. Erubesco enim punire illum hominem qui emit & vendit.* Pontificatus & quindecimuiratus, & auguratus, *codicillares fecit; ita vt in senatu allegerentur. Dexippus dixit vxorem eum cuiusdam Marciani filiam duxisse; eundemque ab eo Cæsarem nuncupatum. verum quum vellet insidiis occidere Alexandrum Marcianus, detecta factione, & ipsum interemptum, & vxorem abiectam. Idem dicit, fuisse patruum Antoninum Heliogabalum Alexandri, non vxoris sororis eiusdem filium. Quum Christiani quemdam locum qui publicus fuerat, occupassent; contra popinarii dicerent, sibi eum deberi; rescripsit, melius esse vt quomodocumq; illic Deus colatur, quam popinariis dedatur. Quum igitur tantus ac talis Imperator domi ac foris esset, iniit Parthicam expeditionem: quam tanta disciplina, tanta reuerentia sui egit, vt non milites, sed senatores transire dicerentur. Quacumq; iter legiones faciebant, tribuni accincti, centuriones verecũdi, milites amabiles erant: ipsum vero ob hæc tot & tanta bona, prouinciales vt deum *suscipiebant. Iam vero ipsi milites iuuenẽ Imperatorem sic amabant vt fratrem, vt filium, vt parentẽ: vestiti honeste, calciati etiam ad decorẽ, armati nobiliter, equis etiã instructi, & ephippiis ac frenis decentibus: prorsus vt Romanã remp. intelligeret quicumq; Alexandri vidisset exercitum. Elaborabat deniq; vt dignus illo nomine videretur, immo vt Macedonem illum vinceret: dicebatq; inter Romanum Alexandrum & Macedonem multum interesse debere. Fecerat deniq; sibi *argyraspidas & chrysaspidas: fecerat & phalangem triginta miliũ hominũ, quos *phalangarios* vocari iusserat, & cum quibus multum *fecit in Perside: quæ quidẽ erat ex sex legionibus similium armorum, stipendiorum vero post Persicum bellum maiorum. Dona regia in templis posuit: gemmas sibi oblatas vendidit; muliebre esse existimans gemmas possidere, quæ neq; militi dari possint, neq; a viro baberi. Quum quidam legatus vniones duos vxori eius per ipsum obtulisset magni ponderis & inusitatæ mensuræ, vendi eos iussit: [qui] quum pretium non inuenirent, ne exemplum malum a regina nasceretur, si eo vteretur quod emi non posset, in auribus Veneris eos dicauit. Vlpianum pro tutore habuit, primum repugnante matre, deinde gratias agente: quem sæpe a militum ira obiectu purpuræ *summæ defendit: atque ideo summus Imperator fuit, quod eius consiliis præcipue rempubl. rexit. In procinctu atque in expeditionibus, apertis papilionibus prandit atque cœnauit; quum militarem cibum cunctis videntibus atque gaudentibus sumeret, circumiret prope tota tentoria, a signis abesse neminem pateretur. Siquis de via in alicuius possessio-

nem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subiciebatur in conspectu eius, aut virgis, aut condemnationi: aut si hæc omnia transiret dignitas hominis, grauissimis contumeliis, quum diceret, *Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis?* Clamabatque sæpius quod a quibusdam siue Iudæis siue Christianis audierat, & tenebat: idque per præconem, quum aliquem emendaret, dici iubebat, QVOD TIBI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. Quā sententiam vsque adeo dilexit, vt & in palatio & in publicis operibus* perscribi iuberet. Idem quum quamdam aniculam affectam iniuriis a milite audisset, exauctoratū eum militia, seruum ei dedit, quod artifex carpentarius esset, vt eam pasceret. Et quum dolerent hoc milites factum, persuasit omnibus vt modeste ferrent, & eos terruit. *Ἀναίμακτον imperium eius, quum fuerit durus & tetricus, idcirco vocatum est, quod senatorem nullum occiderit, vt Herodianus Græcus scriptor refert in libris temporum suorum. Seueritatis autem tantæ fuit in milites, vt sæpe legiones integras exauctorauerit ex militibus, Quirites appellans; nec exercitum vmquam timuerit, idcirco quod in vitam suam dici nihil posset quod vmquam tribuni vel duces de stipendiis militum quidquam accepissent, dicens, *Miles non timet nisi vestitus, armatus, calciatus, & satur, & habens aliquid in zonula:* idcirco quod mendicitas militaris ad omnem desperationē vocaret armatum. Apparitores denique nullos esse passus est: tribunis aut ducibus, nisi milites anteire voluit: iussitque vt ante tribunum quatuor milites ambularent, ante ducem, sex; ante legatum, decem. hique ad domos suas reciperentur. Et vt seueritas eius agnosci posset, vnam concionem militarem indendam putaui, quæ illius in rem militarem mores ostenderet. Nam quum Antiochiam venisset, ac milites lauacris muliebribus & deliciis vacarent, eique nuntiatum esset, omnes eos comprehendi iussit, & in vincula coniici. Quod vbi compertum est, mota seditio est a legione cuius socii erant in vincula coniecti. Tum ille tribunal ascendit; vinctisque omnibus ad tribunal adductis, circumstantibus etiam militibus, & quidem armatis, ita cœpit, *Commilitones, si tamen ista vobis quæ a vestris facta sunt, displicent, disciplina maiorum rempub. tenet, quæ si* *dilabatur, & nomen Romanum & imperium amittemus. Neque enim sub nobis ista facienda sunt quæ sub impura illa bestia nuper facta sunt. Milites Romani, vestri socii, mei contubernales & commilitones amant, potant, lauant, Græcorum more etiam quidam se instituunt; hoc ego diutius feram? & non eos capitali dedam supplicio?* Tumultus post hoc ortus est. Atque iterum, *Qui in concione estis, vocem in bello contra hostem, non contra Imperatorem vestrum necessariam emittite: certe campiductores vestri hanc vos docuerunt contra Sarmatas & Germanos ac Persas emittere; non contra eum qui acceptam a prouincialibus annonam, qui vestem, qui stipendia vobis attribuit. Continete igitur vocem truculentam, campo ac bellis necessariam; ne vos hodie omnes vno ore atque vna voce, Quirites, dimittam: & incertum an Quirites. Non enim digni estis qui vel Romanæ plebis sitis, si ius Romanū non agnoscitis.* Et quum vehementius fremerent, ac ferro quoque minarentur: *Deponite*, inquit, *dextras contra hostem erigendas, si fortes estis: me enim ista non terrent. Si enim vnum hominem occideritis, non nobis deerit respubl. non senatus, non P. R. qui de vobis vindicet.* Quum nihilominus post ista fremerent, exclamauit, *Quirites discedite, atque arma deponite.* Mirando exemplo depositis armis, depositis etiam sagulis militaribus, omnes non ad castra sed ad diuersoria varia recesserunt. Tuncque primum intellectum est quantum eius seueritas posset. Denique etiam signa stipatores & ii qui Imperatorem circumdederant, in castra retulerunt, arma collecta populus ad palatium tulit. eam tamen legionem quam exauctorauit, rogatus per dies XXX, priusquam ad expeditionem Persicam proficisceretur, loco suo restituit, eaque pugnante maxime vicit; quum tamen tribunos eius capitali affecerit supplicio, quod per negligentiam illorum milites apud Daphnen luxuriati essent, vel per conniuentiam seditionem fecissent exercitus. Magno igitur apparatu inde in Persas profectus, Artaxerxem regem potentissimum vicit, quum ipse Alexander cornua adiret, milites admoneret, sub ictu teli versaretur, manu plurimum faceret, singulos quosque milites ad laudem verbis adduceret. Fuso denique fugatoque tanto rege, qui cum septingentis elephantis, falcatisque mille & octingentis curribus ad bellum venerat, equitum multis milibus, statim Antiochiam rediit, & de præda

quam

quam Persis* diripuit, suum ditauit exercitum: quum & tribunos ea quæ per vicos diripuerant, & duces & ipsos milites habere iussisset. Tumque primum Persæ serui apud Romanos fuerunt: quos quidem, quia indigne ferunt Persarum reges quempiam suorum alicubi seruire, acceptis pretiis reddidit: pretiumque vel iis qui manu ceperant seruos, dedit, vel in ærarium contulit. Post hoc Romam venit, triumphoque pulcherrimo acto, apud senatum primum hæc verba habuit. Ex actis senatus die septimo cal. Octobr. *Persas P. C. vicimus. Longa eloquentia opus non est: tantum scire debetis quæ illorum arma fuerint, qui apparatus. Iam primum elephanti septingenti iidemque turriti cum sagittariis & onere sagittarum. Ex his trecentos cepimus, ducenti interfecti iacent, decem & octo perduximus. Falcati currus mille: * sed adducere interfectorum animalium currus ducentos potuimus. sed id quia & fingi poterat, facere supersedimus. Centum & viginti milia equitum fudimus: cataphractarios, quos illi* clibanarios *vocant, decem milia in bello interemimus: eorum armis nostros armauimus. Multos Persarum cepimus eosdemque vendidimus. Terras Interamnanas, Mesopotamia scilicet, neglectas ab impura illa bellua recepimus. Artaxerxem potentissimum regem tam re quam nomine, fusum fugauimus, ita vt eum terra Persarum fugientem videret, & qua ducta fuerant quondam signa nostrorum, ea rex ipse signis effugerit relictis. Hæc sunt P. C gesta. Eloquentia opus non est. milites diuites redeunt, laborem in victoria nemo sentit. Vestrum est supplicationem decernere, ne diis videamur ingrati.* Acclamatio senatus: *Alexander Auguste, dii te seruēt: Persice maxime, dii te seruent. Vere Parthicus, vere Persicus. Tropæa tua & nos videmus; victorias & nos videmus. Iuueni Imperatori, Patri patriæ, Pontifici maximo: per te victoriam vndique præsumimus. Ille vincit qui milites regit. diues senatus, diues miles, diues P. R.* Dimisso senatu Capitolium ascendit: atque inde re diuina facta, & tunicis Persicis in templo locatis, concionem huiusmodi habuit: *Quirites, vicimus Persas, milites diuites reduximus: vobis congiariū pollicemur, cras ludos circenses Persicos dabimus.* Hæc nos & in annalibus, & apud multos reperimus. Sed quidam dicunt, a seruo suo eum proditum, non vicisse regem, sed ne vinceretur, fugisse. Quod contra multorū opinionem dici, non dubium est iis qui plurimos legerint. Nam & amisisse illum exercitum dicunt fame, frigore ac morbo; vt Herodianus auctor est contra multorum opinionem. Post hoc cum ingenti gloria, comitante senatu, equestri ordine, atq; omni populo, circumfusisq. vndiq; mulieribus & infantibus, maxime militum coniugibus, pedes palatiū conscendit, quum retro currus triumphalis a quatuor elephantis traheretur. Leuabatur manibus omniū Alexander, vixq; illi per horas quatuor ambulare permissum est, vndiq; omnibus clamantibus, *Salua Roma, quia saluus est Alexander.* Alia die actis circensibus, & item ludis scenicis, deinceps congiarium populo Romano dedit. Puellas & pueros, quemadmodum Antoninus* Faustinianas instituerat, Mammæanas & Mammæanos instituit. Actæ sunt res feliciter & in Mauritania Tingitana per Furium Celsum, & in Illyrico per Varium Macrinum affinē eius, & in Armenia per Iunium Palmatum: atq; ex omnibus locis ei tabellæ laureatæ sunt delatæ: quibus in senatu & apud populum lectis, omnibus nominibus est adornatus. His vero qui rempubl. bene gesserant, consularia ornamenta decreta sunt, additis etiam sacerdotiis & agrorum possessionibus iis qui erant pauperes & æuo iam graues. Captiuos diuersarum nationum amicis donauit, si ætas puerilis aut iuuenilis permisit. Si qui tamen regii aut nobiliores* fuerint, eos militiæ, non tamen magnæ, deputauit. Sola quæ de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus & militibus donauit, ita vt eorum [ita] essent, si heredes illorum militarent, nec vmquam ad priuatos pertinerent; dicens, attentius eos militaturos si etiam sua rura defenderent. Addidit sane his & animalia & seruos, vt possent colere quod acceperant; ne per inopiam hominum, vel per senectutem possidentium, desererentur rura vicina barbariæ: quod turpissimum ille ducebat. Post hæc quum ingenti amore apud populum & senatum viueret, & sperantibus victoriam cunctis, & inuitis eum dimittentibus, ad Germanicum bellum profectus est. deducentibus cunctis per centum & quinquaginta milia. Erat autem grauissimum reip. atque ipsi, quod Germanorum vastationibus Gallia diripiebatur: pudoremq; augebat quod victis iam Parthis, ea natio imminebat reip. ceruicibus, quæ semper etiam minusculis Imperatoribus subiecta videbatur.

Magnis igitur itineribus, lætis militibus, contendit. Sed quum ibi quoque seditiosas legiones comperisset, abiici eas præcepit. Verum Gallicanæ mentes, vt sese habent, duræ ac retrogradæ & sæpe Imperatoribus graues, seueritatem hominis nimiam & longe maiorem post Heliogabalum, non tulerũt. Deniq; agentẽ eum cum paucis in Britannia; vt alii volunt, in Gallia, in vico cui *Sicila nomen est, non ex omnium sententia, sed lattocinantiũ modo quidam milites, & hi præcipue qui Heliogabali præmiis efflotuerant, quum * seuerum principem pati non possent, occiderunt. Multi dicunt, a Maximino immissos tyrones, qui ei ad exercendum dati fuerant, eum occidisse: multi aliter: a militibus tamen *constat, quum iniuriose quasi in puerum eumdem, & matrem eius auaram & cupidam, multa dixissent. Imperauit annis XIII, diebus IX. Vixit annis XXIX, mensibus III, diebus VII. Egit omnia ex cõsilio matris, cum qua occisus est. Omina mortis hæc fuerunt: Quum natalem diem commendaret, hostia cruenta effugit, &, vt se ciuiliter gerebat, ac permixtus populo erat, albam eius vestem cum qua constiterat, cruentauit. Laurus in palatio cuiusdam ciuitatis, a qua proficiscebatur ad beliũ, ingens & antiqua, tota subito decidit. Arbores fici tres, quæ ficus eas ferrent quibus Alexandrinarum nomẽ est, subito ante illius tentorium deciderunt, quum tentoria imperatoria his adnexa essent. Mulier * Druias eunti exclamauit Gallico sermone, *Vadas, nec victoriã speres, nec militi tuo credas.* Tribunal *ascẽdit vt concionaretur, & faustum aliquid diceret: ita cœpit, *Occiso Imperatore Heliogabalo.* hoc tamen omini fuit, quod iturus ad bellum, milites alloqui minus fausta oratione cœptauerat. Sed hæc omnia vehementissime contempsit: profectusque ad bellum, in loco supra dicto ita occisus est. Pranderat forte publico (vt solebat) conuiuio, id est apertis papilionibus, cibo militari accepto: neq, enim aliud a discumbentibus militibus in tentoriis est repertum. Et quum dormiret post conuiuium hora diei fere septima, vnus ex Germanis, qui scurrarum officium sustinebat, ingressus dormientibus cunctis, solo tamen Imperatore interuigilante visus est: cui Alexander, *Quid est hic,* inquit, *contubernalis? Num aliquid de hostibus nuntias?* At ille metu perterritus, & sperans non posse euadere quod in tentorium principis irruisset, ad contubernales suos venit, eosq; ad durum principem interimendum exhortatus est: qui subito plures armatiq; ingressi, inermes & obsistentes contruncauerunt, ipsumque pluribus ictibus confoderunt. Aliqui dicunt, omnino nihil dictum, sed tantum a militibus clamatum, *Exi, recede*: atq, ita obtruncatum iuuenem optimum. Sed omnis apparatus militaris, qui postea est ductus in Germaniam a Maximino, Alexandri fuit, & potentissimus quidẽ per Armenios & Osdroenos & Parthos, & omnis generis * hominum. Contempsisse Alexandrum mortem, cum ferocitas mentis, qua militem semper attriuit, tum etiam illa declarant. Thrasybulus mathematicus illi amicissimus fuit: qui quum ei dixisset, necessitatem esse vt gladio barbarico periret, primo lætatus est quod sibi mortem bellicam & imperatoriam crederet imminere: deinde disputauit ostenditq;, optimos quosq, violenta morte consumptos; quum diceret ipsum Alexandrum, cuius nomen teneret, Pompeium, Cæsarem, Demosthenem, Tullium, & ceteros insignes viros, non quieta morte oppetisse. Tantumq; animi habuit vt putaret se diis comparandum si in bello periret: sed res eum fefellit. Nam & gladio barbarico, & scurræ barbari manu, verum non in bello, sed belli tempore periit. Mortem eius milites, & qui exauctorati ab eo quondam fuerant, grauissime tulerunt, atque auctores cædis trucidarunt. Populus vero Romanus, senatusque omnis, cum prouincialibus cunctis, neq; tristius vmquam neque asperius acceperunt; simul quod successoris asperitas atque rusticitas Maximini, vtpote hominis militaris, cui cum filio post eum imperium delatum est, grauiorem fati necessitatem videbatur ostendere. Senatus eum in deos retulit. Cenotaphium in Gallia, Romæ sepulcrum amplissimum meruit. Dati sunt & sodales, qui *Alexandrini* appellati sunt: addita & festiuitas matris nomine, atque ipsius, quæ hodieque Romæ religiosissime celebratur natali eius die. Caussa occidendi eius ab aliis hæc fuisse perhibetur, quod mater eius relicto bello Germanico, orientem ad iactantiam sui vellet redire, atque ob hoc esset iratus exercitus. Sed hæc ab amatoribus Maximini ficta sunt, qui videri noluerunt Imperatorem optimum ab amico suo interfectum contra

iura

iura humana atque diuina. Hactenus imperium P.R. eum principem habuit qui diutius imperaret, post eum certatim irruentibus, & aliis semestribus, aliis annuis, plerisq; per biennium, ad summum per triennium imperantibus, vsq; ad eos principes qui latius imperium tetenderunt, Aurelianum dico, & deinceps. de quibus si vita suppeditauerit, ea quæ comperta fuerint, publicabimus. Reprehensa sunt in Alexandro hæc; Quod Syrus esse nolebat; quod aurum amabat, quod suspiciosissimus erat, quod vectigalia multa inueniebat, quod se Magnum Alexandrum videri volebat, quod nimis seuerus in milites erat; quod curas priuatas agebat: quæ omnia in republ. instruerat. Scio sane plerosque negare hunc a senatu Cæsarem appellatum esse, sed a militibus: qui verum prorsus ignorant: dicere præterea, non hunc fuisse consobrinum Heliogabali: qui, vt nos sequantur, historicos eius temporis legant, & maxime Acholium, qui & itinera huius principis scripsit. Soles quærere Constantine maxime, quid sit quod hominem Syrum & alienigenā talem principem fecerit; quum tot Romani generis, tot aliarum prouinciarum reperiantur improbi, impuri, crudeles, abiecti, iniusti, libidinosi. Iam primum possum de bonorum virorum respondere sententia, potuisse natura, quæ vbique vna mater est, bonum principem nasci: deinde timore, quod pessimus esset occisus, hunc optimū factum: sed quia verum est suggerendum, clementiæ ac pietati tuæ lecta referabo. Notum est illud pietati tuæ quod in Mario Maximo legisti, meliorem esse remp. & prope tutiorē, in qua princeps malus est, ea in qua sunt amici principis mali. siquidē vnus malus potest a plurimis bonis corrigi, multi autē mali, nō possunt ab vno, quāuis bono, vlla ratione superari. Et id quidē ab homulo ipsi Traiano dictū est, quum ille diceret Domitianum pessimū fuisse, amicos autem bonos habuisse; atq; *adeo illum magis odio fuisse, qui remp. peioris vitæ hominibus cōmendauerat; quia melius est vnum malum pati quam multos. Et vt ad rem redeam, Alexander quidem & ipse optimus fuit: nam hoc nemo vult nisi bonus: & optimæ matris consiliis vsus est: ac tamen amicos sanctos & venerabiles habuit, non malitiosos, non furaces, non factiosos, non callidos, non ad malum consentientes, non bonorum inimicos, non libidinosos, non crudeles, non circumuentores sui, non irrisores, nō qui illum quasi fatuum circumducerent: sed sanctos, venerabiles, *continentes, religiosos, amantes principis sui, & qui de illo nec ipsi riderent, nec risui esse vellent: qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent; numquam deciperent existimationem principis sui, sed amarent. *Huc accedit quod eunuchos nec in consiliis nec in ministeriis habuit, qui soli principes perdunt, dum eos more gentium aut regum Persarum volunt viuere; qui a populo etiam amicissimum principem semouent; qui internuntii sunt, aliud quam respondetur sæpe referentes, claudentes principem suum, & agentes ante omnia, nequid sciat. Qui quum empti sint & praui fuerint, quid tandē possunt boni sapere? Erat denique eius ipsius sententia; *Ego de præfectorum & consulum & senatorum capitibus mancipia ære empta iudicare non patiar.* Scio, Imperator Constantine, quo periculo ista dicantur apud Imperatorem qui talibus seruit; sed salua republ. posteaquam intellexisti quid mali clades istæ habeant, & quemadmodum principes circumueniant: & tu eos eo loci habes, vt nec chlamyde vti iusseris, sed necessitatibus domesticis delegaris. Iam illud insigne, quod solum intra palatium, præter præfectum, & Vlpianum quidem, neminem vidit: nec dedit alicui facultatē vel fumorum vendendorum de se, vel sibi de aliis male loquendi; maxime occiso Thurino, qui illum quasi fatuum & vecordem sæpe vendiderat. His accessit, quod amicos & parentes Alexander, si malos reperit, aut puniuit, aut, si vetus vel amicitia vel necessitudo non siuit puniri, dimisit a se; dicens, *His carior est mihi tota respubl.* Et vt scias qui viri in eius consilio fuerint, Fabius Sabinus, Sabini insignis viri filius, Cato temporis sui Domitius Vlpianus iuris peritissimus, Ælius Gordianus Gordiani Imperatoris pater, & ipse re vera vir insignis: Iulius Paulus iuris peritissimus, Claudius Venatus orator amplissimus: Pomponius legū peritissimus, Alphenus, Aphricanus, Florentinus, Marcianus, Callistratus, Hermogenes, Venuleius, Tryphonius, Metianus, Celsus, Proculus, Modestinus: hi omnes iuris professores, discipuli fuere splendidissimi Papiniani, & Alexandri Imperatoris familiares & socii, vt scribit A-

cholius & Marius Maximus; Carilius Seuerus cognatus eius, vir omnium doctissimus; Ælius Serenianus omnium vir sanctissimus; * Quintilius Marcellus, quo meliorem ne historiæ quidem continent. His tot atque aliis talibus viris, quid mali potuit cogitari vel fieri, quum ad bonum consentirent? Et eos quidem malorum cohors depulerat, qui circumuenerant Alexandrum primis diebus: sed prudentia iuuenis his malis occisis atque depulsis, amicitia ista sancta conualuit. Hi sunt qui bonum principem suum fecerunt: & item amici mali, qui Romanos pessimos etiam posteris tradiderunt suis vitiis laborantes.

IVLII CAPITOLINI,
MAXIMINI DVO,
AD CONSTANTINVM AVG.

NE fastidiosum esset clementiæ tuæ, Constantine maxime, singulos quosque principes, vel principum liberos, per libros singulos legere, adhibui moderationem qua in vnum volumen duos Maximinos, patrem filiumque, congererem. Seruaui deinceps ordinẽ quem pietas tua etiam a Tatio Cyrillo clarissimo viro, qui Græca in Latinum vertit, seruari voluit: quod quidem non in vno tantum libro, sed etiam in plurimis deinceps reseruabo; exceptis magnis Imperatoribus, quorum res gestæ plures atque clariores, longiorem desiderant textum. MAXIMINVS senior, sub Alexandro Imperatore enituit: militare autem sub Seuero cœpit. Hic de vico * Thraciæ vicino, barbaro etiam patre & matre genitus, quorum alter e Gotthia, alter ex Alanis, genitus esse perhibetur. Et patri quidem nomen * Micca, matri Ababa fuisse dicitur. Sed hæc nomina Maximinus primis temporibus ipse prodidit, postea vero vbi ad imperium venit, occuli præcepit; ne vtroq; parente barbaro genitus Imperator esse videretur. Et in prima quidem pueritia fuit pastor, nonnunquam procer, qui latronibus insidiaretur, & suos ab incursionibus vindicaret. Prima stipendia, equestria huic fuere. Erat enim magnitudine corporis conspicuus, virtute inter omnes milites clarus, forma virili decorus: ferus moribus, asper, superbus, contemptor: sæpe tamen iustus. Innotescendi sub Seuero Imperatore prima hæc fuit caussa. Natali Getæ filii minoris, Seuerus militares dabat ludos, propositis præmiis argenteis, id est armillis, torquibus & baltheolis. Hic adolescens & semibarbarus, & vix adhuc Latina lingua, prope * Threcisca, Imperatorem publice petiit vt sibi daret licentiam contendendi cum iis qui iam non mediocri loco militarent. Magnitudinem corporis Seuerus miratus, primum eum cum lixis composuit, sed fortissimis quibusque, ne disciplinam militarem corrumperet. Tunc Maximinus XVI lixas vno sudore deuicit, XVI acceptis præmiis minusculis, non militaribus; iussusque militare. Tertia forte die quum processisset Seuerus ad campum, in turba exsultantem more barbarico Maximinum vidit; iussitque statim tribuno vt eum coerceret, ac Romana disciplina imbueret. Tunc ille, vbi de se intellexit Imperatorem loquutum, suspicatus barbarus & notum se esse principi, & inter multos conspicuum, ad pedes Imperatoris equitantis accessit. Tum volens Seuerus explorare quantus in currendo esset, equum admisit multis circuitionibus: & quum Imperator laborasset, neque ille accurrendo per multa spatia desisset, ait ei, *Quid vis Threcisce? numquid delectat luctari post cursum?* Tum, *Quantum libet*, inquit, *Imperator.* Post hoc ex equo Seuerus descendit, & recentissimos quosq; ac fortissimos milites ei comparari iussit. Tum ille more solito VII fortissimos vno sudore vicit; solusq; omnium a Seuero post argentea præmia torque aureo donatus est, iussusq; inter stipatores corporis sui semper in aula consistere. Hinc igitur factus conspicuus, inter milites clarus, amari a tribunis, a commilitonibus suspici, impetrare ab Imperatore quod vellet; locis etiam militiæ a Seuero adiutus quum esset adolescens, longitudine autem corporis & vastitate, & forma, atque oculorum magnitudine

& candore

& candore [inter] omnes excelleret. Bibisse autem illum sæpe in die vini Capitolinam amphoram constat: comedisse & XL libras carnis, vt autem Cordus dicit, etiam LX. Quod satis constat, oleribus semper abstinuit, a frigidis prope semper; nisi quum illi potandi necessitas esset. Sudores sæpe suos excipiebat, & in calices vel in vasculum mittebat; ita vt duos vel tres sextarios sui sudoris ostenderet. Hic diu sub Antonino Caracallo ordines duxit, centuriatus & ceteras militares dignitates sæpe tractauit. Sub Macrino (quod eum qui Imperatoris sui filium occiderat, vehementer odisset) a militia desiit, & in Thracia in vico vbi genitus fuerat, possessiones comparauit, ac semper cum Gothis commercia exercuit. Amatus est autem vnice a Getis, quasi eorum ciuis. Alani, quicumq; ad ripam venerunt, amicum * eum donis vicissim recurrentibus approbabant. Sed occiso Macrino cum filio suo, vbi Heliogabalũ quasi Antonini filium Imperatorem comperit, iam maturæ ætatis ad eum venit; petitq; vt quod auus eius Seuerus iudicii circa se habuerat, & ipse haberet. Sed apud impurum hominem valere nihil potuit. Nam dicitur cum eo iocatus esse Heliogabalus turpissime, dicens, *Maximine*, XVI *&* XX *&* XXX *milites diceris aliquando lassasse; potes tricies cum muliere perficere?* Tum ille vbi vidit infamem principem sic exorsum, a militia discessit, & tamen retentus est per amicos Heliogabali, ne hoc quoq; illius famæ accederet quod virum temporis sui fortissimum, & quem alii *Herculem*, alii *Achillem*, alii *Aiacem* vocabant, a suo exercitu dimoueret. Fuit igitur Maximinus sub homine impurissimo tantum honore præditus tribunatus: sed numquam ad manũ eius accessit, numquã illum salutauit: per totum triennium huc atq; illuc discurrens, modo agris, modo otio, modo fictis languoribus occupatus est. Occiso Heliogabalo, vbi Maximinus comperit Alexandrũ principem nominatum, Romam contẽdit quem Alexander miro cum gaudio, mira cum gratulatione suscepit, vt in senatu verba faceret talia; *Maximinus P. C tribunus, cui ego latum clauũ addidi, ad me cõfugit; qui sub impura illa bellua militare non potuit; qui apud diuum parentem meum Seuerum tantus fuit quantum illum fama * comperitis.* Statim denique illum tribunum legionis quartæ ex tironibus, quam ipse composuerat, dedit, & eum in hæc verba prouexit: *Veteres milites tibi Maximine mi carissime atque amantissime, idcirco non credidi, quod veritus sum ne vitia eorũ sub aliis inolescentia emẽdare non posses. Habes tirones ad tuos mores, ad tuã virtutẽ, ad tuum laborẽ. eos fac militiã addiscere; vt mihi multos Maximinos reip. optabiles solus efficias.* Accepta igitur legione, statim eam exercere cœpit. Quinta quaque die iubebat milites decurrere [in se] simulacra bellorum agere: gladios, loricas, galeas, scuta, tunicas, & omnia arma illorum quotidie circumspicere: calciamenta quinetiam ipsa prospiciebat: prorsus vt se parem militibus præberet. Sed quum eum quidam tribuni reprehenderent, dicentes, *Quid tantum laboras, quum eius loci iam sis, vt ducatum possis accipere?* dixisse fertur, *Ego vero quo maior fuero, tanto plus laborabo.* Exercebat cum militibus ipse * luctam, quinos, senos, & septenos iam grandæuus ad terram prosternens. Denique inuidentibus cunctis, quum quidam tribunus superbior, magni corporis, virtutis notæ, atque ideo ferocior ei dixisset, *Non magnam rem facis si tribunus tuos milites vincis*: ille ait, *Visne congrediamur?* quumque aduersarius annuisset, venientem contra se palma in pectus percussum, supinum reiecit, & continuo dixit, *Date alium, sed tribunum.* Erat præterea (vt refert Cordus) magnitudine tanta, vt octo pedes digito videretur egressus: pollice ita vasto vt vxoris * dextrocherio vteretur pro annulo. Iam illa prope in vulgi ore sunt posita, quod hamaxas manibus attraheret, rhedam onustam solus moueret: equo si pugnum dedisset, dentes solueret, si calcem, crura frangeret: lapides tophicios friaret, arbores teneriores scinderet. Alii denique eum *Crotoniatem Milonem*, alii *Herculem*, *Antæum* alii vocant. His rebus conspicuum virum Alexander, magnorum meritorum index, in suam perniciem omni exercitui præfecit gaudentibus cũctis vbique tribunis, ducibus, & militibus. Denique totum eius exercitum, qui sub Heliogabalo magna ex parte torpuerat, ad suam militarem disciplinam retraxit. Quod Alexandro, vt diximus, optimo quidem Imperatori, sed tamen cuius ætas ab initio contemni potuerit, grauissimum fuit. Nam quum in Gallia esset, & non longe ab vrbe quadam castra posuisset, subito immissis militibus,

vt quidam dicunt, ab ipso; vt alii, a tribunis barbaris, Alexander ad matrem fugiens interemptus est, Maximino iam Imperatore appellato. Et caussam quidem Alexandri interimendi alii aliam fuisse dicunt. Quidam enim Mammæam dicunt auctorem fuisse vt filius deserto bello Germanico, orientem peteret; atq; ideo milites in seditionem prorupisse: quidã, quod ille nimis seuerus esset, & voluisset ita in Gallia legiones exauctorare, vt exauctorauerat in oriẽte. Sed occiso Alexandro, Maximinus *primum e corpore militari, & nondum senator, sine decreto senatus, Augustus ab exercitu appellatus est, filio sibimet in participatum dato: de quo pauca, quæ nobis sunt cognita, mox dicemus. Maximinus autem ea fuit semper astutia, vt milites non solum virtute regeret, sed etiam præmiis & lucris sui amantissimos redderet. Numquam annonam cuiuspiam tulit: numquam fuit *qui in exercitu faber, aut alterius rei (vt plerique sunt) artifex esset: solis venationibus legiones frequenter *exercebat. Sed inter has virtutes tam crudelis fuit vt illum alii *Cyclopem*, alii *Busiridem*, alii* *Scironem*, nonnulli *Phalarim*, multi *Typhonem*, vel *Gygem* vocarent. Senatus eum tantum timuit, vt vota in templis publice priuatimq; mulieres etiam cum suis liberis facerẽt, ne ille vmquam vrbem Romam videret. Audiebat enim alios in crucem sublatos, alios animalibus nuper occisis inclusos, alios feris obiectos, alios fustibus elisos; atq; omnia hæc sine delectu dignitatis, quum videretur disciplinam velle regere militarem, cuius exemplo ciuilia etiam corrigere voluit: quod non conuenit principi qui velit diligi. Erat enim ei persuasum, *nisi crudelitate imperium non teneri.* Simul & verebatur ne propter humilitatẽ generis barbarica nouitate contemneretur. Meminerat præterea se Romæ etiam a seruis nobilium contemptum esse: ita vt ne a procuratoribus quidem eorum videretur. Et vt se habent stultæ opiniones, tales eos contra sperabat futuros, quum iam imperator esset. *Tantum valet conscientia degeneris animi.* Nam ignobilitatis tegendæ caussa, omnes conscios generis sui interemit; nonnullos etiam amicos, qui ei sæpe misericordiæ ac pietatis caussa pleraq; donauerant. Neque enim fuit crudelius animal in terris; omnia sic in viribus suis ponens quasi non posset occidi. Denique quum immortalem se prope crederet ob magnitudinem corporis sui virtutisque, *mimus quidam in theatro præsente illo dicitur versus Græcos dixisse, quorum hæc erat Latina sententia; *Et qui ab vno non potest occidi, a multis occiditur. Elephas grandis est, & occiditur: Leo fortis est, & occiditur: Tigris fortis est, & occiditur: Caue multos, si singulos non times.* Et hæc Imperatore ipso præsente iam dicta sunt. Sed quum Maximinus interrogaret amicos quid mimus [scurra] dixisset, dictum est ei quod antiquos versus cantaret contra homines asperos scriptos, & ille, vt erat Thrax & barbarus, credidit. Nobilem circa se neminem passus est: prorsus vt Spartaci aut Athenionis exemplo imperaret. Præterea omnes Alexandri ministros variis modis interemit. Dispositionibus eius inuidit. Et dum suspectos habet amicos ac ministros eius, crudelior factus est. Quum esset ita moratus, vt ferarum more viueret, tristior & immanior factus est factione Magni cuiusdam consularis viri contra se parata: qui cum multis militibus & centurionibus ad eum confodiendũ consilium inierat, quum in se imperium transferre cuperet. Et genus factionis fuit tale. Quũ ponte iuncto in Germanos transire Maximinus vellet, placuerat, vt *contrarii cum eo transirent, pons postea solueretur, ille in barbarico solo circumuentus occideretur, imperiũ Magnus arriperet. Nam omnia cœperat agere, & quidẽ fortissime, statim vt factus Imperator; peritus vtpote rei militaris; volens existimationem de se habitam tenere, & ante omnes Alexandri gloriam quẽ ipse occiderat, vincere. Quare Imperator etiam in exercitio quotidie milites detinebat. Eratq; in armis ipse magnus exercitio, & corpore multa semper ostendens. Et istam quidem factionem Maximinus ipse finxisse perhibetur; vt materiã crudelitatis augeret. Deniq; sine iudicio, sine accusatione, sine delatore, sine defensione omnes interemit, omniũ bona sustulit: & plus IIII milibus hominum occisis, se satiare non potuit. Fuit etiam sub eodem factio, desciscentibus sagittariis *Osdroenis ab eodem ob amorem Alexandri & desideriũ; quem a Maximino apud eos occisum esse constabat, nec aliud persuaderi poterat. Denique etiam ipsi *Titum [vnum] ex suis sibi ducem atque Imperatorem fecerunt, quem Maximinus priuatum iam dimiserat: quem quidem & purpura

pura circumdederunt, regioque apparatu ornarunt, & quasi sui milites obsepserunt: & inuitum quidem. Sed hic Titus, dormiens domi suæ, ab vno ex amicis suis interfectus est, qui sibi doluit illum esse præpositum, Macedonio nomine; qui eum Maximino prodidit, quique caput eius ad Imperatorem detulit. Sed Maximinus primo ei gratias egit; postea tamen vt proditorem odio habuit, & occidit. His rebus in dies immanior fiebat, ferarum more quæ vulneratæ magis exulcerantur. Post hæc transit in Germaniam cum omni exercitu, & Mauris, & Osdroenis, & Parthis, & omnibus quos secum Alexander ducebat ad bellum. Et ob hoc maxime orientalia secum trahebat auxilia, quod nulli magis contra Germanos quam expediti sagittarii valent. Mirandum autem apparatum belli Alexander habuit; cui Maximinus multa dicitur addidisse. Ingressus igitur Germaniam Transrhenanam, per ccc vel cccc milia barbarici soli vicos incendit, greges abegit, prædas sustulit: barbarorum plurimos interemit, militẽ diuitẽ reduxit: cepit innumeros. & nisi Germani per amnes & paludes & syluas confugissent, omnem Germaniam in Romanam dicionem redegisset. Ipse præterea manu sua multa faciebat; quum etiam paludẽ ingressus, circumuentus* esset a Germanis, nisi eum equo inhærentem sui liberassent. Habuit enim hoc barbaricæ temeritatis, vt putaret Imperatorem manu etiam sua semper vti debere. Denique quasi nauale quoddam prœlium in palude fecit plurimosque illic interemit. Victa igitur Germania, litteras Romam ad senatum & ad populum misit, se dictante conscriptas: quarum sententia hęc fuit: *Non possumus tantum P.C. loqui quantũ fecimus. Per cccc milia Germanorũ vicos incendimus, greges abduximus, captiuos abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnauimus. Peruenissemus ad syluas, nisi altitudo paludũ nos transire non permisisset.* Ælius Cordus dicit, hanc omnino ipsius orationẽ fuisse: quod credibile est. Quid n. in hac est quod non posset barbarus miles? qui pari sententia, & ad populũ scripsit; sed maiori reuerentia, idcirco q; senatũ oderat, a quo se contemni multũ credebat. Iussit præterea tabulas pingi ita vt erat bellũ ipsum gestum, & ante curiã proponi; vt facta eius pictura loqueretur: quas quidẽ tabulas post mortem eius senatus & deponi iussit & exuri. Fuerũt & alia sub eo bella plurima, ex quibus semper primus victor reuertit, & cum ingentibus spoliis atque captiuis. Exstat oratio eiusdẽ missa ad senatum; cuius hoc exemplum est: *Breui tempore P.C. tot bella gessi quot nemo veterum: tantum prædæ in Romanum solum attuli, quantum sperari non potuit: tantum captiuorum adduxi, vt vix sola Romana sufficiant.* Reliqua orationis verba non sunt ad rem necessaria. *Pacata Germania Sirmium venit, Sarmatis inferre bellum parans, atque animo habens [&] concupiens vsque ad oceanum septemtrionales partes in Romanam dicionem redigere. quod fecisset si vixisset; vt Herodianus dicit Græcus scriptor, qui ei (quantum videmus) in odium Alexandri plurimum fauit. Sed quum Romani eius crudelitatem ferre non possent, quod delatores euocaret, accusatorem im mitteret, crimina fingeret, innocentes occideret, damnaret omnes quicumque in iudicium venissent, ex ditissimis hominibus paupertimos faceret, nec aliunde nisi malo alieno pecuniam quæreret; deinde sine* delicto consulares viros & duces multos interimeret, alios *Scythicis vehiculis exhiberet, alios in custodia detineret, nihil denique prætermitteret quod ad crudelitatem videretur operari: contra eum defectionem pararunt. nec solum Romani, sed, quia & in milites sæuiebat, exercitus qui in Africa erat, subita & ingenti seditione Gordianum senem, virum grauissimum, qui erat proconsul, Imperatorem fecerunt: cuius factionis hic ordo fuit. Erat fisci procurator in Libya, qui omnes Maximini studio spoliauerat. hic per rusticanam plebem, deinde & quosdam milites, interemptus est per eos qui rationalẽ in honorem Maximini defendebant. Sed quum viderent auctores cædis eius acrioribus remediis sibi subueniendum esse, Gordianum proconsulem, virum (vt diximus) venerabilem, natu grandiorem, omni virtutũ genere florentem, ab Alexandro ex senatusconsulto in Africam missum, reclamantẽ & se terræ affligentem, operium purpura imperare coegerunt, instantes cum gladiis & cum omni genere telorum. Et primo quidẽ inuitus Gordianus purpurã sumpserat: postea vero quum vidit neque filio, neque familiæ suæ tutum id esse, volens suscepit imperiũ, & appellatus ab omnibus Afris Augustus cum filio apud opidum

Tisdrum: inde Carthaginem venit cum pompa regali, & protectoribus & fascibus laureatis. vnde Romam ad senatum litteras misit; quæ occiso Valeriano duce militum prætorianorum, in odium Maximini grauanter acceptæ sunt. Appellati etiam Gordianus senex & Gordianus iuuenis a senatu Augusti. Interfecti deinde omnes delatores, omnes accusatores; omnes amici Maximini occisi sunt. Interfectus est Sabinus præfectus vrbis, percussus in populo. Vbi hæc gesta sunt, senatus magis timens Maximinum, aperte ac libere hostes appellat Maximinum & eius filium. Litteras deinde mittit ad omnes prouincias, vt communi saluti libertatiq; subueniant: quæ auditæ sunt ab omnibus. Denique vbique amici, & administratores, & duces, tribuni, & milites Maximini, interfecti sunt. Paucæ ciuitates fidem hosti publico seruauerunt: quæ proditis iis qui missi ad eos fuerant, ad Maximinum cito per indices detulerunt. Litterarum senatus exemplum hoc fuit: *Senatus populusque Romanus, per Gordianos principes ab illa tristissima bellua liberari cœptus, proconsulibus præsidibus, legatis, ducibus, tribunis, magistratibus, ac singulis ciuitatibus, & municipiis, & oppidis, & vicis, & castellis salutem, quam nunc primum recipere cœpit, dicit. Diis fauentibus Gordianum proconsulem, virum sanctissimum & grauissimum senatorem, principem meruimus; Augustum appellauimus. nec solum illum, sed etiam in subsidium reip. filium eius Gordianum nobilem iuuenem. Vestrum est consentire ad salutem respubl. obtinendam, & ad scelera* defendenda, & ad illam belluam Maximinum atq; illius amicos, vbicumque fuerint, persequendos. A nobis etiam Maximinus cum filio suo hostis est iudicatus.* Senatusconsulti autē hoc fuit exemplum. Quum ventum esset in ædem *Castorum, VI Cal. Iunias, acceptas literas *Iunius Silanus consul ex Africa, Gordiani imperatoris patris patriæ proconsulis, recitauit; *Inuitum me P. C. iuuenes, quibus Africa tuenda commissa est, ad imperium vocarunt. Sed intuitu vestri, necessitatem libens sustineo. Vestrum est æstimare quid velitis. Nam ego vsque ad senatus iudicium incertus & varius fluctuabo.* Lectis litteris, statim senatus acclamauit, *Gordiane Auguste, dii te seruent. Felix imperes; tu nos liberasti: Saluus imperes; tu nos liberasti. per te salua respubl. omnes tibi gratias agimus.* Item COS. retulit; *P. C. De maximinis quid placet?* responsum est, *Hostes, hostes. Qui eos occiderit, præmium merebitur.* Item consul dixit; *De amicis Maximini quid videtur?* acclamatum est, *Hostes, hostes. Qui eos occiderit præmium merebitur.* *Ita acclamatum est, *Inimicus senatus in crucem tollatur: Hostis senatus vbicumque feriatur: Inimici senatus viui exurantur. Gordiani Augusti, dii vos seruent. Ambo feliciter agatis; ambo feliciter imperetis. Nepoti Gordiani præturam decernimus, nepoti Gordiani consulatum spondemus. nepos Gordiani Cæsar appelletur: tertius Gordianus præturam accipiat.* Vbi hoc senatusconsultum Maximinus accepit, homo natura ferus, sic exarsit vt non hominem sed belluam putares. Iaciebat se in parietes, nonnumquam terræ se prosternebat. Exclamabat inconditе; arripiebat gladium, quasi senatum posset occidere; conscindebat vestem regiam, alios verberibus afficiebat; &, nisi de medio recessisset, (vt quidam sunt auctores) oculos filio adolescentulo sustulisset. Caussa autem iracundiæ contra filium hæc fuit, quod eum Romam ire iusserat quum primum imperator factus est, & ille patris nimio amore neglexerat: putabat autem quod si ille Romæ fuisset, nihil ausurus esset senatus. Ardentem igitur Maximinum iracundia, amici intra cubiculum receperunt. Sed quum furorem suum tenere non posset, vt obliuionem cogitationis acciperet, vino se primo die obruisse dicitur eousque vt quid gestum esset ignoraret. Alia die admissis amicis, qui eum *audire non poterant, sed tacebant, & qui factum senatus tacite laudabant, consilium habuit quid facto opus esset: * e concilio ad concionem processit; in qua concione multa in Afros, multa in Gordianū, plura in senatum dixit, cohortatusque milites ad communes iniurias vindicandas. Concio denique omnis militaris fuit, cuius hoc exemplum est; *Commilitones, rem notam vobis proferimus. Afri fidem fregerunt. quid dicam fregerunt? nam quando tenuerunt? Gordianus senex debilis & morti vicinus, sumpsit imperium. Sanctissimi autem P. C. illi, qui & Romulum & Cæsarem occiderunt, me hostem iudicauerunt, quum pro his pugnarem & ipsis vincerem, nec solum me, sed etiam vos & omnes qui mecum sunt; quos & senatui acceptissimos, & *sibi aduersissimos esse credebant. Quare factum est (vt diximus) vt Gordianum adolescentulum principem peterent; qui statim factus est. Nec prius permissi*

sunt

sunt ad palatium stipati armatis ire, quam nepotem Gordiani Cæsaris nomine nuncuparent, & Gordianos patrem ac filium augustos vocarent. Ergo si viri estis, si vires habetis, eamus cõtra senatum & Afros: quorum omnium bona vos habebitis. Dato igitur stipendio, & quidem ingenti, Romam versus cum exercitu proficisci cœpit. Sed Gordianus in Africa primum a Capeliano quodam agitari cœpit, cui Mauros regenti successorem dederat. Contra quem filium iuuenem quum misisset, acerrima pugna interfecto filio, ipse laqueo vitam finiuit; sciens & in Maximino multum esse roboris, & Afris nihil virium, multum quinimo perfidiæ. Tunc Capelianus victor, pro Maximino omnes Gordiani partium, motu partium in Africa interemit atque proscripsit: nec cuiquam pepercit; prorsus vt ex animo Maximini videretur hæc facere. Ciuitates denique subuertit, fana diripuit, donaria militibus diuisit, plebem & principes ciuitatum concidit. Ipse præterea militum animos sibi conciliabat, *proludens ad imperium si Maximinus perisset. Hæc vbi Romam nuntiata sunt, senatus Maximini & naturalem & iam necessariam crudelitatem timens, mortuis duobus Gordianis, Maximum Pupienum ex *præfecto vrbi, & qui plurimas dignitates præcipue gessisset, ignobilem genere, sed virtutibus clarum, & *Clodium Balbinum, motibus delicatiorem, Imperatores creauit. Quibus a populo Augustis appellatis, per milites & eundem populum etiam paruulus nepos Gordiani Cæsar est dictus. Tribus igitur Imperatoribus contra Maximinum fulta resp. est. Horum tamen Maximus vita seuerior, prudentia grauior, virtute constantior: denique ipsi contra Maximinũ & senatus & Balbinus bellum *tradiderunt. Profecto igitur ad bellum Maximo contra Maximinum, Balbinus Romæ bellis intestinis & domesticis seditionibus vrgebatur, occisis præcipue per populum Gallicano & Mæcenate: qui quidem populus a prætorianis laniatus est, quum Balbinus resistere seditionibus non satis posset. Denique magna pars vrbis incensa est. Et recreatus quidem Imperator fuerat Maximinus, audita morte Gordiani atque eius filii, Capeliani victoria: verum vbi & aliud senatusconsultum accepit, quo Maximus & Balbinus & Gordianus Imperatores appellati sunt, intellexit senatus odia esse perpetua, & se vere hostem omnium iudicio haberi. Acrior denique Italiam ingressus est. Vbi quum comperisset Maximum contra se missum, vehementius sæuiens, quadrato agmine *Hemonam venit. Sed prouincialium omnium consilium hoc fuit vt sublatis omnibus quæ victum præbere possent, intra ciuitates se reciperent, vt Maximinus cum exercitu fame vrgeretur. denique vbi primum castra in campo posuit, neque quidquam commeatus reperiret, incensus contra eum exercitus suus, quod fame in Italia laborasset, in qua post Alpes recreari se posse credebat, murmurare primũ cœpit, deinde etiam aliqua libere dicere. Hæc quum vellet vindicare, multum exarsit exercitus, & odium tacitum in tempus distulit; quod loco suo statim prodidit. Plerique sane dicunt, ipsam Hemonam vacuam & desertam inuentã esse a Maximino, stulte lætante quod quasi ciuitas tota cessisset. Post hoc Aquileiam venit; quæ contra eum armatis circa muros dispositis, portas clausit, nec oppugnatio defuit; *Menophilo & Crispino consularibus viris auctoribus. Quum igitur frustra obsideret Aquileiam Maximinus, legatos in eamdem vrbem misit. Quibus populus pene consenserat; nisi Menophilus cum collega restitisset, dicens, etiam deum *Bellenum per aruspices spopondisse Maximinum esse vincendum. Vnde etiam postea Maximini milites iactasse dicuntur, Apollinẽ contra se pugnasse, nec illam *Maximi Pupieni aut senatus, sed deorum fuisse victoriã. Quod quidem idcirco ab his fictũ esse dicunt, quod erubescebãt armatos se pene ab inermibus victos. Ponte itaque cuppis facto, Maximinus fluuium transiuit, & de proximo Aquileiam obsidere cœpit. Ingens autem oppugnatio & discrimen tunc fuit, quum se ciues sulfure & flammis, cæterisque huiusmodi propugnaculis, a militibus defenderent: quorũ alii nudabantur armis, aliorum vestes incendebantur, aliorũ oculi exstinguebantur, diruebantur etiam machinamenta. Inter hæc Maximinus cum filio suo adolescente, quem Cæsarem appellauerat, circumire muros quantũ a teli iactu satis tutus esse posset, nunc suis verbis milites, nunc opidanos rogare. verum nihil profecit. Nam multa & in eum crudelitatis caussã, & in filium qui speciosissimus erat, probra congesta sunt. Quare Maximinus sperans suorum

ignauia bellum trahi, duces suos interemit, eo tempore quo minime oportebat: vnde sibi milites etiam iratiores reddidit. Huc accedebat quod* deficiebant commeatus, quia senatus, ad omnes prouincias & portuum custodes litteras dederat, ne aliquid commeatuum in Maximini potestatem veniret. Miserat præterea per omnes ciuitates prætorios & quæstorios viros, qui vbique custodias agerent, & omnia contra Maximinum defenderent. Effectum denique est vt obsessi angustias, obsidens ipse, pateretur. Nuntiabatur inter hæc orbem terrarum consensisse in odium Maximini. Quare timentes milites, quorum affectus in Albano monte erant, medio forte die, quum a prœlio quiesceretur, & Maximinum & filium eius quiescentes, in tentorio positos occiderunt, eorumque capita præfixa contis Aquileiensibus demõstrauerunt. In oppido igitur vicino statim Maximini statuæ atque imagines depositæ sunt, & eius præfectus præt. occisus est cum amicis* clarioribus. Missa etiam Romam capita sunt eorum. Hic finis Maximinorum fuit, dignus crudelitate patris, indignus bonitate filii. Quibus mortuis, ingens lætitia prouincialium, dolor grauissimus barbarorum. Sed milites interfectis publicis hostibus recepti sunt ab oppidanis, rogantes: & primum ita vt ante imagines Maximi & Balbini & Gordiani adorarent, quum omnes dicerent priores Gordianos in deos relatos. Post hoc ingens ex Aquileia commeatus in castra quæ laborabant fame, traductus est; fessisque militibus alia die in concionem ventum est, & omnes in Maximi & Balbini verba iurarũt, Gordianos priores diuos appellantes. Dici vix potest quanta lætitia fuerit, quum Romam per Italiam caput Maximini ferretur, occurentibus cunctis ad gaudium publicum. Et Maximus quidem, quem multi Pupienum putant, apud Rauennam bellum parabat per Germanorum auxilia: qui vbi comperit consensisse exercitum sibi & collegis suis, occisos autem esse Maximinos, statim dimissis Germanorum auxiliis, quæ sibi contra hostem parauerat, Romam laureatas litteras misit; quæ in vrbe ingentem lætitiam fecerunt, ita vt omnes per aras, & templa, & sacella, & loca religiosa, gratias agerent. Balbinus autem homo timidior natura, & qui quum Maximini nomen audiret, etiam tremeret, hecatomben fecit, iussitque per omnes ciuitates pari supplicari sacrificio. Deinde Maximus Romam venit; senatumque ingressus, actis sibi gratiis, concionem habuit: atque inde in Palatium cum Balbino & Gordiano victores se receperunt. Interest scire quale senatusconsultum fuerit, vel qui dies vrbis, quum est nuntiatus interemptus Maximinus. Iam primum is nuntius qui ex Aquileiẽsi vrbe Romam missus fuerat, tanto impetu, mutans animalibus, cucurrit, vt quarta die Romam veniret, quum apud Rauennam Maximum reliquisset: & forte dies ludorum erat, quum subito sedente Balbino & Gordiano theatrum nuntius ingressus est: atque antequam aliquid indicaretur, omnis populus exclamauit, *Maximinus occisus est*. *ita & nuntius præuentus, & Imperatores qui aderant, gaudium publicum nutu & consensu indicauerunt. Soluto igitur spectaculo, omnes statim ad suas religiones conuolarunt: atque inde senatus ad principem, populus ad concionem cucurrerunt. Senatusconsultum hoc fuit. Recitatis in senatu per Balbinum Augustum litteris acclamauit senatus; *Hostes populi Romani dii persequuntur. Iupiter optime tibi gratias. Apollo venerabilis tibi gratias. Maxime Auguste tibi gratias: Balbine Auguste tibi gratias: Tibi gratias Gordiane Auguste: Diuis Gordianis templa decernimus. Maximini nomen olim erasum, nunc animis eradendum. Hostis publici caput in profluentem abiiciatur, corpus eius nemo sepeliat. Qui senatus mortem minatus est, qui senatui vincula minatus est, vt debebat, interemptus. Sanctissimi Imperatores gratias vobis agimus. Maxime, Balbine, Gordiane, dii vos seruent. Victores hostiũ omnes desideramus: præsentiam Maximi oẽs desideramus. Balbine Auguste, dii te seruent. Præsentem annum* COSS. *vos ornetis: in locum Maximini Gordianus sufficiatur.* Post rogatus sententiã Cuspidius Celerinus hæc verba habuit; *P. C. eraso nomine Maximinorum, appellatisque diuis Gordianis, victoriæ caussa principibus nostris Maximo, Balbino, & Gordiano, statuas cum elephantis decernimus, currus triumphales decernimus, statuas equestres decernimus, tropæa decernimus.* Post hæc misso senatu supplicationes per totam vrbem decretæ. victores principes in palatium se receperunt, de quorum vita in alio libro deinceps dicemus.

MAXIMINVS IVNIOR.

MAXIMINVS iunior, de cuius genere superius dictum est, tantæ pulchritudinis fuit, vt passim amatus sit a procacioribus fœminis. Nonnullæ etiam optauerunt de eo concipere. Proceritatis videbatur posse illius esse vt ad staturam paternã perueniret. Siquidem anno vicesimo & primo periit, in ipso flore iuuentutis; (vt aliqui autem dicunt, octauodecimo) litteris & Græcis & Latinis imbutus ad primam disciplinam. Nam vsus est magistro Græco litteratore Fabilio; cuius epigrammata Græca multa exstant, maxime in imaginibus ipsius pueri: qui versus Græcos fecit ex illis Latinis Virgelii, quum ipsum puerum describeret; *Qualis vbi oceani profusus lucifer vnda Extulit os sacrum cælo, tenebrasque resoluit, Talis erat iuuenis primo sub nomine clarus.* Grammatico Latino vsus est Philemone, iurisperito Modestino, oratore* Tatiano filio Tatiani senioris, qui prouinciarum libros pulcherrimos scripsit, & qui dictus est *simia temporis sui*, quod cuncta imitatus esset. Habuit & Græcum rhetorem Eugamium, sui temporis clarum. Desponsata illi erat Iunia Fadilla, proneptis Antonini: quam postea accepit.* Toxotius eiusdem familiæ senator, qui periit post præturam; cuius etiam poemata exstant. Manserunt autem apud eam* arræ regiæ, quæ tales fuerunt; vt Iunius Cordus loquitur, ex iis qui harum rerum perscrutatores fuisse dicuntur: * monoliũ de albis nouem, reticulum de prasinis vndecim, dextrocheriũ cum costula de hyacinthis quatuor; præter vestes auratas, & omnes regias, cæteraq; insignia sponsaliorum. Adolescens aũt ipse Maximinus superbiæ fuit insolentissimæ, ita vt etiã quum pater suus homo crudelissimus plerisque honoratis assurgeret, ille resideret. Vitæ lætioris, vini parcissimus, cibi auidus, maxime siluestris; ita vt nonnisi* aprugnã, anates, grues, & omnia captiua ederet. Infamabant eum ob nimiam pulchritudinẽ amici Maximi, & Balbini, & Gordiani, & maxime senatores, qui speciem illam vel diuinitus lapsam incorruptam esse* noluerunt. Deniq; illo tempore quo circum Aquileiã muros* circumiens cum patre deditionem vrbis petebat, nihil aliud ei quam spurcities obiecta est; quæ longe ab illius fuit vita. Vestibus tam accuratus fuit, vt nulla mulier nitidior esset in* mundo: amicis paternis immane quantum obsequutus est, sed vt donaret ac largiretur. Nã in salutationibus superbissimus erat, & manum porrigebat, genua sibi osculari patiebatur, & nonnunquã etiam pedes: quod numquã passus est senior Maximinus, qui dicebat, *Dii prohibeant vt quisquam ingenuorum pedibus meis osculũ figat.* Et quoniam ad Maximinos reuertimur, res iucundæ prætereundæ non sunt. Nam quũ esset Maximinus pedũ, vt diximus, octo & prope semis, calciamentum eius, id est* campagum regium, quidam in luco qui est inter Aquileiam &* Arziam posuerunt; quod constat pede maius fuisse hominis vestigio atque mensura: vnde etiã vulgo tractum est, quũ de longis & ineptis hominibus diceretur, *Caliga Maximini.* Quod idcirco indidi, ne, qui Cordũ legeret, me prætermisisse crederet aliquid quod ad rem pertineret. Sed redeam ad filiũ. De hoc adolescente Alexander Aurelius ad matrem suam scribit Mammæam, cupiens ei sororem suam Theocliam dare; in hæc verba: * *Mi mater, si Maximinus senior, dux noster, & quidem optimus, non aliquid in se barbarum contineret, iam ego Maximino iuniorẽ Theocliam tuam dedissem. Sed timeo ne soror mea Græcis munditiis erudita, barbarum socerum ferre non possit: quamuis ipse adolescens & pulcher & scholasticus, ad Græcãs munditias eruditus esse videatur. Hæc quidem cogito; sed te tamen consulo, Maximinum Maximini filium generum velis, an Messallam ex familia nobili, oratorem potentissimum, eundemque doctissimum, & (nisi fallor) in rebus bellicis, si applicetur, fortem futurum.* Hæc Alexander de Maximino; de quo nos nihil amplius habemus quod diceremus. Sane nẽ quid prætermissum esse videatur, etiã epistolam indidi patris Maximini imperatoris iam facti qui dicit idcirco se etiam filium suũ appellasse Imperatorem, vt videret vel in pictura, vel in veritate, qualis esset iunior Maximinus in purpura. Fuit autem talis epistola: *Ego cum propter affectum, quem pater filio debet, Maximinum meum, Imperatorẽ appellari permisi; tũ etiam vt pop. Rom. & senatus ille antiquus iuraret se numquã pulchriorem Imperatorem habuisse.* Vsus est autem idem adolescens & aurea lorica, exemplo Ptolemæorum: vsus est argentea: vsus & clypeo gemmato inaurato, & hasta

inaurata. Fecit & spathas argenteas, fecit etiam aureas; & omnino quidquid eius pulchritudinem posset iuuare. Fecit & galeas gemmatas; fecit & * bucculas. Hæc sunt quæ de puero sciri & dici decuit. Reliqua qui volet nosse de rebus venereis & amatoriis, quibus eum Cordus aspergit, eumdem legat. Nos enim hoc loco finem libri faciemus, ad alia, vt iubetur velut publico iure, properantes. Omina sane imperii hæc fuerunt. Serpens dormienti caput circumdedit. Posita ab eodem vitis intra annum ingentes vuas purpureas attulit; & miræ magnitudinis facta est. Scutum eius sub sole arsit: Lanceola sic fissa est fulmine, vt tota etiam per ferrum scinderetur, & duas partes faceret: vnde dixerunt aruspices, duos Imperatores non diuturnos ex vna domo, iisdem nominibus futuros. Lorica patris eius non (vt solet) ferrugine, sed tota purpureo colore infecta a plurimis visa est. Filio autem hæc fuerunt. Quum grammatico daretur, * quædam parens sua libros Homericos omnes purpureos dedit, aureis litteris scriptos. Ipse puerulus quum ad cœnam ab Alexandro esset rogatus in patris honorem, quod ei deesset vestis * cœnatoria, ipsius Alexandri accepit. Quum infans esset, subito per publicũ veniente vehiculo Antonini Caracalli, quod vacuum erat, conscendit & sedit; & vix ægreque a mulionibus carrucariis deturbatus est. Nec defuerunt qui cauendum infantem dicerent Caracallo. Tum ille dixit, *Longe est vt mihi succedat iste.* Erat enim illo tempore inter ignobiles, & nimis paruus. Mortis omina hæc fuerunt. Venienti contra Maximum & Balbinum Maximino cum filio, mulier quædam passis crinibus occurrit lugubri habitu, & exclamauit, *Maximini, Maximini, Maximini*: neque quidquam amplius dixit: & mortua est, videbatur enim dicere voluisse, *Succurrite.* Canes circum tentorium eius in secunda mansione vltra duodecim vlularunt, & animam quasi flendo posuerunt; ac prima luce mortui sunt deprehensi. Lupi vrbem quingenti simul ingressi sunt in quam se Maximinus contulerat: plerique dicunt Hemonam, alii Archimeam; certe quæ deserta a ciuibus venienti Maximino patuit. Longum est omnia persequi: quæ qui scire desiderat, is velim (vt sæpe dixi) legat Cordum; qui hæc omnia vsque ad fabellam scripsit. Sepulcra eorum nulla exstant: in profluentem enim cadauera eorũ missa sunt, & capita eorum in campo Martio insultante populo exusta. Scribit AElius Sabinus, (quod prætermittendum non fuit) tantam pulchritudinem oris fuisse in filio, vt etiam caput eius mortui iam nigrum, iam sordens, iam maceratum, defluente tabo, velut vmbra pulcherrima videretur. Denique quum caput Maximini pilo circumferretur, & ex hoc ingens gaudium esset, prope par mœror erat quod & filii caput pariter portaretur. Addit Dexippus, tantum odium fuisse Maximini, vt interfectis Gordianis, viginti viros senatus crearerit, quos opponeret Maximino: e quibus fuerunt Balbinus & Maximus, quos contra eum principes fecerunt. Idem addidit, in conspectu Maximini iam deserti a militibus, * Anolinum præfectum prætorio ipsius & filium eius occisum. Nec desunt historici qui dicant, ipsum Maximinũ, vbi desertus est, & vbi filium interemptum ante oculos suos vidit, manu sua se interfecisse, ne quid ei muliebre contingeret. Prætereundum ne illud quidem est, quod tanta fide Aquileienses contra Maximinum pro senatu fuerunt, vt funes de capillis mulierum facerent quũ deessent nerui ad sagittas emittendas: quod aliquando Romæ dicitur factum. vnde in honorem matronarum templum *Veneri caluæ* senatus dicauit. Sane quod nullo in loco tacendum est, quum & Dexippus & Arrianus & multi alii Græci scripserunt, Maximum & Balbinum Imperatores contra Maximinum factos; Maximum autem cum exercitu missum, & apud Rauennam bellum parasse, Aquileiam autem nisi victorem non vidisse: Latini scriptores non Maximum, sed Pupienum contra Maximinum apud Aquileiam pugnasse dixerunt, eumdemque vicisse. qui error vnde natus sit, scire non possum: * nisi forte idem est Pupienus qui & Maximus. Quod ideo testatum * posui, ne quis me hoc nescisse crederet quod reuera magnum stuporem ac miraculum creat.

IVLII CAPITOLINI
GORDIANI TRES
AD CONSTANTINVM AVGVSTVM.

FVERAT quidem consiliũ, venerabilis Auguste, vt singulos quosque Imperatores exemplo multorum, libris singulis ad tuam clementiam destinarem. nam id multos fecisse vel ipse video tam, vel lectione conceperam. sed improbũ visum est, vel pietatem tuam multitudine distinere librorũ, vel meum laborem plurimis voluminibus occupare. Quare tres Gordianos hoc libro contexui; cõsulens & meo labori, & lectioni tuæ, ne cogereris plurimos codices voluendo, vnam tamen pene historiam lectitare. Sed ne ego qui longitudinem librorum fugi, multitudinemq; verborum, in eam incurrisse videar, quã me vrbane declinare confingo, iam rem aggrediar. GORDIANI non, vt quidam imperiti scriptores loquuntur, duo, sed tres fuerunt. idque docente Arriano scriptore Græcæ historiæ, docente itẽ Dexippo Græco auctore, potuerũt addiscere. qui etiã si breuiter, ad fidẽ tamẽ omnia persequuti sunt. Horũ *Gordianus senior*, id est primus, natus ex patre Metio Marullo, matre * Vlpia Gordiana, originem paternam ex Gracchorũ genere habuit, maternam ex Traiani Imperatoris: patre, auo, proauo, coss. socero, prosocero, & itẽ alio prosocero, & duobos absoceris coss. ipse cos. ditissimus ac potentissimus, Romæ Pompeianam domum possidens, in prouinciis tantum terrarum habens quantum nemo priuatus. Ipse ex consulatu, quem egerat cum Alexandro, ad proconsulatũ Africæ missus est ex senatusconsulto. Sed priusquam de imperio eius loquar, dicam pauca de moribus. Adolescens quum esset Gordianus, de quo sermo est, poemata scripsit, quæ omnia exstant, & cuncta illa quæ Cicero * ex Demetrio & Arato, & Alcyonas, & vxorium, & Nilum. quæ quidem ad hoc scripsit, vt Ciceronis poemata nimis antiqua viderentur. Scripsit præterea quemadmodum Virgilius Æneidos, Statius Achilleidos, & multi alii Iliados: ita etiam ille Antoniniados; hoc est Antoninum Pium, & Antoninũ Marcum; versibus disertissimus, libris xxx, vitam illorũ, & bella, & publice priuatimque gesta perscribens. Et hæc quidẽ puerulus. Postea vero vbi adoleuit, in Athenæo controuersiis declamauit, audientibus etiam Imperatoribus suis. Quæsturam magnificentissime gessit ædilitatis suæ tempore. x i i populo Rom. munera id est per singulos menses singula, de suo exhibuit, ita vt gladiatorum nonnumquam * quingeña paria exhiberet, numquam minus centenis quinquagenis. Feras Libycas vna die centum exhibuit, vrsos vna die mille. Exstat silua eius memorabilis, quæ picta est in domo rostrata Cn. Pompeii, quæ ipsius & patris eius & proaui fuit; quam Philippi temporibus vester fiscus inuasit. In qua pictura etiam nunc continentur cerui palmati ducenti mixtis Britannis: equi feri xxx, oues feræ c, alces x, tauri * Cypriaci c, struthiones Mauri miniati ccc, onagri xxx, apri cl, ibices cc, damæ cc. Hæc autem omnia populo rapienda concessit die muneris quod sextum edebat. Præturam nobilem gessit: post iurisdictionem consulatum primum iniit cum Antonino Caracallo; secundum, cum Alexandro. Filios duos habuit, vnum, consularem, qui cum ipso Augustus appellatus est; qui iuxta Carthaginem in Africa bello absumptus est: & filiam Metiam Faustinam; quæ nupta est Iunio Balbo consulari viro. In * consulatibus clarior fuit sui temporis consulibus; ita vt ei Antoninus inuideret, modo prætextas eius, modo latum clauum, modo circenses vltra imperatorium mirans modum. Palmatam tunicam, & togam pictam, primus Romanorũ priuatus suam propriã habuit; quũ ante Imperatores etiã de Capitolio acciperent vel de palatio. Equos Siculos c, Cappadoces c, permittentibus Imperatoribus, factionibus diuisit. Et per hæc populo satis carus, qui semper talibus commouetur. Cordus dicit, in omnibus ciuitatibus Campaniæ, Etruriæ, Vmbriæ, Flaminiæ, Piceni, de proprio illum per quatriduum ludos scenicos & iuuenalia edidisse. Scripsit & laudes soluta oratione omniũ Antoninorũ qui ante eũ fuerunt. Tan

tum autem Antoninos dilexit, vt sibi quoq;, vt multi dicunt, *Antonini*: vt pleriq; autẽ asserunt *Antonii* nomen adscripserit. Iam illud satis constat quod filium Gordianum nomine Antonini & signo illustrauit, quũ apud præfectũ ærarii more Romano professus filium, publicis actis eius nomen insereret. Post consulatum proconsul Africæ factus est, adnitentibus cunctis qui Alexandri imperiũ etiam in Africa clarũ per proconsulis dignitatẽ haberi atq; esse voluerunt. Exstat epistola ipsius Alexandri, qua senatui gratias agit quod Gordianũ ad Africam procõsulem destinauerit; cuius hoc exemplum est: *Neque gratius mihi quidquã P. C. neque dulcius potuistis efficere, quam vt Antoninũ Gordianum proconsulem ad Africam mitteretis; virum nobilẽ & magnanimum, disertũ, iustũ, continentẽ, bonũ* & reliqua Ex quo apparet quantus vir eo tempore Gordianus fuerit. Amatus est ab Afris ita vt nemo antea proconsulum: ita vt eum alii Scipionem, Catonem alii; multi Mucium, ac Rutilium, aut Lælium dicerent. Exstat eorum acclamatio, quæ a Iunio in litteras relata est. Nam quum quadã die factum imperatorium* legeret, atque a proconsulibus Scipionibus cœpisset, acclamatum est; *Noue Scipioni, vero Scipioni, Gordiano proconsuli.* Hæc & alia frequenter audiuit. Et erat quidem longitudine Romana, canitie decora, & pompali vultu, ruber magis quam cãdidus, facie bene lata; oculis, ore, fronte, verendus: corporis qualitate subcrassulus Moribus ita moderatus, vt nihil possis dicere quod ille aut cupide, aut immodeste, aut nimie fecerit. Affectus suos vnice dilexit: filium & nepotem vltra morem, filiam & neptem religiose. Socero suo Annio Seuero tantum detulit, vt* in familia eius quasi filium migrasse se crederet, vt numquam cum eo* lauerit, numquã illo præsente sederit. Ante præturam cos. quum esset, aut in domo eius semper mansit; aut si in Pompeiana domo, ad illum vel mane vel sero processit. Vini parcus, cibi parcissimus, vestitu nitidus, lauandi cupidus; ita vt & quater & quinquies in die lauaret æstate, in hieme* bis. Somni plurimi; ita vt in tricliniis, si forte apud amicos ederet, etiam sine pudore dormiret: quod videbatur facere per naturam, non per ebrietatem atque luxuriã. Sed boni mores nihil ei profuerunt. Hic enim vita venerabilis, cum Platone semper, cum Aristotele, cum Tullio, cum Virgilio, ceterisque veteribus agens, alium quam merebatur exitum passus est. Nam quum temporibus Maximini hominis sæui atque truculenti, proconsul Africam regeret, eique legatus filius esset a senatu datus, quumque quidam rationalis acrius contra plurimos Afrorum sæuiret quã Maximinus ipse pateretur, proscribens plurimos, interficiens multos, & sibi vltra procurationẽ omnia vindicans; retunsus deinde a procõsule atque legato, quum nobilibus & consularibus viris ipse minaretur, quumque Afri tam insolentes iniurias ferre nequirent, primum ipsum rationalem adiunctis sibi plerisque militibus occiderunt. occiso deinde eo, quũ iam orbis terrarum odio contra Maximinum arderet, cœperunt cogitare quemadmodum inter Maximinos & rusticos vel Afros ortæ inimicitiæ placarentur. Tunc quidã Mauricius nomine, potens apud Afros decurio, iuxta Tysdrum nobilissima post hæc oratione apud plebem in agro suo velut concionabundus est loquutus; *Gratias habeo diis immortalibus, ciues, quod occasionem dederunt, & quidem necessariam, prouidendi nobis contra hominẽ furiosissimum Maximinũ Nos enim qui procuratorem eius moribus & vita consimilẽ occidimus, nisi facto Imperatore salui esse non possumus. Quocirca, si placet, quoniam non longe est nobilissimus vir proconsul cum filio consulari legato, quorum vtrique mortem pestis illa est minata, sublata de vexillis purpura, Imperatores eos dicemus; adhibitisq; insignibus, Romano iure firmabimus.* Tunc acclamatum est; *AEquum est, iustum est: Gordiane Auguste, dii te seruent feliciter. Imperator es: cum filio imperes.* His actis, propere ventum est ad opidum Tysdrum; inuentusque senex venerabilis post iurisdictionem iacens in* lecto: qui circumfusus purpura, humi se abiecit; ac retractans, eleuatus est. Et quum aliud facere nihil posset, euitandi periculi grana, quod a Maximini furoribus haud dubie imminebat, Imperatorem se appellari passus est. Erat autem iam octogenarius, & plurimis prouinciis (vt diximus) ante præfuerat: populo Rom. ita commendatus suis actibus erat, vt toto dignus videretur imperio. Alii quidem, occiso iuuene Gordiano, filio suo. quod Gordianus ante nescierat: sed vbi rem comperit, iam morti vicinus, & filio magis timens, maluit honestas causas habere moriendi, quam dedi vinculis &

carce-

carceri Maximini. Appellato igitur Gordiano Imperatore, iuuenes qui auctores huius facinoris erant, statuas Maximini deiecerunt, imagines perfregerunt, nomen publicitus eraserunt: ipsum etiam Gordianum *Africanum* appellauerunt. Addunt quidam, Africani cognomentum Gordiano idcirco inditum, non quod in Africa imperare cœpisset, sed quod de Scipionum familia originem traheret. In plurimis autem libris inuenio & hunc Gordianum, & filium eius, pariter Imperatores appellatos, & *Antoninos* cognominatos: alii vero *Antonios*. Post hoc Carthaginem ventum cum pompa regali & fascibus laureatis: filiusque legatus patris, exemplo Scipionum, (vt Dexippus Græcæ historiæ auctor est) *gladii potestate succinctus est. Missa deinceps legatio Romam est cum litteris Gordianorum, hæc quæ gesta fuerant in Africa, indicans: quæ per Valerianum principem senatus, qui postea imperauit, gratanter accepta est. Missæ sunt & ad amicos nobiles litteræ, vt homines potentes & rem probarent, & amiciores fierent ex amicis. Sed tanta gratulatione factos contra Maximinum imperatores senatus accepit, vt non solum gesta hæc probarent, sed etiam XX viros eligerent, inter quos erat Maximus siue Pupienus, & Clodius Balbinus: qui ambo Imperatores sunt creati, posteaquam Gordiani duo in Africa interempti sunt. Illos sane XX, senatus ad hoc creauerat, vt diuideret his Italicas regiones contra Maximinum pro Gordianis tuendas. Tunc legationes a Maximino Romam venerunt, abolitionem præteritorum spondentes. Sed vicit Gordianorum legatio, quæ bona omnia pollicebatur, ita vt eidem crederetur: & ingens militibus stipendium, populo agri atque congiaria promissa. Vsqueadeo autem magis Gordianis quam Maximinis est creditum, vt Vitalianus quidam, qui prætorianis militibus præerat, per audacissimos quæstorem & milites iussu senatus occideretur: quod se antea crudeliter egerat, & tunc eius magis immanitas timebatur, amica & familiaris moribus Maximini. de cuius morte hæc fabella fertur. Fictæ sunt litteræ Maximini, signatæ quasi eiusdem annulo, & missi cum quæstore milites qui eas ferrent, addentes, quædam præter litteras secreto esse dicenda. Longam igitur porticum petierunt: & quum ille ea quæ sibi erant secreto dicenda, perquireret, hortantibus vt prius signum inspiceret epistolæ, dum considerat, interemptus est. Persuasum deinde est militibus, iussu Maximini Vitalianum interemptum: peractisque rebus, in castris Gordianorum & litteræ & vultus sunt propositi. Interest vt senatusconsultum, quo Gordiani Imperatores appellati sunt, & Maximinus hostis, litteris propagetur. Non legitimo sed indicto senatus die, COS. iam domi conuentus, cum prætoribus, ædilibus, & tribunis plebis, venit in curiam. Præfectus vrbis, cui nescio quid redoluerat, & qui publicas litteras non acceperat, a conuentu se abstinuit. Sed profuit. nam COS. ante solitas acclamationes, priusquam aliquid in Maximinum feliciter diceretur, ait; *P.C. Gordiani duo, pater & filius, ambo *ex COSS. vnus vester proconsul, alter vester legatus, magno Afrorum consilio Imperatores sunt appellati. Gratias igitur agamus Tysdritanæ iuuentuti, gratias Carthaginensi populo semper deuoto, qui ab immani nos bellua, ab illa fera vindicauerũt. Quid timide auditis? quid circumspicitis? quid cunctamini? hoc est quod semper optastis. Hostis est Maximinus: dii faciant vt esse iam desinat, & Gordiani senis felicitatem atque prudentiam, iuuenis virtutem atque cõstantiam læti experiamur.* Post hæc litteras legit Gordianorũ, ad senatũ & ad se missas. Tunc clamant senatus, *Dii vobis gratias. Liberati ab hostibus sumus, si penitus liberemur. Maximinũ hostem omnes iudicamus. Maximinũ cum filio diis inferis deuouemus. Gordianos Augustos appellamus. Gordianos principes agnoscimus. Imperatores de senatu dii conseruent: imperatores nobiles victores videamus: Imperatores nostros Roma videat. Hostes publicos qui occiderit, præmium merebitur.* Dicit Iunius Cordus istud senatusconsultum fuisse tacitum: quod quale sit, aut quare sic appellatum, breui exponam. Omnino exemplum senatusconsulti taciti non aliud est hodie, quam quod vestra clementia, conuocatis ad interiora maioribus, ea disponit quæ non sunt omnibus publicanda: de quibus adiurare etiam soletis, ne quis ante rem completam quidquam vel audiat vel intelligat. Hunc autem [morem] apud veteres necessitates publicæ repererunt, vt si forte aliqua vis ab hostib. immineret, quæ vel cogeret humilia captare cõsilia, vel aliqua cõstituere quę nõ prius oporteret dici quã effici, vel si nollẽt ad amicos aliqua p-

manare senatusconsultum tacitum fieret: ita vt non scribæ, non * serui publici, non censuales, illis actibus interessent; senatores exciperent, senatores omnium officia censualium scribarumq; complerent; nequid forte proderetur. Factum est ergo senatusconsultum tacitum, ne res ad Maximinum perueniret. Sed statim * ille (vt se habent hominum mentes, eorum dumtaxat qui erubescunt per se ea non agnosci quæ sciunt, & qui humiles se putant si commissa non prodant) omnia comperit Maximinus, ita vt exemplum senatusconsulti taciti acciperet; quod numquã ante fuerat factitatũ. Exstat denique eius epistola ad præf. vrbis talis; *Senatusconsultum tacitũ * vestrorum illorum principum legi, quod præfectus vrbis factũ esse fortasse non nosti. nã nec interfuisti. cuius exemplũ ad te misi, vt scires quomodo Romanã remp. regeres.* Enarrari aũt non potest quæ commotio fuerit Maximini quũ audiuit contra se Africam descinisse. Nam senatus auctoritate percepta, incurrere in parietes, vestem scindere, gladiũ arripere, quasi oẽs posset occidere, prorsus furere videbatur. Præfectus vrbis acceptis litteris a nobilibus, populũ & milites alloquutus est, dicẽs, Maximinũ iã occisum. Ex quo maius fuit gaudiũ; statimq; deiectæ sunt statuæ atq; imagines eius qui hostis fuerat iudicatus. Vsus est sane senatus pendẽte bello potestate qua debuit. Nã delatores, calumniatores, procuratores, & oẽm illam * facẽ Maximinianæ tyrannidis, occidi senatus iussit. Atq; parum fuit quod senatus iudicauerat: illud populi iudiciũ fuit quod occisi tracti sunt, & in eloacam missi. Tunc & præfectus vrbi Sabinus, consularis vir, fuste percussus, occisus, & in publico derelictus est. Hæc vbi cõperit Maximinus, statim cohortatus est milites hoc genere concionis; *Sacrati cõmilitones, immo etiã mei * conscranei, & quorum mecũ plerią; vere militatis, dũ nos in Germania Romanam defendimus maiestatẽ, dum nos Illyricum a barbaris vindicamus, Afri fidẽ Punicã præstiterunt. Nã duos nobis Gordianos, quorũ alter senio ita affectus est vt non possit assurgere; alter ita luxurie perditus, vt debilitatẽ habeat pro senectute; Imperatores fecerunt. Et nec hoc parum est; sed factũ Afrorũ nobilis ille senatus agnouit; & pro quorũ liberis arma portamus, hi contra nos xx viros statuerunt, & oẽs velut contra hostes sententias protulerunt. Quinimmo agite vt viros decet. Properandũ est ad vrbem. Nã & xx viri cõsulares contra nos lecti sunt: quibus resistendum est, nobis fortiter agentibus, vobis feliciter dimicantibus.* Lentas militum mentes, & suorum minus alacres animos, hac concione Maximinus sæpe cognouit. Deniq; statim ad filiũ scripsit, qui longe post sequebatur, vt accelerarct; nequid contra eum se absente milites cogitarent. Litterarum exemplũ tale Iunius Cordus dicit: *Referet ad te stipator meus Tycannius, quæ gesta cognouit vel in Africa vel Romæ referet quæ sint militum mentes. Quæso quantum potes, properes: nequid, vt solet, militaris turba plus faciat. Quid verear ex eo audies quem ad te misi.* Dum hæc aguntur, in Africa contra duos Gordianos Capelianus quidam, Gordiano & in priuata vita semper aduersus, & ab ipso Imperatore iã, quũ Mauros Maximini iussu regeret, veteranus dimissus, cũ lectis Mauris & tumultuaria manu, accepto [a] Gordiano successore, Carthaginẽ petiit; atq; oẽs fide Punica Carthaginensium populos inclinauit. Gordianus tamen, fortunã belli experiri cupiens, filium suum iam natu grandiorem, xl. & vi annus agentem, quẽ tunc legati loco (vt diximus) habuerat, contra Capelianũ & Maximinianos misit; virũ de cuius moribus suo loco dicemus. Sed quũ in re militari & Capelianus esset audacior, & Gordianus iunior non tam expertus; quippe qui nobilitatis deliciis tardabatur; pugna cõmissa vincitur, & in eodẽ bello interficitur. Fertur aũt tanta multitudo Gordiani partiũ in bello cecidisse, vt quũ diu quæsitũ sit corpus Gordiani iunioris, non potuerit inueniri. Fuit præterea ingens, quæ raro in Africa est, tempestas; quæ Gordiani exercitũ ante bellũ ita dissipauit, vt minus idonei milites prœlio fierent, atq; ita facilis esset Capeliani victoria. Hæc vbi comperit senior Gordianus, modicas vires suas, Maximini magnas, instantem Capelianũ, raramq; Punicam fidẽ cõsiderans, & acri dolore percitus, vt vincula etiã hostiũ euitaret, laqueo vitã finiuit, & vitam cũ imperio reliquit. Hic exitus duorũ Gordianorũ fuit: quos ambo senatus Augustos appellauit, & postea inter diuos retulit. Imperauerũt anno vno, mensib. sex.

GORDIANVS IVNIOR.

GORDIANVS IVNIOR hic, Gordiani senis proconsulis Africæ filius, qui cum patre & ab Afris & a senatu Augustus appellatus est, litteris & moribus clarus fuit præter no-

ter nobilitatem: quam, vt nonnulli, ab Antoninis; vt plurimi, ab Antoniis duxit. *Siquidem* argumento ad probandam generis qualitatem, alii hoc esse dixerunt, quod *Africanus* Gordianus senior appellatus est, cognomine Scipionum; quod domum Pompeianam in vrbe habuit, quod Antoninorum cognomine semper est nuncupatus, quod *Antoninum* filium suum ipse significari voluit in senatu: quæ singula videntur familias designare. Sed ego Iunium Cordum sequor; qui dicit ex omnibus his familiis Gordianorum coaluisse nobilitatem. Idem igitur natus patri primus ex Fabia Orestilla * Antonii pronepte: vnde Cæsarum quoque familiam contingere videbatur. Et primis diebus sui natalis *Antoninus* est appellatus: mox in senatu Antonini nomen est editum: vulgo deinde Gordianus haberi cœptus. In studiis grauissimæ opinionis fuit: forma conspicuus, memoriæ singularis, bonitatis insignis; adeo vt semper in scholis, si quis puerorum verberaretur, ille lacrymas non teneret. Sereno Sammonico, qui patri eius amicissimus, sibi autem præceptor fuit, nimis acceptus, & carus vsqueadeo, vt omnes libros Sereni Sammonici patris sui, qui censebantur ad LX & duo milia, Gordiano minori moriens ille relinqueret: quod eum ad cælum tulit. Siquidem tantæ bibliothecæ copia & splendore donatus, in famam hominum * litteratorũ decore peruenit. Quæsturã Heliogabalo auctore promeruit, idcirco quod luxurioso Imperatori lasciuia iuuenis, non tamen luxuriosa neque infamis, prædicata est. Præturam Alexandro auctore vrbanam tenuit: in qua * tantus iurisdictionis gratia fuit, vt statim consulatum quem pater sero acceperat, mereretur. Maximini, seu eiusdem Alexandri, temporibus, ad proconsulatum patris missus legatus, est obsequutus: atque illic ea quæ superius dicta sunt, contigerunt. Fuit vini cupidior, semper tamen vndecumq; conditi, nunc rosa, nunc mastiche, nunc absinthio, ceterisque rebus quibus gula maxime * delectatetur. Cibi parcus; ita vt intra punctum temporis vel prandium, si pranderet; vel cœnam finiret. Mulierũ cupidissimus: habuisse enim decretas sibi concubinas XX & II fertur. Ex quibus omnibus ternos & quaternos filios reliquit. Appellatusq; est *sui temporis Priamus*, quem vulgo iocantes, quod esset naturæ propensioris, *Priapum* non Priamum sæpe vocitarunt. Vixit in deliciis, in hortis, in balneis, in amœnissimis nemoribus. Nec patet aspernatus est; sæpissime dicens, illum quandoque in summa claritate cito esse moriturum. Nec tamen in vita sua fortunæ bonis vnquã degenerauit; semperq; inter illustrissimos fuit; nec ciuibus nec reip. ad consultationem defuit. Denique etiam senatus libentissime illũ Augustum appellauit, atq; in eo spem publicam posuit. Vestitu cultissimus, seruis & omnibus suis carus. Cordus dixit vxorẽ eum numquã habere voluisse. Contra Dexippus putat eius filiũ esse GORDIANVM TERTIVM; qui post hoc cũ Balbino & Pupieno, siue Maximo, puerulus adeptus est imperiũ. Quum senior Gordianus mathematicum aliquando consuleret de genitura huius, respondisse ille dicitur, hunc & filium Imperatoris, & ipsum imperatorem futurum. Et quum senior Gordianus rideret, ostendisse constellationem mathematicum ferunt, & de libris veteribus * dictasse; ita vt probaret se vera dixisse, qui quidem & seni & iuueni, & diem & genus mortis, & loca quibus essent perituri, obstinata constantiæ veritate prædixit. Quæ omnia postea Gordianus senior in Africa iam Imperator, & quando nihil timebat, narrasse perhibetur: de morte quinetiam sua filiique, & de genere mortis dixisse. Cantabat præterea versus senex, quũ Gordianum filiũ vidisset, hos sæpissime; *Ostendent terris hunc tantũ fata, neque vltra Esse sinent. nimiũ vobis Romana propago Visa potens, superi, propria hæc si dona fuissent.* Exstant dicta & soluta oratione & versibus Gordiani iunioris, quæ hodie ab eius affinibus frequentantur, non magna, non minima; sed media, & quæ appareant esse hominis ingeniosi, sed luxuriantis & suũ * deserentis ingeniũ. Pomorũ & olerũ auidissimus fuit; in reliquo ciborum genere parcissimus. adeo vt semper pomorũ aliquid recentiũ deuoraret: frigidorũ percupidus. Nec facile per æstatem nisi frigida, & quamplurimũ, bibit. Et erat corporis vasti: quare magis ad frigida vrgebatur. Hæc de Gordiano iuniore digna memoratu comperimus. non enim nos talia dicere voluimus quæ Iunius Cordus ridicule ac stulte composuit de voluptatibus domesticis ceterisque infimis rebus. quæ qui velit scire, ipsum legat Cordum; qui dicit & quos seruos habuerit vniusquisque

principum, & quos amicos, & quot pænulas quotue chlamydes: quorũ etiam sciẽtia nulli prodest. *Siquidem ea debent in historia poni ab historiographis, quæ aut fugienda sint, aut sequenda.* Sane quidem quod apud Vulcatiũ Terentianum, qui sui temporis scripsit historiã, videtur mirabile, inserendũ censui. Dicit enim Gordianũ seniorem Augusti vultum sic repræsentasse, vt & vocẽ & morem & staturã eiusdem ostentare videretur: filiũ vero, Pompeio simillimũ visum. quamuis Pompeius obesi corporis fuisse denegatur: nepotem aũt, cuius etiã nunc videmus imagines, Scipionis Asiatici [faciem] retulisse. quod pro sui admiratione tacendum esse non credidi.

GORDIANVS TERTIVS.

POST mortem duorum Gordianorum, senatus trepidus & Maximinum vehementius timens, ex viginti viris quos ad remp. tuendam delegerat, Pupienũ siue Maximum, & * Clodiũ Balbinum Augustos appellauit, ambos ex consulibus. Tunc populus & milites Gordianum paruulũ, annos agentẽ, vt pleriq; asserunt, vndecim; vt nonnulli, tredecim; vt Iunius Cordus dicit, sexdecim, (nam vigesimo & secundo anno eum perisse asserit) petiuerunt vt Cæsar appellaretur: raptusq; ad senatum, atque inde in concione positus, indumento imperatorio tectus, Cæsar est appellatus. Hic natus est, vt plures asserunt, ex filia Gordiani; vt vnus aut duo, (nam amplius inuenire non potui) ex filio qui in Africa periit. Cæsar factus, apud matrem educatus est. Et quum exstinctis Maximinis, Maximus etiam & Balbinus militari seditione interempti essent, qui biennio imperauerant, Gordianus adolescens, qui Cæsar eatenus fuerat, a militibus & populo & senatu & omnibus gentibus, ingenti amore, ingẽti studio & gratia, Augustus est appellatus. Amabatur autem merito aui & auunculi, siue patris: qui ambo pro senatu & pro populo Rom. contra Maximinum arma sumpserant, & militari vel morte vel necessitate perierunt. Post hæc veterani ad curiam venerunt, vt discerent quid actum esset. Ex quibus duo ingressi Capitolium, quum illic senatus ageretur, ante ipsam aram, a Gallicano ex consulibus, & Mæcenate ex ducibus, interempti sunt: atq; bellum intestinum ortum est, quum essent armari etiam senatores; ignorantibus veteranis quod Gordianus adolescens solus teneret imperium. Dexippus quidem asseuerat, ex filio Gordiani tertiũ Gordianum esse natum: & posteaquã constitit apud veteranos quoq;, solum Gordianum imperare, inter populũ & milites ac veteranos pax roborata est: & hic finis belli intestini fuit, quũ esset delatus Gordiano puero consulatus. Sed indicium non diu imperaturi Gordiani hoc fuit, quod eclipsis solis facta est, vt nox crederetur, neque sine luminibus accensis quidquã agi posset. Post hæc tamen voluptatibus & deliciis populus Rom. vacauit: vt ea quæ fuerant asperẽ gesta, mitigaret. Venusto & Sabino coss. inita est factio in Africa contra Gordianum tertium, duce Sabiniano: quem Gordianus per præsidem Mauritaniæ obsessum a coniuratis, ita oppressit vt ad eum tradendũ Carthaginem omnes venirent, & crimina cõfitentes, & veniam sceleribus postulantes. Finita igitur sollicitudine in Africa, Gordiano iam iterum & Papiniano coss. bellum Persicum natum est. Quare adolescens Gordianus, priusquam ad bellum proficisceretur, duxit vxorem filiam * Misithei, doctissimi viri; quem caussa eloquentiæ dignum parentela sua putauit, & præfectum statim fecit. post quod, non puerile iam & contemptibile videbatur imperium. siquidem & optimi soceri consiliis adiuuaretur, & ipse pro pietate aliquantulum saperet, nec per spadones ac ministros aulicos matris, vel ignorantiæ conniuentia venderetur. Exstat denique & soceri eius ad eum epistola, & ipsius Gordiani ad socerum; qua intelligitur eius seculum emendatius ac diligentius socero adiuuante perfectum. quarum exemplum hoc est; *Domino filio & Augusto, Misitheus socer & præfectus. Euasisse nos grauem temporum maculam, qua per spadones & per illos qui amici tibi videbantur, (erant autem vehementes inimici) omnia vendebantur; voluptati nobis est, & eo magis quo tibi gratior emendatio est: vt si qua vitia fuerunt, tua non fuisse satis constet, mi fili venerabilis. neque enim quisquam ferre potuit datas eunuchis suffragantibus militum præposituras, negatum laboribus præmium, aut interemptos aut liberatos pro libidine atque mercede quos non decebat: vacuatum ærarium*

per

per eos qui quotidie insidiosissime frequentabant: initas factiones, ut tu deciperis, quum inter se de bonis pessimi quique haberent consilia tibimet suggerenda, bonos pellerent, detestandos insinuarent, oẽs postremo tuas fabulas venderẽt. Diis igitur gratias quod volente teipso emẽdata respub. est. Delectat sane boni esse principis socerũ, & eius qui omnia requirat & omnia velit scire, & qui pepulerit homines per quos antea velut in auctione positus nundinatus est. Item Gordiani ad ipsum; *Imperator Gordianus Augustus Misitheo patri & præfecto. Nisi dii omnipotentes Romanum tuerentur imperium, etiam nunc per emptos spadones velut in hasta positi venderemur. Denique nunc demum intelligo neque Felicem prætorianis cohortibus præponi debuisse, neque* * *Serapammoni quartã legionem credendam fuisse: & ne omnia dinumerẽ, multa non esse facienda quæ feci. Sed diis gratias, quod te insinuante, qui nihil vendis, didici ea quæ inclusus scire non poteram. Quid enim facerẽ quod nos Maurus venderet, & consilio cum Gaudiano & Reuerendo & Montano habito vel laudaret aliquos, vel vituperaret & illorum consensu quasi testium, quod dixerat approbarem? Mi pater, verum audias velim:* Miser est Imperator apud quem vera reticentur: *qui quum ipse publice ambulare non possit, necesse est ut audiat, & vel audita, vel a plurimis roborata confirmet.* His epistolis intellectum est, adolescentem soceri consiliis emendatum atque correctum. Et Misithei quidem epistolam Græcam quidam fuisse dicunt; sed in hanc sententiam. Tantum autem valuit eius grauitas & sanctimonia, vt ex obscurissimo præter nobilitatem, gestis etiam Gordianum clatum principem fecerit. Fuit terræ motus eousque grauis imperante Gordiano, vt ciuitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent: ob quæ, sacrificia per totam vrbem totumque orbem terrarum ingentia celebrata sunt. Et Cordus quidem dicit, inspectis libris Sibyllinis, celebratisque omnibus quæ illic iussa videbantur, mundanum malum esse sedatum. Sedato terræmotu, Prætextato & Attico coss. Gordianus aperto Iano gemino (quod signum erat indicti belli) profectus est contra Persas cum exercitu ingenti, & tanto auro, vt vel auxiliis vel militibus facile Persas vincere posset. Fecit iter in Mœsiam; atque in ipso procinctu, quidquid hostium in Thraciis fuit, deleuit, fugauit, expulit, atque submouit. Inde per Syriam in Antiochiam venit, quæ a Persis iam tenebatur. Illic frequentibus prœliis pugnauit & vicit, Sapore Persarum rege submoto. Et post Artaxerxem Antiochiam recepit, Carras, & Nisibin: quæ omnia sub Persarum imperio erant. Rex sane Persarum tantum Gordianum principem timuit, vt quum instructus esset & suis copiis & nostris, tamen ciuitatibus ipse præsidia sponte deduceret, easque integras suis ciuibus redderet; ita vt nihil quod ad eorum fortunas pertineret, attaminaret. Sed hæc omnia per Misitheum socerum Gordiani, eumdemque præfectum, gesta sunt. Effectum denique est vt Persæ, qui iam in Italia timebantur, in regnum suum pugnante Gordiano redirent, totumque orientem Romana respubl. detineret. Exstat oratio Gordiani ad senatum, qua de rebus gestis scribens, Misitheo præfecto suo & socero ingentes gratias agit: cuius partem indidi, vt ex eo vera cognosceres. *Post hæc P. C. quæ dum iter agimus, gesta sunt, quæ vbique singulis digna sunt actitata; etiam Persas, vt breui multa connectam, ab Antiochensium ceruicibus, quas iam nexas Persico ferro gerebant, & reges Persarum, & leges amouimus. Carras deinde ceterasque vrbes imperio Roman. reddidimus. Nisibin vsque peruenimus: &, si dii fauerint, Ctesiphonta vsque veniemus.* * *Valeat tantum Misitheus præfectus, parens noster, cuius ductu & dispositione & hæc transegimus, & reliqua transigemus. Vestrum est igitur supplicationes decernere, nos diis commendare, Misitheo gratias agere.* His in senatu lectis, quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ sunt, vtpote qui Persas vicisset, vt triumpho Persico triumpharet: Misitheo autem quadriga equorum, & triumphalis currus, & titulus huiusmodi, MISITHEO EMINENTI VIRO, PARENTI PRINCIPVM, PRAETORII PRAEFECTO ET TOTIVS VRBIS, TVTORI REIP. S. P. Q. R. VICEM REDDIDIT. Sed ista felicitas longior esse non potuit. Nam Misitheus, quantum plerique dicunt, artibus Philippi, qui post eũ præfectus prætorii est factus; vt alii, morbo exstinctus est, herede Rom. rep. vt quidquid eius fuerat, vectigalib. vrbis accederet. Cuius viri tanta in rep. dispositio fuit, vt nulla esset vnquã* ciuitas limitanea potior, quæ non posset exercitum populi Rom. ac principem ferre, quę totius anni in aceto,

frumento, & larido, atque hordeo & paleis, condita non haberet: minores vero vrbes, aliæ xxx dierum, aliæ xl, nonnullæ duorum mensium: quę minimum, xv dierũ. Idẽ quum esset præfectus, arma militum semper inspexit. Nullum senẽ militare passus est; nullum puerũ annonas accipere. Castra omnia * fossato circuibat, noctibus etiam plerũque vigilias frequentabat. Amabaturq; ab omnibus, quod sic & remp. amaret, & principem. Tribuni eum & duces vsqueadeo timuerunt & amauerunt, vt neque vellent peccare, neq; vlla ex parte peccarent. Philippus eum propter pleraque vehementer timuisse fertur, atque ob hoc per medicos insidias eius vitæ parasse, & quidem hoc genere: Quũ effusione alui Misitheus laboraret, atque a medicis sistendi ventris gratia poculum iuberetur accipere, mutatis quę fuerant, id fertur datũ quo magis solueretur: atque ita exanimatus est. Quo mortuo, * Apriano & Papo coss. in eius locum præfectus prætorii factus est Philippus Arabs, humili genere natus, sed superbus: qui se in nouitate atque enormitate fortunæ non tenuit: ita vt statim Gordiano, qui eum in locum patentis asciuerat, insidias per milites faceret: quæ tales fuerunt. Misitheus tantum quantum diximus, habuerat conditorum, vt vacillare dispositio Romana non posset. Verum artibus Philippi primum naues frumentariæ sunt auersæ: deinde in ea loca deducti sunt milites, in quibus annona haberi non posset. Hinc Gordiano infestos milites statim reddidit, non intelligentes artibus Philippi iuuenem esse deceptum. Sed Philippus etiam addidit, vt rumorem per milites spargeret, adolescentem esse Gordianum, imperium non posse regere: melius esse illum imperare qui militem * gubernaret, qui rempublicam sciret. Corrupit præterea etiam principes, effectumque vt palam Philippus ad imperium posceretur. Amici Gordiani primum vehementissime resistebant. Sed quum milites fame vincerentur, imperium Philippo mandatum est, iussumque a militibus vt quasi tutor eius Philippus cum eodem Gordiano pariter imperaret. Suscepto igitur imperio, quum & Philippus se contra Gordianum superbissime ageret, & ille se Imperatorem atque Imperatorum prolem & virum nobilissimæ familiæ recognosceret, nec ferre posset improbitatem hominis ignobilis, apud duces & milites, astante præfecto Metio Gordiano, affine suo, in * tribunali processit, sperans posse imperium Philippo abrogari. Sed hac conquestione nihil egit, quum illum incusasset quod immemor beneficiorum eius, sibi minus gratus exsisteret. Et quum milites rogasset, quum aperte duces ambisset, factione Philippi minor apud omnes fuit. Denique quum se videret minorem haberi, petiit vt æquale saltem inter eos esset imperium; nec impetrauit. Dehine petiit vt loco Cæsaris haberetur; nec id obtinuit. Petiit etiam vt præfecti loco esset Philippo: quod & ipsum negatum est. Vltimæ preces fuerunt, vt eum Philippus pro duce haberet, & pateretur viuere. Ad quod quidem pene consenserat Philippus, ipse tacitus; sed omnia per amicos agens nutibus atque consiliis. Verum quum secum ipse cogitaret amorem populi Romani & senatus circa Gordianum, & totius Africæ ac Syriæ, totiusque orbis Romani, quũ & nobilis esset, & nepos ac filius Imperatorum, & bellis grauibus totam rempublicam liberasset: posse fieri vt factione quandoque militum Gordiano redderetur imperium, quum recentes in Gordianum iræ militum famis caussa vehementes essent; clamantem ante conspectum duci iussit, ac spoliari & occidi. quod quum primum dilatum esset, post, vt iussit, impletum est. Ita Philippus impie, non iure obtinuit imperium. Imperauit Gordianus annis sex. Et dum hæc agerentur, Argunthis, Scytharum rex, finitimorum regna vastabat, maxime quod comperetat Misitheum perisse, cuius consilio respubl. fuerat gubernata. Philippus autem, ne a crudelitate nancisci videretur imperium, Romam litteras misit, quibus scripsit Gordianum morbo perisse, seque a cunctis militibus electum. Nec defuit vt senatus de his rebus quas non nouerat, falleretur. Appellato igitur principe Philippo, & Augusto nuncupato, Gordianum adolescentem inter deos retulit. Fuit iuuenis lætus, pulcher, amabilis, gratus omnibus, in vita iucundus, in litteris nobilis: prorsus vt nihil præter ætatem deesset imperio. Amatus est a populo, & senatu, & militibus ante Philippi factionem, ita vt nemo principum. Cordus dicit, omnes milites eum filium appellasse, ab omni senatu filium dictum, omnẽ populum delicias suas Gordianum dixisse. Deniq; Philippus, quũ eum

inter-

interfeciſſet, neque imagines eius tolleret, neque ſtatuas deponeret, neque nomen abtaderet; ſed diuum ſemper appellans etiam apud ipſos milites, cum quibus factionem fecerat, ſerio animo & peregrina calliditate veneratus eſt. Domus Gordianorum etiam nunc exſtat, quam iſte Gordianus pulcerrime exornauit; & villa eorũ via Prænestina, ducentas columnas vno periſtylo habens, * quatum L Caryſteæ Claudianæ, L Synnades, L Numidicæ, pari menſura ſunt. in qua baſilicæ centenariæ tres: cetera huic operi conuenientia; & thermæ quales præter vrbem, vt tunc, nuſquam in orbe terrarum. Familiæ Gordiani hoc ſenatus decreuit, vt * a tutelis atque legationibus & a publicis neceſſitatibus, niſi ſi vellent, poſteri eius ſemper vacarent. Opera Gordiani Romæ nulla exſtant, præter quædam nymphæa & balneas. Sed balneæ * priuati hominis fuerunt, & ab eo in vſum priuatum exornatæ ſunt. Inſtituerat porticum in campo Martio ſub colle, pedum mille; ita vt ab altera parte æque mille pedum porticus fieret, atque inter eas * pateret ſpatium pedum quingentorum: cuius ſpatii hinc atque inde viridaria eſſent, lauro, myrto & buxo frequentata: medium vero lithoſtrotum breuibus columnis altrinſecus poſitis, & ſigillis per pedes mille: quod eſſet deambulatorium: ita vt in capite baſilica eſſet pedum quingentorũ. Cogitauerat præterea cum Miſitheo, vt poſt baſilicam, thermas æſtiuas ſui nominis faceret; ita vt hiemales in principio * porticus poneret, & ſuo vſui eſſent vel viridaria vel porticus. Sed hæc omnia nunc priuatorum & poſſeſſionibus & hortis & ædificiis occupata ſunt. Fuerunt ſub Gordiano Romæ elephanti xx & II: (quorum ipſe XII miſerat, Alexander x) alces x, tigres x, leones manſueti LX, leopardi manſueti XXX, * belbi (id eſt hyænæ) x: gladiatorum fiſcalium paria mille: hippopotamus & rhinoceros vnus: * archoleontes x, camelopardali x, onagri xx, equi feri XL: & cetera huiuſmodi animalia, innumera & diuerſa: quæ omnia Philippus ludis ſecularibus vel dedit vel occidit. Has autem omnes feras manſuetas, & præterea efferas, parabat ad triumphum Perſicum. Sed votum publicum nihil valuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit ſecularibus ludis & muneribus atque circenſibus, quum milleſimum ab vrbe condita annum in conſulatu ſuo & filii ſui celebrauit. Quod de Cæſare memoriæ traditum eſt, hoc etiam de Gordiano Cordus euenisse perſcribit. Nam omnes quicumque illum gladio appetiuerunt, (qui nouẽ fuiſſe dicuntur) poſtea * interemptis Philippis, ſua manu ſuiſq; gladiis, & iisdem quibus illum percuſſerant, interiiſſe dicuntur. Trium igitur Gordianorum hæc fuit vita, qui omnes Auguſti appellati ſunt; duobus in Africa interemptis, in Perſidis finibus tertio. Gordiano ſepulcrum milites apud * Circeium caſtrum fecerunt in finibus Perſidis, titulum huiuſmodi addentes, & Græcis & Latinis, & Perſicis, & Iudaicis, & AEgyptiacis litteris, vt ab omnibus legeretur: DIVO GORDIANO VICTORI PERSARVM, VICTORI GOTTHORVM, VICTORI SARMATARVM, DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM, VICTORI GERMANORVM: SED NON VICTORI PHILIPPORVM. quod ideo videbatur additum, quia in campis Philippis ab Alanis tumultuario prœlio victus abſceſſerat: ſimul etiam quod a Philippis videbatur occiſus. Quem titulum euertiſſe Licinius dicitur eo tempore quo eſt nactus imperium, quũ ſe vellet videri a Philippis originem trahere. Quæ omnia, Conſtantine maxime, idcirco ſum perſequutus, ne quid tuæ cogitationi deeſſet quod dignum ſcientia videretur.

IVLII CAPITOLINI
MAXIMVS ET BALBINVS.

INTEREMPTIS in Africa Gordiano ſeniore cum filio, quum Maximinus, ad vrbem furens veniret, vt, quod Gordiani Auguſti appellati fuerant, vindicaret, ſenatus pertrepidus in ædem Concordiæ VII Calend. Iunii concurrit, ludis Apollinaribus, remedium contra furorem hominis improbiſſimi requirens. Quum igitur duo cõſulares, & eminentes quidem viri, Maximus & Balbinus,

quorum Maximus a plerisque in historia reticetur, & loco eius Pupieni nomẽ infertur: quũ & Dexippus & Arabianus Maximum & Balbinũ dicant electos contra Maximinũ post Gordianos; quorũ alter bonitate, virtute alter ac seueritate, clari habebantur) ingressi essent curiam, ac * præ se timorẽ Maximini aduentu ferrent ostenderentque, referẽte cos. de aliis rebus, qui primam sententiã erat dicturus, sic orsus est; *Minora nos sollicitant, & prope aniles res feruentissimo tẽpore tractamus in curia. Quid enim opus est de restitutione templorum, de basilicæ ornatu, de thermis Titianis, de exædificatione amphitheatri agere: quũ immineat Maximinus, quem hostem mecũ ante dixistis: Gordiani duo, in quib. præsidium fuerat, interempti sint, neque in præsenti ullum sit auxiliũ quo respirare possimus? Agite igitur P. C. principes dicite quid moramini? ne, dũ singulatim pertimescitis, in timore potius quam in virtute opprimamini.* Post hæc tacentibus cunctis, quum Maximus, qui & natu grandior erat & meritis, & virtute ac seueritate clarior, dicere sententiam cœpisset, qua ostenderet duos principes esse faciendos, Vectius Sabinus ex familia Vlpiorum, rogato consule vt sibi dicere atque interfari liceret, sic orsus est; *Scio P. C. hanc rebus nouis inesse oportere constantiam, vt rapienda sint consilia, non quærenda: verbis quinetiam plurimis abstinendum sit atque sententiis, vbi res perurgẽt. Ceruices suas quisque respiciat, vxorem ac liberos cogitet, auitas patriasque fortunas: quibus omnibus imminet Maximinus, natura furiosus, truculentus, immanis, causa vero (vt sibi videtur) satis iusta, truculẽtior. Ille quadrato agmine, castris vbique positis, ad vrbẽ tendit: vos sedendo & consultãdo diem teritis. Longa oratione opus nõ est. faciendus est imperator; immo faciendi sunt principes: vnus, qui res domesticas; alter, qui bellicas curet: vnus, qui in vrbe resideat, alter, qui obuiam cum exercitu latronibus pergat. Ego principes dico, vos firmate, si placet: sin minus, meliores ostendite Maximũ igitur atque Balbinum. quorũ vnus in re militari tantus est, vt nobilitatẽ generis splendore virtutis allexerit: alter, ita clarus nobilitate est, vt & morũ lenitate reip. sit necessarius, & vitæ sanctimonia, quam a prima ætate in studiis semper ac litteris tenuit Habetis sententiam P. C. mihi fortasse periculosiorẽ quã vobis sed nec vobis satis tutam, si non aut alios aut hos principes feceritis.* Post hæc acclamatum est vno consensu, *Æquũ est, iustum est. sententia Sabini oẽs consentimus. Maxime & Balbine Augusti, dii vos seruent: dii vos principes fecerunt, dii vos conseruent. Vos senatum a latronib. vindicate; vobis bellum contra latrones mandamus. Hostis publicus Maximinus cum filio pereat, hostem publicum vos persequimini. Felices vos iudicio senatus: felicem remp. vestro imperio. Quod vobis senatus detulit, fortiter agite: quod vobis senatus detulit, libenter accipite.* His atque aliis acclamationibus Imperarores facti sunt Maximus atque Balbinus. Egressi igitur a senatu, primum Capitolium ascenderunt, ac rem diuinam fecerunt. Sed dum in Capitolio rem diuinam faciunt, populus Rom. imperio Maximi contradixit. timebant enim seueritatem eius homines vulgares. Quare factum est vt Gordianum adolescentulum principem peterent: qui statim factus est: nec prius permissi sunt ad palatium stipati armis ire quam nepotem Gordiani, Cæsaris nomine nuncuparent. Deinde ad rostra populum conuocarunt. Vbi quum orationem de senatus sententia & de sua electione habuissent, populus Roman. cum militibus qui forte conuenerant, acclamauit; *Gordianum Cæsarem omnes rogamus.* Hic nepos erat Gordiani ex filia, vt quidam; vel, vt alii, ex filio qui est in Africa occisus; annum agens ætatis XIIII, vt plerique dicunt: qui statim raptus est; & nouo genere senatusconsulti, quũ eadem die senatuscons. factum esset, inductus in curiam, Cæsar est appellatus. Prima igitur relatio principum fuit, vt duo Gordiani diui appellarentur. Aliqui autem vnum putant appellatum, seniorem videlicet: sed ego libris quos Iunius Cordus affatim scripsit, legisse memini, ambos in deos relatos. siquidem senior laqueo vitam finiuit: iunior autem, in bello consumptus est; qui vtique maiorem meretur reuerentiam, quod eum bella rapuere. Post has igitur relationes præfectura vrbis in Sabinum collata est, virum grauem, & Maximi moribus congruentem: prætoriana, in Pinarium Valentem. Sed prius quam de actibus eorum loquar, placet aliqua dicere de moribus atque genere; non eo modo quo Iunius Cordus est prosequutus omnia, sed illo quo Suetonius Tranquillus & Valerius Marcellus: quamuis Curius * Fortunatianus, qui omnem hanc historiam perscripsit, plura * congerit: Cordus vero tam multa vt etiam pleraque & minus honesta perscripserit.

pserit. MAXIMO pater fuit Maximus, vnus e plebe; vt nonnulli dicunt, faber ferrarius: vt alii, rhedarius vehicularius fabricator. Hunc suscepit ex vxore Prima nomine. cui fratres quamor viri fuerunt, & quatuor puellæ: qui omnes in pubertate interierunt. Nato Maximo, carnem bubulam, & quidem multam, aquila in cellam eorum proiecisse fertur, quæ angusto patebat impluuio: eam denique quum iaceret, nec quisquam attingere auderet religionis timore, iterum sustulisse, & in proximum facellum quod erat Iouis Præstitis, detulisse. Id eo tempore nihil visum est ominis habere: sed non sine causa factum, probauit imperium. Pueritiam omnem in domo patrui Pinatii fecit: quem statim ad præfecturam prætorii subuexit vbi factus est Imperator. Operam grammatico, rhetori non multam dedit. siquidem semper virtuti & militari seueritati studuit. Attamen militaris tribunus fuit, & multos egit numeros; & postea præturam, sumptu * Pescenninæ Marcellinæ, quæ illum loco filii susceperat & aluerat. Inde proconsulatum Bithyniæ egit, & deinceps Græciæ, ac tertio Narbonæ. Missus præterea legatus, Sarmatas in Illyrico contudit. atque inde translatus ad Rhenum, rem contra Germanos satis feliciter gessit. Post hæc præfectus vrbis prudentissimus, ac ingeniosissimus, & seuerissimus approbatus est. Quare veluti senatus ei homini, quod non licebat, nouæ familiæ, imperium tamen detulit, confessis omnibus eo tempore in senatu aptiorem non esse qui deberet principis nomen accipere. Et quoniam etiam minora plerique desiderant, fuit cibi auidus, vini parcissimus, ad rem veneream nimis ratus, domi forisque semper seuerus; ita vt & *Tristis* cognomen acciperet. Vultu grauissimus, & verecundus, statura procerus, corporis qualitate sanissimus, moribus aspernabilis, attamen iustus; neque vmquam vsque ad exitum negotiorum vel inhumanus vel inclemens. Rogatus semper ignouit, nec iratus est nisi vbi eum irasci decuit. Factionibus se numquam præbuit, iudicii tenax fuit, neque aliis potius quã sibi credidit. Quare & a senatu multũ dilectus est, & a populo timori habitus: siquidem sciebat populus eius censoriam præfecturã, quã videbat posse in imperio vehementius conualescere. BALBINVS, nobilissimus, & iterum cos. rector prouinciarũ infinitarum. Nam & Asiam, & Africam, & Bithyniam, & Galatiam, & Pontum, & Thracias, & Gallias, ciuilibus administrationibus rexerat, ducto nonnumquam exercitu: sed rebus bellicis minor fuerat quam ciuilibus; attamen bonitate, nimia sanctitate ac verecundia ingentem sibi amorem conciliauerat. Familiæ vetustissimæ, vt ipse dicebat, a Balbo Cornelio Theophane originem ducens, qui per Cn. Pompeiũ ciuitatem meruerat, quum esset suæ patriæ nobilissimus, idemque historiæ scriptor. Statura æque procerus, corporis qualitate conspicuus, in voluptatibus nimius; * quẽ quidem adiuuabat diuitiarum abundantia. nam erat a maioribus diues, & multa hereditatibus per se ipse collegerat. Eloquentia clarus, poemata inter sui temporis poetas plurima fecit, præcipiti vsu. Vini, cibi, rei veneriæ auidus, vestitu cultus: nec quidquam defuit quod illum populo non commendabilem redderet. Amabilis etiam senatui fuit. Hæc de vtriusque vita comperimus. Denique nonnulli, quemadmodum Catonem & Cæsarem Sallustius comparat, ita hunc quoque comparandum putant, vt alterum seuerum, clementem alterum, bonum illum, istum constantem, illum nihil largientem, hunc affluentem copiis omnibus dicerent. Hæc de moribus atque genere. Decretis ergo omnibus imperatoriis honoribus atque insignibus, percepta tribunitia potestate, iure proconsulari, pontificatu maximo, patris etiam patriæ nomine, meruerunt imperium. His gestis, celebratisque sacris, datis ludis scenicis ludisque circensibus, gladiatorio etiam munere, Maximus susceptis votis in Capitolio, ad bellum contra Maximinum missus est cum exercitu ingenti, prætorianis Romæ manentibus. Vnde autem mos tractus sit vt proficiscentes ad bellum Imperatores, munus gladiatorium & venatus darent, breuiter dicendum est. Multi dicunt, apud veteres hanc deuotionem contra hostes factam, vt ciuium sanguine litato specie pugnarum, se Nemesis, id est vis quædam fortunæ, satiaret. Alii hoc litteris tradunt, (quod verisimilius credo) ituros ad bellum Romanos debuisse pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & * nudas inter se cohortes; ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut [vulnera] & sanguinem perbor-

referrent. Et Maximo quidem ad bellum profecto, Romæ prætoriani remanserunt. Inter quos & populum tanta seditio fuit vt ad bellum intestinum veniretur, vrbis Romæ pars maxima incenderetur, templa fœdarentur, omnes plateæ cruore polluerentur, quum Balbinus homo senior seditionem sedare non posset. Nam & in publicum processit, manus singulis quibusque tenuit, & pene ictum lapidis passus est. Alii dicunt etiam fuste percussum esse, neque sedasse tumultum, nisi infantem Gordianum purpuratum ad populum, longissimi hominis collo superpositum, produxisset. Quo viso, populus & milites vsqueadeo placati sunt, vt amore illius in concordiam redirent. Neque vmquam quisquam in illa ætate sic amatus est, merito aui & auunculi, seu patris, vt quidam dicunt, qui pro populo Romano contra Maximinum in Africa vitam finierant. Tantum apud Romanos memoria bonarum rerum valet. Maximo igitur ad bellum profecto, senatus per omnes regiones, consulares, prætorios, quæstorios, ædilitios, tribunitios etiam viros misit: ita vt vnaquæque ciuitas frumentum, arma, & propugnacula & muros pararet; vt per singulas vrbes Maximinus fatigaretur. Iussum tunc tamen vt omnia ex agris in ciuitates colligerentur; nequid hostis publicus inueniret. Scriptum est præterea ad omnes prouincias missis frumentariis; iussumque vt quicumque Maximinum iuuisset, in hostium numero duceretur. Inter hæc Romæ iterum seditiones inter populum & milites ortæ sunt. Et quum mille edicta Balbinus proponeret nec audiretur, veterani se in castra prætoria contulerunt cum ipsis prætorianis: quos cœpit populus obsidere: nec vmquam ad amicitiam essent redacti, nisi fistulas aquarias populus incidisset. In vrbe autem priusquam dictum esset milites pacatos venire, & tegulæ de tectis iactæ sunt; & omnia quæ domibus erant vasa, proiecta. atque ideo maior pars ciuitatis periit, & multorum diuitiæ. nam latrones se militibus miscuerunt ad vastanda ea quæ norant vbi reperirent. Quum hæc Romæ geruntur, Maximus siue Pupienus apud Rauennam bellum parabat ingenti apparatu, timens vehementissime Maximinum: de quo sæpissime dicebat, se non contra hominem, sed contra Cyclopem bellum gerere. Et Maximinus quidem apud Aquileiam ita victus est, vt a suis occideretur: caputque eius & filii perlatum est Rauennam; quod a Maximo Romam transmissum est. Non tacenda hoc loco deuotio est Aquileiensium pro Romanis; qui etiam crines mulierum pro neruis ad sagittas emittendas totondisse dicũtur. Tãtum sane lætitiæ fuit in Balbino, qui plus timebat, vt hecatomben faceret, statim vt Maximini caput allatum est. **Hecatombe* autem tale sacrificium est: centum aræ vno in loco cespititiæ exstruuntur, & ad eas centum sues, centum oues mactantur. Nam si imperatorium sacrificium sit, centum leones, centum aquilæ, & cetera huiusmodi animalia centena feriuntur. Quod quidem etiam Græci quondam fecisse dicuntur, quum pestilentia laborarent: & a multis Imperatoribus id celebratum constat. His igitur peractis, Balbinus cum summa gratulatione Maximum redeuntem e Rauenna cum exercitu integro & copiis exspectabat. siquidẽ Maximinus ab oppidanis Aquileiensibus, & paucis qui illic erant militibus, ac Crispino & * Menophilo consularibus, qui a senatu missi fuerant, victus est. Ipse autem Maximus Aquileiam idcirco accesserat, vt omnia tuta & integra vsque ad Alpes relinqueret; ac si quæ essent barbarorum qui Maximino *fauerant reliquiæ, compesceret. Missi sunt denique ad eum legati senatores XX: quorum nomina sunt apud Cordum, (in his consulares IIII, prætorii VIII, quæstorii VIII) cum coronis * & senatusconsulto, in quo ei statuæ auratæ equestres decernebantur. Ex quo quidem Balbinus subiratus est; dicens, Maximum minus quam eum laborasse, quum ipse domi tanta bella compressisset, ille autem otiosus apud Rauennam resedisset. Sed tantum valuit bellum Maximo, *quia profectus est contra Maximinum, vt etiam victoria decerneretur; quam impletam ille nesciuit. Exercitu igitur suscepto Maximini, ad vrbem cum ingenti pompa & multitudine Maximus venit; mœrentibus militibus, quod eum Imperatorem quem ipsi delegerant, perdiderant, & eos habebant quos senatus legerat. Nec dissimulari poterat mœror; quia apparebat in frontibus singulorum; & iam quidem nec verbis abstinebatur: quamuis Maximus & apud milites sæpe dixisset, obliuionem præte-

præteritorum esse debere, & stipendia magna donasset, & auxilia in ea loca quæ delegerant, dimisisset. *Sed animi militum semel imbuti odio, refrenari nequeunt.* Denique quum audissent senatus acclamationes quæ milites tangerent, acriores cõtra Maximinum & Balbinum extiterunt, secum quotidie cogitantes quos Imperatores facere deberent. Senatusconsulti autẽ, quo moti sunt, hæc forma est. Quum ingredienti vrbem Maximo Balbinus & Gordianus & senatus & populus Rom. obuiã processissent, acclamationes primum publicæ fuerunt quæ milites contingerent: inde in senatum itum est: vbi post illa quæ communia solent esse festa, dictum est; *Sapienter electi principes, sic agunt; per imperitos electi principes, sic pereunt*: quũ constaret a militibus factum esse Maximinũ, Balbinum autẽ & Maximum a senatoribus. His auditis, milites grauius sæuire cœperunt in senatum, præcipue qui sibi triumphare de militibus videbatur. Et Balbinus quidẽ cum Maximo vrbem cum magna moderatione, gaudente senatu & populo Rom. regebant; senatui plurimũ deferebant, leges optimas condebant, moderate caussas audiebant, res bellicas pulcherrime disponebant. Et quum iam paratũ esset vt contra Parthos Maximus proficisceretur, Balbinus cõtra Germanos, puer aũt Gordianus Romæ remaneret, milites occasionẽ quærentes occidendorũ principũ, quũ primo inuenire vix possent, quia Germani stipabant Maximum atque Balbinum, quotidie ingrauescebant. Et erant quidem discordiæ inter Balbinum & Maximum, sed tacitæ, & quæ intelligerentur potius quam viderentur: quũ Balbinus Maximũ quasi ignobilem contẽneret, Maximus Balbinum quasi debilem calcaret. Quare occasio militibus data est, intelligentibus *facile discordes Imperatores posse interfici.* Ludis denique scenicis quum multi & milites & aulici occupati essent, & in Palatio soli cum Germanis principes remãsissent, impetum in eos fecerũt. Turbantibus igitur militibus, quũ primum nuntiatum esset Maximo, turbã illã tempestatemq; vix euadi posse nisi ad Germanos mitteretur, & forte in alia parte Palatii Germani cum Balbino essent, mittit ad Balbinum Maximus, petens vt ei præsidium mitteret. Sed ille suspicatus quod cõtra se eos peteret, quem putabat monarchiam velle, primum frustratus est, deinde vsque ad litem peruentum est. In hac* tamen seditione illis contendentibus milites superuenerunt, atque ambos eos nudatos vestibus regalibus, de Palatio cum iniuriis produxerunt, & per mediam ciuitatem ad castra raptare voluerunt, magna ex parte laniatos. Sed vbi compererunt Germanos ad defensionem illorum superuenire, ambos occiderunt, & in itinere medio reliquerunt. Inter hæc Gordianus Cæsar * sublatus a militibus, Imperator est appellatus, id est Augustus; quia non erat alius in præsenti; insultantibus militibus senatui & populo, qui se statim in castra receperunt. Germani sane, ne sine causa pugnarent, occisis iam Imperatoribus suis, extra vrbem vbi suos habebant, se contulerunt. Hunc finem habuerunt boni Imperatores, indignum vita & moribus suis. Nam neque Maximo siue Pupieno fortius, neque Balbino benignius fuit quidquam: quod re ipsa intelligi potest. Neque enim, quum esset potestas, malos senatus eligeret. Huc accedit quod multis honoribus ac potestatibus explorati sunt; quum alter bis cos. & præfectus; alter, cos. & præfectus, ad imperium longæui peruenissent, amabiles senatui, & populo etiam, quia Maximinum * iam leuiter pertimescebant. Hæc sunt quæ de Maximo ex Herodiano Græco scriptore magna ex parte collegimus. Sed multi non Maximo, verum a Pupieno Imperatore apud Aquileiam Maximinum esse victum dixerunt; & ipsum cũ Balbino esse occisum: ita vt Maximi nomen præterirent. Tanta est aũt historicorum inter se errantiũ imperitia, vel vsurpatio, vt multi eumdem Maximũ quem Pupienum velint dici; quũ Herodianus vitæ suæ temporũ scriptor Maximũ dicat, non Pupienum: quum & Dexippus Græcorum scriptor, Maximũ & Balbinũ Imperatores dicat factos cõtra Maximinũ post Gordianos duos, & a Maximo victũ Maximinum, non a Pupieno. His accedit alia scriptorum imperitia, qui præfectum prætorii fuisse Gordianum paruulum dicũt; ignotantibus multis collo sæpe vectum vt militibus ostenderetur. Imperarunt autem Maximus & Balbinus anno vno; quum Maximinus imperasset cum filio, vt quidam dicunt, per triennium; vt alii, per biennium. Nec reticendum est quod Maximus, quum & sibi & Balbino deferretur iudicio senatus imperium, Balbino dixisse fertur,

(vt Herodianus dicit) *Quid tu Balbine, & ego merebimur, quum hanc tam immanem belluam exitio dederimus?* Quumque Balbinus dixisset, *Senatus populique Romani feruentissimum amorem & orbis terrarum*; dixisse fertur Maximus, *Vereor ne militum odium sentiamus, & mortem.* Domus Balbini etiam nunc Romæ ostenditur in Carinis, magna & potens, & ab eius familia hucusque possessa. Maximus quem Pupienum plerique putant, summæ tenuitatis, sed virtutis amplissimæ fuit. Sub his pugnatum a Carpis contra Mœsos fuit, & Scythici belli principium, & Histriæ excidium eo tempore: vt autem Dexippus dicit, Histricæ ciuitatis. Dexippus Balbinum satis laudat, & dicit forti animo militibus occurrisse, atque interfectum: vt mortem nõ timeret, quem in omnibus disciplinis instructum fuisse dicit. Maximum vero negat eiusmodi virum fuisse qualem Græci plerique dixerunt. Addidit præterea, contra Maximinum Aquileiensium odium fuisse, vt de crinibus mulierum suarum arcubus neruos facerent, atque ita sagittas emitterent. Dexippus & Herodianus, qui horum principum historiam persequuti sunt, Maximum & Balbinum fuisse principes dicunt, delectos a senatu contra Maximinum post interitum duorum Gordianorum in Africa, cum quibus etiam puer, tertius Gordianus, electus est. Sed apud Latinos scriptores plerosque Maximi nomen non inuenio, & cum Balbino Pupienum Imperatorem reperio: vsqueadeo vt idem Pupienus cum Maximino apud Aquileiam pugnasse dicatur; quum, memoratis historicis asserentibus, ne Maximus quidem contra Maximinum pugnasse doceatur, sed resedisse apud Rauennam, atque illic patratam audisse victoriam, vt mihi videatur idem esse Pupienus, qui Maximus dicitur. Quare etiã gratulatoriam epistolam subdidi, quæ scripta est a cos. sui tẽporis de Pupieno & Balbino, in qua lætatur redditam ab his post latrones improbos esse rempubl. *Pupieno & Balbino Augustis* Claudius Iulianus. Quum primum Iouis opt. max. & deorum immortaliũ senatusque iudicio, & consensu generis humani, suscepisse vos remp. a nefariis latronis scelere seruandam reddendamque Romanis legibus, domini sanctissimi & inuictissimi Augusti, quãquam nondum ex vestris litteris, sed tamen ex scripto quod [ad me] V. C. Celsus AElianus collega transmiserat, comperissem: gratulatus sum vrbi Romæ, cuius ad salutem estis electi: gratulatus senatui, cuius pro iudicio quod in vos habuit, reddidistis pristinam dignitatem: gratulatus Italiæ, quam cũ maxima ab hostibus vastatione defendistis: gratulatus prouinciis, quas inexplebili auaritia tyrannorum laceratas ad spem salutis reduxistis. denique legionibus ipsis & auxiliis, quæ vbique terrarum iam vultus vestros adorant, qui deposito dedecore pristino, nunc in vestro nomine dignam Romani principatus speciem receperunt. Quocirca nulla vox fortis, nulla oratio felix, nullum ingenium tam fæcundum vmquam fuerit, quod possit publicam felicitatem digne exprimere. Quæ quanta & cuiusmodi sint, iam in ipso exordio principatus vestri cognoscere potuimus qui leges Romanas, æquitatemque abolitam, & clementiam quæ iam nulla erat, & vitam, & mores, & libertatem & spem successionum atque heredum reduxistis. Hæc enumerare difficile est, nedum prosequi consentanea dicendi dignitate. Nam quod nobis vita per vos reddita est, quum dimissis passim per prouincias carnificibus, sic elatus latro* surrexit vt se ordini profiteretur iratum, quomodo dicam aut prosequar? præsertim quum mediocritas mea non modo publicam felicitatem, sed ne peculiare quidem gaudium animi mei possit exprimere, quum eos Augustos & Principes generis humani videam, quorum antehac perpetuo cultu mores & modestiam* meam tamquam veteribus censoribus meis cuperem probatam: & * etiamsi confidam in priorum principum testimoniis, vestris tamen vt grauioribus iudiciis glorior. Dii præstent præstabuntque hanc vrbi Romanæ felicitatem. Nam quum ad vos respicio, aliud nihil optare possum quã quod apud deos dicitur victor Carthaginis precatus, vt scilicet in eo statu remp. seruarent in quo tunc esset, quod nullus melior inueniretur. Ita ego precor, vt in eo statu* nobis remp. seruent, in quo eam vos adhuc nutantem collocauistis.* Hæc epistola probat Pupienum eumdem esse qui a plerisque Maximus dicitur nomine paterno: siquidem per hæc tempora apud Græcos non facile Pupienus, apud Latinos non facile Maximus inueniatur; & ea quæ sunt gesta contra Maximinum, modo a Pupieno, modo a Maximo acta dicantur. Sed Fortunatiano credamus, qui dicit Pupienum dictum nomine suo, cognomine vero paterno Maximum: vt omnium stupore legentibus aboliti videantur.

*TREBELLII POLLIONIS
VALERIANVS PATER
ET FILIVS.

VALERIANVS Imperator, nobilis genere, patre Valerio, censor antea, & per dignitatum omnes gradus suis temporibus ad maximũ in terris culmen ascendens; cuius per annos LXX, vita laudabilis in eam conscenderat gloriam, vt per omnes honores & magistratus insignitet gestos, Imperator fieret; non (vt solet) tumultuario populi concursu, non militum strepitu, sed iure meritorum, & quasi ex totius orbis vna sententia. Denique si data esset omnibus potestas promendi arbitrii quem imperatorem vellent, alter non esset electus. Et vt sciatur quanta vis in Valeriano meritorum fuerit publicorum, ponam senatusconsulta; quibus animaduertant omnes quid de illo semper amplissimus ordo iudicauerit. Duobus Deciis coss. VI Calend. Nouemb. die, quum ob imperatorias litteras in ęde* Castorum senatus haberetur, iretur que per sententias singulorum cui deberet censura deferri, (nam id Decii posuerant in senatus amplissimi potestate) vbi primũ prætor edixit, *Quid vobis videtur P.C. de censore deligendo? atque eum qui erat princeps, quum senatus sententiam rogasset, absente Valeriano, (nam ille in procinctu suo cum Decio tunc agebat) omnes vna voce dixerunt, interrupto more dicendæ sententiæ,* Valeriani vita censura est: *Ille de omnibus iudicet, qui est omnibus melior. Ille de senatu iudicet, qui nullum habet crimen: Ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest obiici. Valerianus a prima pueritia censor fuit. Valerianus in tota vita sua fuit censor. Prudens senator, modestus senator, grauis senator: Amicus bonorum, inimicus tyrannorum, hostis criminum, hostis vitiorũ. Hunc censorem omnes accipimus: hunc imitari omnes volumus. Primus genere, nobilis sanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis.* Quæ quũ essent sæpius dicta, *addiderunt, OMNES, atque ita discessum est. Hoc senatusconsultum vbi Decius accepit, omnes aulicos conuocauit, ipsum etiam Valerianum præcepit rogari: atque in conuentu summorum virorum, *recitato senatusconsulto, *Felicem te,* inquit, *Valeriane senatus sententia, immo animis atque pectoribus: totius orbis humani suscipe censuram, quam tibi detulit [Romana] resp. quam solus mereris, iudicaturus de moribus nostris. Tu æstimabis qui manere in curia debeant: tu equestrem ordinem in antiquum statum rediges: tu censibus modum pones: tu vectigalia firmabis, diuides statum, respublicas recensebis: tibi legum scribendarum auctoritas dabitur: tibi de ordinibus militum iudicandũ est: tu arma respicies: tu de nostro palatio, tu de iudicibus, tu de præfectis eminentissimis iudicabis. Excepto denique præfecto vrbis Romæ, exceptis* COSS. *ordinariis, & sacrorũ rege, ac maxima virgine Vestalium, (si tamen incorrupta permanebit) de omnibus sententias feres. Laborabunt autem etiam illi vt tibi placeant, de quibus non potes iudicare.* Hæc Decius. Sed Valeriano sententia huiusmodi fuit; *Quæso sanctissime Imperator, ne ad hanc me necessitatem alliges, vt ego iudicem de populo, de militibus, de senatu, de omni penitus orbe, iudicibus, [&] tribunis, ac ducibus. Hæc sunt propter quæ Augustum nomen tenetis: apud vos censura desedit: non potest hoc implere priuatus. Veniam igitur eius honoris peto, cui vita impar est* confidentia; cui tempora sic repugnant vt censurã hominum natura non quærat.* Poteram multa & alia senatusconsulta, & iudicia principum de Valeriano proferre; nisi ea vobis plerisque nota essent: vt puderet altius virum extollere, qui fatali quadã necessitate superatus est. Victus est enim a Sapore rege Persarum, dum ductu cuiusdam sui ducis, cui summam omnium bellicarum rerum agendarum commiserat, seu fraude, seu aduersa fortuna, in ea esset loca deductus, vbi nec vigor nec disciplina militaris, quin caperetur, quidquam valere potuit. Captus igitur, in dicionem Saporis peruenit. quem quum gloriosæ victoriæ successu minus honorifice quam deceret, superbo & elato animo detineret, atque cum Romanorum rege, vt vili & abiecto mancipio loqueretur, litteras ab amicis regibus, qui & ei contra Valerianum fauerant, plerasque missas accepit; quarum seriem Iulius refert. *Sapori*

rex regum Belsolus. Si scirem posse aliquando Romanos penitus vinci, gauderem tibi de victoria quam præfers. Sed quia vel fato vel virtute gens illa plurimum potest, vide ne, quod senem Imperatorem cepisti, & id quidem fraude, male tibi cedat, posterisque tuis. Cogita quantas gentes Romani ex hostibus suas fecerint, a quibus sæpe victi sunt. Audiuimus certe quod Galli eos vicerint, & ingentem illam ciuitatem incenderint. Certe Galli Romanis seruiunt. Quid Afri? eos nonne vicerunt? Certe seruiunt Romanis. De longioribus exemplis, & fortasse ignotioribus, nihil dico. Mithridates Ponticus totam Asiam tenuit: certe victus est; certe Asia Romanorum est. Si meum consilium requiris, vtere occasione pacis, & Valerianum suis redde. ego gratulor felicitati tuæ; si tamen illa vti tu scias.* *Balerus rex Cadusiorum sic scripsit; *Remissa mihi auxilia integra & incolumia grataner accepi. sed captum Valerianum principem principum, non satis gratulor: magis gratularer si redderetur. Romani enim grauiores tunc sunt quando vincuntur.* Age igitur vt prudentem decet: nec fortuna te* inflet, quæ multos decepit. *Valerianus & filium Imperatorem habet, & nepotem Cæsarem: & quid? Habet & omnem orbem illum Romanum, qui contra te totus insurget. Redde igitur Valerianum, & fac cum Romanis pacem, nobis etiam ob gentes Ponticas profuturam.* Artabasdes rex Armeniorum, talem ad Saporem epistolam misit: *In partem gloriæ venio: sed vereor ne non tam viceris quam bella seueris. Valerianum & filius repetet, & nepos, & duces Romani, & omnis Gallia, & omnis Africa, & omnis Hispania, & omnis Italia, & omnes gentes quæ sunt in Illyrico, atque in Oriente & in Ponto, quæ cum Romanis consentiunt, aut Romanorum sunt. Vnum ergo senem cepisti, & omnes gentes orbis terrarum infestissimas tibi fecisti; fortassis & nobis, qui auxilia misimus, qui vicini sumus, qui semper vobis inter vos pugnantibus laboramus.* Bactriani, & Hiberi, & Albani, & Tauroscythæ, Saporis litteras non receperunt, sed ad Romanos duces scripserunt, auxilia pollicentes ad Valerianum de captiuitate liberandum. Sed Valeriano apud Persas consenescente, *Odenatus Palmyrenus*, collecto exercitu; rem Romanam prope in pristinum statum reddidit. Cepit regis thesauros, cepit etiam, quas thesauris cariores habent reges Parthici, concubinas. Quare magis reformidans Romanos duces Sapor, timore Balistæ atque Odenati, in regnum suum ocius se recepit. Atque hic interim finis belli fuit Persici. Hæc sunt digna cognitu de Valeriano, nunc ad Valerianum minorem reuertar.

VALERIANVS IVNIOR, alia quam Gallienus matre genitus, forma conspicuus, verecundia probabilis, eruditione pro ætate clarus, moribus periucundus, atque a fratris dissolutione seiunctus, a patre absente Cæsar est appellatus, a fratre (vt Cælestinus dicit) Augustus. nihil habet prædicabile in vita, nisi quod est nobiliter natus, educatus optime, & miserabiliter interemptus. Et quoniam scio errare plerosq;, qui Valeriani Imperatoris titulum in sepulcro legentes, illius Valeriani redditum putant corpus, qui a Persis est captus: ne vllus error obrepat, mittendum in litteras censui, hunc Valerianum circa Mediolanum sepultum, addito titulo, Claudii iussu, VALERIANVS IMPERATOR. Non puto plus aliquid vel de maiore Valeriano, vel de iuniore requirendum. Et quoniam vereor ne modum voluminis transeam, si Gallienum Valeriani filium, de quo iam nobis multus sermo fuit; vel *Saloninum filium etiam Gallieni, qui & Gallienus dictus est, huic libro adiungam, ad aliud volumen transeam. Semper enim me vobis dedidi, & famæ, cui negare nihil debeo neq; possum.

TREBELLII POLLIONIS
GALLIENI DVO.

CAPTO Valeriano (enimuero vnde incipienda est Gallieni vita, nisi ab eo præcipue [malo] quo eius vita depressa est?) nutarire respubl. quum Odenatus iam orientis cepisset imperium, & Gallienus comperta patris captiuitate gauderet; vagabantur exercitus, murmurabant duces, erat ingens* omnibus mœror, quod Imperator Romanus in Perside seruiliter teneretur. Gallieno igitur & Volusiano coss. Macrianus & Balista in vnum coeunt, exercitus

reliquias conuocant: & quum Romanum in oriente nutaret imperium, quem facerent Imperatorem requirunt, Gallieno tam negligenter se agente, vt eius ne mentio quidem apud exercitum fieret. Denique quum pluries eius rei caussa conuenissent, placuit vt Macrianum cum filiis suis Imperatores dicerent, ac rempublicam defensandam capesserent. Sic igitur imperium delatum est *Macriano*. Et caussæ* Macriano imperandi cum filiis hæ fuerunt. Primum, quod nemo eo tempore sapientior ducum habebatur, nemo ad res gerendas aptior: deinde ditissimus, & qui priuatis posset fortunis publica explere dispendia. Huc accedebat quod liberi eius fortissimi iuuenes, tota mente in bellũ ruebant, vt essent legionibus exemplo ad omnia militaria. Macrianus ergo vndique collectis exercitibus, orientis partes petiit: atque vt posset late sibi delatum defendere & tueri imperium, bellum sic instruxit, atque copias sic parauit, vt esset omnium circumspectus quæ contra eum poterant cogitari. Idem Macrianus Pisonem, vnum ex nobilibus principibus senatus, ad Achaiam destinauit, ob hoc vt *Valentem* qui illic proconsulari imperio rempublicam gubernabat, opprimeret. Sed Valens, comperto quod Piso contra se veniret, sumpsit Imperium. Piso igitur in Thessaliam se recepit. vbi, missis a Valente militibus cõplutibus, interfectus est: ipse quoque Imperator appellatus cognomento *Thessalicus*. Sed Macrianus, retento in oriente vno ex filiis, pacatis tamen rebus, Asiam primum venit, deinde Illyricum petiit: in Illyrico cum *Aureolo* Imperatore, qui contra Gallienum imperium sumpserat, duce Domitiano nomine, manum conseruit, vnum ex filiis secum habens, & XXX milia militum ducens. Sed victus est Macrianus cum filio Macriano nomine, deditusque omnis exercitus Aureolo Imperatori. Turbata interim republ. totoque penitus orbe terrarum, vbi *Odenatus* comperit Macrianum cum filio interemptum, regnare Aureolum, Gallienum remissius agere, festinauit ad alterũ filium Macriani; quum exercitus hoc daret fortuna capiendum. Sed ii qui erant cum filio Macriani, Quieto nomine, consentientes Odenato, auctore præfecto Macriani *Balista*, iuuenem occiderunt, missoque per murum corpore, Odenato se omnes affatim dediderunt. Totius prope igitur orientis factus est Odenatus Imperator, quum Illyricum teneret Aureolus, Romam Gallienus Idem Balista multos Emissenos, ad quos confugerant Macriani milites, cum Quieto & thesaurorum custode interfecit, ita vt ciuitas pene deleretur. Odenatus inter hæc, quasi Gallieni partes ageret, cuncta eidem nũtiari ex veritate faciebat. Sed Gallienus, cognito quod Macrianus cum suis liberis esset occisus, quasi securus rerum ac parte iam recepto, libidini ac voluptati se dedidit: ludos circenses, ludosque scenicos, ludos gymnicos, *ludicram etiam venationem, & ludos gladiatorios dedit: populumque, quasi victorialibus diebus, ad festiuitatem ac plausum vocauit. Et quum plerique patris eius captiuitatem mœrerent, ille specie decoris, quod pater eius virtutis studio* deceptus videretur, supramodum lætatus est. Constabat autem censuram parentis eum ferre non potuisse, votiuumque illi fuisse, quod imminentem ceruicibus suis grauitatem paternam non haberet. Per idem tempus *AEmilianus* apud AEgyptum sumpsit imperium, occupatis horreis, multa oppida malo famis pressit. Sed hunc dux Gallieni Theodotus conflictu habito cepit, atque Imperatori Gallieno viuum transmisit. AEgyptus enim data AEmiliano per Transthebaitanos milites . . . sæuitum est . . . ribus, quum Gallienus in luxuria & improbitate persisteret. Quumque* ludibriis & helleuationi vacaret, neque aliter rempublicam regeret quam quum pueri fingunt per ludibria potestates, Galli, quibus insitum est esse leues ac degenerantes a ciuitate Romana, & luxuriosos principes ferre non posse, *Posthumum* ad imperium vocarunt: * exercitibusque consentientibus, qui occupatum Imperatorem lubidinibus querebantur. Contra hunc Theodotus exercitum duxit.´ Quumque vrbem in qua erat Posthumus, obsidere cœpisset, decernentibus Gallis, Gallienus muros circumiens, sagitta ictus est. Nam & per annos VII Posthumus imperauit, & Gallias ab omnibus circumfluentibus barbaris validissime vindicauit. His coactus malis, Galienus pacem cum Aureolo facit oppugnandi Posthumi studio: longoque bello tracto per diuersas obsidiones ac prœlia, rem modo feliciter modo infeliciter gerit. Accesserat praeterea his malis

quod Scythæ Bithyniam inuaſerant, ciuitateſque deleuerant. Denique * Aſtacum, quæ poſtea Nicomedia dicta eſt, incenſam grauiter vaſtauerunt. Denique, quaſi coniuratione totius mundi, concuſſis orbis partibus, etiam in Sicilia quaſi quoddam ſeruile bellum exſtitit, latronibus euagantibus; qui vix oppreſſi ſunt. Et hæc omnia Gallieni contemptu fiebant. *Neque enim quidquam eſt ad audaciam malis, ad ſpem bonorum bonis promptius, quam quum vel malus timetur, vel diſſolutus contemnitur Imperator.* Gallieno & Fauſtino coss. inter tot bellicas clades etiam terræmotus fuit, & tenebræ per multos dies. Auditum præterea tonitruum terra mugiente, non Ioue tonante. Quo motu multæ fabricæ deuoratæ ſunt cum habitatoribus: multi terrore mortui. quod quidem malum triſtius in Aſiæ vrbibus fuit. Mota eſt & Roma, mota & Libya: hiatus terræ plurimis in locis fuerunt, quum aqua ſalſa in foſſis appareret. Maria etiam * multa vrbes occuparunt. Pax igitur deûm quęſita, inſpectis Sibyllæ libris, factumque Ioui ſalutari, vt præceptum fuerat, ſacrificium. Nam & peſtilentia tanta exſtiterat vel Romæ vel in Achaicis vrbibus, vt vno die quinque millia hominum pari morbo perirent. Sæuiente fortuna, quum hinc terræmotus, inde hiatu ſoli ex diuerſis partibus peſtilentia orbem Romanum vaſtaret, capto Valeriano, Gallis parte maxima obſeſſis, quum bellum Odenatus inferret, quum Aureolus perurgeret Illyricum, quum AEmilianus AEgyptum occupaſſet: *Gotthi* & *Clodius*, de quo dictum eſt ſuperius, occupatis Thraciis Macedoniam vaſtarunt, Theſſalonicam obſederunt; neque vſquam quies mediocriter ſalutem oſtentare viſa eſt. Quæ omnia contemptu (vt ſæpius diximus) Gallieni fiebant, hominis luxurioſiſſimi, &, ſi eſſet ſecurus, ad omne dedecus paratiſſimi. Pugnatum eſt in Achaia Macriano duce contra eoſdem Gotthos. Vnde victi per Achæos, receſſerunt. Scythæ autem, hoc eſt pars Gothorum, Aſiam vaſtabant. Tunc etiam templum Dianæ Epheſiæ diſpoliatum & incenſum eſt: cuius * opes fama in populos ſatis notæ. Pudet numerare inter hæc tempora quũ iſta gererentur, quæ ſæpe Gallienus malo generis humani quaſi per iocum dixerit. Nam quum ei nunciatum eſſet, AEgyptum deſciuiſſe, dixiſſe fertur, *Quid? ſine lino AEgyptio eſſe non poſſumus?* Quum autem vaſtatam Aſiã, & * elementorum concuſſionibus & Scytharum incurſionibus comperiſſet, *Quid*, inquit, *ſine aphronitris eſſe non poſſumus?* Perdita Gallia ariſiſſe ac dixiſſe perhibetur, *Non ſine trabeatis ſagis tuta reſp. eſt?* Sic denique de omnibus partibus mundi, quũ eas amitteret, quaſi detrimẽtis vilium miniſteriorum videretur affici, iocabatur. Ac nequid mali deeſſet Gallieni temporibus, Byzantiorum ciuitas, clara naualibus bellis, clauſtrum Ponticum, per eiuſdem Gallieni milites ita omnis vaſtata eſt vt prorſus nemo ſupereſſet. Denique nulla vetus familia apud Byzantios inuenitur, niſi ſiquis peregrinatione vel militia occupatus euaſit, qui antiquitatem generis nobilitatemq; repræſentet. Contra Poſthumũ igitur Gallienus cum Aureolo & Claudio duce, qui poſtea imperium obtinuit, principe generis Conſtantini Cæſaris noſtri, bellum incepit: [&] quum multis auxiliis Poſthumus iuuaretur * Celticis ac Francicis, in bellum cũ Victorino proceſſit, cum quo imperium participauerat. Victrix Gallieni pars fuit, pluribus prœliis euentuum ratione decurſis. Erat enim in Gallieno ſubitæ virtutis audacia: nam aliquando iniuriis grauiter mouebatur. Denique ad vindictam Byzantiorum proceſſit: & quum non putaret recipi ſe poſſe muris, receptus alio die, omnes milites inermes, armatorum corona circumdatos, interemit, fracto fœdere quod promiſerat. Per eadem tempora etiam Scythæ, in Aſia Romanorum ducum virtute ac ductu vaſtati, ad propria receſſerunt. Interfectis ſane militibus apud Byzantium, Gallienus, quaſi magnum aliquid geſſiſſet, Romam curſu rapido conuolauit: conuocatisq; patribus, * decennia celebrauit nouo genere ludorum, noua ſpecie pomparum, exquiſito genere voluptatum. Iam primum inter togatos patres, & equeſtrem ordinem, albatos milites, & omni populi præeunte, ſeruis etiam prope omnium, & mulieribus cum cereis facibus & lampadibus præcedentibus, Capitolium petiit. Proceſſerunt etiam altrinſecus centeni albi boues, cornibus auro iugatis, & dorſualibus ſericis diſcoloribus præfulgentes. Agnæ candentes ab vtraque parte cc præceſſerunt, & x elephanti, qui tunc erant Romæ; mille cc gladiatores * pompaliter ornati. Cum auratis veſtibus matronarum manſuetæ feræ

diuerſi

diuersi generis, cc, ornatu quam maximo affectæ. Carpenta cum mimis & omni genere histrionũ: pugiles * facculis, non veritate pugilantes. Cyclopea etiam luserunt omnes * apenarii; ita vt miranda quędam & stupenda monstraret. Omnes viæ ludis strepituque & plausibus personabant: ipse medius cum picta toga & tunica palmata inter patres (vt diximus) omnibus sacerdotibus prætextatis Capitolium petiit. Hastæ auratæ altrinsecus quingenæ, vexilla centena, & præterea quæ collegiorum erant, dracones, & signa templorum omniumque legionum ibant. Ibant præterea gentes simulatæ, vt Gotthi, Sarmatæ, Franci, Persæ: ita vt non minus quam duceni singulis globis ducerentur. Hac pompa homo ineptus eludere se credidit populum Romanum: sed (vt sunt Romanorum facetiæ) alius Postbumo fauebat, alius Regilliano, alius Aureolo aut AEmiliano, alius Saturnino. nam & ipse iam imperare dicebatur. Inter hæc ingens querela de patre; quem inultum filius relinqueret, & quem externi vtcumque vindicauerant. Nec tamen Gallienus ad talia mouebatur, obstupefacto voluptatibus corde: sed ab iis qui circum eum erant, requirebat, *Et quid habemus in prandio? & quæ voluptates paratæ sunt? & qualis cras erit cœna? quales circenses?* Sic confecto itinere, celebratisque hecatombis, ad domum regiã rediit· conuiuiisque & epulis depulsis, alios dies voluptatib. publicis deputabat. Prętereundũ non est haud ignobile facetiarum genus. Nã quũ rex Persarum, quasi captiuotũ, per pompam (rẽ ridiculam) duceretur, quidã scurræ miscuerũt se Persis, diligentissime scrutantes omnia, atque vniuscuiusque vultũ mira inhiatione mirantes. A quibus quũ quæreretur quidnam agerent illa solertia, illi responderunt, *Patrem principis quærimus.* Quod quũ ad Gallienum peruenisset, non pudore, non mœrore, non pietate cõmotus est; scurrasque iussit viuos exuri. Quod populus factum tristius quã quisquam æstimat, tulit: milites vero ita doluerunt, vt non multo post vicem redderent. Gallieno & Saturnino coss. Odenatus rex Palmyrenorum obtinuit totius oriẽtis imperium; idcirco præcipue, quod se fortibus factis dignum tantæ maiestatis infulis declarauit; Gallieno aut nullas, aut luxuriosas, aut ineptas & ridiculas res agente. Denique statim bellum Persis in vindictam Valeriani, quam eius filius negligebat, indixit. Nisibin & Carras statim occupat, tradentibus sese Nisibenis atque Carrenis, & increpãtibus Gallienum. Nec defuit tamen reuerentia Odenati circa Gallienũ. Nam captos satrapas, insultandi prope gratia & ostentandi sui, ad eum misit. Qui quũ Romam deducti essent, vincente Odenato triumphauit Gallienus, nulla mentione patris facta: quem nec inter deos quidem nisi coactus retulit, quum mortuum audisset, sed adhuc viuentem: nam de illius morte falso comperetat. Odenatus autẽ ad Ctesiphontem Parthorum multitudinem obsedit: vastatisque circum omnibus locis, innumeros homines interemit. Sed quum satrapæ omnes ex omnibus regionibus illuc defensionis communis gratia conuolassent, fuerunt longa & varia prœlia, longior tamen Romana victoria. Et quum nihil aliud ageret nisi vt Valerianum Odenatus liberaret, instabat quotidie, ac locorum difficultatibus in alieno solo Imperator optimus laborabat. Dum hæc apud Persas geruntur, *Scythæ* in Cappadociam peruaserunt: illic captis ciuitatibus, bello etiam vario, diu acies ad Bithyniam contulerunt. Quare milites iterum de nouo Imperatore faciendo cogitauerunt: quos omnes Gallienus more suo, quum placare atque in gratiam suam reducere non posset, occidit. Quum tamen sibi milites dignum principem quærerent, Gallienus apud Athenas ἄρχων erat, id est summus magistratus; vanitate illa qua & ciuis adscribi desiderabat, & sacris omnibus interesse: quod neque Adrianus in summa felicitate, neque Antoninus in adulta fecerat * pace; quum tanto studio Græcarum docti fuerint litterarum, vt raro aliquibus doctissimis magnorum arbitrio cesserint virorum. Areopagitarum præterea cupiebat ingeri numero, contempta prope republ. Fuit enim Gallienus (quod negari non potest) oratione, poemate, atque omnibus artibus clarus. Huius est illud epithalamium quod inter centum poetas præcipuum fuit. Nam quum fratrum suorum filios iungeret, omnes poetæ Græci Latinique epithalamia dixissent, idque per dies plurimos, quum ille manus sponsorum teneret, vt quidam dicunt, sæpius, ita dixisse fertur, *Ite, ait, o pueri; pariter sudate medullis Omnibus inter vos: non murmura vestra columbæ, Brachia non hederæ, non vincant oscula*

conchæ. Longum est eius versus orationesq; connectere, quibus suo tempore tam * in poetas quã in rhetores emicuit. Sed aliud in Imperatore quęritur, aliud in oratore vel poeta flagitatur. Laudatur sane eius optimũ factum. Nam * consulto Valeriani fratris sui & Lucillii propinqui, vbi comperit ab Odenato Persas vastatos, redactam Nisibin & Carras in potestatem Rom. omnẽ Mesopotamiam nostram, denique Ctesiphontem esse peruentum, fugisse regem, captos satrapas, plurimos Persarũ occisos: Odenatũ, participato imperio, Augustum vocauit, eiusq; monetã qua Persas captos traheret, cudi iussit. quod & senatus & vrbs, & omnis ætas gratanter accepit. Fuit præterea idem ingeniosissimus; cuius ostendentia acumẽ, pauca libet ponere. Nam quum taurũ ingẽtem in arenã misisset, exissetq; ad eũ feriendum venator, neq; * perductũ decies potuisset occidere, coronã venatori misit; mussantibusq; cunctis quid rei esset quod homo ineptissimus coronaretur, ille * per curionẽ dici iussit, *Taurũ toties non ferire difficile est.* Idẽ quum quidã gemmas vitreas pro veris vendidisset eius vxori, atq; illa, re prodita, vindicari vellet; * surripi quasi ad leonem venditorẽ iussit. Deinde cauea caponem emittit: mirantibusque cunctis rem tam ridiculam, per curionem dici iussit, *Imposturam fecit, & passus est.* deinde negotiatorem dimisit. Occupato tamen Odenato bello Persico, & Gallieno rebus ineptissimis (vt solebat) incumbente, Scythæ nauibus factis Heracleam peruenerunt; atq; inde cum præda in solũ proprium reuerterunt: quamuis multi naufragio perierunt, nauali bello superati. Per idem tempus Odenatus insidiis consobrini sui interemptus est cum filio Herode; quem & ipsum imperatorẽ appellauerat. Tũ Zenobia vxor eius, quod paruuli essent filii eius qui supererant, Herennius & Timolaus, ipsa suscepit imperium; diuque rexit non muliebriter, neq; more fœmineo: sed non solum Gallieno virago melius imperare potuisset, verumetiã multis imperatoribus fortius atq; solertius. Gallieno sane vbi nuntiatũ Odenatũ interemptum, bellum Persis ad seram nimis vindictam partis parauit; collectisq; per Heraclianũ ducẽ militibus, * sollertis principis rẽ gerebat. Qui tamen Heraclianus quũ contra Persas profectus esset, a Palmyrenis victus, omnes quos parauerat milites perdidit, Zenobia Palmyrenis & orientalib. plerisque viriliter imperante. Inter hæc Scythæ per Euxinum nauigantes, Istrum ingressi, multa grauia in solo Rom. fecerunt. Quibus compertis, Gallienus Cleodamũ & Athenæum Byzantios instaurandis vrbibus muniendisq; præfecit. Pugnatũ [que] est circa Pontum, & a Byzantiis ducibus victi sunt barbari. Veneriano item duce, nauali bello *Gotthi* superati sunt; tum ipse Venerianus militari periit morte. Atque inde Cyzicum & Asiam, deinceps Achaiam omnem vastauerunt; & ab Atheniensib. duce Dexippo, scriptore horum temporum, victi sunt. Vnde pulsi, per Epirum, * Acarnaniam, Bœotiam, peruagati sunt. Gallienus interea vix excitatus publicis malis, Gotthis vagantibus per Illyricum occurrit, & fortuito plurimos interemit. Quo cõperto, Scythæ facta * carragine per montem Gessacem fugere sunt conati. Omnes inde Scythas Marcianus varia bellorum fortuna agitauit: quæ oẽs Scythas ad rebellionem * excitaret. Et hæc quidem Heracliani ducis erga rempublicam deuotio fuit. Verum quũ Gallieni tantã improbitatem ferre non possent, consilium inierunt Marcianus & Heraclianus, vt alter eorum imperiũ caperet: & Claudius quidem (vt suo dicemus loco) vir omniũ optimus, electus est, qui cõsilio non adfuerat, * essetq; apud cunctos in reuerentia, vt dignus videretur imperio; quemadmodũ postea comprobatum est. Is enim [est] CLAVDIVS a quo Constantinus vigilantissimus Cæsar originem ducit. Fuit iisdem socius in appetendo imperio quidam Ceronius siue Cecropius, dux Dalmatarum; qui eos & vrbanissime & prudentissime adiuuit. Sed quum imperium capere viuo Gallieno non possent, huiusmodi eum insidiis appetendum esse duxerunt, vt labem improbissimam, malis fessa republica, a gubernaculis humani generis dimouerent, ne diutius theatro & circo addicta republica per voluptatum deperiret illecebras. Insidiarum genus fuit tale: Gallienus ab Aureolo qui principatum inuaserat, diffidebat, sperans quotidie grauem & intolerabilem tumultuarii Imperatoris aduentum. Hoc scientes Marcianus & Cecropius, subito Gallieno iusserant nuntiari Aureolum iam venire. Ille igitur militibus congregatis; quasi certum processit ad prœlium: atque ita missis percussoribus, interemptus est.

Et

Et quidem Cecropii Dalmatarum ducis [gladio] Gallienus dicitur esse percussus, vt quidam ferunt, circa Mediolanum: vbi continuo & frater eius VALERIANVS est interemptus, quem multi Augustum, multi Cæsarem, multi neutrum fuisse dicunt: quod verisimile non est: siquidem capto iam Valeriano, scriptum inuenimus in Fastis, VALERIANO IMPERATORE COS. Quis igitur alius potuit esse Valerianus, nisi Gallieni frater? Constat de genere; non satis tamen constat de dignitate, vel (vt cœperunt alii loqui) de maiestate. Occiso igitur Gallieno, seditio ingens militũ fuit; quum spe prædæ ac publicæ vastationis, Imperatorem sibi vtilem, necessarium, fortem, efficacem, ad inuidiam faciendam, dicerent raptum. Quare consilium principum fuit, vt milites eius, quo solent placari genere, sedarentur. Promissis itaque per Marcianum aureis vicenis, & acceptis, (nam præsto erat thesaurorum copia) Gallienum tyrannum militari iudicio in fastos publicos retulerunt. Sic militibus sedatis Claudius, vir sanctus ac iure venerabilis, & bonis omnibus carus, amicus patriæ, amicus legibus, acceptus senatui, populo bene cognitus, accepit imperium. Hæc vita Gallieni fuit, breuiter a me litteris intimata: qui natus abdomini & voluptatibus, dies ac noctes vino & stupris perdidit orbem terrarum. Triginta prope tyrannos passus est, Romanum dehonestantes imperium; ita vt etiam mulieres eo melius imperarẽt. Ac ne eius prætereatur miseranda sollertia, veris tempore cubicula de rosis fecit: de pomis castella composuit: vuas triennio seruauit. hieme summa melones exhibuit: mustum quemadmodum toto anno haberetur, docuit. Ficos virides, & poma ex arboribus recentia semper alienis mensibus præbuit. Mantilibus aureis semper strauit. Gemmata vasa fecit, eademque aurea. Crinibus suis auri scobem aspersit: radiatus sæpe processit. cum chlamyde purpurea gemmatisque fibulis & aureis, Romæ visus est, vbi semper togati principes videbantur: purpuream tunicam auratamque virilem, eamdemque manicatam habuit. Gemmato baltheo visus est: caligas gemmatas annexuit, quum * campagos reticulos appellaret. Conuiuatus in publico est: congiariis populum molliuit: senatui sportulam sedens erogauit. Matronas ad consulatum suum rogauit; iisdemque manum sibi osculantibus, quaternos aureos sui nominis dedit. Vbi de Valeriano patre comperit quod captus esset, id quod philosophorum optimus de filio amisso dixisse fertur, *Sciebam me genuisse mortalem*, dixit ille, *Sciebam patrem meum esse mortalem*. Nec defuit Annius Cornicula, qui eum quasi constantem principem, falso sua voce laudaret. peior tamen ille qui credidit. Sæpe ad tibicinem processit, ad organum se recepit, quum processui & recessui cani iuberet. Lauit die septimo æstate, vel sexto: hieme secundo vel tertio. Bibit in aureis semper poculis, aspernatus vitrum, dicens nil eo esse communius. Semper vina variauit. Neque vnquam in vno conuiuio ex vno vino duo pocula bibit. Concubinæ in eius tricliniis sæpe accubuerunt. Mensam secundam scurrarum & mimorum semper prope habuit. Quum iret ad hortos nominis sui, omnia palatina officia sequebantur. Ibant & præfecti; & magistri officiorum omnium adhibebantur [&] conuiuiis & cœnationibus. lauabant etiam simul cum principe. Admittebantur sæpe etiam mulieres, cum ipso pulchræ puellæ, cum illis anus deformes: & iocari se dicebat quum orbem terrarum vndique perdidisset. Fuit tamen nimiæ crudelitatis in milites: nam & terna milia & quaterna milium singulis diebus occidit. Statuam sibi maiorem colosso fieri præcepit solis habitu: sed ea imperfecta periit. tam magna denique cœperat fieri, vt duplex ad colossum videretur. Poni autem illam voluerat in summo * Esquiliarum mõte, ita vt hastam teneret, per cuius caput infans ad summum posset ascendere. Sed & Claudio & Aureliano deinceps stulta res visa est: siquidem etiam equos & currum fieri iusserat pro qualitate statuæ, atque in acutissima base poni. Porticum Flaminiam vsque ad pontem Miluium & ipse parauerat ducere, ita vt * tetrastiche fieret; vt autem alii dicunt, pentastiche: ita vt primus ordo pilas haberet, & ante se columnas cum statuis, secundus & tertius, & deinceps, διὰ τεσσάρων columnas. Longum est cuncta in litteras mittere: quæ qui volet scire, legat Palfurium Suram, qui Ephemeridas eius vitæ composuit. Nos ad Saloninum reuertamur.

SALONINVS GALLIENVS.

HIc Gallieni filius fuit, nepos Valeriani: de quo quippe nihil est quod dignum in litteras mittatur, nisi quod nobiliter natus, educatus regie; occisus deinde non sua, sed patris caussa. De huius nomine magna est ambiguitas. Nam multi eum GALLIENVM, multi SALONINVM historiæ prodiderunt. Et qui Saloninum, idcirco quod apud Salonas natus esset, cognominatum ferunt: qui autem Gallienum, patris nomine cognominatum, & aui Gallieni, summi quondam in republ. viri. Fuit denique hactenus statua in pede montis Romulei, hoc est ante sacram viam, intra templum Faustinæ aduecta ad arcum Fabianum, quæ haberet inscriptum, GALLIENO MINORI, SALONINO additum: ex quo eius nomen intelligi poterit. Transisse decennium imperii Gallienum, satis clarum est: quod idcirco addidi, quia multi eum imperii sui primo anno periisse dixerunt. Fuisse autem & alias rebelliones sub eodem, de quibus proprio dicemus loco. Siquidem placuit triginta tyrannos vno volumine includere, idcirco quod nec multa de his dici possunt, & in Gallieni vita pleraque iam dicta sunt. Et hæc quidem de Gallieno hoc interim libro dixisse sufficiat. Nam & multa iam in Valeriani vita: in libro qui DE TRIGINTA TYRANNIS inscribendus est, iam loquemur quæ iterari ac sæpius dici minus vtile videbatur. Huc accedit quod quædam etiam studiose prætermisi, ne eius posteri multis rebus editis læderentur. Scis enim ipse quales homines cum iis qui aliqua de maioribus eorum scripserint, quantum gerant bellum: nec ignota esse arbitror quæ dixit M. Tullius in Hortensio, quem ad exemplum Protreptici scripsit. Vnum ponam tamen quod iucunditatem quamdam, sed vulgarem habuit; morem tamen nouum fecit. Nam quum cingula sua plerique militantium qui ad conuiuium venerant, ponerent hora conuiuii, Saloninus puer, siue Gallienus, his auratos constellatosque baltheos rapuisse perhibetur: & quum esset difficile in aula palatina requirere quod periisset, ac* taciti militares viri detrimenta pertulissent, postea rogati ad conuiuium cincti accubuerunt. quumque ab his quæreretur cur non soluerent cingulum, respondisse dicuntur, Salonino deferimus. Atque hinc tractum morem vt deinceps cum Imperatore cincti discumberent. Negare non possum, alium [&] plerisque videri huius rei ortum esse morem. Dicunt enim militare prandium (quod dictum est *prandium* ab eo quod ad bellum milites paret) a cinctis initum. cui rei argumentum est quod a discinctis etiam cum Imperatore cœnatur. Quæ idcirco posui, quia digna & memoratu videbantur, & cognitu. Nunc transeamus ad triginta tyrannos, qui Gallieni temporibus contemptu mali principis exstiterunt. De quibus breuiter & pauca dicenda sunt. Neque enim digni sunt eorum plerique vt volumen talium hominum saltem nominibus occupetur: quamuis eorum aliqui non parum in se virtutis habuisse videantur, multum etiam reipublicæ profuisse. Tam variæ item opiniones sunt de *Salonini* nomine, vt, qui se verius putant dicere, a matre sua Salonina appellatum esse dicant, quam is perdite dilexerit, **Piparam* nomine, barbaram, regis filiam. Gallienus cum suis semper flauum crinem condidit. De annis autem Gallieni & Valeriani ad imperium pertinentibus, adeo incerta traduntur, vt quum *xv annos eosdem imperasse constet, id est Gallienum vsque ad quintumdecimum peruenisse, Valerianus vero sexto sit captus, alii ix annis, alii bis decem annis, alii etiam Gallienum imperasse in litteras mittant: quum constet & decennalia Romæ ab eodem celebrata, & post decennalia Gotthos ab eo victos, cum Odenato pacem factam, cum Aureolo initam esse concordiam; pugnatum contra Postbumum, contra Lollianum; multa etiam ab eo gesta quæ ad virtutem, plura tamen quæ ad dedecus pertinebant. Nam & semper noctibus popinas dicitur frequentasse, & cum lenonibus, mimis scurrisque vixisse.

TREBELLII POLLIONIS
TRIGINTA TYRANNI.

SCRIPTIS iam pluribus libris, non historico nec diserto, sed pedestri eloquio, ad eam temporum venіemus seriem, in qua per annos quibus Gallienus & Valerianus rempubl. tenuerunt, triginta tyranni, occupato Valeriano magnis belli Persici necessitatibus, exstiterunt, quum Gallienum nō solum viri, sed etiam mulieres contemptui haberent; vt suis locis probabitur. Sed quoniam tanta obscuritas eorum hominum fuit qui ex diuersis orbis partibus ad imperium conuolabant, vt non multa de his vel dici possint a doctioribus, vel requiri: deinde ab omnibus historicis qui Græce ac Latine scripserunt, ita nonnulli prætereantur, vt eorum [nec] nomina frequententur: postremo quum tam varie a plerisque super his nonnulla sint prodita: in vnum eos libellum contuli, & quidem breuem; maxime quum vel in Valeriani, vel in Gallieni vita, pleraque de his dicta, nec repetenda tamen satis constet.

CYRIADES, I.

HIc patrem Cyriadem fugiens, diues & nobilis, quum luxuria sua & moribus perditis sanctum senem grauaret, direpta magna parte auri, at genni etiam infinito pondere, Persas petiit: atque inde Sapori regi coniunctus atque sociatus, quum hortator belli Romanis inferendi fuisset, Odenatum primum, deinde Saporem ad Romanum solum traxit: Antiochia etiam capta & Cæsarea, Cæsarianum nomen accepit. Atque inde vocatus Augustus, quum omnem orientem vel virium audacia vel terrore quateret, patrem vero interemisset (quod alii historici negant factum) ipse per insidias suorum, quum Valerianus iam ad bellum Persicum veniret, occisus est. Neque plus de hoc historiæ quidquam mandatum est quod dignum memoria esse videatur: quem clarum, perfugium & paricidium, & aspera tyrannis, & summa luxuries litteris dederunt.

POSTHVMVS, II.

HIc vir in bello fortissimus, in pace constantissimus, in omni vita grauis; vsque adeo vt Saloninum filium suum eidem Gallienus in Gallia positum crederet, quasi custodi vitæ, & morum & actuum imperialium institutori. Sed, quantum plerique asserunt, (quod eius non conuenit moribus) postea fidem fregit; & occiso Salonino sumpsit imperium. vt autem verius plerique tradiderunt, quum Galli vehementissime Gallienum odissent, puerum autem apud se imperare ferre non possent, eum qui commissum regebat imperium, Imperatorem appellarunt; missisque militibus adolescentem interfecerunt. Quo interfecto, ab omni exercitu & ab omnibus Gallis Posthumus gratanter acceptus, talem se præbuit per annos septem, vt Gallias instaurauerit, quum Gallienus luxurię & popinis vacaret, & amore barbaræ mulieris consenesceret. Gestum est tamen a Gallieno contra hunc bellū, tunc quum sagitta Gallienus est vulneratus. siquidem nimius amor erga Posthumum omnium erat in * Gallica gente populorum, quod submotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in pristinam securitatem reuocasset imperium. Sed quum se grauissime regeret, more illo quo Galli nouarum rerum semper sunt cupidi, Lolliano agente, interemptus est. Siquis sane Posthumi meritum requirit, iudicium de eo Valeriani ex hac epistola, quam ille ad Gallos misit, intelliget: *Transrhenani limitis ducem, & Galliæ præsidem Posthumum fecimus, virum dignissimum seueritate Gallorum. præsente quo, non miles in castris, non iura in foro, non in tribunalibus lites, non in curia dignitas pereat: qui vnicuique proprium & suum seruet. virum quem ego præ ceteris stupeo, & qui locum principis mereatur iure. de quo spero quod mihi gratias agetis. Quod si me fefellerit opinio quam de illo habeo,* sciatis nusquam gentium reperiri qui possit penitus approbari. *Huius filio Posthumo nomine, tribunatum Vocontiorum dedi adolescenti: qui se dignum patris moribus reddet.*

POSTHVMVS IVNIOR, III.

DE hoc prope nihil est quod dicatur, nisi quod a patre appellatus Cæsar, ac deinceps in eius honore Augustus cum patre dicitur interemptus, quum Lollianus in locum Posthumi subrogatus, delatum sibi a Gallis sumpsisset imperium. Fuit autem (quod solum memoratu dignum est) ita in declamationibus disertus, vt eius controuersiæ Quintiliano dicantur insertæ; quem declamatorem Romani generis acutissimum, vnius capitis lectio prima statim fronte demonstrat.

LOLLIANVS, IIII.

HVIVS rebellione in Gallia Posthumus, vir omnium fortissimus, interemptus est, quum iam *nutante Gallieni luxuria, in veterem statum Romanum reformasset imperium. Fuit quidem etiam fortissimus: sed rebellionis intuitu, minorem apud Gallos auctoritatem de suis viribus tenuit. Interemptus autem est a Victorino, Victorinæ vel Victoriæ filio, quæ postea *mater castrorum* appellata est, & Augustæ nomine affecta; quum ipsa per se fugiens tanti põderis molem, primum in Marium, deinde in Tetricum atque eius filium contulisset imperia. Et Lollianus quidem nonnihilum reip. profuit. Nam plerasque Galliæ ciuitates, nõnulla etiam castra, Posthumus per septem annos in solo barbarico ædificauerat; quæ interfecto Posthumo subita irruptione Germanorum & direpta fuerant & incensa: [ea in] statum veterem reformauit: deinde a suis militibus, quod in labore nimius esset, occisus est. Ita Gallieno perdente rempubl. in Gallia primum Posthumus, deinde Lollianus, Victorinus deinceps, postremo Tetricus, (nam de Mario nihil dicimus) affectatores Romani nominis exstiterunt: quos omnes datos diuinitus credo, ne, quum illa pestis inaudita luxuria impediretur, *malis possidendi Romanum solum Germanis daretur facultas. qui si eo genere tunc euasissent quo Gotthi & Persæ, consentientibus in Romano solo gentibus, venerabile hoc Romani nominis finitum esset imperium. Lolliani autem vita in multis obscura est, vt & ipsius Posthumi: sed priuata virtute clari, non nobilitatis pondere vixerunt.

VICTORINVS, V.

POSTHVMVS senior, quum videret multis se Gallieni viribus peti, atque auxilium non solum militum, verumetiam alterius principis necessarium, Victorinum militaris industriæ virum in participatum vocauit imperii, & cum eodem contra Gallienum conflixit. Quumque adhibitis ingentibus Germanorum auxiliis, diu bella traxissent, victi sunt. Tunc interfecto etiam Lolliano, solus Victorinus in imperio remansit: qui & ipse, quod matrimoniis militum & militarium corrumpendis operam daret, a quodam actuario, cuius vxorem stuprauerat, composita factione Agrippinæ percussus, Victorino filio Cæsare a matre Victorina, siue Victoria, quæ *mater castrorum* dicta est, appellato: qui & ipse puerulus statim est interemptus, quum apud Agrippinam pater eius esset occisus. De hoc quod fortissimus fuerit, & præter libidinem optimus Imperator, a multis multa sunt dicta. Sed satis credimus Iulii Ateriani partem libri cuiusdam ponere, in quo de Victorino sic loquitur; *Victorino, qui Gallias post Iunium Posthumum rexit, neminem existimo præferendum: non in virtute Traianum, non Antoninum in clementia, non in grauitate Neruam, non in gubernando ærario Vespasianum, non in censura totius vitæ ac seueritate militari Pertinacem vel Seuerum. Sed omnia hæc, libido & cupiditas mulierariæ voluptatis sic perdidit, vt nemo audeat virtutes eius in litteras mittere, quem constat omnium iudicio meruisse puniri.* Ergo quum id iudicii de Victorino scriptores habuerint, satis mihi videor de eius dixisse moribus.

VICTORINVS IVNIOR, VI.

DE hoc nihil amplius in litteras est relatum, quam quod nepos Victoriæ, Victorini filius fuit, & a patre & ab auia sub eadem hora qua Victorinus interemptus, Cæsar nuncupatus est, ac statim a militibus ita occisus. Exstant denique sepulcra circa Agrippinam breui marmore impressa humilia, in quibus *vnus est inscriptus, HIC DVO VICTORINI TYRANNI SITI SVNT.

MARIVS,

MARIVS, VII.

VICTORINO, Lolliano, & Posthumo interemptis, Marius ex fabro (vt dicitur) ferrario triduo tantum imperauit. De hoc quid amplius requiratur ignoro, nisi quod eum insigniorem breuissimum fecit imperium. Nam vt consul, qui sex *pomeridianis horis consulatum suffectum tenuit, a M. Tullio tali aspersus est ioco; *Consulem habuimus tam seuerum tamque censorium, vt in eius magistratu nemo pranderit, nemo cœnauerit, nemo dormierit*: de hoc etiam dici posse videtur, qui vna die factus est Imperator, alia die visus est imperare, tertia interemptus est. Et vir quidem strenuus, ac militaribus vsque ad imperium gradibus euectus est: quem plerique *Mamurium*, nonnulli *Vecturium*, opificem vtpote ferrarium, nuncuparunt. Sed de hoc nimis multa: de quo illud addidisse satis est, nullius manus vel ad feriendum, vel ad impellendum fortiores fuisse; quum in digitis neruos videretur habuisse, non venas. Nam & carta venientia digito salutari repulisse dicitur; & fortissimos quosque vno digito sic afflixisse, vt quasi ligni vel ferri obtusioris ictu percussi dolerent. Multa duorum digitorum allisione contriuit. Occisus est a quodam milite; qui quum eius quondam operarius in fabrili officina fuisset, contemptus est ab eodē, vel quum duxisset, vel quum imperium cepisset. addidisse hæc verba dicitur interemptor, *Hic est gladius quem ipse fecisti.* Huius concio prima talis fuisse dicitur; *Scio, commilitones, posse mihi obiici artem pristinam; cuius mihi omnes testes estis. Sed dicat quisque quod vult, vtinam semper ferrum exerceam. Non vino, non floribus, non mulierculis, non popinis, vt facit Gallienus, indignus patre suo & sui generis nobilitate, depeream. Ars mihi obiiciatur ferraria; dum me & extera gentes ferrum attrectasse suis cladibus recognoscant in Italia: denique vt omnis Alemannia omnisque Germania, cum ceteris quæ adiacent gentibus, Romanum populum ferratam putent gentem, vt specialiter in nobis ferrum timeant. Vos tamen cogitetis velim fecisse vos principem qui numquam quidquam scierit tractare, nisi ferrum. Quod idcirco dico, quia scio mihi a luxuriosissima illa peste nihil opponi posse, nisi hoc quod gladiorum armorumque artifex fuerim.*

INGENVVS, VIII.

FVSCO & Basso coss. quum Gallienus vino & popinis vacaret, quumque se lenonibus, mimis, & meretricibus dederet, ac bona naturæ luxuriæ continuatione deperderet, Ingenuus, qui Pannonias tunc regebat, a Mœsiacis legionibus Imperator est dictus, ceteris Pannoniarum volentibus: neq; in quoquam melius consultum reip. a militibus videbatur, quam quod instantibus Sarmatis creatus est Imperator, qui fessis rebus mederi sua virtute potuisset. Caussa autem ipsi arripiendi tunc imperii fuit, ne suspectus esset Imperatoribus, quod erat fortissimus ac reip. necessarius, & militibus (quod imperantes vehementer mouet) acceptissimus. Sed Gallienus, vt erat nequam & perditus, ita etiam, vbi necessitas coegisset, velox, fortis, vehemens, crudelis: denique Ingenuum conflictu habito vicit; eoque occiso, in omnes Mœsiacos tam milites quam ciues asperrime sæuiit: nec quemquam suæ crudelitatis exsortem reliquit: vsqueadeo asper & truculentus, vt plerasque ciuitates vacuas a virili sexu relinqueret. Fertur sane idem Ingenuus ciuitate capta mersasse domum, in qua se pugione transfodit: atque ita vitam finisse, ne in tyranni crudelis potestatem veniret. Exstat sane epistola Gallieni, quam ad Celerem Verianum scripsit, qua eius nimietas crudelitatis ostenditur: quam ego idcirco interposui, vt omnes intelligerent, *hominum luxuriosum crudelissimum esse, si necessitas postulet. *Gallienus Veriano. Non mihi satisfacies, si tantum armatos occideris; quos & fors belli interimere potuisset. * Perimendus est omnis sexus virilis; si & senes atque impuberes sine reprehensione nostra occidi possent. Occidendus est quicumque male voluit. occidendus est quicumque male dixit contra me, contra Valeriani filium, contra tot principum patrem & fratrem. Ingenuus factus est Imperator. Lacera, occide, concide. animum meum intelligere potes: mea mente irascere, qui hæc manu mea scripsi.*

REGILLIANVS, IX.

FATI publici fuit vt Gallieni tempore quicumque potuit, ad imperium prosiliret. Regillianus denique in Illyrico ducatum gerens, Imperator est factus, a auctoribus

imperii Mœsis, qui cum Ingenuo fuerant ante superati: in quorum parentes grauiter Gallienus sæuierat. Hic tamen multa fortiter contra Sarmatas gessit: sed auctoribus Roxolanis, consentientibusq; militibus, & timore prouincialium ne iterum Gallienus grauiora faceret, interemptus est. Mirabile fortasse videatur, si quæ origo imperii eius fuerit, declaretur.* Militari enim ioco regna promeruit. Nam quum milites cum eo quidã cœnarent, astitit Valerianus tribunus qui diceret, *Regilliani nomen unde credimus dictum?* Alius continuo, *Credimus quod a regno.* Tum is qui aderat scholasticus, cœpit quasi grammaticaliter declinare, & dicere, *Rex, regis, regi, Regillianus.* Milites, vt est hominum genus pronum ad ea quæ cogitant, dixerunt, *Ergo potest rex esse?* item alius, *Ergo potest nos regere?* item alius, *Deus * tibi regis nomẽ imposuit.* Quid multa? His dictis, quum alia die mane processisset, a principibus Imperator est salutatus. Ita quod aliis vel audacia vel iudicium detulit, huic iocularis astutia. Fuit, quod negari non potest, vir in militari re semper probatus, & Gallieno iam ante suspectus, quod dignus videretur imperio: gentis Daciæ Decibali ipsius (vt fertur) affinis. Exstat epistola diui Claudii adhuc priuati, qua Regilliano Illyrici duci gratias agit ob redditum Illyricum, quum omnia Gallieni segnitia deperirent: quam ego repertam in * archiuis, inserẽdam putaui: fuit enim publica. *Claudius Regilliano multam salutem Felicem remp. quæ te talem virum habere rei castrensis bellis his meruit felicem Gallienum, etiamsi ei vera nemo nec de bonis, nec de malis nuntiat. Pertulerunt ad me Bonitus & Celsus stipatores principis nostri qualis apud Scupos in pugnando fueris, quot vno die prælia & qua celeritate confeceris Dignus eras triumpho, si antiqua tempora exstarent. Sed quid multa? Memor cuiusdam * ominis cautius velim vincas. Arcus Sarmaticos & duo saga ad me velim mittas, sed fibulatoria; quum ipse miserim de nostris.* Hac epistola ostenditur, quid de Regilliano senserit Claudius: cuius grauissimum iudicium suis temporibus fuisse, non dubium est. Nec a Gallieno quidem vir iste promotus est, sed a patre eius Valeriano, vt & Claudius, & Macrianus, & Ingenuus, & Posthumus, & Aureolus, qui omnes in imperio interempti sunt, quum mererentur imperium. Mirabile autem hoc fuit in Valeriano principe, quod omnes quoscunq; duces fecit, postea militum testimonio ad imperium peruenerunt. vt appareat, senem Imperatorem in deligendis reip. ducibus talem fuisse qualem Romana felicitas, si continuari fataliter potuisset, sub bono principe requirebat. Et vtinam vel illi qui arripuerant imperia, regnare potuissent; vel eius filius Gallienus in imperio diutius non fuisset; vt libere se in suo statu reip. nostra tenuisset. Sed nimis sibi fortuna indulgendum putauit, quæ cum Valeriano & bonos principes * tulit, & Gallienum diutius quam oportebat, reip. reseruauit.

AVREOLVS, X.

Hic quoq; * Illyricianos exercitus regens in cõtemptu Gallieni, vt omnes eo tempore, coactus a militibus sumpsit imperium. Et quum Macrianus cum filio suo Macriano contra Gallienum veniret, cum plurimis exercitus eius cepit: aliquos corruptos fidei suæ addixit. & quum factus esset inualidus Imperator, quumq; Gallienus expugnare virũ fortem frustra tentasset, pacem cum eo contra Posthumum pugnaturus fecit; quorum pleraq; & dicta sunt & dicenda. Hunc eundem Aureolũ Claudius interfecto iam Gallieno conflictu habito, apud eum pontem interemit, qui nunc *pons Aureoli* nuncupatur, atq; illic, vt tyrannum, sepulcro humiliore donauit. Exstat etiam epigramma Græcum in hanc formam; *Dona sepulcrorum victor post multa tyranni Prælia, iam felix Claudius Aureolum Munere prosequitur mortali, & iure superstes Viuere quem vellet, si pateretur amor Militis egregii, vitam qui iure negauit Omnibus indignis, & magis Aureolo. Ille tamen clemens, qui corporis vltima seruans, Et pontem Aureoli dedicat & tumulum.* Hos ego versus a quodam grammatico translatos ita posui vt fidem seruarem: non quo melius non potuerint transferri, sed vt fidelitas historica seruaretur; quam ego præ ceteris custodiendam putaui, quid quod ad eloquentiam pertinet, nihil curo. Rem enim vobis proposui deferre, non verba; maxime tanta rerum copia, vt triginta tyrannorum simul vitas scribendas accepissem.

MACRIANVS, XI.

Capto Valeriano, diu clarissimo principe ciuitatis, fortissimo deinde Imperatore,

ad po-

ad postremum omnium infelicissimo, vel quod senex apud Persas consenuit, vel quod indignos se posteros dereliquit; quum Gallienum cõtemnendum Balista præfectus Valeriani & Macrianus primus intelligerent, quærentibus etiam militibus principem, vnum in locum concesserunt, quærentes quid faciendum esset. Tuncq; constitit, Gallieno longe posito, Aureolo vsurpante imperium, debere aliquem principem fieri, & quidem optimum, ne quispiam tyrannus exsisteret. Verba igitur Balistæ (quantum Mæonius Astyanax, qui consilio interfuit, asserit) hæc; *Mea ætas & professio & voluntas, longe ab imperio absunt: & ego, quod negare non possum, bonum principem quæro Sed quis tandem est, qui Valeriani locum possit implere? nisi talis, qualis tu es ô Macriane, fortis, constans, integer, probatus in rep. & (quod maxime ad imperium pertinet) diues. Arripe igitur locum meritis tuis debitum: me profecto, quamdiu voles, vteris tu cum rep. Tantum bene agas: vt te Romanus orbis factum principem gaudeat* Ad hæc Macrianus; *Fateor Balista, imperium prudenti non frustra est. Volo enim reip subuenire, atque illam pestem a legum gubernaculis dimouere: sed non hoc in me ætatis est. Senex sum; ad exemplum equitare non possum. Lauandum est mihi frequentius, edendum delicatius: diuitiæ me iamdudum ab vsu militiæ retraxerunt. Iuuenes aliqui sunt quærendi, nec vnus, sed duo vel tres fortissimi, qui ex diuersis partibus orbis Rom. rempublicam restituant, quam Valerianus fato, Gallienus vitæ suæ genere perdiderunt.* Post hæc intellexit eum Balista sic agere, vt de filiis suis videretur cogitare: atque adeo sic aggressus est: *Prudentiæ tuæ rempublicam tradimus. Da igitur liberos tuos Macrianum & Quietum fortissimos iuuenes, olim tribunos a Valeriano factos: qui Gallieno imperante, quod boni sunt, salui esse nõ possunt.* Tunc ille, vbi *intellectum se esse comperit, *Do,* inquit, *manus, de meo stipendium militi duplex daturus: tu tantum præfecti mihi studium, & annonam in necessariis locis præbe. Iam ego faxim vt Gallienus sordidissimus fœminarum omnium, duces sui parentis intelligat.* Factus est igitur cum Macriano & Quieto duobus filiis, cunctis militibus volentibus, Imperator. Ac statim contra Gallienum venire cœpit, vtcumque rebus in oriente derelictis. Sed quum XLV millia militum secum duceret, in Illyrico vel in Thraciatum extremis congressus cum Aureolo, victus & cum filio interemptus est. Triginta deniq; milia militum in Aureoli potestatem concessere. Domitianus autem eumdem vicit, dux Aureoli fortissimus & vehementissimus, qui se originem diceret a Domitiano Imperatore trahere atque a Domitilla. De Macriano autem nefas mihi videtur iudicium Valeriani præterire, quod ille in oratione sua quam ad senatum e Persidis finibus miserat, posuit Inter cetera ex oratione diui Valeriani: *Ego P. C. bellum Persicum gerens, Macriano totam remp. credidi, quod a parte militari ille vobis fidelis, ille mihi deuotus, illum & amat & timet miles. Vtcumque res exegerit, cum exercitibus agit, nec P. C noua vel* inopinata nobis sunt, pueri eius virtus in Italia, adolescentis in Gallia, iuuenis in Thracia, in Africa iam prouecti, senescentis denique in Illyrico & Dalmatia comprobata est, quum in diuersis præliis ad exemplum fortiter faceret. Huc accedit quod habet iuuenes filios, Romano dignos collegio, nostra dignos amicitia.* & reliqua.

MACRIANVS IVNIOR, XII.

MVLTA de hoc in patris imperio prælibata sunt: qui numquam Imperator factus esset nisi prudentiæ patris eius creditum videretur. De hoc plane multa miranda dicuntur, quæ ad fortitudinem pertineant iuuenilis ætatis. Sed ad facta, aut quantum in bellis, * minus valet fortitudo. Hic enim vehemens cum prudentissimo patre, cuius merito imperare cœperat, a Domitiano victus, triginta (vt superius dixi) milibus militum spoliatus est · matre nobili, patre tantum forti & ad bellum parato, atque ab vltima militia in summum perueniente ducatum, & splendore sublimi.

QVIETVS, XIII.

HIc, vt diximus, Macriani filius fuit: cum patre & fratre, Balistæ iudicio, Imperator est factus. Sed vbi comperit Odenatus, qui olim iam orientem tenebat, ab Aureolo Macrianum patrem, Quietum, & eius fratrem Macrianum victos, milites in eius potestatem concessisse; quasi Gallieni partes vindicaret, adolescentem cum Balista præfecto dudum interemit. Idem quoque adolescens * dignissimus

Rom. imperio fuit, vt vere Macriani filius, & Macrianus *etiam frater: qui duo afflictis rebus potuerunt remp. gerere. Videtur non mihi prætereundum de Macrianorum familia, quæ hodieque floret, id dicere quod speciale semper habuerunt. Alexandrum Magnum Macedonem viri in auro & argento, mulieres [&] in reticulis & dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere, exsculptum semper habuerunt: eousque vt tunicæ & limbi & pænulæ matronales in familia eius hodieque sint, quæ Alexandri effigiem *de liciis variantibus monstrent. Vidimus proxime Cornelium Macrum in eadem familia virum, quum cœnam in templo Herculis daret, pateram electrinam, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem historiam contineret signis breuibus & minutulis, põtifici propinare: quam quidem circumferri ad omnes tanti illius viri cupidissimos iussit. Quod idcirco posui, quia dicuntur iuuari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant vel argento.

ODENATVS, XIIII.

NISI Odenatus princeps Palmyrenorum, capto Valeriano, fessis Rom. reipubl. viribus sumpsisset imperium, in oriente res perditæ essent. Quare assumpto nomine primum regali, cum vxore Zenobia, & filio maiore, cui erat nomen Herodes, minoribus Herenniano & Timolao, collecto exercitu contra Persas profectus est. Nisibin primum & orientis pleraque cum omni Mesopotamia in potestatem recepit: deinde ipsum regem victum fugere coegit: postremo Ctesiphonta vsque, Saporem & eius liberos persequutus, captis concubinis, capta etiam magna præda, ad orientem vertit, sperãs quod Macrianum, qui imperare contra Gallienum cœperat, posset opprimere. sed illo iam profecto contra Aureolum & contra Gallienum, eo interempto, filium Quietum interfecit, Balista (vt pleríque asserunt) regnum vsurpante, ne & ipse posset occidi. Composito igitur magna est parte orientis statu, a consobrino suo Mæonio, qui & ipse imperium sumpserat, interemptus est cum filio suo Herode; qui & ipse post reditum de Perside cum patre Imperator est appellatus. Iratum fuisse reipub. deum credo, qui interfecto Valeriano noluit Odenatum reseruare. Ille plane cum vxore Zenobia, non solum orientem, quem iam in pristinum reformauerat statum, sed omnes omnino totius orbis partes reformasset, vir acer in bellis, & quantum plerique scriptores loquuntur, venatu memorabili semper inclytus, qui a prima ætate capiendis leonibus & pardis, vrsis, ceterisque siluestribus animalibus, sudorem officii virilis impendit: quique semper in siluis ac montibus vixit, perferens calorem, pluuias, & omnia mala quæ in se continent venatoriæ voluptates: quibus duratus, solem ac puluerem bellis Persicis tulit: non aliter etiam coniuge assueta, quę multorum sententia fortior marito fuisse perhibetur: mulierum omnium nobilissima orientalium fœminarum, & (vt Cornelius Capitolinus asserit) speciosissima.

HERODES, XV.

NON Zenobia matre, sed priore vxore genitus, Herodes cum patre accepit imperium; homo omnium delicatissimus, & prorsus orientalis & Græcæ luxuriæ: cui erant sigillata tentoria, & aurati papiliones, & omnia Persica. Denique ingenio eius vsus Odenatus, quidquid concubinarum regalium, quidquid diuinarum gemmarumque cepit, eidem tradidit, paternæ indulgentiæ affectione permotus. Et erat circa illum Zenobia nouercali animo: quare commendabiliorem patri eum fecerat: neque plura sunt quæ de Herode dicantur.

MÆONIVS, XVI.

HIc consobrinus Odenati fuit: nec vlla re alia ductus nisi damnabili inuidia, Imperatorem optimum interemit, quum ei nihil aliud *obiiceretur præter filii Herodis delicias. Dicitur autem primum cum Zenobia consensisse: quæ ferre non poterat vt priuignus eius Herodes priore loco quam filii eius Herennianus & Timolaus, principes dicerentur. Sed hic quoque spurcissimus fuit. quare Imperator appellatus per errorem, breui a militibus pro suæ luxuriæ meritis interemptus est.

BALI-

BALISTA, XVII.

DE hoc, vtrum imperauerit, scriptores inter se ambigunt. Multi enim dicunt, Quieto per Odenatum occiso, Balistæ veniam datam: tamen eum imperasse, quod nec Gallieno, nec Aureolo, nec Odenato se crederet. Alii asserũt, priuatũ eum in agro suo, quem apud* Daphnen sibi compararat, interemptum. Multi & sumpsisse illum purpuram, & more Romano imperasse, exercitum duxisse, & de se plura promisisse dixerunt: occisum aũt per hos quos Aureolus miserat ad comprehẽdendum Quietum Macriani filium: quem prædam suam esse dicebat. Fuit vir insignis, eruditus ad gerendam rempubl. in consiliis vehemens, in expeditionibus clarus, in prouisione annonaria singularis. Valeriano sic acceptus, vt eum quibusdam litteris hoc testimonio prosequutus sit: *Valerianus Ragonio Claro præfecto Illyrici & Galliarum. Si quid in te bonæ frugis est, quam esse scio parens Clare, dispositionem Balistæ* prosequere. Hac in forma remp. vides, vt nec ille prouinciales grauet, vt illic equos contineat vbi sunt pabula, illic annonas militum mandet vbi sunt frumenta: non prouincialem, non possessorem cogat illic frumenta, vbi non habet, dare, illic equum, vbi non potest, pascere: nec est vlla alia prouisio melior quam vt in locis suis erogentur quæ nascuntur; ne aut vehiculis aut sumptibus rempublicam grauent. Galatia frumentis abundat, referta est Thracia, plenũ est Illyricum: illic pedites collocentur. quamquam in Thracia etiam equites sine noxa prouincialium hiemare possint. Multum enim ex campis fœni colligitur. Iam vbi laridum, iam ceteræ species, in his dandæ sunt locis in quibus affatim redundant. Quæ omnia sunt Balistæ consilia, qui ex quaque prouincia vnam tantum speciem præberi iussit, quod ea redundaret, atque ab ea milites submoueri id quod publicitus est decretum.* Est & alia eius epistola qua gratias Balistæ agit: in qua docet sibi præcepta gubernandæ reip. ab eodem data: gaudens quod eius consilio nullum *adscriptitium, id est vacantem, haberet, & tribunum nullum stipatorem, qui non vere pugnaret. Hic igitur vir in tentorio suo cubans, a quodam gregario milite Odenati, in Gallieni gratiam dicitur interemptus. De quo ipse vera non satis compen, idcirco quod scriptores temporum de huius præfectura multa, de imperio pauca dixerunt.

VALENS, XVIII.

HIc vir militaris, simul etiam ciuilium virtutum gloria pollens, proconsulatum Achaiæ dato a Gallieno tunc honore gubernabat: quem Macrianus vehementer reformidans, simul quod in omni genere vitæ satis clarum norat, simul quod inimicum sibi esse inuidia virtutum sciebat, misso Pisone nobilissimæ tunc & consularis familiæ viro, interfici præcepit. Valens diligentissime cauens & prouidens, neque aliter sibi posse subueniri existimans, sumpsit imperium: & breui a militibus interemptus est.

VALENS SVPERIOR, XIX.

FVIT & VALENS SVPERIOR: & bene venit in mentem: & quum de hoc Valente loquimur, etiam de illo Valente qui superiorum principum temporibus interemptus est, aliquid dicemus. Nam huius Valentis qui sub Gallieno imperauit, auunculus magnus fuisse perhibetur. alii tantum auunculum dicunt. Sed pãr in ambobus fuit fortuna. Nam & ille, quum paucis diebus Illyrico imperasset, occisus est.

PISO, XX.

HIc a Macriano ad interficiendum Valentem missus, vbi eum prouidum futurorum imperare cognouit, Thessaliam concessit: atque illic paucis sibi consentientibus sumpsit imperium; *Thessalicusque* appellatus, interemptus est: vir summæ sanctitatis, & temporibus suis *Frugi* dictus, & qui ex illa Pisonum familia ducere originem diceretur, cui se Cicero nobilitandi caussa sociauerat. Hic omnibus principibus acceptissimus fuit. Ipse denique Valens, qui ad eum percussores misisse perhibetur, dixisse dicitur, non sibi apud deos inferos constare rationem, quod, quamuis hostem suum, Pisonem tamen iussisset occidi, virum cui similem Romana respublica non haberet. Senatusconsultum de Pisone factum, ad noscendam eius maiestatem, libenter inserui. Die septimo Calend Iulias, quum esset nuntiatum Pisonem a Valente interemptum, ipsum Valentem a suis occisum, Aurelius Fuscus

consularis primæ sententiæ, qui in locum Valeriani successerat, ait, *Consul consule.* Quumque consultus esset, *Diuinos*, inquit, *honores Pisoni decerno P. C. Gallienum, & Valerianum, & Saloninum, Imperatores nostros esse confido. Neque enim melior vir quisquam fuit, neque constantior.* Post quem ceteri consulti, statuam inter triumphales, & currus quadriiugos Pisoni decreuerunt. Sed statua eius videtur: quadrigæ autem quæ decretæ fuerant, quasi transferendæ ad alium, positæ sunt, nec adhuc redditæ. Nam in his locis fuerunt positæ in quibus thermæ Diocletianæ sunt exædificatæ, tam æterni nominis quam sacrati.

ÆMILIANVS, XXI.

ET hoc familiare est populo Ægyptiorum, vt vel furiosi ac dementes, de leuibus quibusque ad summæ reipubl. pericula perducantur. Sæpe illi ob neglectas salutationes, locum in balneis non concessum, carnem & olera sequestrata, calciamenta seruilia, & cetera talia, vsque ad summum reip. periculum seditionis, ita vt armarentur contra eos exercitus, peruenerunt. Familiari ergo sibi furore, quum *quodam die cuiusdam seruus curatoris qui Alexandriam tunc regebat, *militarie ob hoc cæsus esset quod crepidas suas meliores esse quam militis diceret, collecta multitudo ad domum Æmiliani ducis anceps venit, atque eum omni seditionum instrumento & furore persequuta est: ictus est lapidibus, petitus est ferro: nec defuit vllum seditionis telum. Quare coactus Æmilianus sumpsit imperium, quum sciret sibi vndecumque pereundũ. Consenserunt ei Ægyptiacus exercitus, maxime in Gallieni odium: nec eius ad regendam rempublicam vigor defuit. Nam Thebaidem totamq; Ægyptum peragrauit; &, quatenus potuit, barbarorum gentes forti auctoritate submouit. Denique *Alexander* vel *Alexandrinus* (nam incertum id quoque habetur) virtutum merito vocatus est. Et quum contra Indos pararet expeditionem, misso Theodoto duce, Gallieno iubente, dedit pœnas: siquidem strangulatus in carcere captiuorum *veterum more perhibetur. Tacendum esse non credo, quod quum de Ægypto loquor, vetus suggessit historia, simul etiam Gallieni factũ: qui quum Theodoto vellet imperium proconsulare decernere, a sacerdotibus est prohibitus, qui dixerunt fasces consulares ingredi Alexandriam non licere. Cuius rei etiam Ciceronem, quum contra Gabinium loquitur, meminisse satis nouimus. denique non exstat memoria rei frequentatę. Quare scire oportet, Herennium Celsum vestrum parentem, dum consulatum cupit, hoc quod desiderat, non licere. Fertur enim apud Memphim in aurea columna Ægyptiis esse litteris scriptum, tunc demum Ægyptum liberam fore, quum in eam venissent Romani fasces, & prætexta Romanorum: quod apud *Proculum grammaticum doctissimum sui temporis virum, quum de peregrinis regionibus loquitur, inuenitur.

SATVRNINVS, XXII.

OPTIMVS ducum Gallieni tempore, *sed a Valeriano dilectus Saturninus fuit. Hic quoq; quum dissolutionem Gallieni pernoctantis in publico ferre nõ posset, & milites non exemplo Imperatoris sui, sed suo regeret, ab exercitibus sumpsit imperium: vir prudentiæ singularis, grauitatis insignis, vitæ amabilis, victoriarũ barbararum etiam vbiq; notatum. Hic ea die qua est amictus a militibus peplo imperatorio, cõcione adhibita dixisse fertur, *Commilitones bonum ducem perdidistis, & malum principem fecistis.* Deniq; quum multa strenue in imperio fecisset, quod esset seuerior & grauior militibus, ab iisdem ipsis a quibus factus fuerat, interemptus est. Huius insigne est, quod conuiuio discumbere milites, ne inferiora nudarentur, cum sagis iussit hieme grauibus, æstate perlucidis.

TETRICVS SENIOR, XXIII.

INTERFECTO Victorino & eius filio, mater eius Victoria siue Victorina, Tetricũ senatorem pop. Rom. præsidatum in Gallia regentem, ad imperium hortata, quod eius erat (vt pleriq; loquuntur) affinis, Augustum appellari fecit, filiumq; eius Cæsarem nuncupauit. Et quum multa Tetricus feliciter egisset, diuque imperasset, ab Aureliano victus, quum militum suorum impudentiam & procacitatem ferre non posset, vo-

fer, volens se grauissimo principi & seuerissimo dedit. Versus denique illius fertur, quem statim ad Aurelianum scripserat, *Eripe me his inuicte malis.* Quare quum Aurelianus nihil simplex neque mite aut tranquillum facile cogitaret, senatorem pop. Rom. eumdemque consularem, qui iure* præsidali omnes Gallias rexerat, per triumphum duxit eodem tempore quo & Zenobiam Odenati vxorem cum filiis minoribus Odenati, Herenniano & Timolao. Pudore tamen victus vir nimium seuerus, eum quem triumphauerat, correctorem totius Italiæ fecit, id est Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Etruriæ, atque Vmbriæ, Piceni, & Flaminię, omnisque annonariæ regionis: ac Tetricum non solum viuere, sed etiam in summa dignitate manere passus est; quum illum sæpe collegam, nonnumquam commilitonem, aliquando etiam imperatorem appellaret.

TETRICVS IVNIOR, XXIIII.

HIc puerulus a Victoria Cæsar est appellatus, quum illa *mater castrorum* ab exercitu nuncupata esset qui & ipse cum patre per triumphum ductus, postea omnibus senatoriis honoribus functus est, illibato patrimonio; quod quidem ad suos posteros misit, vt Gellius Fuscus dicit, semper insignis. Narrabat auus meus, hunc sibi familiarem fuisse, neq; quemquam illi ab Aureliano, aut postea ab aliis principibus, esse prælatum. Tetricorum domus hodieque exstat in monte Cælio inter duos lucos contra Isium Metellinum, pulcherrima, in qua Aurelianus pictus est, vtrique prætextam tribuens [&] senatoriam dignitatem, accipiens ab his sceptrum, coronam ciuicam picturatam de* museo. Quam quum dedicasset, Aurelianum ipsum dicuntur duo Tetrici adhibuisse conuiuio.

TREBELLIANVS, XXV.

PVDET iam persequi quanti sub Gallieno fuerunt tyranni, vitio pestis illius: siquidem erat in eo ea luxuria, vt rebelles plurimos mereretur; & ea crudelitas, vt iure timeretur. Quare & in Trebellianum factum in Isauria principē, ipsis Isauris sibi ducem quærentibus: quem quum alii archipiratam vocassent, ipse se Imperatorem appellauit. Monetam etiam cudi iussit; palatium in arce Isauriæ constituit: qui quidem quum se in intima Isaurorum loca, munitus difficultatibus locorum & montibus, cōtulisset, aliquamdiu apud Cilicas imperauit. Sed per Gallieni ducem Causisoleum natione Ægyptium, fratrem Theodoti, qui Æmilianum ceperat, ad campum deductus, est victus & occisus. Neq; tamen postea Isauri, timore ne in eos Gallienus sæuiret, ad æqualitatem perduci quauis principum humanitate potuerunt. Denique post Trebellianum pro barbaris habentur; & quum in medio Rom. nominis solo regio eorum sit, nouo genere custodiarum quasi limes includitur, locis defensa non hominibus. Nam non sunt statura decori, non virtute graues, non instructi armis, non cōsiliis prudentes; sed hoc solo securi, quod in editis positi adiri nequeunt: quos quidem diuus Claudius pene ad hoc perduxerat, vt a suis semotos locis in Cilicia collocaret, daturus vni ex amicissimis omnem Isaurorum possessionem, nequid ex ea postea rebellionis oriretur.

HERENNIANVS, XXVI.

ODENATVS moriens duos paruulos reliquit, Herennianum, & fratrem eius Timolaum: quorum nomine Zenobia, vsurpato sibi imperio diutius quam fœminam decuit, remp. obtinuit, paruulos Rom. Imperatoris habitu proferens purpuratos, eosdemque adhibens concionibus: quas illa viriliter frequentauit. Didonem, & Semiramidem, & Cleopatram sui generis principem, inter cetera prædicans Sed de eorum exitu incertum est. Multi enim dicunt eos ab Aureliano interemptos, multi morte sua esse consumptos: siquidem Zenobiæ posteri etiam nunc Romæ inter nobiles manent.

TIMOLAVS, XXVII.

DE hoc ea putamus digna notatione, quæ de fratre sunt digna. Vnum tamen est quod eum a fratre separat, quod tanti fuit ardoris ad studia Romana, vt breui consequutus, quæ insinuauerat grammaticus, esse dicatur: potuisse quin etiam summum Latinorum rhetorem facere.

CELSVS, XXVIII.

OCCVPATIS partibus Gallicanis, orientalibus, quinetiam Ponti, Thraciarum, & Illyrici, dum Gallienus popinatur, & balneis ac lenonibus *deputat vitam, Afri quoque, auctore Vibio Passieno, proconsule Africæ, & Fabio Pomponiano duce limitis Libyci, Celsum Imperatorem appellauerunt, peplo deæ Cælestis ornatum. Hic priuatus ex tribunis in Africa positus, in agris suis viuebat: sed ea iustitia, & corporis magnitudine, vt dignus videretur imperio. Quare creatus per quandam mulierem, Gallienam nomine, consobrinam Gallieni, septimo die interemptus est, atque *adeo etiam inter obscuros principes vix relatus est. Corpus eius a canibus cõsumptum est, *Siccensibus qui Gallieno fidem seruauerant, perurgentibus: & nouo iniuriæ genere imago in crucem sublata, persultante vulgo, quasi patibulo ipse Celsus videretur affixus.

ZENOBIA, [XXIX.]

OMNIS consumptus est pudor: siquidem fatigata republ. eousque peruentum est vt Gallieno nequissime agente, optime etiam mulieres imperarent. Et quidem peregrina, nomine Zenobia, de qua iam multa dicta sunt, quæ se de Cleopatrarum Ptolemæorumque gente iactaret, post Odenatum maritum, imperiali sagulo perfuso per humeros habitu, donis ornata, diademate etiam accepto, nomine filiorum Herenniani & Timolai, diutius quam fœmineus sexus patiebatur, imperauit. Siquidem Gallieno adhuc regente remp. regale mulier superba munus obtinuit: & Claudio bellis Gotthicis occupato, vix denique ab Aureliano victa & triumphata, concessit in iura Rom. Exstat epistola Aureliani, quæ captiuæ mulieri testimonium fert. Nam quum a quibusdam reprehenderetur quod mulierem, veluti ducem aliquem, vir fortissimus triumphasset, missis ad senatum populumq; Rom. litteris, hac se attestatione defendit; *Audio P. C. mihi obiici quod non virile munus impleuerim, Zenobiam triumphando. Næ, illi qui me reprehendunt, satis laudarent, si scirent qualis illa est mulier, quam prudens in consiliis, quam constans in dispositionibus, quam erga milites grauis, quam larga quum necessitas postulet, quam tristis quum seueritas poscat. Possum dicere, illius esse quod Odenatus Persas vicit, ac fugato Sapore Ctesiphontem vsque peruenit. Possum asserere, tanto apud orientales & AEgyptiorum populos timori mulierem fuisse, vt se non Arabes, non Sarraceni, non Armenii commouerent. Nec ego illi vitam conseruassem, nisi eam scissem multum Rom. reip. profuisse, quum sibi vel liberis suis orientis seruaret imperium. Sibi ergo habeant propriarum venena linguarum hi quibus nihil placet. Nam si vicisse ac triumphasse fœminam non est decorum, quid de Gallieno loquuntur, in cuius contemptum hæc bene rexit imperium? quid de diuo Claudio, sancto ac venerabili duce, qui eam, quod ipse Gotthicis esset expeditionibus occupatus, passus esse dicitur imperare? idque occulte ac prudenter, vt illa seruante orientalis fines imperii, ipse securius quæ instituerat perpetraret?* Hæc oratio indicat quid iudicii Aurelianus habuerit de Zenobia: cuius ea castitas fuisse dicitur, vt ne virum suum quidem sciret, nisi tentatis conceptionibus. Nam quum semel concubuisset, exspectatis menstruis continebat se, si prægnans esset: sin minus, iterum potestatem quærendis liberis dabat. Vixit regali pompa, more magis, Persico. Adorata est more regum Persarum. Conuiuata est imperatorum more Rom. Ad conciones galeata processit cum limbo purpureo, gemmis dependentibus per vltimam fimbriam, media etiam *cyclade veluti fibula muliebri astricta, brachio sæpe nudo. Fuit vultu subaquilo, fusci coloris, oculis supra modum vigentibus, nigris; spiritus diuini, venustatis incredibilis: tantus candor in dentibus, vt margaritas eam plerique putarent habere, non dentes. Vox clara & virilis: seueritas, vbi necessitas postulabat, tyrannorum: bonorum principum clementia, vbi pietas requirebat. Larga prudenter, conseruatrix thesaurorum vltra fœmineum modum. Vsa vehiculo carpentario, raro pilento, equo sæpius. Fertur autem vel tria vel quatuor milia frequenter cum peditibus ambulasse. Nata est Hispanorum cupiditate. bibit sæpe cum ducibus; quum esset alias sobria: bibit etiam cum Persis atque Armeniis, vt eos vinceret. Vsa est vasis aureis gemmatis ad conuiuia; quibus & Cleopatra vsa est. In ministerio eunuchos grauioris ætatis habuit, puellas nimis raras. Filios Latine loqui iusserat, ad-

fat, adeo vt Græce vel difficile vel raro loquerentur. Ipsa Latini sermonis non vsquequaque ignara; sed vt loqueretur, pudore cohibita: loquebatur & Ægyptiace ad perfectum modum. Historiæ Alexandrinæ atque orientalis ita perita, vt eam epitomasse dicatur: Latinam autem Græce legerat. Quum illam Aurelianus cepisset, atque in conspectum suum ductam sic appellasset, *Quid ô Zenobia ausa es insultare Romanis Imperatoribus?* illa dixisse fertur, *Imperatorem te esse cognosco qui vincis; Gallienum & Aureolum, & ceteros, principes non putaui. Victoriam mei similem credens, in consortium regni venire, si facultas locorum pateretur, optaui.* Ducta est igitur per triumphum ea specie, vt nihil pompabilius populo Rom. videretur. iam primum ornata gemmis ingentibus, ita vt ornamentorum onere laboraret. fertur enim mulier fortissima sæpissime restitisse, quum diceret se gemmarum onera ferre non posse. Vincti erant præterea pedes auro, manus etiam catenis aureis: nec collo aureum vinculum deerat, quod scurra Persicus præferebat. Huic ab Aureliano viuere concessum est. Ferturque vixisse cum liberis, matronæ iam more Romanæ, data sibi possessione in Tiburti; quæ hodieque Zenobia dicitur, non longe ab Adriani palatio, atq; ab eo loco cui nomen est Conche.

VICTORIA, [XXX.]

NON tam digna res erat vt etiam Victorina, siue Victoria, in litteras mitteretur, nisi Gallieni mores hoc facerent, vt memoria dignæ etiam mulieres censerentur. Victoria enim, vbi filium ac nepotem a militibus vidit occisos, Posthumum, deinde Lollianum, Marium etiam, quem Principem milites nuncuparunt, interemptos, Tetricum (de quo superius dictum est) ad imperium hortata est, vt virile semper facinus auderet. Insignita est præterea hoc titulo, vt *Castrorum* se diceret *matrem*. Cusi sunt eius nummi ærei, aurei, & argentei; quorum hodieque forma exstat apud Treuiros. quæ quidem non diutius vixit. Nam Tetrico imperante, vt plerique loquuntur, occisa: vt alii asserunt, fatali necessitate consumpta.

HÆC sunt quæ de triginta tyrannis dicenda videbantur: quos ego in vnum volumen idcirco contuli, ne, si de singulis singula quæque narrarem, nascerentur indigna fastidia, & ea quæ ferre lector non posset. Nunc ad Claudium principem redeo: de quo speciale mihi volumen, quamuis breue, merito vitæ illius videtur edendum, addito fratre singulari viro: ita vt de familia tam sancta & tam nobili saltem pauca referantur. Studiose in medio fœminas posui ad ludibrium Gallieni; quo nihil prodigiosius passa est respubl. Rom. duos etiam nunc tyrannos, quasi extra numerum (quod * alieni essent temporis) additurus: vnum, qui fuit Maximini temporibus; alterum, qui Claudii: vt tyrannorum triginta viri hoc volumine tenerentur. Quæso qui expletum iam librum acceperas, boni consulas, atque hos voluminituo volens addas: quos ego, quemadmodum Valentem superiorem huic volumini, sic post Claudium & Aurelianum his qui inter Tacitum & Diocletianum fuerunt, addere destinaueram. Sed errorem meum * maior historiæ diligentia tuæ eruditionis auenit. Habeo igitur gratiam quod titulum meum prudentiæ tuæ benignitas impleuit. Nemo in templo Pacis dicturus est me fœminas inter tyrannos, cum risu & ioco, tyrannas videlicet & tyrannides, vt ipsi de me solent iactare, posuisse. Habent integrum numerum ex arcanis historiæ in meas litteras datum. Titus enim & Censorinus, quorum vnus, vt dixi sub Maximino, alter sub Claudio fuit, ambo ab iisdem militibus, a quibus purpura velati fuerant, interempti sunt.

* TITVS, XXIX.

DOCET Dexippus, nec Herodianus tacet, omnesque qui talia legenda posteris tradiderunt, Titum tribunum Maurorum, qui a Maximino inter priuatos relictus fuerat, timore violentæ mortis, vt alii dicunt, inuitum vero, & a militibus coactum, vt plerique asserunt, imperasse. Atque hunc intra paucos dies post vindicatam defectionem, quam consularis vir Magnus Maximino parauerat, a suis militibus interemptum. Imperasse autem mensibus sex. Fuit hic vir de primis erga rempubl. domi forisque laudabilis: sed imperio parum felix. Alii dicunt, ab Arme-

nüs sagittariis, quos Maximinus vt Alexandrinos & oderat & offenderat, principem factum. Nec mirere tantam esse varietatem de homine, cuius vix nomen agnoscitur. Huius vxor Calphurnia, fuit sancta & venerabilis fœmina, de genere Censorinorum, id est Pisonum, quam maiores nostri * vniuiriam sacerdotem inter sacratissimas fœminas adorarunt: cuius statuam in templo Veneris adhuc * videmus Argolicam, sed * auratam. Hæc vniones Cleopatranas habuisse perhibetur: hæc lancem centum librarum argenti, cuius plerique poetæ meminerunt; in qua maiorum eius expressa ostenditur historia. Longius mihi videor processisse quam res postulabat: sed quid faciam? [omnis] scientia naturæ facilitate verbosa est. Quare ad Censorinum reuertar, hominem nobilem; sed qui non tam bono quam malo reip. septem diebus dicitur imperasse.

CENSORINVS, XXX.

CENSORINVS, vir plane militaris, & antiquæ in curia dignitatis, * bis consul, bis præfectus prætorii, ter præfectus vrbi, quarto proconsul, tertio consularis, legatus prætorius, secundo, quarto ædilitius, tertio quæstorius; extra ordinem quoque legatione Persica functus, etiam Sarmatica. Post omnes tamen honores, quum in agro suo degeret senex, atque vno pede claudicans vulnere quod bello Persico Valeriani temporibus acceperat, factus est Imperator, & scurrarum ioco CLAVDIVS appellatus est. Quumque se grauissime gereret, neque a militibus ob disciplinam censoriam ferri posset, ab his ipsis a quibus factus fuerat, interemptus est. Exstat eius sepulcrum, in quo grandibus litteris circa Bononiam incisi sunt omnes eius honores; vltimo tamen versu adscripto, FELIX AD OMNIA, INFELICISSIMVS IMPERATOR. Exstat eius familia, Censorinorum nomine frequentata: cuius pars Thracias odio rerum Romanarum, pars Bithyniam petiit. Exstat etiam domus pulcherrima adiuncta gentibus Flauiis, quæ quondam Titi principis fuisse perhibetur.

HABES integrum numerum triginta tyrannorum, qui eum * male nobis quidem, sed bono animo caussabaris. Da nunc cui vis libellum, non tam diserte quam fideliter scriptum. Neque ego eloquentiam videor pollicitus esse, sed rem: qui hos libellos quos de vita principum edidi, non scribo, sed dicto: & dicto cum ea festinatione quam, si quid vel ipse promisero, vel tu petieris, sic perurges vt respirandi non habeam facultatem.

TREBELLII POLLIONIS
DIVVS CLAVDIVS.

FELICITER ventum est ad principem Claudium, qui nobis intuitu Constantii Cæsaris cum cura in litteris digerendus est. De quo ego idcirco recusare non potui, quod alios, tumultuarios videlicet Imperatores ac regulos, scripseram eo libro quem De triginta tyrannis edidi; qui Cleopatranam etiam stirpem, & Victorianam, & quæ nunc est, detinet. Siquidem eo res processit, vt mulierum etiam vitas scribi Gallieni comparatio effecerit. Neque enim fas erat eum tacere principem qui tantam generis prolem, qui bellum Gotthicum sua virtute confecit, qui manum publicis cladibus victor imposuit, qui Gallienũ prodigiosum Imperatorem, etiamsi non auctor consilii fuit, tamen ipse imperaturus, bono generis humani, a gubernaculis publicis depulit: qui si diutius in hac esset commoratus republica, Scipiones bonos & Camillos, omnesq; illos veteres, suis virtutibus, suis consiliis, sua prouidẽtia reddidisset. Breue illius in imperio fuit tempus: sed breue fuisset etiam si, quantũ hominum vita suppetit, tantum vir talis imperare potuisset. Quid enim in illo non mirabile? quid non conspicuum? quid non triumphalibus vetustissimis præferendũ? In quo Traiani virtus, Antonini pietas, Augusti moderatio, & magnorum principum bona sic fuerunt, vt non ab aliis exemplum caperet, sed etiam si illi nõ fuissent, hic ceteris reliquisset exemplum. Doctissimi mathematicorum centũ & viginti

annos

annos homini ad viuendum datos iudicant, neque amplius cuiquam iactitant esse concessum; etiam illud addentes, Mosem solum, Dei (vt Iudæorum libri loquuntur) familiarem, CXXV annos vixisse: qui quum quereretur quod iuuenis interiret, responsum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus esse victurum. Quare etiam si C & XXV annos Claudius vixisset, necessariam quidem mortem eius exspectandam fuisse, vt* Tullius de Scipione loquitur pro Milone, stupenda & mirabilis docet vita. Quid enim magnum vir ille domi forisque non habuit? Amauit parentes. Quid mirum? Amauit & fratres: *iam potest dignum esse miraculo. Amauit propinquos: res nostris temporibus comparanda miraculo. Inuidit nulli, malos persequutus est. Fures iudices palam aperteque damnauit. Stultis, quasi * negligeret, indulsit. Leges optimas dedit. Talis in rep. fuit, vt eius stirpem ad imperium summi principes eligerent, emendatior senatus optaret. In gratiam me quispiam putet Constantii Cæsaris loqui: sed testis est & tua conscientia, & vita mea, nihil vmquã cogitasse, dixisse, fecisse gratiosum. Claudium principem loquor; cuius vita, probitas, & omnia quæ in republica gessit, tantam posteris famam dedere, vt senatus populusque Rom. nouis eum honoribus post mortem affecerit. Illi clypeus aureus, vel (vt grammatici loquuntur) clypeum aureum, senatus totius iudicio in Romana curia collocatũ est, vt etiam nunc videtur. Expressa thorace* vultus eius imago. Illi (quod nulli antea) populus Rom. sumptu suo in Capitolio ante Iouis optimi maximi templum, statuam auream decem pedum collocauit. * Illi totius orbis iudicio in rostris posita est columna, [cum] palmata statua superfixa, librarum argenti mille quingentarum. Ille, velut futurorum memor, gentes Flauias, quæ Vespasiani & Titi, nolo autem dicere Domitiani, fuerant, *propagauit. Ille bellum Gotthicum breui tempore impleuit. Adulator igitur senatus, adulator populus Rom. adulatrices exteræ gentes, adulatrices prouinciæ: siquidem omnes ordines, omnis ætas, omnis ciuitas, statuis, vexillis, coronis, fanis, arcubus bonum principem, aris ac templis honorauerunt. Interest eorum qui bonos imitantur principes, & totius orbis humani interest, cognoscere quæ de illo viro senatusconsulta sint condita; vt omnes iudicium publicæ mentis agnoscant. Nam quum esset nuntiatum nono Calend. Aprileis ipso in sacrario Matris *sanguinis die Claudium Imperatorem factum, neque cogi senatus sacrorum celebrandorum caussa posset; sumptis togis itum est ad Apollinis templum, ac lectis litteris Claudii principis, hæc in Claudium dicta sunt; *Auguste Claudi, dii te nobis præstent:* (dictum sexagies) *Claudi Auguste, principem te, aut qualis tu es semper optauimus:* (dictum quadragies) *Claudi Auguste, te resp. requirebat:* (dictum quadragies) *Claudi Auguste, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus* senator, tu vere princeps:* (dictum * octuagies) *Claudi Auguste, tu nos ab Aureolo vindica:* (dictum quinquies) *Claudi Auguste, tu nos a Palmyrenis vindica:* (dictum quinquies) *Claudi Auguste, tu nos a Zenobia & a Victoria libera:* (dictum septies) *Claudi Auguste, Tetricus nihil fuit.* dictum septies. Qui primum vt factus est Imperator, Aureolum, qui grauior reipublicæ fuerat, quod multum Gallieno placebat, conflictu habito, a reipubl. gubernaculis depulit, tyrannumque missis ad populum edictis, datis etiam ad senatum orationibus, iudicauit. His accedit, quod arrogantem Aureolum, & fœdus petentem, Imperator grauis & seuerus non audiuit, responso tali repudiatum: *Hæc a Gallieno petenda fuerant, qui consentire moribus poterat & timere.* Denique iudicio militum apud Mediolanum Aureolus dignum exitum* vitæ ac moribus suis habuit: & hunc tamen quidam historici laudare conati sunt, & ridicule quidẽ. Nam *Gallus Antipater, ancillariorum & historicorum dehonestamentum, principium de Aureolo [sic] habuit; *Venimus ad Imperatorem nominis sui, *Magna eius videlicet virtus, ab auro nomen accipere.* At ego scio, sæpius inter gladiatores bonis pugnatoribus hoc nomen appositum. Habuit proxime tuus libellus munerarius hoc nomen in indice ludorum. Sed redeamus ad Claudium. Nam, vt superius diximus, illi Gothi qui euaserant eo tempore quo illos Macrianus est persequutus, quosque Claudius emitti non fuerat, ne quid fieret quod effectum est, omnes gentes suorum ad Romanas incitauerunt prædas. Denique Scytharum diuersi populi, *Peucini, Trutungi, Austrogotthi, Virungui, * Sigipedes, Celtæ etiam & Heruli, prædæ

cupiditate in Romanum ſolum & rempubl. venerunt, atque illic pleraque vaſtarunt, dum aliis occupatus eſt Claudius, dumque ſe ad id bellum quod confecit, Imperatorie inſtruit. vt videantur fata Romana boni principis occupatione lentata: ſed credo, vt Claudii gloria accreſceret, eiusque fieret glorioſior toto penitus orbe victoria. Armatarum denique gentium trecenta viginti milia tunc fuere. Dicat nunc qui nos adulationis accuſat, Claudium * minus eſſe amabilem. Armatorum trecenta viginti milia. Quis tandem Xerxes hoc habuit? quæ fabella iſtum numerum effinxit? quis poeta compoſuit? Trecenta viginti milia armatorum fuerunt. Adde ſeruos, adde familias; adde carraginem & epota flumina conſumptasque ſiluas. Laboraſſe denique terram ipſam, quæ tantum barbarici * tumoris excepit; terram puto. Exſtat ipſius epiſtola miſſa ad ſenatum, legenda ad populum, qua indicat de numero barbarorum: quæ talis eſt: *Senatui P. Q. Rom. Claudius princeps* (hanc autem ipſe dictaſſe perhibetur: ego verba magiſtri memoriæ non requiro) *P. C. militantes audite quod verum eſt.* CCCXX *milia barbarorum in Romanum ſolum armati venerunt: hæc ſi vicero, vos vicem reddite meritis: ſi non vicero, ſcitote me poſt Gallienum velle pugnare. Fatigata eſt tota reſp. Pugnabimus poſt Valerianum, poſt Ingenuum, poſt Regillianum, poſt Lollianum, poſt Poſthumum, poſt Celſum; poſt mille alios qui contemptu Gallieni principis a rep. defecerunt. Non ſcuta, non ſpatha, non pila iam ſuperſunt. Gallias & Hiſpanias, vires republicæ, Tetricus tenet; & omnes ſagittarios (quod pudet dicere) Zenobia poſſidet. Quidquid fecerimus, ſatis grande eſt.* Hos igitur Claudius ingenita illa virtute ſuperauit: hos breui tempore attriuit. De his vix aliquos ad patrium ſolum redire permiſit. Rogo quantum pretium eſt clypeus in curia tantæ victoriæ; quantum vna aurea ſtatua. Dicit Ennius de Scipione. *Quantam ſtatuam faciet populus Romanus, quantam columnam, quæ res tuas geſtas loquatur?* Poſſumus dicere, Flauium Claudium, vnicum in terris principem, non columnis, non ſtatuis, ſed famæ viribus adiuuari. Habuerunt præterea duo milia nauium, * duplicem ſcilicet numerum quam illum quo tota pariter Græcia, omnisque Theſſalia, vrbes etiam Aſiæ quondam expugnare conata eſt. Sed illud poeticus ſtilus fingit, hoc vera cōtinet hiſtoria. Claudio igitur ſcriptores adulamur, qui duo milia nauium barbararum, & trecenta viginti milia armatorum deleuit, oppreſſit, attriuit: qui carraginem tantam quantam numerus hic armatorum ſibimet aptare potuit & parare, nunc * incendia fecit, nunc cum omnibus familiis Romano ſeruitio deputauit; vt docet eiusdem epiſtola quam ad Iunium Brocchum ſcripſit, Illyricum tuentem. *Claudius Broccho. Deleuimus* CCCXX *milia Gotthorum;* II *milia nauium merſimus. Tecta ſunt flumina ſcutis, ſpathis & lanceolis omnia litora operiuntur. Campi oſſibus latent tecti; nullum iter purum eſt; ingens carrago deſerta eſt. Tantum mulierum cepimus, vt binas & ternas mulieres victor ſibi miles poſſit adiungere.* Et vtinam Gallienum non eſſet paſſa reſpubl. vtinam ſexcentos tyrannos non pertuliſſet. Saluis militibus quos prœlia ſuſtulerunt; ſaluis legionibus quas Gallienus male victor occidit, quantum eſſet additum reip. Siquidem nunc verba naufragii publici colligit noſtra diligentia ad Rom. reip. decus. Pugnatum eſt enim apud Mœſios, & multa prœlia fuerunt apud * Marcianopolin, multi naufragio perierunt, plerique capti reges, captæ diuerſarum gentium nobiles fœminæ: impletæ barbaris ſeruis, ſenibusque cultoribus Romanæ prouinciæ. Factus miles barbarus & colonus ex Gottho. Nec vlla fuit regio quæ Gotthum ſeruum triumphali quodam ſeruitio non haberet. Quid boum barbarorum noſtri videre maiores? quid ouium? quid equarum quas fama nobilitat Celticarum? Hoc totum ad Claudii gloriam pertinet. Claudius & ſecuritate remp. & opulentiæ nimietate donauit. Pugnatum præterea eſt apud Byzantios, ipſis qui ſuperfuerant Byzantiis fortiter facientibus. Pugnatum apud Theſſalonicenſes, quos Claudio abſente obſederant barbari. Pugnatum in diuerſis regionibus: & vbique auſpiciis Claudianis victi ſunt Gotthi: prorſus vt iam tunc Conſtantio Cæſari nepoti futuro * videretur Claudius ſecuram parare rempubl. Et * bene venit in mentem: exprimenda eſt ſors quæ Claudio data eſſe perhibetur, eo magis, vt intelligant omnes genus Claudii ad felicitatem reip. diuinitus conſtitutū. Nam quum conſuleret factus Imperator, quamdiu imperaturus eſſet, ſors talis emerſit, *Tu qui nunc patrias gubernas oras, Et mundum regis, arbiter deorum:*

**Inveteres tuis nouellis. Regnabunt etenim tui minores, Et reges facient suos minores.* Item quum in Apennino de se consuleret, responsum huiusmodi accepit: *Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.* Item quum de posteris suis; *His ego nec metas rerum nec tempora pono.* Item quum de fratre *Quintillo, quem consortem habere volebat imperii, responsum est; **Ostendent terris hunc tantum fata.* Quæ idcirco posui, vt sit omnibus clarum, Constantium diuini generis virum, sanctissimum [decerni] Cæsarem, & Augustæ ipsum familiæ esse, & Augustos multos de se daturum, saluis Diocletiano & Maximiano Augustis, & eius fratre Galerio. Sed dum hæc a diuo Claudio aguntur, Palmyreni, ducibus *Sabba & Timogene, contra Ægyptios bellum sumunt; atque ab his Ægyptia peruicacia & indefessa pugnandi continuatione vincuntur. Dux tamen Ægyptiorum Probatus, Timogenis insidiis interemptus est. Ægyptii vero omnes se Rom. Imperatori dediderunt, in absentis Claudii verba iurantes. *Atticiano & Orphito COSS. auspicia Claudiana fauor diuinus adiuuit. Nam quum se in Hæmi montem multitudo barbararum gentium quæ superfuerant, contulisset, illic ita fame ac pestilentia *laborarunt, vt iam Claudius dedignaretur & vincere. Denique finitum est asperrimum bellum, terrôresque Romani nominis sunt depulsi. Vera dici fides cogit; simul vt sciant hi qui adulatores nos existimari cupiunt, id quod historia dici postular, non *tacere. Eo tempore quo parta est plena victoria, plerique milites Claudii secundis rebus elati, quæ sapientium quoque animos fatigant, ita in prædam versi sunt, vt non cogitarent a paucissimis se posse fatigari, dum occupati animo atque corporibus, auertendis prædis inseruiunt. Denique in ipsa victoria prope duo milia militum a paucis barbaris, & iis qui fugerant, interempti sunt. Sed vbi hoc comperit Claudius, omnes qui rebelles animos extulerant, condicto exercitu rapit, atque in vincula Romam etiam mittit ludo publico deputandos. ita id quod vel fortuna vel miles egerat, virtute boni principis æquatum est. Nec sola de hoste victoria, sed etiam vindicta præsumpta est. In quo bello quod gestum est, equitum Dalmatarum ingens exstitit virtus, quod originem ex ea prouincia Claudius videbatur ostendere; quamuis alii Dardanum, & ab Ilio Troianorum atque ipso Dardano sanguinem dicerent trahere. Fuerunt per ea tempora & apud Cretam Scythæ, & Cyprum vastare tentarunt: sed vbique morbo exercitu laborante, superati sunt. Finito sane bello Gothico, grauissimus morbus increbuit; tunc quum etiam Claudius affectus morbo, mortales reliquit, & familiare virtutibus suis petiit cælum. Quo ad deos atque ad sidera demigrante, *QVINTILLVS frater eiusdem, vir sanctus, & sui fratris (vt vere diximus) frater, delatum sibi omnium iudicio suscepit imperium, non hereditarium, sed merito virtutum: qui factus esset Imperator, etiamsi frater Claudii principis nõ fuisset. Sub hoc barbari qui superfuerant, Anchialo vastata, conati sunt Nicopolim etiam obtinere. Sed illi prouincialium virtute obtriti sunt. Quintillus autem, ob breuitatem temporis, nihil dignũ imperio gerere potuit. Nam septimadecima die, quod se grauem & serium contra milites ostenderat, ac verum principem pollicebatur, eo genere quo Galba, quo Pertinax, interemptus est. Et Dexippus quidem Claudium non dicit occisum, sed tãtum mortuum. nec tamen addidit morbo. vt dubium sentire videatur. Quoniam res bellicas diximus, de Claudii genere & familia saltem pauca dicẽda sunt, ne ea quæ scienda sunt, prætermisse videamur. Claudius, Quintillus, & Crispus, fratres fuerunt. Crispi filia, Claudia: ex ea & Eutropio, nobilissimo gentis Dardanæ viro, Constantius Cæsar est genitus. Fuerunt etiam sorores: quarum vna, Cõstantina nomine, nupta tribuno Assyriorum, in primis annis defecit. De auis nobis parum cognitum. varia enim plerique prodiderunt. Ipse Claudius insignis morum grauitate, insignis vita singulari & vnica castimonia; vini parcus, ad cibum promptus; statura procerus, oculis ardentibus, lato & pleno vultu; digitis vsque adeo fortibus, vt sæpe equis & mulis ictu pugni dentes excusserit. Fecerat hoc etiam adolescens in militia, quum ludicro Martiali in campo luctamen inter fortissimos quosque monstraret. Nam iratus ei qui non balteum sed genitalia sibi contorserat, omnes dentes vno pugno excussit. Quæ res indulgentiam meruit pudore vindictæ: siquidem tunc Decius Imperator, quo præsente fuerat perpetratum, & vir-

tutem & verecundiam Claudii publice prædicauit. donatumque armillis & torquibus, a militum congressu *facessere præcepit, nequid atrocius quam luctamen exigit faceret. Ipsi Claudio liberi nulli fuerunt: Quintillus duos reliquit: Crispus, (vt diximus) filiam. Nunc ad iudicia principum veniamus, quæ de illo a diuersis edita sunt: & eatenus quidem, vt appareret *quandoque Claudium Imperatorem futurum. *Epistola Valeriani ad Zosimionem procuratorem Syriæ. Claudium Illyricianæ gentis virum, tribunum Martiæ quintæ legioni fortissimæ dedimus, virum deuotissimis quibusque ac fortissimis veterum præferendum. Huic salarium de nostro priuato ærario dabis, annuos frumenti modios tria milia, hordei sex milia, laridi libras duo milia, vini veteris sextarios tria milia quingentos, olei boni sextarios centum quinquaginta, olei secundi sextarios sexcentos, salis modios viginti, ceræ pondo centum quinquaginta: fœni, paleæ, aceti, oleris, herbarum, quantum satis est: pellium tentoriarum decurias triginta: mulos annuos sex, equos annuos tres, camelos annuas decem, mulas annuas nouem: argenti in opere *annua pondo quinquaginta; Philippeos nostri vultus annuos centum quinquaginta, & in strenis quadraginta septem, & trientes centum sexaginta. Item in *caucos & scyphos pondo vndecim: item in caucos & scyphos & zama pondo vndecim. *Tunicas russas militares annuas, sagochlamydes annuas duas, fibulas argenteas inauratas duas, fibulam auream *cum acu Cypream vnam: balteum argenteum inauratum vnum, annulum bigemmeum vncialem, brachialem vnum vnciarum septem, torquem librelem vnum; cassidem inauratam vnam, scuta chrysographata duo, loricam vnam, quam refundat: lanceas Herculianas duas, *aclides duas, falces duas, falces fœnarias quatuor. Cocum quem refundat, vnum: mulionem, quem refundat, vnum: mulieres speciosas ex captiuis duas. Albam subsericam vnam cum purpura *succubitana: subarmale vnum cum purpura Maura. *Notarium, quem refundat, vnum: structorem, quem refundat, vnum. Accubitalium Cypriorum paria duo: interulas puras: togam, quam refundat, vnam: latum clauum, quem refundat, vnum. Venatores qui obsequantur, duos: carpentarium vnum, *curam prætorii vnum; aquarium vnum, piscatorem vnum: dulciarium vnum. Ligni quotidiani pondo mille, si est copia: sin minus, quantum fuerit, & vbi fuerit: coctilium quotidiana batilla quatuor. Balneatorem vnum, & ad balneas ligna: sin minus, *lauetur in publico. Iam cetera quæ propter minutias suas scribi nequeunt, pro moderatione præstabis, sed ita vt nihil *adderetur. Et si alicubi aliquid defuerit, non pretium, nec in minimo exigatur. Hæc autem omnia idcirco specialiter non quasi tribuno, sed quasi duci detuli; quia vir talis est vt ei plura etiam deferenda sint. Item ex epistola eiusdem alia inter cetera ad *Ablauium Murænam præfectum prætorii: Desine autem conqueri quod adhuc Claudius est tribunus, nec exercitus ducem loco accipit: vnde etiam senatum & populum conqueri iactabas dux factus est, & dux totius Illyrici. habet in potestatem *Thracias, Mæsos, Dalmatas, Pannonios, Dacos exercitus: vir ille summus nostro quoque iudicio speret consulatum, si eius animo accommodum est: quando voluerit, *accipiat prætorianam, accipiat præfecturam. Sane scias tantum ei a nobis decretum salarii, quantum habet Ægypti præfectura, tantum vestium quantum proconsulatus Africano detulimus; tantum argenti quantum accipit curator Illyrici *Metatus, tantum ministeriorum quantum nos ipsi nobis per singulas quasque decernimus ciuitates. vt intelligant omnes quæ sit nostra de viro tali sententia. Item epistola Decii de eodem Claudio; Decius Messalæ præsidi Achaiæ salutem. inter cetera, Tribunum vero Claudium, optimum iuuenem, fortissimum militem, constantissimum ciuem, castris, senatui & reipubl. necessarium, in Thermopylas ire præcepimus, mandata eidem cura Peloponnensium, scientes neminem melius omnia qua iniungimus, esse curaturum. Huic ex regione Dardania dabis milites ducentos, ex cataphractariis centum, ex equitibus c. & sexaginta, ex sagittariis Creticis sexaginta, ex tironibus bene armatos mille. Nam bene illi noui creduntur exercitus. Neque enim illo quisquam deuotior, fortior, grauior inuenitur. Item epistola Gallieni, quum nuntiatum esset per frumentarios Claudium irasci quod ille mollius viueret: *Nihil me grauius accepit quam quod *notoria tua intimasti, Claudium parentem amicumque nostrum, insinuatis sibi falsis plerisque, grauiter irasci. Quæso igitur mi Venuste, si mihi fidem exhibes, vt eum facias a Grato & Herenniano placari, nescientibus hoc militibus *Daciscianis, qui iam sæuiunt, ne grauiter ferant. Ipse ad eum dona misi: quæ vt libenter accipiat, tu facias. Curandum præterea est ne me hoc scire intelligat, ac sibi succensere iudicet, & pro necessitate

cessitate

cessitate vltimum consilium capiat. Misi autem ad eum pateras gemmatas trilibres duas: scyphos aureos gemmatos trilibres duos: discum corymbiatum argenteum librarum viginti.* lancem argenteam pampinatam librarum triginta. patinam argenteam hederatam librarum XX & III.* boletare halieuticum argenteum librarum XX. vrceos duos auro inclusos argenteos librarum sex, & in vasis minoribus argenti libras XXV: calices Aegyptios, operisque diuersi, decem. Chlamydes* veri luminis limbatas duas. vestes diuersas XVI: albam subsericam* paragaudem triuncem vnam, *Zanchas de nostris* Parthicis paria tria: singiliones Dalmatenses X: chlamydem Dardanicam mantuelem vnam. panulam Illyricianam vnam: bardocucullum vnum: *cucutia villosa duo: oraria* Sarabadena quatuor: aureos Valerianos CL: trientes Saloninianos CCC.* Habuit & senatus iudicia, priusquam ad imperium perueniret, ingentia. Nam quum esset nuntiatum illum cum Macriano fortiter contra gentes in Illyrico dimicasse, acclamauit senatus, *Claudi dux fortissime, habeas virtutibus tuis, deuotioni tuæ. Claudio statuam omnes dicamus: Claudium consulem omnes cupimus. Qui amat rempublicam, sic agit: qui amat principes, sic agit: antiqui milites sic egerunt. Felicem te Claudi iudicio principum; felicem te virtutibus tuis; consulem te, te præfectum. Viuas Valeri, ameris a principe.* Longum est tam multa quam meruit vir ille, perscribere: vnum tamen tacere non debeo, quod illum & senatus & populus, ante imperium, & in imperio, & post imperium, sic dilexit, vt satis constet, neque Traianum, neque Antoninos, neq; quemquam alium principem sic amatum.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII

DIVVS AVRELIANVS.

*HILARIBVS, quibus omnia festa & fieri debere scimus & dici, impletis solennibus, vehiculo suo me & *iudiciali carpento præf. vrbis vir illustris ac præfata reuerentia nominandus, Iunius Tiberianus accepit. Ibi quum animus a caussis atque a negotiis publicis solutus ac liber vacaret, sermonem multum a palatio vsque ad hortos* Valerianos instituit: & in ipso præcipue de vita principum. Quumq; ad templum Solis venissemus, ab Aureliano principe consecratum, quod ipse non nihilum ex eius origine sanguinem duceret, quæsiuit a me quis vitam eius in litteras retulisset. Cui ego quum respondissem, neminem a me Latinorum, Græcorum aliquos lectitatos, dolorem gemitus sui vir sanctus per hæc verba profudit. *Ergo Thersitem, Sinonem, ceteraque illa prodigia vetustatis, & nos bene scimus, & posteri frequentabunt: diuum Aurelianum, clarissimum principem, seuerissimum imperatorem, per quem totus Romano nomini orbis est restitutus, posteri nescient? Deus auertat hanc amentiam. Et tamen, si bene noui, ephemeridas illius viri scriptas habemus, etiam bella charactere historico digesta: quæ velim accipias, & per ordinem scribas, additis quæ ad vitam pertinent. quæ omnia ex libris linteis, in quibus ipse quotidiana sua scribi præceperat, pro tua sedulitate condisces. Curabo autem vt tibi ex Vlpia bibliotheca & libri lintei proferantur. Tu velim Aurelianum, ita vt est, quatenus potes, in litteras mittas.* Parui ipse quidem præceptis: accepi libros Græcos, & omnia mihi necessaria in manum sumpsi: ex quibus & quæ digna erant memoratu, in vnum libellum contuli. Tu velim meum munus boni consulas: &, si hoc contentus non fueris, lectites Græcos, linteos etiam libros requiras, quos Vlpia tibi bibliotheca, quum volueris, ministrabit. Et quoniam sermo nobis de Trebellio Pollione, qui a duobus Philippis vsque ad diuum Claudium, & eius fratrem *Quintillum, Imperatores tam claros quam obscuros memoriæ prodidit, in eodem vehiculo fuit, asserente Tiberiano quod Pollio multa incuriose, multa breuiter prodidisset: me contra dicente, neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum; prodente quin etiam in quo Liuius, in quo Salustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus conuincerentur: pedibus in sententiam transitum faciens, ac manum porrigens iucundam, *Præterea, *Scribe*, inquit, *vt libet: securus, quod velis, dicas:*

habiturus mendaciorum comites, quos historica eloquentia miramur auctores. Ac ne multa & friuola procemiis odiosis intexam, diuus Aurelianus, ortus, vt plures loquuntur, Sirmii, familia obscuriore: vt non nulli, Dacia ripensi. Ego autem legisse me memini auctorem qui eum Mœsia genitum prædicaret. Et euenit quidem vt de eorum virorum genitali solo nesciatur qui humiliori loco *nati plerique solum genitale confingunt, vt dent posteritati de locorum splendore fulgorem. *Nec tamen magnorum principum virtutibus summa sciendi est, vbi quisque sit genitus, sed qualis in republ. fuerit.* An Platonem magis commendat quod Atheniensis fuerit, quam quod vnicum sapientiæ munus illuxerit? An eo minores inueniuntur Aristoteles Stagirita, Eleatesq; Zenon, aut Anacharsis Scytha; quod in minimis nati sunt viculis, quum illos ad cælum omnis philosophiæ virtus extulerit? Atque vt ad ordinem redeam; Aurelianus modicis ortus parentibus, a prima ætate ingenio viuacissimus; viribus clarus, nullum vmquam diem prætermisit, quamuis festum, quamuis vacátem, quo non se pilo & sagittis ceterisque armorum exerceret officiis. Matrem quidem eius Callicrates Tyrius, Græcorum longe doctissimus scriptor, sacerdotem templi Solis, in eo vico in quo habitabant parentes, fuisse dicit. Habuisse quinetiam nonnihilum diuinationis; adeo vt aliquando marito suo iurgans ingesserit, quum eius & stultitiam increparet & vilitatem, *En Imperatoris patrem.* ex quo constat illam mulierem scisse fatalia. Idem dicit, auspicia imperii Aureliano hæc fuisse: Primum, pueri eius *peluem serpentem plerumque cinxisse, neque vmquam occidi potuisse: postremo ipsam matrem, quæ hoc viderat, serpentem quasi familiarem occidere noluisse. His accedit quod ex palliolo purpureo, quod Soli sui temporis Imperator obtulerat, sacerdos mulier crepundia filio fecisse perhibetur. Addit etiam illud, quod vinctum fasciola Aurelianũ aquila innoxie de cunis leuauerit, & in aram posuerit, quæ iuxta sacellum forte sine ignibus erat. Idem auctor est, vitulum matri eius natum miræ magnitudinis, candidum; sed purpurantibus maculis; ita vt haberet in latere vno *auem, in alio coronam. Multa superflua in eodem legisse memini: quippe qui asseuerat etiam rosas in eiusdem mulieris *cohorte, nato Aureliano, exisse purpureas, odoris rosei, floris aurei. Fuerunt & postea multa omina iam militanti futuri (vt res monstrauit) imperii. Nam ingrediente eo Antiochiam in vehiculo, quod præ vulnere tunc equo sedere non posset, ita pallium purpureum, quod in honorem eius expansum fuerat, decidit, vt humeros eius tegeret. Et quum in equũ transire vellet, quia inuidiosum tunc erat vehiculis in ciuitate vti, equus est ei Imperatoris applicitus: cui per festinationem insedit: sed vbi comperit, semet ad suum transtulit. Data ést ei præterea, quum legatus ad Persas isset, patera qualis solet Imperatoribus dari a rege Persarũ; in qua insculptus erat Sol eo habitu quo colebatur in eo templo in quo mater eius fuerat sacerdos. Donatus eidem etiam elephantus præcipuus, quem ille Imperatori obtulit: solusque omnium priuatus Aurelianus elephanti dominus fuit. Sed vt hæc & talia omittamus, fuit decorus, & gratia viriliter speciosus: statura procerior, neruis validissimis, vini & cibi paullo cupidior; libidinis raræ, seueritatis immensæ, disciplinæ singularis, gladii exercendi cupidus. Nam quum essent in exercitu duo Aureliani tribuni, hic, & alius qui cum Valeriano captus est, huic signum exercitus apposuerat *manu ad ferrum*; vt si forte quæreretur quis Aurelianus aliquid vel fecisset vel gessisset, suggereretur, *Aurelianus manu ad ferrum*, atque *cognosceretur. Priuati huius multa exstant egregia facinora. Nam erumpentes Sarmatas in Illyrico cum trecentis præsidiariis solus attriuit. Refert Theoclius Cæsareorum temporum scriptor, Aurelianum manu sua bello Sarmatico *vno die quadraginta & octo interfecisse: plurimis autem & diuersis diebus, vltra nongentos quinquaginta: adeo vt etiam *ballistea pueri & saltatiunculas in Aurelianum tales componerent, quibus diebus festis militariter saltitarent; *Mille, mille, mille, mille, mille, mille decollauimus; Vnus homo mille, mille, mille, mille *decollauimus. Mille, mille, mille viuat, qui mille mille occidit. Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis.* Hæc video esse perfriuola: sed quia supra scriptus auctor ita eadem vt sunt Latine, suis scriptis inseruit, tacenda esse non credidi. Idem apud *Maguntiacum tribunus legionis sextæ Gallicanæ, Francos irruentes, quum vagarentur per totam Galliam, sic adflixit, vt

xit, vt trecentos ex his captos, septingentis interemptis, sub corona vendiderit. Vnde iterum de eo facta est cantilena; *Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus: Mille mille, mille, mille, mille Persas quærimus.* Hic autem, vt supra diximus, militibus ita timori fuit, vt sub eo, posteaquam semel cum ingenti seueritate castrensia peccata correxit, nemo peccauerit. Solus denique omnium, militem qui adulterium cum hospitis vxore commiserat, ita puniuit, vt duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligaret, easdemque subito dimitteret, vt scissus ille vtrimque penderet quæ res ingentem timorem omnibus fecit. Huius epistola militaris est ad * vicarium suum data huiusmodi; *Si vis tribunus esse, immo si vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat. Vuam nullus auferat; segetem nemo deterat: oleum, sal, lignũ, nemo exigat: annona sua contentus sit: de præda hostis, nõ de lacrymis prouincialium, habeat. Arma tersa sint: ferramenta * samiata, calciamenta fortia Vestis noua vestem veterem excludat. Stipendium in balteo, non in popina habeat. Torquem brachialem & annulum apponat: equum * sagitarium suum defricet, captum animal non vendat; * mulum centuriatum comiter curet. Alter alteri quasi seruus obsequatur: a medicis gratis curentur, aruspicibus nihil dent: in hospitiis caste se agant. qui litem fecerit, vapulet.* Inueni nuper in Vlpia bibliotheca inter linteos libros epistolam diui Valeriani de Aureliano principe scriptam: quam ad verbum, vt decebat, inserui. *Valerianus Augustus * Antonino Gallo consuli. Culpas me familiaribus litteris quod Posthumo filium meum Gallienum magis quam Aureliano commiserim: quum vtique seuerior & puer credendus fuerit & exercitus: nec tu id diutius iudicabis, si bene scieris quantæ sit Aurelianus seueritatis. Nimius est, multus est, grauis est, & ad nostra iam non facit tempora. Testor autem omnes deos, me etiam timuisse nequid etiam erga filium meum seuerius, siquid ille fecisset, vt est natura pronus ad ludicra, * sæuius cogitaret.* Hæc epistola indicat quantæ fuerit seueritatis: vt illum Valerianus etiam timuisse se dicat. Eiusdem Valeriani alia est epistola quæ laudes illius continet: quam ego ex scriniis præfecturæ vrbanæ protuli. Nam illi Romam venienti * salaria sui ordinis sunt decreta. Exemplum epistolæ: *Valerianus Augustus Ceionio Albino præfecto vrbi. Vellemus quidem singulis quibusque deuotissimis reipubl. viris multo maiora deferre compendia quam eorum dignitas postulat, maxime vbi honorem vita commendat. Debet enim quid præter dignitatem pretium esse meritorum. Sed facit rigor publicus, vt accipere de prouinciarum oblationibus vltra ordinis sui gradum nemo plus possit. Aurelianum fortissimum virum ad inspicienda & ordinanda castra omnia destinauimus: cui tantum a nobis atque ab omni republica, communi totius exercitus confessione, debetur, vt digna illo vix aliqua vel nimis magna sint munera. Quid enim in illo non clarum? quid non Coruinis & Scipionibus conferendum? Ille liberator Illyrici, ille Galliarum restitutor, ille dux magni totius exempli. Et tamen nihil præterea possum addere tanto viro ad muneris gratiam quam patitur sobria & bene gerenda respubl. Quare sinceritas tua, mi parens carissime, supradicto viro efficiet, quamdiu Romæ fuerit, panes militares mundos sexdecim, panes militares castrenses quadraginta, vini mensalis sextarios quadraginta, porcellum dimidium, gallinaceos duos, porcinæ pondo triginta, bubulæ pondo quadraginta, olei sextarium vnum, & item olei [secundi] sextarium vnum, liquaminis sextarium vnum, salis sextarium vnum: herbarum, olerum quantum satis est. Sane quoniam ei aliquid præcipue decernendum est, quamdiu Romæ fuerit, * pabula extra ordinem decernes: ipsi autem ad sumptus, aureos Antoninianos diurnos binos, argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum: reliqua per præfectos ærarii præbebuntur.* Friuola hæc fortassis cuipiam & nimis leuia esse videantur: sed curiositas nihil recusat. Habuit ergo multos ducatus, plurimos tribunatus, * vicarias ducum & tribunorum diuersis temporibus prope quadraginta; vsque adeo vt etiam Vlpii Crinitii, qui se de Traiani genere referebat, & fortissimi re vera viri & Traiani simillimi, qui pictus est cum eodẽ Aureliano in templo Solis, quem Valerianus Cęsaris loco habere instituerat, vicem sumeret, exercitum duceret, limitem restitueret, prędam militibus daret: Thracias bobus, equis, mancipiis, captiuis locupletaret; manubias in Palatio collocaret: quingentos seruos, duo milia vaccarum, equas mille, ouium decem milia, captarum quindecim, in pri-

uatam villam Valeriani congereret. Tunc enim Vlpius Crinitus publice apud Byzantium sedenti Valeriano in thermis egit gratias; dicens, magnum de se iudicium habitum quod eidem vicarium Aurelianum dedisset: quare eum statuit arrogate. Interest epistolas nosse Aureliano scriptas, & ipsam arrogationem. *Epistola Valeriani ad Aurelianum:* *Si esset alius, Aureliane iucundissime, qui Vlpii Criniti vicem posset implere, tecum de eius virtute ac sedulitate conferrem: nunc tecum requirere potuissem. Suscipe bellum a parte Nicopolis, ne nobis ægritudo Criniti obsit. Fac quidquid potes. Multa non dico: in tua erit potestate militiæ magisterium. Habes sagittarios Ityræos trecentos, Armenios sexcentos, Arabas centum quinquaginta, Saracenos ducentos, Mesopotamios auxiliares quadringentos: habes legionem tertiam Felicem, & equites cataphractarios octingentos. Tecum erit* Hartomundus, Haldegastes, Hildemundus, Cariouiscus. Commeatus a præfectis necessarius in omnibus castris est constitutus. Tuum est, pro virtutibus tuis atque sollertia, illic hiemalia & æstiua disponere, vbi tibi nihil deerit: quærere præterea vbi* carrago sit hostium, & vere scire quanti qualesque sint: vt non vinum aut annona consumatur, aut tela iaceantur in quibus* res bellica constituta est. Ego de te tantum, Deo fauente, spero quantum de Traiano, si viueret, posset sperare respubl. Neque enim minor est, in cuius locum fidemque te legi. Consulatum cum eodem Vlpio Crinito, in annum sequentem, a die vndecimo Calend. Iuniarum, in locum Gallieni & Valeriani, sperare te conuenit sumptu publico. Leuanda est enim paupertas eorum hominum qui diu reipublicæ viuentes, pauperes sunt; & nullorum magis.* His quoque litteris indicatur quantus fuerit Aurelianus; & re vera. neque enim quisquam aliquando ad summam rerum peruenit, qui non a prima ætate gradibus virtutis ascenderit. *Litteræ de consulatu. Valerianus Augustus AElio Xifidio præfecto ærarii. Aureliano, cui consulatum detulimus ob paupertatem, qua ille magnus est, ceteris maior; dabis ad editionem circensium aureos Antoninianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria milia, in ære* ꟾ ꟾ S *quinquagies: tunicas* multicias viriles decem, lineas AEgyptias viginti, mantelia Cypria paria duo, tapetia Afra decem, stragula Maura decem: porcos centum, oues centum: conuiuium autem publicum edi iubebis senatoribus, equitibus Romanis: hostias maiores duas, minores quatuor.* Et quoniam etiam de arrogatione aliqua me dixeram positurum quæ ad tantum principem pertinerent, quæso ne odiosior verbosiorue ea re videar: quam fidei caussa inserendam credidi ex libris Acholii, qui magister admissionum Valeriani principis fuit, libro Actorum eius nono. Quum consedisset Valerianus Augustus in thermis apud Byzantium, præsente exercitu, præsente etiam officio palatino, assidentibus Memmio Fusco consule ordinario, Bæbio Macro præfecto prætorii, Quinto * Ancario præside orientis: assidentibus etiam a parte læua * Auulnio Saturnino Scythici limitis duce, Murentio ad Ægyptum destinato, Iulio Tryphone orientalis limitis duce, & Meceo Brundusino præfecto annonæ orientis, & Vlpio Crinito duce Illyriciani limitis & Thraciæ, & Fuluio Boio duce Rhætici limitis: Valerianus Augustus dixit: *Gratias tibi agit Aureliane resp. quod eam Gotthorum potestate liberasti. Abundamus per te præda, abundamus gloria, & his omnibus quibus Romana felicitas crescit. Cape igitur tibi pro rebus gestis tuis coronas murales quatuor, coronas vallares quinque, coronas nauales duas, coronas ciuicas duas; hastas puras decem, vexilla * bicolora quatuor, tunicas ducales russas quatuor, pallia proconsularia duo, togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam, subarmalem profundum, sellam eboratam. Nam te consulem hodie designo; scripturus ad senatum vt tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces. Hæc enim Imperator non solet dare, sed a senatu, quando fit consul, accipere.* Post hæc Valeriani dicta Aurelianus surrexit, atque * ad manus accessit, agens gratias militaribus verbis; quæ propria & ipsa apponenda decreui. Aurelianus dixit; *Et ego Domine Valeriane Imperator Auguste, ideo cuncta feci, ideo vulnera patienter excepi, ideo & equos & * cantherios meos lassaui, vt mihi gratias ageret respubl. & conscientia mea. At tu plus fecisti: ago ergo gratias bonitati tuæ; & accipio consulatum quem das. Dii faciant & * deus certus Sol, vt & senatus de me sic iudicet.* Agentibus igitur gratias omnibus circumstantibus, Vlpius Crinitus surrexit, atque hac oratione vsus est; *Apud maiores nostros, Valeriane Auguste, quod & familiæ meæ amicum ac proprium fuit, ab optimis quibusque in filiorum locum fortissimi viri semper electi sunt; vt vel senescentes familias, vel fœtus matrimo-*

trimoniis iam caducos, substitutæ fœcunditas prolis ornaret. Hoc igitur quod Cocceius Nerua in Traiano adoptando, quod Vlpius Traianus in Adriano, quod Adrianus in Antonino, & ceteri deinceps proposita suggestione fecerunt; iam in arrogando Aureliano, quem mihi vicarium iudicii tui auctoritate fecisti, censui esse referendum. Iube igitur vt lege agatur, sitque Aurelianus heres sacrorum, nominis, & bonorum, totiusque iuris, Vlpio Crinito iam consulari viro, ipse ac tu Crinite* iudex consularis.* Longum est cuncta perrexere. Nam & actæ sunt Crinito a Valeriano gratiæ; & adoptio, vt solebat, impleta. Memini me in quodam libro Græco legisse (quod tacendum esse non credidi) mandatum esse Crinito a Valeriano vt Aurelianus adoptaretur; idcirco præcipue quod pauper esset: sed hoc in medio relinquendum puto. Et quoniam superius epistolam posui qua sumptus Aureliano ad consulatum delatus est, quare posuerim, rem quasi friuolam, eloquendum putaui. Vidimus proxime consulatum Furii* Placidi tanto ambitu in circo editum, vt non præmia dari aurigis, sed patrimonia viderentur, quum darentur tunicæ subsericæ lineæ paragaudæ, darentur etiam equi, ingemiscentibus frugi hominibus. Factum est enim vt iam diuitiarum sit, non hominum consulatus: quia vtique si virtutibus defertur, editorem spoliare non debent. Perierunt casta illa tempora; & magis ambitione populari peritura sunt. Sed nos (vt volemus) hanc quoque rem in medio relinquimus. His igitur tot ac talibus præiudiciis muneribusque fultus, Claudianis temporibus tantus enituit, vt post eum Quintillo quoque fratre eius interempto, solus teneret imperium, Aureolo interfecto, cum quo Gallienus fecerat pacem. Hoc loco tanta est diuersitas historicorum, & quidem Græcorum, vt alii dicant, inuito Claudio ab Aureliano Aureolum interfectum; alii, mandante ac volente; alii ab Imperatore iam Aureliano eumdem occisum, alii vero adhuc priuato. Sed hæc quoque* media relinquemus, ab ipsis petenda per quos in litteras missa sunt. Illud tamen constat, omne contra* Mæotidas bellum diuum Claudium nulli magis quam Aureliano credidisse. Extat epistola, quam ego (vt soleo) fidei caussa, immo vt alios annalium scriptores fecisse video, inserendam putaui. *Flauius Claudius Valerio Aureliano suo salutem. Expetit a te munus solitum nostra respubl. Aggredere, quid moraris? Tuo magisterio milites vti volo, tuo ductu tribunos. Gotthi oppugnandi sunt: Gotthi a Thraciis amouendi. Eorum enim plerique Hæmi montem Europamque vexant, qui te pugnante fugerunt. Omnes exercitus Thracios, omnes Illyricianos totumque limitem in tua potestate constituo, solitam nobis ede virtutem. Tecum erit etiam frater* Quintillus quum occurrerit. Ego aliis rebus occupatus, summam belli illius virtutibus tuis credo. Misi sane equos decem, loricas duas, & cetera, quibus munire ad bellum euntem necessitas cogit.* Secundis igitur prœliis vsus auspiciis Claudianis, rempublicam in integrum reddidit; atque ipse statim (vt supra diximus) consensu omnium legionum factus est Imperator. Equites sane omnes ante imperium sub Claudio Aurelianus gubernauit, quum offensam magistri eorum incurrissent, quod temere Claudio non iubente pugnassent. Item Aurelianus contra Sueuos & Sarmatas iisdem temporibus vehementissime dimicauit, ac florentissimam victoriam retulit. Accepta est sane clades sub Aureliano a Marcomanis per errorem. Nam dum is a fronte non curat occurrere, subito hostes erupere: dumque illos a dorso persequi parat, omnia circa Mediolanum grauiter euastata sunt. Postea tamen ipsi quoque Marcomani superati sunt. In illo autem timore, quo Marcomani cuncta vastabant, ingentes Romæ seditiones motæ sunt, pauentibus cunctis ne eadem quæ sub Gallieno fuerant, prouenirent. quare etiam libri Sibyllini, noti beneficiis publicis, inspecti sunt: inuentumque vt in certis locis sacrificia fierent quæ barbari transire non possent. Facta denique sunt ea quæ præcepta fuerant in diuerso ceremoniarum genere: atque ita barbari restiterunt: quos omnes Aurelianus carptim vagantes occidit. Libet ipsius senatusconsulti formam exponere, quo libros inspici clarissimorum iussit auctoritas. Die tertio Idus Januar. Fuluius Sabinus prætor vrbanus dixit; *Referimus ad vos P. C. Pontificum suggestionem, & Aureliani principis litteras, quibus iubetur vt inspiciantur fatales libri quibus spes belli terminandi sacrato deorum imperio continetur. Scitis enim ipsi, quotiescumque grauior aliquis*

exstitit motus, eos semper inspectos: neque prius mala publica esse finita, quam ex iis sacrificiorum processit auctoritas. Tunc surrexit primæ sententiæ Vlpius* Syllanus, atque ita loquutus est; *Sero nimis P. C. de resp. salute consulimus, sero ad fatalia iussa respicimus, more languentium, qui ad summos medicos nisi in summa desperatione non mittunt;* proinde quasi peritioribus viris maior facienda sit cura: quum omnibus morbis occurri sit melius. Meministis enim P. C. me in hoc ordine sæpe dixisse iam tum quum primum nuntiatum est Marcomanos erupisse, consulenda Sibyllæ decreta, vtendum Apollinis beneficiis: recusasse vero quosdam, & cum ingenti calumnia recusasse, quum adulando dicerent, tantam principis esse virtutem vt opus non sit deos consuli,* proinde quasi & ipse vir magnus non deos colat, non de diis immortalibus speret. Quid plura? audiuimus litteras quibus rogauit opem deorum, quæ numquam cuiquam turpis est vt vir fortissimus adiuuetur. Agite igitur pontifices,* qua puri, qua mundi, qua sancti, qua vestitu animisque sacris commodi, templum ascendite, subsellia laureata constituite, veteranis manibus libros euoluite, fata respubl. quæ sunt æterna, perquirite: patrimis matrimisque pueris carmen* indicite: nos sumptum sacris, nos apparatum sacrificiis, nos aris ambarualia indicemus.* Post hæc interrogati plerique senatores sententias dixerunt: quas longum est innectere. Deinde aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in sententias euntibus, plerisque verbo consentientibus, conditum est S. C. Itum deinde ad templum, inspecti libri, proditi versus, lustrata vrbs, cantata carmina, *amburbium celebratum, ambarualia *promissa: atque ita solennitas quæ iubebatur, expleta est. Est epistola Aureliani de libris Sibyllinis: nam ipsam quoque indidi ad fidem rerum. *Miror vos, patres sancti, tamdiu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris;* perinde quasi in Christianorum ecclesia, non in templo deorum omnium, tractaretis. Agite igitur, & castimonia pontificum, ceremoniisque solennibus iuuate principem necessitate publica laborantem. Inspiciantur libri: quæ facienda fuerint, celebrentur: quemlibet sumptum, cuiuslibet gentis captiuos, qualibet animalia regia non abnuo, sed libens offero: neque enim indecorum est diis iuuantibus vincere. sic apud maiores nostros multa finita sunt bella, sic cœpta. Siquid est sumptuum, datis ad præfectum ærarii litteris decerni iussi. est præterea vestræ auctoritatis arca publica; quam magis refertam esse reperio quam cupio.* Quum autem Aurelianus vellet omnibus simul facta exercitus sui constipatione concurrere, tanta apud Placentiam clades accepta est, vt Romanum pene solueretur imperium. Et caussa quidem huius periculi, perfidia & calliditas barbarici fuit motus. Nam quum congredi aperto marte non possent, in siluas se densissimas contulerunt, atq; ita nostros vespera incumbente turbarunt. Denique nisi diuina ope post inspectionem librorum sacrificiorumque curas, monstris quibusdam speciebusque diuinis impliciti essent barbari, Romana victoria non fuisset. Finito prœlio Marcomanico, Aurelianus, vt erat natura ferocior, plenus irarum Romam petit, vindictæ cupidus, quam seditionum asperitas suggerebat: inciuilius denique vsus imperio, vir alias optimus, seditionum auctoribus interemptis, cruentius ea quæ mollius fuerant curanda, compescuit. Interfecti sunt enim nonnulli etiam nobiles senatores, quum bis leue quiddam & quod contemni a mitiore principe potuisset, vel vnus, vel leuis, vel vilis testis obiiceret. Quid multa? Magnum illud, & quod iam fuerat, & quod non frustra speratum est, infamiæ tristioris ictu contaminauit imperium. timeri cœpit princeps optimus, non amari; quum alii dicerent, perfodiendum talem principem, non optandum: alii bonum quidem medicum, sed mala ratione curantem. His actis, quum videret posse fieri vt aliquid tale iterum quale sub Gallieno euenerat, proueniret, adhibito consilio senatus, muros vrbis Romæ dilatauit. Nec tamen pomœrio addidit eo tempore, sed postea. Pomœrio autem nemini principum licet addere, nisi ei qui agri barbarici aliqua parte Romanam remp. locupletauerit. Addidit autem Augustus, addidit Traianus, addidit Nero: sub quo Pontus Polemoniacus & Alpes Cottiæ Romano nomini tributæ. Transactis igitur quæ ad sectiones, atq; vrbis statum & ciuilia pertinebant, contra Palmyrenos, id est contra Zenobiam, quæ filiorum nomine orientale tenebat imperium, iter flexit. Multa in itinere ac magna bellorum genera confecit. Nam in Thraciis & in Illyrico occurrens barbaros vicit: Gotthorum quin etiam ducem Cannabam, siue Cannabaudem, cum quinque milibus hominum trans Danubium interemit. Atque inde per Byzantium in Bithy-

in Bithyniam transitum fecit; eamque nullo certamine obtinuit. Multa eius tam præclara facta quam dicta sunt: sed omnia libro innectere nec possumus fastidii euitatione, nec volumus: sed ad intelligendos mores atque virtutem pauca libanda sunt. Nam quum Tyanam venisset, eamque occlusam reperisset, iratus dixisse fertur, *Canem in hoc opido non relinquam.* Tunc & militibus acrius incumbentibus spe prædæ, & Heraclammone quodam, timore ne inter ceteros occideretur, patriam suam prodente, ciuitas capta est. Sed Aurelianus duo statim præcipua, * quod vnum seueritatem ostenderet, alterum lenitatem, ex imperatoria mente monstrauit. Nam & Heraclammonem proditorem patriæ suæ, sapiens victor occidit: & quum milites iuxta illud dictum quo canem se relicturum apud Tyaneos negaret, euersionem vrbis exposcerent, respondit iis, *Canem*, inquit, *negaui in hac vrbe me relicturum; canes omnes occidite.* Grande principis dictum, grandius militum votum: nam dictum principis quo præda negabatur, ciuitas seruabatur, totus exercitus ita quasi ditaretur, accepit. Epistola de Heraclammone. *Aurelianus Augustus Mallio Chiloni. Occidi passus sum cuius quasi beneficio Tyanam recepi. Ego vero proditorem amare non potui; & libenter tuli quod eum milites occiderunt:* neque enim mihi fidem seruare potuisset qui patriæ non pepercit. * *Solum denique ex omnibus qui oppugnabantur, campus accepi. Diuitem hominem negare non possum, sed cuius bona eius liberis reddidi: nequis me caussa pecuniæ locupletem hominem occidi passum esse criminaretur.* Capta autem ciuitas est miro modo. Nam quum Heraclammon locum ostendisset aggeris naturali specie tumentem, qua posset Aurelianus occultus ascendere, ille conscendit; atque elata purpurea chlamyde, intus ciuibus, foris militibus se ostendit; & ita ciuitas capta est, quasi totus in muris Aureliani fuisset exercitus. Taceri non debet res quæ ad famam venerabilis viri pertinet. Fertur enim Aurelianum de Tyanæ ciuitatis euersione vera dixisse, vera cogitasse. verum Apollonium Tyaneum, celeberrimæ famæ auctoritatisque sapientem, veterem philosophum, amicum verum deorum, ipsum etiam pro numine frequentandum, recipienti se in tentorium, ea forma qua videtur, subito astitisse, atque hæc Latine, vt homo Pannonius intelligeret, verba dixisse; *Aureliane, si vis vincere, nihil est quod de ciuium meorum nece cogites. Aureliane, si vis imperare, a cruore innocentium abstine. Aureliane, clementer te age, si vis vincere.* Norat vultum philosophi venerabilis Aurelianus, atque in multis eius imaginem viderat templis. Denique statim attonitus, & imaginem & statuas & templum eidem promisit, atque in meliorem rediit mentem. Hæc ego a grauibus viris comperi, & in Vlpiæ bibliothecæ libris relegi, & pro maiestate Apollonii magis credidi. Quid enim illo viro sanctius, venerabilius, antiquius, diuiniusque inter homines fuit? Ille mortuis reddidit vitam. Ille multá vltra homines & fecit & dixit: quæ qui velit nosse, Græcos legat libros qui de eius vita conscripti sunt. Ipse autem, si vita suppetat, atque ipsius viri fauori vsquequaq; placuerit, breuiter saltem tanti viri facta in litteras mittam: non quo illius viri gesta munere mei sermonis indigeant, sed vt ea quæ miranda sunt, omnium voce prædicentur. Recepta Tyana, Antiochiam, proposita omnibus impunitate, breui apud Daphnen certamine obtinuit: atque inde præceptis (quantum probatur) venerabilis viri Apollonii parens, humanior atque clementior fuit. Pugnatum est post hæc de summa rerum contra Zenobiam & Zabam eius sociam apud Emessam magno certamine. Quumque Aureliani equites fatigati iam pene discederent, ac terga darent, subito vi numinis, quod postea proditum, hortante quadam diuina forma, per pedites etiam equites restituti sunt. Fugata est Zenobia cum Zaba, & plenissime parta victora. Recepto igitur orientis statu, Emessam victor Aurelianus ingressus est, ac statim ad templum Heliogabali tetendit; quasi communi officio vota solututus. Verum illic eam formam numinis repetit quam in bello sibi fauentem vidit. Quare & illic templa fundauit, donariis ingentibus positis; & Romæ Soli templum posuit maiore honorificentia consecratū, vt suo dicemus loco. Post hæc Palmyram iter flexit; vt ea oppugnata, laborum terminus fieret. Sed in itinere a latronibus Syris male accepto frequenter exercitu, multa perpessus est, & in obsidione vsque ad ictum sagittæ periclitatus est. Epistola ipsius exstat ad Mucaporem missa, in qua de eius belli difficultate vltra pudorem

imperialem fatetur: *Romani me modo dicunt bellum contra fœminam gerere, quasi sola mecum Zenobia & suis viribus pugnet, ac non hostium quantum si vir a me oppugnandus esset, in conscientia & timore longe deteriore. Dici non potest quantum hic sagittarum, quæ belli apparatus, quantum telorum, quantum lapidum: nulla pars muri est quæ non binis & ternis balistis occupata sit: ignes etiam tormentis iaciuntur. Quid plura? non quasi fœmina pugnat, quasi pœnam timens: sed credo adiuturos Rom. remp. deos, qui numquam nostris conatibus defuerunt.* Denique fatigatus ac pro malis fessus, litteras ad Zenobiam misit, deditionem illius petens, vitam promittens, quarum exemplum indidi. *Aurelianus Imperator Rom. orbis, & receptor orientis, Zenobiæ ceterisque quos societas tenet bellica. Sponte facere debuistis id quod meis litteris nunc iubetur. deditionem præcipio impunitate vitæ proposita, ita vt illic Zenobia cum tuis agas vitam, vbi te ex senatus amplissimi sententia collocauero. Gemmas, argentum, aurum, sericum, equos, camelos, in ærarium Rom. conferas. Palmyrenis ius suum seruabitur.* Hac epistola accepta, Zenobia superbius insolentiusque rescripsit quam eius fortuna poscebat credo ad terrorem: nam eius quoque epistolæ exemplum indidi. *Zenobia regina orientis, Aureliano Augusto. Nemo adhuc præter te, quod poscis, litteris petiit.* Virtute faciendum est quidquid in rebus bellicis est gerendum. *Deditionem meam petis: quasi nescias Cleopatram reginam perire maluisse quam in qualibet viuere dignitate. Nobis Persarum auxilia non desunt, quæ iam speramus: pro nobis sunt Saraceni, pro nobis Armenii. Latrones Syri exercitum tuum Aureliane vicerunt. * quid igitur si illa venerit manus quæ vndique speratur? pones profecto supercilium, quo nunc mihi deditionem, quasi omnifariam victor, imperas.* Hanc epistolam Nicomachus se transtulisse in Græcum ex lingua Syrorum dicit, ab ipsa Zenobia dictatam. nam illa superior Aureliani, Græca missa est. His acceptis litteris, Aurelianus non erubuit, sed iratus est: statimque collecto exercitu ac ducibus suis, vndique Palmyram obsedit: neque quidquam vir fortis reliquit quod aut imperfectum videretur, aut incuratum. Nam & auxilia quæ a Persis missa fuerant, intercepit: & alas Saracenas Armeniasque corrupit, atque ad se modo ferociter modo subtiliter transtulit: denique post multa mulierem potentissimam vicit. Victa igitur Zenobia quum fugeret camelis* quas dromadas vocitant, atque ad Persas iter tenderet, equitibus missis est capta, atque in Aureliani potestatem deducta. Victor itaq; Aurelianus, totiusque iam orientis possessor, quum in vinculis Zenobiam teneret cum Persis, Armeniis, Saracenis, superbior atque insolentior, egit ea quæ ratio temporis postulabat. Tunc illæ vestes quas in templo Solis videmus, consertæ gemmis; tum Persici dracones, & tiaræ; tum genus purpuræ quod postea nec vlla gens detulit, nec Romanus orbis vidit: de qua pauca saltem libet dicere. Meministis enim fuisse in templo Iouis optimi maximi Capitolini, pallium breue purpureum lanestre: ad quod quũ matronæ atq; ipse Aurelianus iungerent purpuras suas, cineris specie decolorari videbantur ceteræ diuini comparatione fulgoris. Hoc munus rex Persarum ab Indis interioribus sumptum, Aureliano dedisse perhibetur, scribens; *Sume purpuram qualis apud nos est.* Sed hoc falsum fuit. Nam postea diligentissime & Aurelianus & Probus & proxime Diocletianus, missis diligentissimis confectoribus, requisiuerunt tale genus purpuræ, nec tamen inuenire potuerunt. Dicitur enim * sandix Indica talem purpuram facere, si curetur. Sed ad incepta redeamus. Ingens * tamen strepitus militum fuit omnium, Zenobiam ad pœnam poscentium. Sed Aurelianus indignum existimans mulierem interimi, occisis plerisque quibus auctoribus illa bellum mouerat, parauerat, gesserat, triumpho mulierem reseruauit; vt populi Romani oculis esset ostentui. Graue inter eos qui cæsi sunt, de Longino philosopho fuisse perhibetur; quo illa magistro vsa esse ad Græcas litteras dicitur. quem quidem Aurelianus idcirco dicitur occidisse, quod superbior illa epistola ipsius diceretur dictata consilio, quamuis Syro esset sermone contexta. Pacato igitur oriente, in Europam Aurelianus rediit victor, atque illic Carporum copias afflixit: & quum illum *Carpicum* senatus absentem vocasset, mandasse ilico fertur, *Super est P. C. vt me etiam Carpisculum vocetis. Carpisculum* enim genus calciamenti esse, satis notum est: quod cognomen deforme videbatur; quum & *Gotthicus*, & *Sarmaticus*, & *Armeniacus*, & *Parthicus*, & *Adiabenicus* diceretur. Rarum est vt Syri fidem

dem ferrent, immo difficile. Nam Palmyreni, qui iam victi atque contusi fuerant, Aureliano rebus Europensibus occupato, non mediocriter rebellarunt. Sandarionē enim, quem in præsidio illic Aurelianus posuerat, cum sexcentis sagittariis occiderunt, Achilleo cuidam parenti Zenobiæ parantes imperium. Verum adeo Aurelianus, vt erat paratus, ex Europa reuertit: atq; vrbem, quia ita merebatur, euertit. Crudelitas denique Aureliani, vel (vt quidam dicunt) seueritas, eatenus exstitit, vt epistola eius feratur, confessionem immanissimi furoris ostentans: cuius hoc exemplū est. *Aurelianus Augustus Ceionio Basso. Non oportet vlterius progredi militū gladios. iam satis Palmyrenorum cæsum atque occisum est. Mulieribus non pepercimus, infantes occidimus, senes iugulauimus, rusticos interemimus: cui terras, cui vrbem deinceps relinquemus? Parcendum est iis qui remanserunt. Credimus enim paucos tam multorum suppliciis esse correctos. Templum sane Solis, quod apud Palmyram aquilifer legionis tertiæ cum vexilliferis & draconario, cornicinibus atq; liticinibus diripuerunt, ad eam formam volo quæ fuit, reddi. Habes trecentas auri libras Zenobiæ capsulis: habes argenti mille octingenta pondo. De Palmyrenorum bonis habes gemmas regias. Ex his omnibus fac cohonestari templum: mihi & diis immortalibus gratissimum feceris. Ego ad senatum scribam, petens, vt mittat pontificem qui dedicet templum.* Hæ litteræ, vt videmus, indicant satiatam esse immanitatem principis duri. Securior denique iterum in Europam redit: atque illic omnes qui vagabantur, hostes nota illa sua virtute contudit. Interim, res per Thracias Europamq; omnem Aureliano ingentes agente, FIRMVS quidam exstitit, qui sibi Ægyptum sine insignibus imperii, quasi vt esset ciuitas libera, vindicauit. Ad quem continuo Aurelianus reuertit: nec illi defuit felicitas solita. Nam Ægyptum statim recepit: atque, vt erat ferox animi, cogitatione multus, vehementer irascens quod adhuc TETRICVS Gallias obtineret, occidentem petiit: atque ipso Tetrico exercitum suum prodente, quod eius scelera ferre non posset, deditas sibi legiones obtinuit. Princeps igitur totius orbis Aurelianus, pacatis per occidentem Gallis atq; vndique terris, Romam iter flexit, vt de Zenobia & Tetrico, hoc est de oriente & occidente, triumphum Romanis* oculis exhiberet. Non ab re est cognoscere, qui fuerit Aureliani triumphus. Fuit enim speciosissimus. Currus regii tres fuerunt. In his vnus Odenati, argento, auro, gemmis operosus atque distinctus: alter, quem rex Persarum Aureliano dono dedit, ipse quoq; pari opere fabricatus: tertius, quem sibi Zenobia composuerat, sperans se vrbem Romanam cum eo visuram: quod illam non fefellit. nam cum eo vrbem ingressa est victa & triumphata. Fuit alius currus quatuor ceruis iunctus, qui fuisse dicitur regis Gothorum: quo, vt multi memoriæ tradiderunt, Capitolium Aurelianus inuectus est, vt illic cæderet ceruos quos cum eodem curru captos vouisse Ioui optimo maximo ferebatur. Præcesserunt elephanti viginti, feræ mansuetæ Libycæ Palæstinæ diuersæ ducentæ: quas statim Aurelianus priuatis donauit, ne fiscum annonis grauaret. tigrides quatuor; camelopardali, alces, cetera talia, per ordinem ducta: gladiatorum paria octingenta: præter captiuos gentium barbararum, Blemyes, *Axomitæ, Arabes, Eudæmones, Indi, Bactriani, Hiberi, Saraceni, Persæ, cum suis quique muneribus: Gotthi, Alani, Roxolani, Sarmatæ, Franci, Sueui, Vandali, Germani, religatis manibus captiui præcesserunt. Inter hos etiam Palmyreni, qui superfuerant principes ciuitatis, & Ægyptii ob rebellionem. Ductæ sunt & decem mulieres, quas virili habitu pugnantes inter Gotthos ceperat; quum multæ essent interemptæ: quas de Amazonum genere titulus indicabat. Prælati sunt tituli, gentium nomina continentes. Inter hæc fuit Tetricus chlamyde coccinea, tunica galbyna, braccis Gallicis ornatus, adiuncto sibi filio quem Imperatorem in Gallia nuncupauerat. Incedebat etiam Zenobia, ornata gemmis, catenis aureis; quas alii sustentabant. Præferebantur coronæ omnium ciuitatum aureæ, titulis eminentibus proditæ. Iam populus ipse Romanus, iam vexilla collegiorum atque castrorum, & cataphractarii milites, & opes regiæ, & omnis exercitus, & senatus, (etsi aliquanto tristior, quod senatores triumphari videbat) multum pompæ addiderant. Denique vix nona hora in Capitolium peruenit, sero autem ad palatium. Sequentibus diebus datæ sunt populo voluptates ludorum scenicorum, ludorum circensium, venationum, gladiatorum, naumachię.

Non prætermittendum videtur, quod & populus memoria tenet, & fides historica frequentauit; Aurelianum eo tempore quo proficiscebatur ad orientem, bilibres coronas populo promisisse, si victor rediret: & quum aureas populus speraret, neq; Aurelianus aut posset aut vellet, coronas eum fecisse de panibus qui nunc siliginei vocantur, & singulis quibusque donasse: ita vt siligineum suum quotidie toto æuo suo, & vnusquisque reciperet, & posteris suis dimitteret. Nam idem Aurelianus & porcinam carnem populo Romano distribuit, quæ hodieque diuiditur. Leges plurimas sanxit, & quidem salutares; sacerdotia composuit, templum Solis fundauit, & pontifices roborauit. Decreuit etiam emolumenta architectis & ministris. His gestis, ad Gallias profectus, Vindelicos obsidione barbarica liberauit: deinde ad Illyricum rediit; paratoque magno potius quam ingenti exercitu, Persis, quos eo quoque tempore quo Zenobiam superauit, gloriosissime iam vicerat, bellum indixit. Sed quum iter faceret, apud * Cænophrurium, mansionem quæ est inter Heracliam & Byzantium, malitia notarii sui, & manu Mucaporis interemptus est. Et caussa occidendi eius quæ fuerit, & quemadmodum sit occasus, ne res tanta lateat, breui edisseram. Aurelianus, quod negari non potest, seuerus, truculentus, sanguinarius fuit princeps. Hic quum vsque eo seueritatem tetendisset, vt & filiam sororis occideret, non [in] magna neque satis idonea caussa, iam primum in odium suorum venit. Incidit autem (vt se res fataliter agunt) vt Mnestheum quemdam, quem pro notario secretorum habuerat, libertum (vt quidam dicunt) suum, infensiorem sibi minando redderet, quod nescio quid de quodam suspicatus esset. Mnestheus, qui sciret Aurelianum neque frustra minari solere, neque, si minaretur, ignoscere, breue nominum conscripsit, mixtis iis quibus Aurelianus vere irascebatur, cum iis de quibus nihil asperum cogitabat, addito etiam suo nomine, quo magis fidem faceret ingestæ sollicitudinis: ac breue legit singulis quorum nomina continebat; addens, disposuisse Aurelianum eos omnes occidere; illos vero debere suæ vitæ, si viri sunt, subuenire. * Hi quum exarsissent timore qui merebantur offensam, dolorem miscentes beneficiis atque officiis quibus Aurelianus videbatur ingratus, in supradicto loco iter facientem principem subito adorti, interemerunt. Hic finis Aureliano fuit, principi necessario magis quam bono. Quo interfecto quum esset res prodita, & sepulcrum ingens, & templum illi detulerunt ii a quibus interemptus est. Sane Mnestheus postea * surrectus ad stipitem bestiis obiectus est: quod statuę marmoreæ positæ in eodem loco vtrimque significant; vbi & in columnis diuo Aureliano statuæ constitutæ sunt. Senatus mortem eius grauiter tulit, grauius tamen populus Romanus, qui vulgo dicebat, *Aurelianum pædagogum esse senatorum.* Imperauit annis sex, minus paucis diebus: ac rebus magnis gestis inter diuos relatus est. Quia pertinet ad Aurelianum id quod in historia relatum est, tacere non debui. Nam multi ferunt Quintillum fratrem Claudii, quum in præsidio Italico esset, audita morte Claudii sumpsisse imperium. verum postea vbi Aurelianum comperit imperare, a toto exercitu derelictum: quumque contra eum concionaretur, nec a militibus audiretur, incisis sibimet venis die vigesimo imperii sui periisse. Quidquid sane scelerum fuit, quidquid malæ conscientiæ, vel * artium funestarum, quidquid denique factionum, Aurelianus toto penitus orbe purgauit. Hoc quoque ad rem pertinere arbitror, * Balbati filii nomine Zenobiam, non Timolai & Herenniani, imperium tenuisse quod tenuit. Fuit sub Aureliano etiam * Monetariorum bellum, Felicissimo rationali auctore: quod acerrime seuerissimeque compescuit, septem tamen milibus suorum militum interemptis: vt epistola docet missa ad Vlpium Crinitum ter consulem, qui eum ante adoptauerat. *Aurelianus Augustus Vlpio patri. Quasi fatale quiddam incessit, vt omnia quæcumque gessero, omnes motus ingrauescant. Ita enim seditio intramurana bellum mihi grauissimum peperit. Monetarii, auctore Felicissimo vltimo seruorum, cui procurationem fisci mandaueram, rebelles spiritus extulerunt. Hi compressi sunt, septem milibus Hiberorum Riparensium & Castrianorum & Dacisorum interemptis. Vnde apparet nullam mihi a diis immortalibus datam sine difficultate victoriam.* Tetricum triumphatum, correctorem Lucaniæ fecit, filio eius in senatu manente. Templum Solis magnificentissimum constituit:

muros

muros vrbis Romæ sic ampliauit, vt quinquaginta prope milia murorum eius ambitus teneant. Item quadruplatores ac delatores ingenti seueritate persequutus est: tabulas publicas ad priuatorum securitatem exuri in foro Traiani semel iussit. Amnestia etiam sub eo delictorum publicorum decreta est de exemplo Atheniensium: cuius rei etiam Tullius in Philippicis meminit. Fures prouinciales repetundarum ac peculatus reos, vltra militarem modum est persequutus, vt eos ingentibus suppliciis cruciatibusque puniret. In templo Solis multum auri gemmarumque constituit. Quum vastatum Illyricum ac Mœsiam deperditam videret, prouinciam trans Danubium Daciam a Traiano constitutam sublato exercitu & prouincialibus reliquit; desperans eam posse retineri: abductosque ex ea populos, in Mœsiam collocauit, appellauitque suam Daciam, quæ nunc duas Mœsias diuidit. Dicitur præterea huius fuisse crudelitatis, vt plerisque senatoribus simulatam ingereret factionem coniurationis ac tyrannidis, quo facilius eos posset occidere. Addunt nonnulli, filium sororis, non filiam, ab eodem interfectum: plerique autem etiam filiam sororis. Quam difficile sit Imperatorem in locum boni principis legere, & senatus sanctioris grauitas probat, & exercitus prudentis auctoritas. Occiso namque seuerissimo principe, de Imperatore deligendo exercitus retulit ad senatum, idcirco quod nullum de his faciendum putabat qui tam bonum principem occiderant. Verum senatus hanc eamdem delectionem in exercitum refudit, sciens, non libenter iam milites accipere Imperatores eos quos senatus *elegerit. Denique id tertio factum est: ita vt per sex menses Imperatorem Romanus orbis non habuerit, omnesque *iudices ii permanerent quos aut senatus aut Aurelianus elegerat; nisi quod proconsulem Asiæ Falconium Probum in locũ Aurelii Fusci delegit. Non iniucundum est ipsas inserere litteras quas ad senatũ exercitus misit. *Felices ac fortes exercitus senatui populoque Romano. Aurelianus Imperator noster per fraudem vnius hominis, & per errorem bonorum ac malorum, interemptus est. Hunc inter deos referte sancti *& domini P. C. & *de vobis aliquem, [sed] dignum vestro iudicio, principem mittite. Nos enim de iis qui vel errauerunt, vel male fecerunt, imperare nobis neminem patimur.* Rescriptum est senatusconsulto. Quum die tertio nonas Febr. senatus amplissimus in curiam Pompilianam conuenisset, Aurelius Gordianus consul dixit, *Referimus ad vos P. C. litteras exercitus felicissimi.* Quibus recitatis, *Aurelianus Tacitus primæ sententiæ senator, ita loquutus est; (hic autem est qui post Aurelianum sententia omnium Imperator est appellatus) *Recto ordine consuluissent dii immortales, P. C. si boni principes ferro inuiolabiles exstitissent, vt longiorem ducerent vitam, neque contra eos aliqua esset potestas iis qui neces infandas tristissima mente concipiunt. Viueret enim princeps noster Aurelianus; quo neque vtilior fuit quisquam. Respirare certe post infelicitatem Valeriani, post Gallieni mala, imperante Claudio cœperat nostra respublica: at eadem reddita fuerat Aureliano toto penitus orbe vincente. Ille nobis Gallias dedit: ille Italiam liberauit: ille Vindelicis iugum barbaricæ seruitutis amouit. Illo viuente Illyricum restitutum est, reddita Romanis legibus Thraciæ. Ille (proh pudor) orientem fæmineo pressum iugo in nostra iura restituit: ille Persas insultantes adhuc Valeriani nece, fudit, fugauit, oppressit. Illum Saraceni, Blemyes, *Axomitæ, Bactriani, Seres, Hiberi, Albani, Armenii, populi etiam Indorum, veluti præsentem pene venerati sunt deum. Illius donis quæ a barbaris gentibus meruit, refertum est Capitolium: quindecim milia librarum auri ex eius liberalitate vnum tenet templum omnia in vrbe fana eius micant donis. Quare P. C. vel deos ipsos iure conuenio, qui talem principem interire passi sunt; nisi forte secum eum esse maluerunt. Decerno igitur diuinos honores: ad quod vos omnes existimo esse facturos. Nam de Imperatore deligendo ad eumdem exercitum censeo esse referendum. Etenim in tali genere sententiæ, nisi fiat quod dicitur, & electi periculum erit, & eligentis inuidia.* Probata est sententia Taciti: attamen quum iterum atque iterum mitterent, ex S. C. quod in Taciti vita dicemus, Tacitus factus est Imperator. Aurelianus filiam solam reliquit; cuius posteri etiam nunc Romæ sunt. Aurelianus namque proconsul Ciliciæ, senator optimus, sui vere iuris vitæque venerabilis, qui nunc in Sicilia vitam agit, eius est nepos. Quid hoc esse dicam, tam paucos bonos exstitisse principes, quum iam tot Cæsares fuerint? Nam ab Augusto in Diocletianum Maximianumque principes, quæ series purpu-

ratorum sit, index publicus tenet. Sed in his optimi, ipse Augustus, Flauius Vespasianus, Titus, Cocceius Nerua, diuus Traianus, diuus Adrianus, Pius & Marcus Antonini, Seuerus Afer, Alexander Mammææ, diuus Claudius, & diuus Aurelianus. Valerianus enim, quum optimus fuerit, ab omnibus infelix apparuit. Vides (quæso) quam pauci sint principes boni. vt bene dictum sit a quodam mimico scurra Claudii, huius temporibus, *In vno anulo bonos principes posse perscribi atque depingi.* At contra, quæ series malorum? vt enim omittamus Vitellios, Caligulas, & Nerones, quis ferat Maximinos & Philippos, atque illam inconditæ multitudinis fæcem? Tametsi Decios excerpere debeam; quorum & vita & mors veteribus comparanda est. Et * quæritur quidem *quæ res malos principes faciat.* Iam primum nimia licentia, deinde rerum copia: amici præterea improbi, satellites detestandi, eunuchi auarissimi, aulici vel stulti vel detestabiles, & (quod negari non potest) rerum publicarum ignorantia. Sed ego a patre meo audiui, Diocletianum principem, iam priuatum, dixisse, *nihil esse difficilius quam bene imperare.* Colligunt se quatuor vel quinq;, atque vnum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt quid probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non nouit: cogitur hoc tantum scire quod illi loquuntur: facit iudices quos fieri non oportet, amouet a republica quos * debeat obtinere. Quid multa? vt Diocletianus ipse dicebat, *Bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* Hæc Diocletiani verba sunt. quæ idcirco inserui, vt prudẽtia tua sciret nihil esse difficilius bono principe. Aurelianum quidẽ multi neq; inter bonos, neq; inter malos principes ponunt; idcirco quod ei clemẽtia, Imperatorum dos prima, defuerit. Verconius Herennianus præf præt. Diocletiani, teste Asclepiodoto, sępe dicebat, Diocletianum frequenter dixisse, quum Maximiani asperitatẽ reprehẽderet, Aurelianum magis ducem esse debuisse quam principem. Nam eius nimia ferocitas eidem displicebat. Mirabile fortasse videtur, quod compertum Diocletiano Asclepiodotus Celsino consiliario suo dixisse * perhibet. sed de hoc posteri iudicabunt. Dicebat enim, quodam tempore Aurelianum Gallicanas consuluisse Druidas, sciscitantem vtrum apud eius posteros imperium permaneret: tum illas respondisse dixit, Nullius clarius in republica nomen quam Claudii posterorum futurum. Et est quidem iam Constantius Imperator eiusdem vir sanguinis; cuius puto posteros ad eam gloriam quæ a Druidibus prænunciata sit, peruenire. Quod idcirco ego in Aureliani vita constitui, quia hæc ipsi Aureliano consulenti responsa sunt. Vectigal ex Ægypto vrbi Romæ Aurelianus * vitri, chartæ, lini, stuppæ, atque * anabolicas species æternas constituit. Thermas [in] Transtiberina regione Aurelianus facere parauit hiemales, quod aquæ * frigidioris copia illic deesset. Forum nominis sui in Hostiensi ad mare fundare cœpit: in quo postea prætorium publicũ constitutum est. Amicos suos honeste ditauit & modice, vt miserias paupertatis effugerent, & diuitiarum inuidiam patrimonii moderatione vitarent. Vestem holosericam neque ipse in vestiario suo habuit, neque alteri vtendam dedit. Et quum ab eo vxor sua peteret, vt vnico pallio blatteo serico vteretur, ille respondit, *Absit vt auro fila pensentur.* libra enim auri tunc libra serici fuit. Habuit in animo vt * aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur; dicens plus auri esse in rerum natura quam argenti; sed aurum per varios bractearum, * filorum & liquationum vsus perire, argentum autem in suo vsu manere. Idem dederat facultatem vt aureis qui vellent & vasis vterentur & poculis. Dedit præterea potestatem vt argentatas priuati carrucas haberent; quum antea ærata & eborata vehicula fuissent. Idem concessit vt * blatteas matronæ tunicas haberent, & ceteras vestes; quum antea * coloreas habuissent, [& vt multum oxypæderotinas.] Et vt fibulas aureas gregarii milites haberent, idem primus concessit; quum antea argenteas habuissent. * Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit; quum ante nonnisi rectas purpureas accepissent: & quidem aliis * monolores, aliis dilores, trilores aliis, & vsque ad pentalores; quales hodie lineæ sunt. Panibus vrbis Romæ vnciam de Ægyptio vectigali auxit; vt quadam epistola data ad præfectum annonæ vrbis, etiam ipse gloriatur.

Aurelianus Augustus Flauio Arabiano præfecto annonæ. Inter cetera quibus diis fauentibus Romanam rempubl. iuuimus, nihil mihi est magnificentius quam quod additamento vnciæ

omne

omne annonarũ vrbicarum genus iuui: quod vt esset perpetuum, nauicularios Niliacos apud Aegyptum nouos, & Romæ amnicos posui. Tiberinas exstruxi ripas: vadum alueι tumentis effodi: diis & perennitati vota constitui, almam Cererem consecraui. Nunc tuum est officiũ Arabiane iucundissime, elaborare ne meæ dispositiones in irritum veniant. Neq; enim populo Rom. saturo quidquam potest esse lætius. Statuerat & vinum gratuitum populo Romano dare, vt, quemadmodum oleum & panis & porcina gratuita præberentur, sic etiam vinum daretur: quod perpetuum hac dispositione conceperat. Etruriæ per Aureliam vsque ad Alpes maritimas, ingentes agri sunt, iique fertiles ac siluosi. Statuerat igitur dominis locorum incultorum, qui tamen vellent, *pretia date, atque illic familias captiuas constituere, vitibus montes conserere, atque ex eo opere vinum dare; vt nihil redituum fiscus acciperet, sed totum populo Rom. concederet. Facta erat ratio *dochæ cuparum, nauium, & operum. Sed multi dicunt, Aurelianum, ne id faceret, præuentum; alii a præfecto præt. sui prohibitum; qui dixisse fertur, *Si & vinum populo Rom. damus, superest vt & pullos & anseres demus.* Argumento est id vere Aurelianum cogitasse, immo etiam facere disposuisse, vel ex aliqua parte fecisse, quod in porticibus templi Solis fiscalia vina ponuntur, non gratuita populo eroganda, sed pretio. Sciendum tamen, congiaria illum ter dedisse, donasse etiam populo Rom. tunicas albas manicatas ex diuersis prouinciis, & lineas Afras atque Ægyptias puras: ipsumque primum donasse oraria pop. Rom. quibus vteretur populus ad fauorem. Displicebat ei, quum esset Romæ, habitare in palatio; ac magis placebat in hortis Sallustii vel in Domitiæ viuere. Miliarensem denique porticum in hortis Sallustii ornauit; in qua quotidie & equos & se fatigabat; quamuis esset non bonæ valetudinis. Seruos & ministros peccantes coram se cædi iubebat; vt plerique dicunt, caussa tenendæ seueritatis: vt alii, studio crudelitatis. Ancillam suam, quæ adulterium cum seruo suo fecerat, capite puniuit. Multos seruos e familia propria qui peccauerant, legibus audiendos iudiciis publicis dedit. Senatum, siue *senaculum, matronis reddi voluerat: ita vt primæ illic *quæ sacerdotia senatu auctore meruissent. Calceos mulleos, & cereos, & *albos, & hederacios, viris omnibus tulit, mulieribus reliquit. Cursores eo habitu quo ipse habebat, senatoribus concessit. Concubinas ingenuas haberi vetuit. Eunuchorum modum pro senatoriis professionibus statuit; idcirco quod ad ingentia pretia peruenissent. Vas argenteicius numquam triginta libras transiit. Conuiuium de assaturis maxime fuit. Vino *rufo maxime delectatus est. Medicum ad se, quum ægrotaret, numquam vocauit; sed ipse se inedia præcipue curabat. Vxori & filiæ anulum sigillaricium quasi priuatus instituit. Seruis suis vestes easdem Imperator quas & priuatus dedit; præter duos senes, quibus quasi libertis plurimum detulit; Antistium & Gillonem; qui post eum ex senatus sententia manumissi sunt. Erat quidem rarus in voluptatibus, sed miro modo mimis delectabatur: vehementissime autem delectatus est Phagone; qui vsque eo multum comedit, vt vno die ante mensam eius aprum integrum, centum panes, veruecem & porcellum comederet: biberet autem infundibulo apposito plus orca. Habuit tempus, præter seditiones quasdam domesticas, fortunatissimum. Populus autem Romanus eum amauit; senatus timuit.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII,

TACITVS IMP.

QVon post excessum Romuli, nouello adhuc Romanæ vrbis imperio factum pontifices, penes quos *scribendæ historiæ potestas fuit, in litteras retulerunt, vt interregnum, dum post bonum principem bonus alius quæritur, iniretur, hoc post Aurelianum, habito inter senatum exercitumq; Rom. non inuido, non tristi, sed grato religiosoque certamine, sex totis mensibus factum est. Multis tamen modis hæc ab illo negotio caussa separata est. Iam primũ enim quum

interregnum initum est post Romulum, interreges tamen facti sunt: totusque ille annus per *quinos & quaternos dies siue ternos, centum senatoribus deputatus est; ita vt qui valerent, interreges essent, singuli duntaxat. Quare factum est vt & plures annos interregnum iniretur, ne aliquis sub æquali dignitate Romani expers remaneret imperii. Huc accedit quod etiam sub consulibus tribunisque militaribus præditis imperio consulari, siquando interregnum initum est, interreges fuerunt. Nec vnquam ita vacua fuit hoc nomine Romana respublica, vt nullus interrex biduo saltem triduoue crearetur. Video mihi posse obiici, curules magistratus apud maiores nostros *quadriennium in republica non fuisse: sed erant tribuni plebis cum tribunitia potestate; quæ pars maxima regalis imperii est: tamen non est proditum, interreges eo tempore non fuisse. Quinetiam verioribus historicis referentibus declaratum est, *consules ab interregibus prius creatos, qui haberent reliquorum comitia magistratuum. Ergo, quod rarum & difficile fuit, S. P. Q. R. perpessus est vt Imperatorem per sex menses, dum bonus quæritur, respublica non haberet. Quæ illa concordia militum? quanta populi quies? quam grauis senatus auctoritas fuerit? Nullus vsquam tyrannus emersit: sub iudicio senatus & militum populique Romani totus orbis est temperatus: non illi principem quemquam, vt recte facerent, non tribunitiam potestatem formidabant; sed (quod est in vita optimum) se timebant. Dicenda est tamen caussa tam felicium morarum, & speciatim monumentis publicis *inserenda ea in posteros humani generis stupenda moderatio: vt discant qui regna capiunt, non raptum ire imperia, sed mereri. Interfecto sane fraude Aureliano, vt superiore libro scriptum est, calliditate serui nequissimi, errore militarium; (vt apud quoslibet commenta plurimum valent; dummodo irati audiant, plerumque temulenti, certe consiliorum prope semper expertes) reuersis ad bonam mentem omnibus, eisdemque ab exercitu grauiter confutatis: cœptum est quæri, *& quis fieri deberet ex omnibus princeps. Tunc odio præsentium, exercitus qui create Imperatorem raptim solebat, ad senatum litteras misit, de quibus priore libro iam dictum est; petens vt ex ordine suo principem legerent. Verum senatus, sciens lectos a se principes militibus non placere, rem ad milites retulit. Dumque id sæpius fit, sextus peractus est mensis. Interest tamen vt sciatur quemadmodum Tacitus Imperator sit creatus. Die septimo calend. Octob. quum in curiam Pompilianam ordo amplissimus *consedisset, Velius Cornificius Gordianus COS. dixit; *Referimus ad vos* P. C *quod sæpe retulimus. Imperator est deligendus: exercitus sine principe recte diutius stare non potest; simul quia cogit necessitas. Nam limitem trans Rhenum Germani rupisse dicuntur, occupasse vrbes validas, nobiles, diuites, & potentes. Iam si nihil de Persicis motibus nuntiatur, cogitate tam leues esse mentes Syrorum, vt regnare vel fœminas cupiant potius quam nostram perpeti sanctimoniam. Quid Africam? quid Illyricum? quid Aegyptum, earumque omnium partium exercitum; quousque sine principe credimus posse consistere? Quare agite* P. C. *& principem dicite. aut accipiet eum exercitus quem elegeritis: aut si refutauerit, alterum faciet.* Post hæc quum Tacitus, qui erat primæ sententiæ consularis, sententiam incertum quam vellet dicere, omnis senatus acclamauit; *Tacite Auguste, dii te seruent: te deligimus, te principem facimus: tibi curam reipublicæ orbisque mandamus. Suscipe imperium ex senatus auctoritate: tui loci, tuæ vitæ, tuæ mentis est quod mereris. Princeps senatus recte Augustus creatur: primæ sententiæ vir, recte Imperator creatur. *Et quis melius quam grauis imperat? & quis melius quam litteratus imperat? Quod bonum, faustum, salutareque sit; diu priuatus fuisti: scis quemadmodum debeas imperare, qui alios principes pertulisti: scis quemadmodum debeas imperare, qui de aliis principibus iudicasti.* At ille; *Miror* P. C. *vos in locum Aureliani fortissimi Imperatoris, senem velle principem facere. En membra quæ iaculari valeant, quæ hastile torquere, quæ clypeis intonare, quæ ad exemplum docendi *milites frequenter equitare. Vix munia senatus implemus: vix sententias, ad quas nos locus arctat, edicimus. Videte diligentius quam ætatem de cubiculo atque vmbra in pruinas æstusque mittatis. An probaturos senem Imperatorem milites creditis? Videte ne respubl. non eum quem velitis principem detis: & mihi hoc solum obesse incipiat quod me vnanimiter delegistis.* Post hæc acclamationes

manones

mationes senatus hæ fuerunt: *Et Traianus ad imperium senex venit*: (dixerunt decies) *Et Adrianus ad imperium senex venit*: (dixerunt decies) *Et Antoninus ad imperium senex venit*: (dixerunt decies) *Et tu legisti; incanaque menta Regis Romani.* (dixerunt decies) *Et quis melius quam senex imperat?* (dixerunt decies) *Imperatorem te, non militem, facimus*: (dixerunt vicies) *Tu iube, milites pugnent.* (dixerunt tricies) *Habes prudentiam, & bonum fratrem.* (dixerunt decies) *Seuerus dixit, Caput imperare, non pedes.* (dixerunt tricies) *Animum tuum, non corpus elegimus.* (dixerunt vicies) *Tacite Auguste, dii te seruent.* *Deinde omnes interrogati: præterea qui post Tacitum sedebat senator consularis Metius Falconius Nicomachus, in hæc verba disseruit; *Semper quidem P. C. recte atque prudenter respublica magnificus hic ordo consuluit, neque a quoquam orbis terræ populo solidior vnquam exspectata sapientia est. attamen nulla vnquam neque grauior, neque prudentior in hoc sacrario dicta sententia est. Seniorem principem fecimus, & virum qui omnibus quasi pater consulat. Nihil ab hoc immaturum, nihil properum, nihil asperum formidandum est. Omnia seria, cuncta grauia, & quasi ipsa respublica iubeat, auguranda sunt. Scit enim qualem sibi principem semper optauerit: nec potest aliud nobis exhibere quam quod ipse desiderauit & voluit. Enimuero si recolere velitis vetusta illa prodigia, Nerones dico & Heliogabalos, & Commodos, seu potius semper Incommodos; certe non hominum magis vitia illa quam ætatum fuerunt. Dii auertant principes pueros, & Patres patriæ dici impuberes: & quibus ad subscribendum magistri litterarii manus teneant: quos ad consulatus dandos dulcia & circuli, & quæcumque voluptas puerilis inuitet. Quæ, malum, ratio est, habere Imperatorem qui famam curare non nouerit: qui quid sit respublica nesciat, nutritorem timeat, respiciat ad nutricem, * manuum magistralium ictibus terrorique subiaceat; faciat eos consules, duces, iudices, quorum vitas, merita, ætates, familias, gesta non norit? Sed quid diutius P. C protrahor? magis gratulemur quod habemus principem senem, quam illa iteremus quæ plusquam lacrymanda tolerantibus exstiterunt. Gratias igitur diis immortalibus ago atque habeo; & quidem pro vniuersa republica, teque Tacite Auguste, conuenio; petens, obsecrans, libere pro communis patriæ legibus deposcens, ne paruulos tuos, si te citius fata præuenerint, facias Romani heredes imperii; ne sic rempublicam, patresque conscriptos populumque Romanum, vt villulam tuam, vt colonos tuos, vt seruos tuos, relinquas. Quare circumspice, imitare Neruas, Traianos, Adrianos. Ingens est gloria morientis principis, rempublicam magis amare quam filios.* Hac oratione & Tacitus ipse vehementer est motus, & totus senatorius ordo concussus: statimque acclamatum est, *Omnes, Omnes.* *Inde itum ad campum Martium: ibi * comitiale tribunal ascendit: ibi præfect. vrbis Ælius Cæsetianus sic loquutus est, *Vos sanctissimi milites, & sacratissimi vos Quirites; habetis principem quem de sententia omnium exercituum senatus elegit: Tacitum dico, augustissimum virum: vt qui hactenus sententiis suis rempubl. iuuit, nunc iuuet iussis atq; consultis.* Acclamatum est a populo, *Felicissime Tacite Auguste; dii te seruent*, & reliqua quæ solent dici. Hoc loco tacendum non est, plerosq; in literas retulisse, Tacitum absentem & in Campania positum, principem nuncupatum: quod verum est, nec dissimulare possum. Nam quum rumor emersisset illum Imperatorē esse faciendum, discessit, atque in Baiano duobus mensibus fuit. Sed inde deductus, huic senatusconsulto interfuit. quasi vere priuatus, & qui vere recusaret imperium. Ac ne quis me Græcorum alicui vel Latinorum existimet temere credidisse, habet bibliotheca Vlpia in armario sexto librum elephantinum, in quo hoc S. C perscriptum est: cui Tacitus ipse manu sua subscripsit. Nam diu hæc S. C. quæ ad principes pertinebant, in libris *elephantinis scribebantur. Inde ad exercitus profectus. ibi quoq; quum primum tribunal ascendit, Mesius Gallicanus præfect. præt. in hæc verba disseruit; *Dedit sanctissimi commilitones, senatus principem quem petistis: paruit præceptis & voluntati castrensium ordo ille nobilissimus. Plura mihi apud vos præsente Imperatore non licet loqui. Ipsum igitur qui tueri nos debet, loquentem dignanter audite.* Post hoc Tacitus Augustus dixit, *Et Traianus ad imperiū senex venit. sed ille ab vno deductus est; at me, sanctissimi commilitones, primum vos, qui scitis principes approbare, deinde amplissimus senatus dignum hoc nomine iudicauit. curabo, enitar, efficiam ne vobis desint, si non fortia facta, at saltem vobis atque Imperatore digna consilia.* Post hæc stipendium

& donariuum ex more promisit: & primam orationem ad senatum talem dedit; *Ita mihi liceat P. C. sic imperium regere, vt a vobis me constet electum; vt ego cuncta ex vestra facere sententia & potestate decreui. Vestrum est igitur ea iubere atque sancire quæ digna vobis, digna modesto exercitu, digna populo Romano esse videantur.* In eadem oratione Aureliano statuam auream ponendam in Capitolio decreuit: item statuam argenteam in curia, item in templo Solis, item in foro diui Traiani. sed aurea non est posita: dedicatæ autem sunt solæ argenteæ. In eadem oratione cauit vt si quis argento publice priuatimue æs miscuisset, si quis auro argentum, si quis æri plumbum, capitale esset cum bonorum proscriptione. In eadem oratione cauit vt serui in dominorum capita non interrogarentur, ne in caussa maiestatis quidem. addidit, vt Aurelianum omnes pictum haberent. Diuorum templum fieri iussit, in quo essent statuæ principum bonorum; ita vt iisdem natalibus suis, & parilibus, & calend. Ianuariis, *& votis, libamina ponerentur. In eadem oratione fratri suo Floriano consulatum petiit, & non impetrauit, idcirco quod iam senatus omnia *nundina suffectorum consulum clauserat. Dicitur autem multum lætatus senatus libertate, quod ei negatus est consulatus quem fratri petierat. Fertur denique dixisse, *Scit senatus quem principem fecerit.* Patrimonium suum publicauit, quod habuit in * redditibus, H. S. bis millies octingenties. Pecuniam quam domi collegerat, in stipendium militum vertit. Togis & tunicis iisdem est vsus quibus priuatus. Meritoria intra vrbem stare vetuit: quod quidem diu tenere non potuit. Thermas omnes ante lucernam claudi iussit; nequid per noctem seditionis oriretur. *Cornelium Tacitum*, scriptorem historiæ Augustæ, quod parentem suum eumdem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iussit: & ne lectorum incuria deperiret, librum per annos singulos decies scribi publicitus in *euicis archiis iussit, & in bibliothecis poni. Holosericam vestem viris omnibus interdixit. Domum suam destrui præcepit, atque in eo loco thermas publicas fieri priuato sumptu iussit: columnas centum Numidicas pedum vicenûm ternûm Hostiensibus donauit. De proprio possessiones quas in Mauritania habuit, sartis tectis Capitolii deputauit. Argentum mensale quod priuatus habuerat, ministeriis conuiuiorum, quæ in templis fierent, dedicauit. Seruos vrbanos omnes manumisit vtriusque sexus; intra centum tamen; ne *Caniniam transire videretur. Ipse fuit vitæ parcissimæ; ita vt sextarium vini tota die numquam potauerit, sæpe intra heminam. Conuiuium vero vnius galli nacei; ita vt sinciput adderet & oua. Præ omnibus oleribus affatim ministratis, lactucis impatienter indulsit. somnum enim se mercari illa sumptus effusione dicebat. Amariores cibos appetiuit. Balneis raro vsus est; atq; validior fuit in senectute. Vitreorum diuersitate atq; operositate vehementer est delectatus. Panem nisi siccum numquã comedit; eumdemq; sale atq; aliis rebus conditum. Fabricarum peritissimus fuit, marmorum cupidus: nitoris senatorii, venationum studiosus. Mensam deniq; suam numquã nisi agrestibus opimauit. Fasianam auem, nisi suo & suorum natali & diebus festissimis, non posuit. Hostias suas semper domum reuocauit, iisdemq; suos vesci iussit. Vxorem gemmis vti non est passus. Auroclauatis vestibus idem interdixit. Nam & ipse auctor Aureliano fuisse perhibetur vt aurum a vestibus & cameris & pellibus submoueret. Multa huius feruntur: sed longum est ea in litteras mittere. Quod si quis omnia de hoc viro cupit scire, legat Suetonium Optatianum, qui eius vitam affatim scripsit. Legit sane senex minutulas litteras ad stuporem: nec vmquã noctem intermisit qua non aliquid vel scriberet vel legeret; præter postetum calendarum diem. Nec tacendum est, & frequenter * imitandum, tantam senatus lætitiam fuisse quod eligendi principis cura ad ordinem amplissimum reuertisset, vt & supplicationes decernerentur, & hecatombe promitteretur [a] singulis; deniq; senatores ad suos scriberẽt, nec ad suos tantum, sed etiam ad externos: mitterentur præterea literæ ad prouincias, vt scirent omnes socii omnesque nationes, in antiquum statum rediisse rempubl. ac senatum principes legere, immo ipsum senatum principem factũ: leges a senatu petendas, reges barbaros senatui supplicaturos: pacem ac bella senatu auctore tractanda. Nequid denique deesset cognitioni, plerasque huiusmodi epistolas in fine libri posui, & cum cupiditate & sine fastidio, vt

existimo

existimo, perlegendas. Et prima quidem illi cura Imperatoris facti hæc fuit, vt omnes qui Aurelianum occiderant, interimeret, bonos malosue; quum iam ille vindicatus esset. Et quoniam a Mæotide multi barbari eruperant, hos eosdem consilin atque viribus, vt eo redirent, compulit. *Ipsi autem Mæotidæ ita congregabantur, quasi accitu Aureliani ad bellum Persicum conuenissent, auxilium daturi nostris, si necessitas postularet. Quum Tullius dicat, magnificentius esse dicere quemadmodum ceperit consulatum [Marcus:] at in isto viro magnificum fuit quod tanta gloria cepit imperium. Gessit autem propter breuitatem temporum nihil magnum. Interemptus est enim insidiis militaribus, vt alii dicunt, sexto mense: vt alii, morbo interiit. Tamen constat, factionibus eum oppressum, mente atque animo defecisse. Hic idem mensem Septembrem *Tacitum* appellari iussit, idcirco quod eo [in] mense & natus & factus est Imperator. Huic frater FLORIANVS imperio successit: de quo pauca ponenda sunt.*

FLORIANVS.

HIc frater Taciti germanus fuit: qui post fratrem arripuit imperium, non senatus auctoritate, sed suo motu; quasi hereditarium esset imperium: quum sciret adiuratum esse in senatu Tacitum, vt quum mori cœpisset, non liberos suos, sed optimum aliquem principem faceret. Denique vix duobus mensibus imperium tenuit, & occisus est Tarsi a militibus, qui Probum audierant imperare, quem omnis exercitus legerat. Tantus autem Probus fuit in re militari, vt illum senatus optaret, miles eligeret, ipse populus Rom. acclamationibus peteret. Fuit etiam Florianus morum fratris imitator; nec tamen vsquequaq;. Nam effusionem in eo frater frugi reprehendebat: & hæc ipsa imperandi cupiditas aliis eum moribus ostendit fuisse quam fratrem. Duo igitur principes vna exstiterunt domo: quorum alter sex mensibus, alter vix duobus imperauerunt, quasi quidam interreges inter Aurelianum & Probum, post interregnum principes nuncupati. Horum statuæ fuerunt Interamnę duæ pedum tricenûm ex marmore; quod illic eorum cenotaphia constituta sunt in solo proprio: sed deiectæ fulmine, ita contritæ sunt, vt membratim iaceant dissipatæ: quo tempore responsum est ab aruspicibus, quandoq; ex eorum familia Imperatorem Romanum futurum, seu per fœminam, seu per virum, qui det iudices Parthis ac Persis; qui Francos & Alamanos sub Romanis legibus habeat; qui per omnē Africam barbarum non relinquat; qui Taprobanis præsidem imponat; qui ad Romanam insulam proconsulem mittat; qui Sarmatis omnibus iudicet; qui terram omnem quam Oceanus ambit, captis omnibus gentibus, suam faciat: postea tamē senatui reddat imperium, & antiquis legibus viuat, ipse victurus annis CXX, & sine herede moriturus. Futurum autem eum dixerunt a die *fulmine præcipitatis statuisque confractis post annos mille. Non magna hæc vrbanitas aruspicum fuit, qui principem talem post mille annos futurum esse dixerunt? quia si post centū annos *prædicerent fore, possent eorū deprehēdi mendacia; quum vix remanere talis possit historia. Ego tamen idcirco hæc inserenda volumini credidi, ne quis me legens legisse non crederet. Tacitus congiarium populo Rom. intra sex menses vix dedit. Imago eius posita est in Quintiliorum in vna tabula *quintuplex, in qua semel togatus, semel chlamydatus, semel armatus, semel palliatus, semel venatorio habitu. De qua quidā epigrammatarius ita lusit, vt diceret; *Non agnosco senem armatū, non chlamydatū inter cetera; sed agnosco togatum*: Et Floriani [liberi] & Taciti multi exstiterunt: quorū sunt posteri credo millesimū annum exspectantes. in quos multa epigrammata scripta; quo locati sunt aruspices imperiū pollicentes. Hæc sunt quæ de vita Taciti atq; Floriani digna memoratu comperisse memini. Nunc nobis aggrediēdus est PROBVS, vir domi forisq; cōspicuus; vir Aureliano, Traiano, Adriano, Antoninis, Alexandro, Claudioq; præferēdus: nisi quia in illis varia, in hoc omnia præcipua tunc fuere: qui post Tacitum omnium iudicio bonorum Imperator est factus, orbemque terrarum pacatissimum gubernauit, deletis barbaris gentibus, deletis etiam plurimis tyrannorum, qui eius temporibus exstiterunt: de quo dictum est vt Probus diceretur, etiamsi Probus nomine non fuisset. quem quidem multi ferunt Sibyllinis libris

fore promissum: qui si diutius fuisset, orbis terræ barbaros non haberet. Hæc ego in aliorum vita de Probo idcirco indidi, ne dies, hora, momentum aliquid sibi vindicaret, ne fatali necessitate absumptus,* probo indicto deperirem. * Nunc claudam volumen, satisfactum arbitrans studio & cupiditati meæ. Omina imperii Tacito hæc fuerunt: Fanaticus quidam in templo Syluani tensis membris exclamauit; *Tacita purpura, tacita purpura*: idque septimo. quod quidem postea omini deputatum est. Vinum quo libaturus Tacitus fuerat in templo Herculis Fundani, subito purpureum factum est. Vitis quæ vuas Aminæas albas ferebat, eo anno quo ille imperium meruit, purpurascere plurima purpura cœpit. Mortis omina hæc fuerunt: Patris sepulcrum disruptis ianuis se aperuit, matris vmbra se per diem & Tacito & Floriano velut viuentis obtulit: nam diuersis patribus nati ferebantur. in laratio dii omnes seu terræ motu, seu casu aliquo conciderunt. Imago Apollinis quæ ab his colebatur, ex summo fastigio in lectulo posita sine [hominis] cuiuspiam manu deprehensa est. Sed hæc sunt quæ a plerisque dicuntur: nos ad Probum & ad Probi gesta insignia reuertemur. Et quoniam me promisi aliquas epistolas esse positurum quæ creato Tacito principe gaudia senatus ostenderent, his additis, finem scribendi faciam. Epistolæ publicæ. *Senatus amplissimus curiæ Carthaginensi S. D. Quod bonum, faustum, felix salutareque sit respubl. orbique Rom. dandi ius imperii, appellandi principis, nuncupandi Augusti, ad nos reuertit. Ad nos igitur referte quæ magna sunt.* Omnis prouocatio præfecti vrbis erit: quæ tamen a proconsulibus & ab ordinariis iudicibus emerserit. in quo quidem etiam vestram in antiquum statum redisse credimus dignitatem: siquidem primus hic ordo est qui recipiendo vim suam, ius suum ceteris seruat.* Alia epistola. *Senatus amplissimus curia Treuirorum. Vt estis liberi & semper fuistis, lætari vos credimus. Creandi principis iudicium ad senatum rediit; simul etiam præfecturæ vrbanæ appellatio vniuersa decreta est.* Eodem modo scriprum est* Antiochensibus, Aquileiensibus, Mediolanensibus, Alexandrinis, Thessalonicensibus, Corinthiis & Atheniensibus. Priuatæ autem epistolæ hæ fuerunt. *Autronio* iusto patri, Autronius Tiberianus salutem. nunc te pater sancte interesse decuit senatui amplissimo, nunc sententiam dicere; quum tantum auctoritatis amplissimo ordini creuerit, vt reuertat in antiquum statum respubl. & nos principes demus, nos faciamus Imperatores, nos denique nuncupemus Augustos. Fac igitur vt conualescas, curiæ interfuturus antiquæ. Nos recepimus ius proconsulare; redierunt ad præfectum vrbis appellationes omnium potestatum & omnium dignitatum.* Item alia. *Claudius* Capellianus Cereio Metiano patruo S. Obtinuimus pater sancte quod semper optauimus: in antiquum statum senatus reuertit. Nos principes facimus; nostri ordinis sunt potestates. Gratias exercitui Romano & vere Romano: reddidit nobis quam semper habuimus potestatem.* *Abiice Baianos Puteolanosque secessus: da te vrbi, da te curiæ. Floret Roma, floret tota respublica Imperatores damus, principes facimus: possumus & prohibere, qui cœpimus facere. Dictum sapienti sat est.* Longum est omnes epistolas connectere, quas reperi, quas legi. Tantum illud dico, senatores omnes ea esse lætitia elatos, vt domibus suis omnes albas hostias cæderent, imagines frequenter aperirent, *albati sederent, conuiuia sumptuosiora præuenirent, antiquitatem sibi redditam crederent.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII,

PROBVS.

CERTVM est quod Sallustius Crispus, quodque M. Cato & Gellius historicæ sententiæ modo in litteras retulerunt, *omnes omnium virtutes tantas esse quantas videri eas voluerint eorum ingenia qui vniuscuiusq; facta descripserint*. Inde esse quod Alexander Magnus Macedo, quum ad Achillis sepulcrum venisset, grauiter ingemiscens, *Felicem te*, inquit, *iuuenis, qui talem præconem tuarum virtutum reperisti*: Homerum intelligi volens, qui Achillem tantum in virtutum studio finxit quantum ipse valebat ingenio. Quorsum hæc pertineant, mi Celse, ne fortassis requiras. Probum principem, cuius imperio oriens, occidens, meridies, septemtrio, omnesque orbis partes in totam securitatem redactæ sunt, scriptorum inopia iam pene nescimus. Occidit (pro pudor) tanti viri & talis historia qualem non habent bella Punica, non terror Gallicus, non motus Pontici, non Hispaniensis astutia. Sed non patiar ego ille, a quo dudum solus Aurelianus est expetitus: cuius vitam quantum potui persequutus, Tacito Florianoque iam scriptis, non me ad Probi facta* conscendere: si vita suppetet, omnes qui supersunt vsq; ad Maximianum Diocletianumque dicturus. Neque ego nunc facultatem eloquentiamque polliceor, sed res gestas, quas perire non patior. Vsus autem sum (ne in aliquo fallam carissimam mihi familiaritatem tuam) præcipue libris ex bibliotheca Vlpia ætate mea thermis Diocletianis, item ex domo Tiberiana: vsus etiam ex* regestis scribarum porticus Porphyreticæ, Actis etiam senatus ac populi. Et quoniam me ad colligenda talis viri gesta ephemeris Turduli Gallicani plurimum iuuit, viri honestissimi ac sincerissimi, beneficium amici senis tacere non debui: Cn. Pompeium tribus fulgentem triumphis, belli *piratici, belli Sertoriani, belli Mithridatici, multarumque rerum gestarum maiestate sublimem, quis tandem nosset, nisi eum M. Tullius & T. Liuius in litteras retulissent? P. Scipionem Africanum, immo Scipiones omnes, seu *Lucios seu Nasicas nonne tenebræ possiderent ac tegerent, nisi commendatores eorum historici nobiles atque ignobiles exstitissent? Longum est omnia persequi quæ ad exemplum huiuscemodi etiam nobis tacentibus vsurpanda sunt. Illud tantum contestatum volo, me & rem scripsisse; quam siquis voluerit honestius, eloquio celsiore demonstret. Et mihi quidem id animi fuit, non vt Sallustios, Liuios, Tacitos, Trogos, atq; omnes disertissimos imitater viros in vita principum & temporibus disserendis; sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, *Gargilium Martialem, Iulium Capitolinum, Ælium Lampridium, ceterósque qui hæc & talia non tam diserte quam vere memoriæ tradiderunt. Sum enim vnus ex curiosis, quod infinita scire non possum, incendentibus vobis; qui quum multa sciatis, scire multo plura cupitis. Et ne diutius ea quæ ad meum consilium pertinent loquar, magnum & præclarum principem, & qualem historia nostra non nouit, arripiam. PROBVS oriundus e Pannonia, ciuitate Sirmiensi, nobiliore matre quam patre, patrimonio moderato, affinitate non magna, tam priuatus quam Imperator, nobilissimis virtutibus claruit. Probo, vt quidam in litteras retulerunt, pater nomine Maximus fuit: qui quum ordines honestissime duxisset, tribunatum adeptus, apud Ægyptum vita functus est, vxore ac filio & filia derelictis. Multi dicunt Probum Claudii propinquum fuisse, optimi & sanctissimi principis. quod quia per vnum tantum Græcorum relatum est, nos in medio relinquemus. Vnum tamen dico quod in ephemeride legisse me memini, a Claudia sorore Probum sepultum. Adolescens Probus, corporis motibus tam clarus est factus, vt Valeriani iudicio tribunatum prope imberbis acciperet. Exstat epistola Valeriani ad Gallienum, qua Probum laudat adhuc adolescentem, & imitationi omnium proponit. Ex quo apparet, *neminem vmquam peruenisse ad virtutum summam iam maturum, nisi qui puer seminario virtutum generosiore concretus, aliquid inclytum designasset*. Epistola Valeriani. *Valerianus pater Gallieno filio, Augustus Augusto. Et meum sequutus iudi-*

cium, quod semper de Probo adolescente primo habui, & omnium bonorum qui eumdem sui nominis virum dicunt, tribunatum in eum contuli, datis sex cohortibus Saracenis, creditis etiam auxiliaribus Gallis, cum ea Persarum manu quam nobis Artabasses Syrus mancipauit. Te quæso fili carissime, vt eum iuuenem quem imitari pueris omnibus volo, in tanto habeas honore quantum virtutes eius & merita pro debito mentis splendore desiderant.* Alia epistola de eodem ad præf. præt. cum salario. *Valerianus Augustus Muluio Gallicano præf. præt. Miraris fortassis, quod ego imberbem tribunum fecerim contra constitutum* diui Adriani. Sed non multum miraberis, si Probum cogitas, adolescentem vere probum. Numquam enim aliud mihi, quum eum cogito, nomen occurrit. Quod nisi nomen haberet, potuit habere cognomen. Huic igitur dari iubebis (quoniam mediocris fortunæ est) vt eius dignitas incrementis iuuetur, tunicas rufulas duas, pallia Gallica duo fibulata, interulas * paragaudias duas, patinam argenteam librarum decem specillatam, aureos Antoninianos centum, argenteos Aurelianos mille, æreos Philippeos decem millia. Item in salario diurno, bubulæ * pondo, porcinæ pondo sex, caprinæ pondo decem, gallinaceum per biduum, olei per biduum sextarium vnum, vini veteris diurnos sextarios decem, cum larido bubalino: salis, olerum, lignorum, quantum satis est. Hospitia præterea eidem vt tribunis legionum præberi iubebis.* Et hæc quidem epistolæ declarant. Nunc quantũ ex ephemeride colligi potuit, quum bello Sarmatico iam tribunus, transmisso Danubio, multa fortiter fecisset, publice in concione donatus est hastis puris quatuor, coronis vallaribus duabus, corona ciuica vna, vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus, torque aureo vno, patera sacrificali quinquelibri vna. Quo quidem tempore Valerium Flaccum, adolescentem nobilem, parentem Valeriani, e Quadorum liberauit manu: vnde illi Valerianus coronam ciuicam detulit. Verba Valeriani pro concione habita, *Suscipe Probe præmia pro rep. suscipe coronam ciuicam pro parente.* Quo quidem tempore legionem tertiam eidem addidit sub testimonio eiusmodi. Epistola de legione tertia. *Res gestæ tuæ, Probe carissime, faciunt vt et serius tibi tradere maiores exercitus videar, & cito tamẽ tradã. Recipe in fidem tuam legionem tertiam felicem; quam ego adhuc nulli nisi prouecto iam credidi: mihi autem eo tempore credita est quo & me canosum, qui credebat, cum gratulatione vidit. Sed ego in te non exspecto ætatem; quum & virtutibus fulgeas, & moribus polleas. Vestes tibi triplices dari iussi, salarium duplex feci, vexillarium deputaui.* Longum est, si per res gestas tanti percurrã viri, quæ ille sub Valeriano, quæ sub Gallieno, quæ sub Aureliano & Claudio priuatus fecerit, quoties murum conscenderit, vallum diripuerit, hostem comminus interemerit, dona principum emeruerit, remp. in antiquum statum sua virtute reddiderit. Docet Gallieni epistola ad tribunos data, qui fuerit Probus. *Gallienus Augustus tribunis exercituum Illyricianorum. Etiamsi patrem meum fatalis belli Persici necessitas tenuit, habeo tamen parentem Aurelium Probum, quo laborante, possim esse securus. qui si affuisset, numquam ille ne nominandus quidem tyrannus, sibi vsurpasset imperium. Quare omnes vos consiliis eius cupio parere, qui & patris iudicio probatus est, & senatus.* Non magnum fortassis iudicium Gallieni esse videatur, principis mollioris; sed, quod negari non potest, ne dissolutus quidem quispiam se, nisi in eius fidem tradit, cuius sibi virtutes existimat profuturas. Sed esto, Gallieni epistola sequestretur. Quid Aureliani iudicium? qui Probo decimanos, fortissimos exercitus sui, & cum quibus ipse ingentia gesserat, tradidit sub huiusmodi testimonio: *Aurelianus Augustus Probo S. D. Vt scias quanti te faciam, decimanos meos sume, quos Claudius mihi credidit. Isti enim sunt qui quadam felicitatis prærogatiua, præsules nisi futuros principes habere non norunt.* Ex quo intellectum est, Aurelianum in animo hic habuisse, vt si quid sibi scienti prudentique eueniret, Probum principem faceret. Iam Claudii, iam Taciti iudicia de Probo longum est innectere: quamuis feratur in senatu Tacitus dixisse, quum eidem offerretur imperium, debere Probum principem fieri. Sed ego S. C. ipsum inueni. Ipse autem Tacitus Imperator primam talem ad Probum epistolam dedit: *Tacitus Augustus Probo. Me quidem senatus principem fecit de prudentis exercitus voluntate: attamen sciendũ tibi est, tuis nunc humeris magis incubuisse remp. Qui & quantus sis, omnes nouimus, scit senatus. Adesto igitur nostris necessitatibus: tuæ familiæ assere, vt soles, remp. Nos tibi decreto totius orientis ducatu, salarium quintuplex fecimus, ornamenta militaria geminauimus, consulatum in annum proximum nobiscum decreuimus: te enim*

manet

manet pro virtutibus tuis capitolina palmata. Ferunt quidam Probo id pro imperii omine fuisse quod Tacitus scripsit, *Te manet capitolina palmata*. Sed in hanc sententiam omnibus semper COSS. scribebatur. Amor militum erga Probum ingens semper fuit. Neque enim vmquam ille passus est peccare militem. Ille quinetiam Aurelianum sæpe a graui crudelitate deduxit. Ille singulos manipulos adiit, vestes & calciamenta perspexit: siquid prædæ fuit, ita diuisit, vt sibi nihil præter tela & arma seruaret. Quinetiam quum de prædaro (* siue ex Alanis siue ex aliqua alia gente incertum est) repertus esset equus non decorus, neque ingens, qui, quantum captiui loquebantur, centum ad diem miliaria currere diceretur, ita vt per dies octo vel decem continuaret, & omnes crederent Probum tale animal sibimet seruaturum, iam primum dixit; *Fugitiuo militi potius quam forti hic equus conuenit.* Deinde in vrnam militares iussit nomen suum mittere, vt aliquis eum forte ductus acciperet. Et quum essent in exercitu quidam nomine Probi alii quatuor milites, casu euenit vt primum emergeret cui Probo nomen exsisteret, quum ipsius Probi ducis nomē missum non esset. Sed quum quatuor illi milites inter se contēderent, ac sortem sibi quisq; defenderet, iussit iterum agitari vrnam: sed & iterum Probi nomen emersit: quumque tertio & quarto fecisset, quarto Probi nomen effusum est. Tunc omnis exercitus equum illum Probo duci dicauit, ipsis etiam militibus quorum nomina exierant, id volentibus. Pugnauit & contra Marmaridas in Africa fortissime, eos deniq; vicit: atque ex Libya Carthaginem transiit, eamdemque a rebellionibus vindicauit. Pugnauit & singulari certamine cōtra quemdam Aradionem in Africa, eumdemq; prostrauit: & quia fortissimum ac pertinacissimum virum viderat, sepulcro ingenti honorauit; quod adhuc exstat tumulo vsque ad ducentos pedes terræ lato, per milites, quos otiosos esse numquam est passus. Exstant apud Ægyptum eius opera, quæ per milites struxit in plurimis ciuitatibus. In Nilo autem tam multa fecit, vt vectigal frumentarium solus adiuuerit: pontes, templa, porticus, basilicas labore militū struxit: ora fluminum multa patefecit, paludes plerasque siccauit, atque in his segetes agrosque constituit. Pugnauit etiam contra Palmyrenos pro Odenati & Cleopatræ partibus Ægyptum defendentes; primo feliciter, postea temere, vt pene caperetur: sed postea refectis viribus, Ægyptum & orientis maximam partem in Aureliani potestatem redegit. Quum his igitur tot & tantis virtutibus eniteret, Tacito absumpto fataliter, ac Floriano imperium arripiente, omnes orientales exercitus eumdem Imperatorem fecerunt. Non inepta neque inelegans fabula est, scire quemadmodum imperium Probus sumpserit. Quum ad exercitus nuntius venisset, tum primum animus militibus fuit præuenire Italicos exercitus, ne iterum senatus principem daret. sed quum inter milites sermo esset quis fieri deberet, & manipulatim in campo tribuni eos alloquerentur, dicentes requirendum esse principem aliquem fortem, sanctum, verecundum, clementem, probum; idque per multos circulos, vt fieri assolet, diceretur; quasi diuino nutu vndique ab omnibus acclamatum est, *Probe Auguste, dii te seruent.* deinde concursus, & cæspititium tribunal: appellatusq; Imperator, ornatus etiam pallio purpureo, quod de statua templi oblatum est: atque inde ad palatium reductus, inuitus & * retrectans, & sæpe dicens; *Non enim vobis expedit milites: non mecum bene agitis. Ego enim vobis blandiri non possum.* Prima eius epistola data ad Capitonem præfectum præt. talis fuit: *Imperium numquam optaui, & inuitus accepi. Deponere mihi rem inuidiosissimam non licet. Agenda est persona quam mihi miles imposuit. Te quæso Capito, ut amecum salua republ. perfruaris. Annonam & commeatus, & quidquid necessarium est, vbique militi pares: ego, quantum in me est, si recte omnia gubernaueris, præfectum alterum non habebo.* Itaque milites, cognito quod imperaret Probus, Florianum, qui quasi hereditarium imperium arripuerat, interemerunt; scientes neminem dignius imperare quam Probum. Ita ei sine vlla molestia totius orbis imperium & militum & senatus iudicio delatum est. Et quoniam mentionem senatus fecimus, sciendum est quid ipse ad senatum scripserit, quid item ad eum amplissimus ordo rescripserit. Oratio Probi prima ad senatum. *Recte atque ordine P. C. proximo superiore anno factum est vt vestra clementia orbi terrarum principem daret: & quidem de vobis, qui & estis mundi principes, & semper fuistis, & in vestris posteris eritis. atque*

vtinam id Florianus exspectare voluisset, nec velut hereditarium sibi vindicasset imperium. vel illum vel alium quempiam maiestas vestra fecisset. Nunc quoniam ille imperium arripuit, nobis a militibus delatum est nomen augustum, vindicatum quinetiam in illum a prudentioribus militibus, quod fuerat vsurpatum. Quæso vt de meis meritis faciatis quidquid iusserit vestra clementia. Item S. C. Die tertio nonas Februarias in æde Concordiæ inter cetera* Ælius Scorpianus COS. dixit; *Audistis P. C. litteras Aurelii Valerii Probi: de his quid videtur?* Tunc acclamatum est, *Probe Auguste, dii te seruent. Olim dignus, & fortis, & iustus; bonus ductor, bonus imperator: exemplum militiæ, exemplum imperii: dii te seruent. Assertor reipublic. felix imperes: magister militiæ, felix imperes: te cum tuis dii custodiant. Et senatus ante te delegit. Aetate Tacito posterior, ceteris prior. Quod imperium suscepisti, gratias agimus. Tuere nos, tuere rempublicam. Bene tibi committimus quos ante seruasti. Tu Francicus, tu Gotthicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia: & prius fuisti semper dignus imperio, dignus triumphis. felix agas, feliciter imperes.* Post hæc Manlius Statianus, qui primæ sententiæ tunc erat, ita loquutus est; *Diis immortalibus gratias, & præ ceteris P. C. Ioui optimo, qui nobis principem talem qualem semper optabamus, dederunt. Si recte cogitemus, non nobis Aurelianus, non Alexander, non Antonini, non Traianus, * non Claudius requirendi sunt: omnia in vno principe constituta sunt, rei militaris scientia, animus clemens, vita venerabilis, exemplar agendæ reipublicæ, atque omnium prærogatiua virtutum. Enimuero quæ mundi pars est quam ille non vincendo didicerit? Testes sunt Marmaridæ in Africæ solo victi, testes Franci inuiis strati paludibus; testes Germani & Alemani longe a Rheni submoti litoribus. Iam vero quid Sarmatas loquar, quid Gotthos, quid Parthos, ac Persas, atque omnem Ponticum tractum? vbique vigent Probi virtutis insignia. Longum est dicere quod reges magnarum gentium fugauerit, quod duces manu sua occiderit, quantum armorum sit quæ ipse cepit priuatus. Superiores principes, quas illi gratias egerint, testes sunt litteræ publicis insertæ monumentis. Dii boni quoties ille donis militaribus est donatus? quas militum laudes emeruit? Adolescens tribunatum; non longe post adolescentiam, regendas legiones accepit. Iupiter optime maxime, Iuno regina, tuque virtutum præsul Minerua, tu orbis Concordia, & tu Romana Victoria, date hoc senatui P. Q. R. date militibus, date sociis, atque exteris nationibus. Imperet quemadmodum militauit. Decerno igitur P. C. votis omnium concinentibus nomen Cæsareum, nomen Augustum: addo proconsulare imperium, patris patriæ reuerentiam, pontificatum maximum, ius tertiæ relationis, tribunitiam potestatem.* Post hæc acclamatum est, *Omnes, Omnes.* Accepto igitur hoc S. C. secundum orationem permisit patribus vt ex magnorum iudicum appellationibus ipsi cognoscerent, proconsules crearent, legatos consulibus darent, ius prætorium præsidibus darent: leges quas Probus ederet, senatusconsultis propriis consecrarent. Statim deinde, si qui de interfectoribus Aureliani superfuerant, vario genere vindicauit: mollius tamen moderatiusque quam prius exercitus & postea Tacitus vindicauerant. Deinde animaduertit etiam in eos qui Tacito insidias fecerant. Floriani sociis pepercit, quod non tyrannum aliquem videbantur sequuti, sed sui principis fratrem. Recepit deinde omnes Europenses exercitus, qui Florianum & Imperatorem fecerant & occiderant. His gestis cum ingenti exercitu Gallias petit. quæ omnes occiso Posthumo, turbatæ fuerant; interfecto Aureliano, a Germanis possessæ. Tanta autem illic prœlia feliciter gessit, vt a barbaris sexaginta per Gallias nobilissimas reciperet ciuitates: prædam deinde *omnem, qua illi præter diuitias etiam efferebantur ad gloriam. Et quum iam in nostra ripa, immo per omnes Gallias securi vagarentur, cæsis prope quadringentis millibus qui Romanum occupauerant solum, reliquias vltra * Nicrum fluuium & Albam remouit; tantum his prædæ barbaricæ tulit, quantum ipsi Romanis abstulerant: contra vrbes Romanas & castra in solo barbarico posuit, atque illic milites collocauit. Agros, & horrea, & domos, & annonam Transrhenanis omnibus fecit, iis videlicet quos in excubiis collocauit: nec cessatum est vmquam pugnari, quum quotidie ad eum barbarorum capita deferrentur, iam ad singulos aureos singula; quamdiu reguli nouem ex diuersis gentibus venirent, atque ad pedes Probi iacerent: quibus ille primum obsides imperauit; qui statim dati sunt: deinde frumentum, postremo etiam vaccas atque oues.

Dicitur

Dicitur iussisse his aerius, vt gladiis non vterentur, Romanam exspectaturi defensionem, si essent ab aliquibus vindicandi. Sed visum est id non posse fieri, nisi si limes Romanus extenderetur, & fieret Germania tota prouincia. Maxime tamen, ipsis regibus consentientibus, in eos vindicatum est qui prædam fideliter non reddiderunt. Accepit præterea sedecim milia tyronum; quos omnes per diuersas prouincias sparsit, ita vt *numeris, vel limitaneis militibus quinquagenos & sexagenos intersereret; dicens, sentiendum esse, non videndum, quum auxiliaribus barbaris Romanus iuuatur. Compositis igitur rebus in Gallia, tales ad senatum litteras dedit; *Ago diis immortalibus gratias* P. C. *quia vestra in me iudicia comprobarunt. Subacta est omnis quæ tenditur late Germania: nouem reges gentium diuersarum, ad meos pedes, immo ad vestros, supplices stratique iacuerunt. Omnes iam barbari vobis arant, vobis iam* * *serunt, & contra interiores gentes militant. Supplicationes igitur vestro more decernite. Nam & quadringenta milia hostium cæsa sunt, & sedecim milia armatorum nobis oblata, & septuaginta vrbes nobilissimæ captiuitate hostium vindicatæ, & omnes penitus Galliæ liberatæ. Coronas quas mihi obtulerunt omnes Galliæ ciuitates aureas, vestræ* P. C. *clementiæ dedicaui. Et has Ioui optimo maximo, ceterisque diis deabusque immortalibus, vestris manibus consecrate. Præda omnis recepta est, capta etiam alia, & quidem maior quam fuerat ante direpta. Arantur Gallicana rura barbaris bobus, & iuga Germanica captiua præbent nostris colla cultoribus: pascuntur ad nostram alimoniam gentium pecora diuersarum: equinum pecus nostro iam fœcundatur equitatui: frumento barbarico plena sunt horrea. Quid plura? illis sola relinquimus* * *sola; nos eorum omnia possidemus. Volueramus* P. C. *Germaniæ nouum præsidem facere: sed hoc ad pleniora vota distulimus. Quod quidem credimus cõferre, quum diuina prouidentia nostros vberius fœcundarit exercitus.* Posthæc Illyricum petit: & priusquam veniret, Rhætias sic pacatas reliquit vt illic ne suspicionem quidem vllius terroris relinqueret. In Illyrico Sarmatas ceterasque gentes ita * contudit, vt prope sine bello cuncta reciperet quæ illi diripuerant. Tetendit deinde iter per Thracias; atque omnes Geticos populos fama rerum territos, & antiqui nominis potentia pressos, aut in deditionem aut in amicitiam recepit. His gestis, orientem petiit: atque in itinere potentissimo quodam latrone Palfurio capto & interfecto, omnem Isauriam liberauit; populis atque vrbibus Romanis legibus restitutis. Barbarorum qui apud Isauros sunt, vel per terrorem vel per * voluntatem, loca ingressus est: quæ quum peragrasset, hoc dixit, *Facilius est ab istis locis latrones arceri quam tolli.* veteranis omnia illa quæ anguste adeuntur loca, priuata donauit; addens, vt eorum filii ab anno octauodecimo, mares dumtaxat, ad militiam mitterentur, ne ante latrocinari quam militare discerent. Pacatis denique omnibus Pamphyliæ partibus, ceterarumque prouinciarum quæ sunt Isauriæ vicinæ, ad orientem iter flexit. Blemyas etiam subegit; quorum captiuos Romam transmisit; qui mirabilem sui visum, stupente populo Romano præbuerunt. * Copton præterea & Ptolemaidem vrbes, ereptas barbarico seruitio, Romano addidit iuri. Ex quo tantum profecit vt Parthi legatos ad eum mitterent, confitentes timorem pacemque poscentes: quos ille superbius acceptos, magis timentes domum remisit. Fertur etiam epistola illius, repudiatis donis quæ rex Parthorum miserat, ad Narseum talis fuisse; *Miror te de omnibus quæ nostra futura sunt, tam pauca misisse. Habeto interim omnia illa quibus gaudes: quæ si nos habere cupiamus, scimus quemadmodum possidere debeamus.* His acceptis litteris Narseus maxime territus, & eo præcipue quod Copton & Ptolemaidem comperit a Blemyis qui eas tenuerant vindicatas, cæsosque ad internecionem eos qui gentibus fuerant ante terrori. Facta igitur pace cum Persis, ad Thracias rediit, & centum milia Bastarnarum in solo Romano constituit: qui omnes fidem seruauerunt. Sed quum & ex aliis gentibus plerosque pariter transtulisset, id est, ex Gepidis, *Gaurunnis, & Vandilis, illi omnes fidem fregerunt; & occupato bellis tyrannicis Probo, per totum pene orbem pedibus & nauigando vagati sunt, nec parum molestiæ Rom. gloriæ intulerunt. quos quidem ille diuersis vicibus, variisque victoriis oppressit, paucis cum gloria domum redeuntibus, quod Probi euasissent manus. Hæc Probus cum barbaris gessit. Sed habuit etiam non leues tyrannicos motus. Nam & *Saturninum*, qui orientis im-

perium arripuerat, variis prœliorum generibus & nota virtute superauit. Quo victo, tanta in oriente quies fuit, vt (quemadmodum vulgo loquebantur) mures rebelles nullus audiret. Deinde quum *Proculus & Bonosus* apud Agrippinam in Gallia imperium arripuissent, omnesq; sibi Britannias, Hispanias, & braccatæ Galliæ prouincias vindicarent, barbaris semet iuuantibus, vicit. Ac ne requiras plura vel de Saturnino, vel de Proculo, vel de Bonoso, suo eosdem inseram libro, pauca de iisdem, vt decet, immo vt poscit necessitas, loquuturus. Vnum sane sciendū est quod Germani omnes, quum ad auxiliū essent rogati a Proculo, Probo potius perseruire maluerunt quam cum Bonoso & Proculo esse. Gallis omnibus & Hispanis ac Britannis hinc permisit vt vites haberent, vinumq; conficerent. Ipse* Almam montem in Illyrico circa Sirmium militari manu fossum, lecta vite conseuit. Dedit Rom. etiam voluptates, & quidem insignes, delatis etiam congiariis. Triumphauit de Germanis & Blemyis: omnium gentium* drungos, vsq; ad quinquagenos homines, ante triumphū duxit. Venationem in circo amplissimam dedit, ita vt populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale. Arbores validæ per milites radicitus vulsæ, connexis late longeq; trabibus affixæ sunt; terra deinde superiecta; totusque circus ad syluæ consitus speciem, *gratia noui viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cerui, mille apri, mille damæ, *ibices, oues feræ, & cetera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt vel inueniri. Immissi deinde populares: rapuit quisq; quod voluit. Addidit alia die in amphitheatro vna missione centum iubatos leones, qui rugitibus suis tonitrua excitabant: qui omnes* contificiis interempti sunt, non magnum præbentes spectaculum quum occidebantur. Neque enim erat bestiarum impetus ille qui esse ab eis egredientibus solet. Occisi sunt præterea multi, qui* diripere volebant, sagittis. Editi deinde centum leopardi Libyci, centum deinde Syriaci, centum leænæ, & vrsi simul trecenti: quarum omnium ferarum magnum magis constat spectaculum fuisse quam gratum. Edita præterea gladiatorum paria *trecenta, Blemyis plerisque pugnantibus, qui per triumphum erant ducti, plerisq; Germanis & Sarmatis, nonnullis etiam latronibus Isauris. Quibus peractis, bellum Persicum parans, quum per Illyricum iter faceret, a militibus suis per insidias interemptus est. Caussæ occidendi eius hæ fuere: Primum, quod numquam militē otiosum esse perpessus est. siquidem multa opera militari manu perfecit; dicens *annonā gratuitam militem comedere non debere*. His* addidit dictum eius graue; si vmquam eueniat salutare reip. breui milites necessarios non futuros. Quid ille conceperat animo qui hoc dicebat? nonne omnes barbaras nationes subiecerat pedibus? Quia totum mundum fecerat iam Romanum; *Breui*, inquit, *milites necessarios non habebimus*. Quid est aliud dicere? Romanus iam miles erit nullus; vbiq; regnabit: omnia possidebimus: secura resp. orbis terrarum non arma fabricabit; non annonam præbebit: vobis habebuntur aratra, equus nascetur ad pacem: nulla erunt bella, nulla captiuitas. vbique pax, vbique Romanæ leges, vbique iudices nostri. Longius amore Imperatoris optimi progredior quam pedestris sermo desiderat. Quare addam illud quod præcipue tanto viro fatalem properauit necessitatem. Nam quum Sirmium venisset, ac solum patrium effœcundari cuperet & dilatari, ad siccandam quamdam paludem, multa simul milia militum posuit, ingentem parans fossam, qua, deiectis in altum nauibus, loca Sirmiensibus profutura siccaret. permoti milites, confugientem eum in turrem ferratam, quam ipse speculæ caussa* editissimam exædificauerat, interemerunt anno imperii sui quinto. Postea tamen ingens ei sepulcrum elatis aggeribus, omnes pariter milites fecerunt, cum titulo huiusmodi, inciso marmori; HIC PROBVS IMPERATOR, ET VERE PROBVS SITVS EST; VICTOR OMNIVM GENTIVM BARBARARVM, VICTOR ETIAM TYRANNORVM. Conferens ego cum aliis Imperatoribus principem Probum, omnibus prope Romanis ducibus, qui fortes, qui clementes, qui prudentes, qui mirabiles exstiterūt, intelligo hunc virum parem fuisse: aut, si non repugnat inuidia furiosa, meliorem. Quinquennio enim imperii sui, per totum orbem terrarum tot bella gessit, & quidem per se, vt mirabile sit, quemadmodum omnibus occurrerit prœliis. Multa manu sua fecit, duces præclarissimos instituit. Nam & eius disciplina Carus, Diocletianus, Constantius,

*Asclepio-

*Asclepiodotus, Annibalianus, Leonides, Cecropius, Pisonianus, Herennianus, Gaudiosus, Vrsinianus, *Herculius Maximianus, & ceteri, quos patres nostri mirati sunt, & de quibus nonnulli boni principes exstiterunt, instituti sunt. Conferat nunc cui placet, viginti Traiani Adrianiq; annos, conferat prope tondem Antoninorum. Nam quid de Augusto loquar? cuius imperii anni vix possunt credi. Malos autem principes taceo: ipsa vox Probi clarissima, indicat quid se facere potuisse speraret, qui dixit, Breui necessarios milites non futuros. Ille vero conscius sui, non barbaros timuit, non tyrannos. Quæ deinde felicitas emicuisset, si sub illo principe milites non fuissent? Annonam prouincialibus daret nullus, stipendia de largitionibus nulla erogarentur; æternos thesauros haberet Romana respublica, nihil expenderetur a principe, nihil a possessore redderetur. aureum profecto seculum promittebat. nulla futura erant castra, nusquam lituus audiendus, arma non erant fabricanda: populus iste militantium, qui nunc bellis ciuilibus rempublicam vexat, *pacis studiis incumberet, erudiretur artibus, nauigaret. adde quod nullus occideretur in bello. Dii boni, quid tantum vos offendit Rom. resp. cui talem principem sustulistis? Eant nunc, qui ad ciuilia bella milites parant, in *Germanorum necem; arment dexteras fratrum, hortentur in patrum vulnera liberos: & dignitatẽ Probo derogent, quam Imperatores nostri prudenter & consecrandam *vultibus, & ornandã templis, & celebrandam ludis circensibus iudicarunt. Posteri Probi, vel odio inuidiæ, vel timore, *Romanam rem fugerunt: & in Italia circa Veronam ac Benacũ & Larium, atq; in his regionibus, larem locauerunt. Sane, quod præterire non potui, quum imago Probi in Veronensi [situ] ita fulmine icta esset vt eius prætexta colores mutaret, aruspices responderunt, huius familiæ posteros tantæ in senatu claritudinis fore, vt omnes summis honoribus fungerentur. Sed adhuc neminem vidimus. posteri autem videntur æternitatem habere. Senatus mortem Probi grauissime accepit. æque populus. Et quum esset nuntiatum, Carum imperare, virum bonũ quidem, sed longe a moribus probi; caussa filii eius Carini, qui semper pessime vixerat, tam senatus quam populus inhorruit. Metuebant enim vnusquisq; tristiorem principem; sed magis improbum metuebant heredem. Hæc sunt quæ de Probo cognouimus, vel quæ digna memoratu existimauimus. Nunc in alio libro, & quidem breui, de Firmo & Saturnino, & Bonoso, & Proculo dicemus. Non enim dignum fuit vt quadrigæ tyrannorum bono principi miscerentur. Post deinde, si vita suppetit, Carum incipiemus propagare cum liberis.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII,

FIRMVS, SATVRNINVS, PROCVLVS, ET BONOSVS.

MINVSCVLOS tyrãnos scio plerosq; tacuisse, aut breuiter preterisse. Nam & Suetonius Tranquillus, emendatissimus & candidissimus scriptor, *Antonium & Vindicem tacuit; contentus eo quod eos cursim perstrinxerat: & Marius Maximus, qui Auidiũ Marci temporibus, Albinum & Nigrum *Seueri, non suis propriis libris, sed alienis innexuit. Et de Suetonio non miramur: cui familiare fuit amare breuitatem. Quid Marius Maximus, homo omnium verbosissimus, qui & mythistoricis se voluminibus implicauit, non ad istam descriptionem curamque descendit? At contra Trebellius Pollio, ea fuit diligentia, eaque cura in edendis bonis malisque principibus, vt etiam triginta tyrannos vno breuiter libro concluderet, qui Valeriani & Gallieni, nec multo superiorum aut inferiorũ fuere principum temporibus. Quare nobis *etiam non minima fuit cura, vt dictis Aureliano, Tacito & Floriano, Probo etiam magno ac singulari principe, quum dicendi essent Carus, Carinus, & Numerian⁹, de Saturnino, Bonoso, Proculo, & Firmo, qui sub Aureliano

fuerant, non taceremus. Scis enim, mi Basse, quanta nobis contentio proxime fuerit cum amatore historiarum M. Fonteio, quum ille diceret FIRMUM, qui Aureliani temporibus Ægyptum occupauerat, latrunculum fuisse, non principem: contra ego, mecumque Rufus Celsus, & Ceionius Iulianus, & Fabius Sosianus contenderent, dicentes illum & purpura vsum, & percussa moneta Augustum esse vocitatum. quinetiam nummos eius Seuerus Archontius protulit: de Græcis autem Ægyptiisque libris conuicit, illum αὐτοκράτορα in edictis suis esse vocitatum. Et illi quidem aduersum nos contendenti hæc sola ratio fuit, quod dicebat Aurelianum in edicto suo non scripsisse quod tyrannum occidisset, sed quod latrunculum quemdam a republ. remouisset: perinde quasi *digne tanti princeps nominis debuerit tyrannum appellare hominem tenebrarium, aut non semper *latrones* vocitauerint magni principes eos quos inuadentes purpuras necauerunt. Ipse ego in Aureliani vita prius quam de Firmo cuncta cognoscerem, Firmum non inter purpuratos habui, sed quasi quemdam latronem: quod idcirco dixi, nequis me oblitum existimaret mei. Sed ne volumini, quod breuissimum promisi, multa cōnectam, veniamus ad Firmum. FIRMO patria Seleucia fuit: tametsi pleriq; Græcorum alteram tradunt; ignari eo tempore ipso tres fuisse Firmos; quorū vnus, præf. Ægypti; alter, dux limitis Africani, idemq; proconsul; tertius, iste Zenobiæ amicus ac socius: qui Alexandriam Ægyptiorum incitatus furore peruasit, & quem Aurelianus solita virtutum suarum felicitate contriuit. De huius diuitiis multa dicuntur. Nam & vitreis quadraturis bitumine aliisque medicamentis insertis, domum induxisse perhibetur: & tantum habuisse de chartis, vt publice sæpe diceret, exercitum se alere posse papyro & glutino. Idem & cum Blemyis societatem maximam tenuit; & cum Saracenis naues quoq; ad Indos* negotiatorias sæpe misit. ipse quoque dicitur habuisse duos dentes elephanti, pedum denum: e quibus Aurelianus ipse sellam cōstituerat facere, additis aliis duobus; in qua Iupiter aureus & gemmatus sederet, cum prætexta, ponendus in templo Solis, Apenninis sortibus additis: quem appellari voluerat *Iouem consulem* vel *consulentem*. Sed eosdem dentes postea Carinus mulieri cuidam dono dedit, quæ lectum ex iis fecisse narratur. Et quia nunc scitur, & sciri apud posteros nihil proderit, taceo. Ita donum Indicum Ioui opt. max. consecratum, per deterrimum principem, & ministeriū libidinis factū videtur, & pretium. Fuit tamen Firmus statura ingenti, oculis foris eminentibus, capillo crispo, fronte vulnerata, vultu nigriore; reliqua parte corporis candidus, sed pilosus atq; hispidus; ita vt eum plerique *Cyclopem* vocarent. Carne multa vescebatur: struthionem ad diem comedisse fertur. Vini non multum bibit, aquæ plurimum: mente firmissimus, neruis robustissimus, ita vt Trarium vinceret, cuius Varro Ælius meminit. Nam & incudem superpositam pectori cōstanter aliis tundentibus pertulit, quum ipse reclinus ac resupinus & curuatus in manus, penderet potius quam iaceret. Fuit tamen ei contentio cum Aureliani ducibus ad bibendum, siquando eum tentare voluissent. Nam quidam Burburus nomine, de numero vexillariorum notissimus potator, quum ad bibendum eumdem prouocasset, situlas duas plenas mero duxit: & toto postea conuiuio sobrius fuit. Et quum ei Burburus diceret, *Quare non feces bibisti?* respondit ille, *Stulte, terra non bibitur*. Leuia persequimur, quum maiora dicenda sint. Hic ergo contra Aurelianum sumpsit imperium, ad defendendas partes quæ supererant Zenobiæ. Sed Aureliano de Carris redeunte superatus est. Multi dicunt laqueo vitam* eius finisse. aliud edictis suis ostendit. namque quum eum vicisset, tale edictum Romæ proponi iussit: *Amantissimo sui populo Romano Aurelianus Augustus S. D. Pacato vndique gentium toto qua patet orbe terrarum, Firmum etiam latronem Aegyptium, barbaricis* motibus æstuantem, & fœminei propudii reliquias colligentem, ne plurimum loquar, fugauimus, obsedimus, cruciauimus & occidimus. Nihil est, Romulei Quirites, quod timere possitis. Canon Aegypti, qui suspensus per latronem improbum fuerat, integer veniet, si vobis esset cum senatu concordia, cum equestri ordine amicitia, cum prætorianis affectio. Ego efficiam ne sit aliqua sollicitudo Romana. Vacate ludis, vacate circensibus. Nos publicæ necessitates teneant: vos occupent voluptates. Quare sanctissimi Quirites.* & reliqua. Hæc nos de Firmo cognouisse scire debuisti, sed digna memoratu. Nam ea quæ de illo

Aurelianus Festiuus, libertus Aureliani, sigillatim retulit, si vis cognoscere; eumdem oportet legas; maxime quum dicat Firmum eumdem inter crocodilos vnctum, crocodilorũ adipibus natasse, & elephantum rexisse, & hippopotamos edisse, & sedentem ingentibus struthionibus vectum esse, & quasi volitasse. Sed hæc scire quid prodest? quum & *Liuius & Sallustius taceant res leues de iis quorum vitas scribendas arripuerint. non enim scimus quales mulos Clodius habuerit, aut mulas T. Annius Milo; aut vtrum Tusco equo sederit Catilina, an Sardo, vel quali chlamyde Pompeius vsus fuerit, an purpura. Quare finem de Firmo faciemus, venientes ad Saturninum; qui contra Probum imperium sibimet in orientis partibus vindicauit.

SATVRNINVS.

Saturninus, oriundus fuit Gallis, ex gente hominum inquietissima, & auida semper vel faciendi principis, vel imperii. Huic inter ceteros duces, qui vere summus videretur, Aurelianus limitis orientalis ducatum dedit; sapienter præcipiens ne vmquam Ægyptum videret. Cogitabat enim, quantum videmus, vir prudentissimus, Gallorum naturam, & verebatur ne, si perturbidam ciuitatem vidisset, quo eum natura ducebat, societate quoque hominum duceretur. Sunt enim Ægyptii (vt satis nosti) viri ventosi, furibundi, iactantes, iniuriosi; atque adeo *vani, liberi, nouarum rerum vsque ad cantilenas publicas cupientes, versificatores, epigrammatarii, mathematici, aruspices, medici. nam & Christiani, Samaritæ, & quibus præsentia semper tempora cum enormi libertate displiceant. Ac, ne quis mihi Ægyptiorum irascatur, & meum esse credat quod in litteras retuli, Adriani epistolam, ex libris Phlegontis liberti eius proditam, ex qua penitus Ægyptiorum vita detegitur, indidi. *Adrianus Augustus. Seruiano COS. S. Aegyptum quam mihi laudabas, Seruiane carissime, totam didici, leuem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi qui Serapin colunt, Christiani sunt: & deuoti sunt Serapi, qui se Christi episcopos dicunt. Nemo illic archisynagogus Iudæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbyter, non mathematicus, non aruspex, non aliptes. Ipse ille patriarcha quum Aegyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum. Genus hominum seditiosissimum, vanissimum, iniuriosissimum: ciuitas opulenta, diues, fœcunda; in qua nemo viuat otiosus. Alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur. omnes certe* lymphiones cuiuscumque artis & videntur & habentur. Podagrosi quod agant habent; cæci quod agant habent, cæci quod faciant. ne chiragrici quidem apud eos otiosi viuunt. Vnus illis deus est. hunc Christiani, hunc Iudæi, hunc omnes venerantur & gentes. Et vtinam melius esset morata ciuitas, digna profecto sui profunditate, quæ pro sui magnitudine totius Aegypti teneat principatum. Huic ego cuncta concessi, vetera priuilegia reddidi, noua sic addidi vt præsenti gratias agerent. Denique vt primum inde discessi, & in filium meum Verum multa dixerunt, & de Antonino quæ dixerunt, comperisse te credo. Nihil illis opto nisi vt suis pullis alantur: quos quemadmodum fœcundent, pudet dicere. Calices tibi* allassontes versicolores transmisi, quos mihi sacerdos templi obtulit, tibi & sorori meæ specialiter dedicatos; quos tu velim festis diebus conuiuiis adhibeas. Caueas tamen ne his Africanus noster indulgenter vtatur.* Hæc ergo cogitans de Ægyptiis Aurelianus, iusserat ne Saturninus Ægyptum videret: & mente quidem diuina. Nam vt primum Ægyptii magnam potestatem ad se venisse viderunt, statim clamauerunt, *Saturnine Auguste, dii te seruent*: & ille quidem, (quod negari non potest) vir sapiens, de Alexandrina ciuitate mox fugit, atque ad Palæstinam rediit. Ibi tamen quum cogitare cœpisset, tutum sibi non esse si priuatus viueret, deposita purpura ex simulacro Veneris, *cyclade vxoria militibus circumstantibus amictus, & adoratus est. Auum meum sæpe dicentem audiui se interfuisse quum ille adoraretur. Flebat (inquit) & dicebat, *Necessarium (si non arroganter dicam) respubl. virum perdidit. Ego certe instauraui Gallias; ego a Mauris possessam Africã reddidi. Ego Hispanias pacaui. Sed quid prodest? omnia hæc affectato semel honore perierunt.* Et quum eum animarent, vel ad vitam, vel ad imperiũ, qui induerunt purpurã, in hęc verba disseruit. *Nescitis amici, quid mali sit imperare. Gladii et tela nostris ceruicibus*

impendent; imminent hastæ vndique, vndique spicula: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. Adde quod omnis ætas in imperio reprehenditur. Senex est quispiam; inhabilis videtur: sin minus, inest furor. nam quod Imperatorem me cupitis, in necessitatem mortis me trahitis. Sed habeo solatium mortis, solus perire non potero. M. Saluidienus hanc ipsius orationem vere fuisse dicit: & fuit re vera non parum litteratus. Nam & in Africa rhetoricæ operam dederat, Romæ frequentauerat pergulas magistrales. Et ne longius progrediar, dicendum est quod præcipue ad hunc pertinet. Errare quosdam scio, & putare hunc esse Saturninum qui Gallieni temporibus imperium occupauit: quum hic longe alius fuerit, etiam Probo pene nolente sit occisus. Fertur autem Probus & clementes ad eum litteras sæpe misisse, & veniam esse pollicitus: sed milites qui cum eo fuerant, non credidisse. Obsessum denique in castro quodam ab iis quos Probus miserat, inuito Probo esse iugulatum. Longum est friuola quæque connectere, & odiosum dicere quali statura fuerit, quo corpore, quo decore, quid biberit, quid comederit: ab aliis ista dicantur, quæ prope ad exemplum nihil prosunt. Nos ad ea quæ sunt dicenda, redeamus.

PROCVLVS.

Proculo patria Albingauni fuere, positi in Alpibus maritimis. Domi nobilis, sed maioribus latrocinantibus; atque adeo pecore ac seruis, & iis rebus quas abduxerat, satis diues. Fertur denique eo tempore quo sumpsit imperium, duo millia seruorum suorum armasse. Huic vxor virago; quæ illum in hanc præcipitauit dementiam; nomine Sampso, quod ei postea inditum est: nam ante Viturgia nominata est. Filius Herennianus: quem & ipsum, quinquennium si implesset, (ita enim loquebatur) dicasset imperio. Homo (quod negari non potest) optimus, idemque fortissimus: ipse quoque latrociniis assuetus; qui tamen armatam semper egerit vitam. Nam & multis legionibus tribunus præfuit, & fortia edidit facta. Et quoniam minima quæque iucunda sunt, atque habent aliquid gratiæ quum leguntur, tacendum non est quod & ipse gloriatur in quadam sua epistola, quam ipsam melius est ponere quam de ea plurimum dicere. *Proculus Metiano affini S. D. Centum ex Sarmatia virgines cepi. Ex his vna nocte decem iniui: omnes tamen, quod in me erat, mulieres intra dies* XV *reddidi.* Gloriatur (vt vides) rem ineptam, & satis libidinosam: atque inter fortes se haberi credit, si criminum densitate *coalescat. Hic tamen, quum etiam post honores militares se improbe & libidinose, tamen fortiter ageret, hortantibus Lugdunensibus, qui & ab Aureliano grauiter contusi videbantur, & Probum vehementissime pertimescebant, in imperium vocitatus est ludo pene & ioco, vt Onesimus dicit: quod quidem apud nullum alium reperisse me scio. Nam quum in quodam conuiuio ad latrunculos luderetur, atque ipse decies Imperator exisset, quidam non ignobilis scurra, *Aue*, inquit, *Auguste*. allataque lana purpurea, humeris eius iunxit, eumque adorauit. timor inde consciorum; atque inde iam exercitus tentatio & imperii. Non nihilum tamen Gallis profuit. Nam Alamanos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloriæ splendore contriuit, nunquam aliter quam latrocinandi pugnans modo. Hunc tamen Probus fugatum vsque ad vltimas terras, & cupientem in Francorum auxilium venire, (a quibus originem se trahere ipse dicebat) ipsis prodentibus Francis, quibus familiare est ridendo fidem frangere, vicit & interemit. Posteri eius etiam nunc apud Albingaunos agunt; qui ioco solent dicere, sibi non placere esse vel principes vel latrones. Hæc digna memoratu de Proculo didicisse memini. Veniamus ad Bonosum; de quo multo minora condidi.

BONOSVS.

Bonosus, *homo Hispaniensis fuit, origine Britannus; Galla tamen matre: vt ipse dicebat, rhetoris filius; vt ab aliis comperi, pædagogi litterarii. Paruulus patrem amisit; atq; a matre fortissima educatus, litterarum nihil didicit. Militauit primũ inter *ordinarios, deinde inter equites: duxit ordines, tribunatus egit; dux *limi

tis Rhæ-

tis Rhætici fuit: bibit quantum hominum nemo. De hoc Aurelianus sæpe dicebat: *Non vt viuat natus est, sed vt bibat.* quem quidē diu in honore habuit caussa militiæ. Nam siquando legati barbarorum vndecumque gentium venissent, ipsis propinabat; vt eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta cognosceret. Ipse quantumlibet bibisset, semper securus & sobrius: &, vt Onesimus dicit scriptor vitæ Probi, adhuc in vino prudentior. Habuit præterea rem mirabilem, vt quantum bibisset, tantum mingeret: neque vnquam aut eius pectus, aut venter, aut vesica grauaretur. Hic idem, quum quodam tempore in Rheno Romanas* luxurias Germani incendissent, timore ne pœnas daret, sumpsit imperium: idque diutius tenuit quam merebatur. Nam longo grauique certamine a Probo superatus, laqueo vitam finiuit. Tunc quidem iocus exstitit, *Amphoram pendere, non hominem.* Filios duos reliquit: quibus ambobus Probus pepercit, vxore quoque eius in honore habita, vsque ad mortem salatio præstito. Fuisse enim dicitur (vt & auus meus dicebat) fœmina singularis exempli & familiæ nobilis gentis Gotthicæ: quam illi Aurelianus vxorem idcirco dederat, vt per eum a Gotthis cuncta cognosceret. Erat enim illa virgo regalis. Exstant litteræ ad* legarum Thraciarum scriptæ, de iis nuptiis & donis quæ Aurelianus Bonoso dari nuptiarum caussa iussit, quas ego inserui: *Aurelianus Augustus Gallonio Auito salutem. Superioribus litteris scripseram, vt optimates Gotthicas apud Perinthum collocares, decretis salariis non vt singulæ acciperent, sed vt septem simul vnum conuiuium haberent. Quum enim diuisa accipiunt, & illa parum sumunt, & resp. plurimum perdit. Nunc tamen quoniam placuit Bonoso Hunilam dari, dabis ei iuxta breue infrascriptū omnia quæ præcipimus: sumptu etiam publico nuptias celebrabis. Breuis numerus fuit: Tunicas palliolatas hyacinthinas subsericas: tunicam auroclauatam subsericam* librilem vnam, interulas dilores duas, & reliqua quæ matronæ conueniunt. Ipsi dabis aureos Philippeos centum, argenteos Antoninianos mille, æris* LLS *deces.* Hæc me legisse teneo de Bonoso: & potui quidem horum vitam præterire, quos nemo quærebat: attamen, ne quid fidei deesset, etiam de iis quæ didiceram, intimanda curaui. Supersunt mihi Carus, Carinus, & Numerianus: Nam Diocletianus & qui sequuntur, maiore stylo dicendi sunt.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII,

CARVS, NVMERIANVS, ET CARINVS,

FATO remp. regi, eamque nunc ad summum euehi, nunc ad minima retrahi, Probi mors satis prodidit. Nam quum ducta per tempora, variis vel erecta motibus vel afflicta, nunc tempestate aliqua nunc felicitate variata, omnia prope passa esset quæ patitur in homine vno mortalitas, videbatur post diuersitatem malorum iam secura continuata felicitatis mensura, post Aurelianum vehementem principem Probo ex sententia senatus & populi, leges & gubernacula remp. perante. Sed ruina ingens, vel naufragii modo vel incendii, accensis fataliter militibus, sublato e medio tali principe, in eam desperationem votum publicum redegit, vt timerent omnes Domitianos, Vitellios, & Nerones. *Plus enim timetur de incertis moribus principis*, maxime in ea republica quæ recentibus confossa vulneribus, Valeriani captiuitatem, Gallieni luxuriam, XXX etiam prope tyrannorum, cæsa ciuilium membra sibimet vindicantium, perpessa mœruerit. Nam si volumus ab ortu vrbis repetere quas varietates sit passa Rom. resp. inueniemus nullam magis vel bonis floruisse, vel malis laborasse. Et vt a Romulo incipiam, vero* patre ac parente reipublicæ: quæ illius felicitas: qui fundauit, constituit, roborauitque remp. atque vnus omnium conditorum perfectam vrbem reliquit? Quid deinde Numam loquar: qui frequentem bellis & grauidam triumphis ciuitatem religione muniuit? Venit igitur vsque ad Tarquinii Superbi tempora nostra respubl. sed passa tempestatem de moribus regis, non sine graui exitio semet vlta est. Adole-

uit deinde vsque ad tempora Gallicani belli: sed quasi quodam mersa naufragio, capta præter arcem vrbe, plus pene mali sensit quam tunc boni habuerat. Reddidit se deinde in integrum: sed eousque grauata est Punicis bellis ac terrore Pyrrhi, vt mortalitatis mala præcordiorum timore sentiret. Creuit deinde victa Carthagine, trans maria missis imperiis: sed socialibus affecta discordiis, extenuato felicitatis sensu, vsque ad Augustum bellis ciuilibus confecta consenuit: per Augustum deinde reparata: si reparata dici potest, libertate deposita. Tamen vtcumque, etiamsi domi tristis fuit, apud exteras gentes effloruit. Passa deinceps tot Nerones, per Vespasianum caput extulit. Nec omni Titi felicitate lætata, Domitiani vulnerata immanitate, per Neruam atque Traianum vsque ad Marcum solito melior, Commodi vecordia & crudelitate lacerata est: nullum post hæc, præter Seueri diligentiam, vsq; ad Alexandrum Mammææ sensit bonum. Longum est, quæ sequuntur, vniuersa connectere. Vti enim principe Valeriano non potuit; & Gallienum per quindecim annos passa est. Inuidit Claudio longinquitatem imperii, * amans varietatum prope & semper inimica fortuna iustitiæ. Sic enim Aurelianus occisus est, & sic Tacitus absumptus, sic Probus cæsus; vt appareat *nihil tam gratum esse fortunæ, quam vt ea quæ sunt in publicis actibus, euentuum varietate mutentur.* Sed quorsum talibus querelis & temporum casibus distinemur? veniamus ad CARVM, medium (vt ita dixerim) virum, inter bonos magis quam inter malos principes collocandum; & longe meliorem, si Carinum non reliquisset heredem. Cari patria sic ambigue a plerisque proditur, vt præsumpte veritatem dicere nequeam quæ illa vera sit. Onesimus enim, qui diligentissime vitam Probi scripsit, dicit Romę illum & natum & litteris eruditum: sed Illyricianis parentibus fuisse contendit. Sed Fabius Cerilianus, qui tempora Cari, Carini, & Numeriani sollertissime persequutus est, neq; Romæ, sed in Illyrico genitum; neque Pannoniis, sed Pœnis parentibus asserit natum. In ephemeride quadam legisse memini, Carum Mediolanensem fuisse; sed *aurum iuri Aquileiensis ciuitatis insertum. Ipse, quod negari non potest, vt epistola eius indicat quam proconsul ad legatum scripsit, quum eum ad bona hortaretur officia, *Romanus vult videri. Epistola Cari. *Carus Manlius Aurelianus proconsul Ciliciæ, Iunio legato suo. Maiores nostri, Romani illi principes, in legatis creandis hac vsi sunt consuetudine, vt morum suorum specimen per eos ostenderent quibus rempubl. delegabant. Ego vero, si ita non esset, aliter non fecissem: feci aliter, si te iuuante non fallar. Fac igitur vt maioribus nostris, id est Romanis non discrepemus viris.* Vides quod tota epistola maiores suos Romanos vult intelligi. Indicat & oratio eius ad senatum data, istam generis prærogatiuam. Nam quum primum Imperator esset creatus, sic ad senatorium ordinem scripsit inter cetera: *Gaudendum est itaque P. C. quod vnus ex vestro ordine, vestri etiam generis, Imperator est factus. Quare* admitemini ne meliores peregrini quam vestri esse videantur.* Hoc quoque loco satis clarum est illum voluisse intelligi se esse Romanum, id est Roma oriundum. Hic igitur per ciuiles [&] militares gradus, vt tituli statuarum eius indicant, *præf. præt. a Probo factus, tantum sibi apud milites amoris locauit, vt interfecto Probo tanto principe, solus dignissimus videretur imperio. Non me præterit, suspicatos esse plerosque, & eos in fastos retulisse, Cari factione interemptum Probum. sed neque meritum Probi erga Carum, neque Cari mores id credi patiuntur: simul quia Probi mortem & acerrime & constantissime vindicauit. Quid autem de eo Probus senserit, indicant litteræ de eius honoribus ad senatum datæ. *Probus Augustus amantissimo senatui suo salutem dicit.* Inter cætera: *Felix esset nostra respubl. si qualis Carus est, aut plerique vestrum, plures haberem in actibus collocatos. Quare equestrem statuam viro morum veterum, si vobis placet, decernendam censeo: addito eo, vt publico sumptu, vel eidem exædificetur domus, marmoribus a me delatis. Decet enim nos talis integritatem remunerari viri:* & reliqua. Ac ne minima quæq; connectam, & ea quæ *apud alios poterunt inueniri; vbi primum accepit imperium, consensu omnium militum bellum Persicum, quod Probus parabat, aggressus est, liberis Cæsaribus nuncupatis: & ita quidem, vt Carinum ad Gallias tuendas cum viris lectissimis destinaret; secum vero Numerianum, adolescentem cum lectissimum, tum etiam disertissimum, duceret. Et dicitur quidem sæpe dixisse se miserum,

quod

quod Carinum ad Gallias principem mitteret, neque illa ætas esset Numeriani vt illi Gallicanum, quod maxime constantem principem quærit, crederetur imperiũ. Sed hæc alias. Nam exstant iam litteræ Cari, quibus apud præf. suum de Carini moribus queritur. vt appareat verum esse quod Onesimus dicit, habuisse in animo Carum vt Carino cæsareum abrogaret imperium. Sed hæc (vt diximus) alias in vita Carini dicenda sunt. Nunc ad ordinem reuertamur. Ingenti apparatu, & totis viribus Probi profligato magna ex parte bello Sarmatico, quod gerebat, contra Persas profectus, nullo sibi occurrente, Mesopotamiam Carus cepit, & Ctesiphontem vsque peruenit. Occupatisque Persis domestica seditione, Imperatoris Persici nomen meruit. Verum quum auidus gloriæ, præfecto suo maxime iurgante, qui & ipsius & filii eius quærebat exitium, cupiens imperare; longius progressus esset; vt alii dicunt, morbo; vt plures, fulmine interemptus est. Negari non potest, eo tempore quo periit, tantum fuisse subito tonitruum, vt multi terrore ipso exanimati esse dicantur. Quum igitur ægrotaret atque in tentorio iaceret, ingenti exorta tempestate, immani coruscatione, immaniori (vt diximus) tonitru, exanimatus est. Iunius Calphurnius qui ad memoriam [dictabat,] talem ad præfect. vrbis super morte Cari epistolam dedit. Inter cetera; *Quum*, inquit, *Carus princeps noster vere carus ægrotaret, tanti turbinis subito exorta tempestas est vt caligarent omnia, neque alter alterum* nosceret. coruscationum deinde ac tonitruum in modum fulgurũ igniti sideris continuata vibratio, omnibus nobis veritatis scientiam sustulit. Subito enim conclamatum est imperatorem mortuum, & post illud præcipue tonitruum quod cuncta terruerat. His accessit quod cubicularii, dolentes principis mortem, incenderunt tentorium. Vnde fama emersit, fulmine interemptum eum: quem, quantum scire possumus, ægritudine constat absumptum.* Hanc ego epistolam idcirco indidi, quod plerique dicunt vim fati quamdam esse vt Rom. princeps Ctesiphontem transire non possit: ideoque Carum fulmine absumptum, quod eos fines transgredi cuperet qui fataliter constituti sunt. *Sed sibi habeat artes suas timiditas calcanda virtutibus.* Licet plane ac licebit per sacratissimum Cæsarem Maximianum Persas vincere, atque vltra eos progredi: & futurum reor, si a nostris non deseratur promissus numinum fauor. Bonum principem Carum fuisse, cum multa indicant, tum illud etiam quod statim adeptus imperium, Sarmatas adeo morte Probi feroces vt inuasuros se non solum Illyricum, sed Thracias quoque Italiamque minarentur, ita inter bella patiendo contudit, vt paucissimis diebus Pannonias securitate donauerit, occisis Sarmatarum sedecim millibus, captis diuersi sexus viginti millibus. Hæc de Caro satis esse credo. Veniamus ad Numerianum; cuius & vicinior patri, & admirabilior per socerum suum facta videtur historia. Et quamuis Carinus maior ętate fuerit, prior etiam Cæsar sit nuncupatus, tamen necesse est vt prius de Numeriano loquamur, qui patris sequutus est mortem: post de Carino, quem vir reipubl. necessarius, augustus Diocletianus, habitis conflictibus interemit.

NVMERIANVS.

NVMERIANVS Cari filius, moratus egregie & vere dignus imperio; eloquentia etiam præpollens, adeo vt publice declamauerit, feranturque illius scripta nobilia, declamationi tamen quam Tulliano accommodatiora stylo. Versu autem talis fuisse prædicatur, vt omnes poetas sui temporis vicerit. Nam & cũ Olympio Nemesiano contẽdit, qui ἁλιευτικὰ, κυνηγετικὰ, & ναυτικὰ scripsit, quique omnibus coloniis illustratus emicuit: & Aurelium Apollinarem * amborum scriptorem, qui patris eius gesta in litteras retulit, iisdem quæ recitauerat editis, veluti radio solis obtexit. Huius oratio fertur ad senatum missa tantum habuisse eloquentiæ, vt illi statua non quasi Cæsari, sed quasi rhetori decerneretur ponenda in bibliotheca * Vlpia, cui subscriptum est; NVMERIANO CAESARI, ORATORI TEMPORIBVS SVIS POTENTISSIMO. Hic patri comes fuit bello Persico: quo mortuo quum nimio fletu oculos dolere cœpisset, quod illud ægritudinis genus nimia (vtpote familiarissima) confectus angustia incurrisset: dum lectica portaretur, factione Arrii Apri soceri sui, qui inuadere conabatur imperium, occisus est. Sed quum per pluri-

mos dies de Imperatoris salute quæreretur a milite, concionaretur que Aper, idcirco illum videri non posse quod oculos inualidos a vento ac sole subtraheret, fœtore tamen cadaueris res esset prodita, omnes inuaserunt Aprum, cuius factio latere non potuit: eumque ante signa & principia protraxere. Tunc habita est ingens concio, factum etiam tribunal. Et quum quæreretur quis vindex Numeriani iustissimus fieret, quis daretur reip. bonus princeps, DIOCLETIANVM omnes diuino consensu, cui multa iam signa facta dicebantur imperii, Augustum appellauerunt, domesticos tunc regentem, virum insignem, callidum, amantem reipubl. amantem suorum, & ad omnia quæ tempus quæsierat, paratum: consilii semper alti, nonnumquam tamen effrontis, sed prudentis; nimia peruicacia motus inquieti pectoris comprimentis. Hic quum tribunal conscendisset, atque Augustus esset appellatus, & quæreretur quemadmodum Numerianus esset occisus, educto gladio Aprum præfect. præt. ostentans percussit, addens verbis suis; *Hic est auctor necis Numeriani.* Sic Aper seipsum fœdauit, & deformibus consiliis agens, dignum moribus suis exitum dedit. Auus meus retulit se interfuisse concioni quum Diocletiani manu esset Aper occisus: percussisse autem dicebat Diocletianum, & dixisse; *Gloriare Aper; magni AEneæ dextera cadis.* *Quid ego miror de homine militari, quamuis sciam plurimos plus quam militares vel Græce vel Latine, vel comicorum vsurpare dicta, vel talium poetarum. Ipsi denique comici plerumque sic milites inducunt, vt eos faciant vetera dicta vsurpare. Nam &, *Lepus tute es, & pulpamentum quæris*, Liuii Andronici dictum est: multaque alia quæ Plautus Cæciliusque posuerunt. Curiosum non puto, neque satis vulgare, fabellam de Diocletiano Augusto ponere hoc cõuenientem loco, quæ illi data est ad omen imperii. Auus meus mihi retulit ab ipso Diocletiano compertum. Quum (inquit) Diocletianus apud Tungros in Gallia quadam in caupona moraretur, in minoribus adhuc locis militans, & cum Druide quadam muliere rationem conuictus sui quotidiani faceret; atque illa diceret, *Diocletiane nimium auarus, nimium parcus es*; ioco non serio, Diocletianus respondisse fertur, *Tunc ero largus quum Imperator fuero.* Post quod verbum * Druias dixisse fertur, *Diocletiane iocari noli: nam Imperator eris quum Aprum occideris.* Semper exinde Diocletianus in animo habuit imperii cupiditatem, idque Maximiano conscio, atque auo meo,* cuius hoc dictum a Druide ipse retulerat. Deniq;, vt erat altus, risit & tacuit. Apros tamen in venationibus, vbi fuit facultas, manu sua semper occidit. Deniq; quũ Aurelianus imperium accepisset, quũ Tacitus, quũ Probus, quũ ipse Carus; Diocletianus dixit, *Ego semper apros occido, sed alter semper vtitur pulpamento.* Iam illud notum est atque vulgatũ, quod quũ occidisset Aprum præfect. prætorio, dixisse fertur, *Tamdem Aprum fatalem occidi* Ipsum Diocletianũ idem auus meus dixisse dicebat, nullam aliã fuisse sibi caussam occidendi manu sua Aprũ, nisi vt impleret Druidis dictũ, & suum firmaret imperiũ. Non enim tã crudelem se innotescere cuperet, primis maxime diebus imperii, nisi illũ necessitas ad hanc atrocitatem occisionis attraheret. Dictum est de Caro, dictum etiam de Numeriano: superest nobis * Carinus.

CARINVS.

CARINVS homo omnium contaminatissimus, adulter, frequens corruptor iuuẽtutis, (pudet dicere quod in litteras Onesimus retulit) ipse quoque male vsus genio sexus sui. Hic, quum Cæsar decretis sibi Galliis atque Italia, Illyrico, Hispaniis ac Britanniis & Africa, relictus a patre Cæsarianum teneret imperium, sed ea lege vt omnia faceret quæ Augusti faciunt; enormibus se vitiis & ingenti fœditate maculauit. Amicos optimos quosque relegauit: pessimum quemque elegit aut tenuit: præf. vrbi vnum ex * cancellariis suis fecit: quo fœdius nec cogitari potuit * aliquando, nec dici. Præfectum præt. quem habebat, occidit: in eius locum Matronianum, veterem * conciliatorem, fecit: vnum ex his * notarium quem stuprorum & libidinum conscium semper atque adiutorem habuerat, inuito patre * consulem fecit. Superbas ad senatum litteras dedit. Vulgo vrbis Romæ, quasi populo Romano, bona senatus promisit. Vxores ducendo ac reiiciendo nouem duxit, pulsis plerisque prægnantibus. Mimis, meretricibus, pantomimis, cantoribus atque lenonibus,

nonibus, palatium impleuit. Fastidium subscribēdi tantum habuit, vt impurum quēdam, cum quo semper meridie iocabatur, ad subscribendum poneret: quem obiurgabat plerumque quod bene suam imitaretur manum. Habuit gemmas in calceis: nisi gemmata fibula vsus non est. Balteum etiam sæpe gemmatum. vt regem deniq; illum Illyrici plerique vocitarent. Præfectus numquam coss. obuiam processit. Hominibus improbis plurimum detulit; eosque ad conuiuium semper vocauit. Centum libras auium, centum piscium, mille diuersæ carnis, in conuiuio suo frequenter exhibuit. Vini plurimum effudit. Inter poma & melones natauit. Rosis Mediolanensibus & triclinia & cubicula strauit. Balneis ita frigidis vsus est, vt solent esse cellæ *suppositoriæ, frigidariis semper niualibus. Quum hiemis tempore ad quemdam locum venisset in quo fons erat aqua pertepida, (vt solet per hiemem naturaliter) eaque [in] piscina vsus esset, dixisse balneatoribus fertur, *Aquam mihi muliebrem præparatis*. atque hoc eius clarissimum dictum effertur. Audiebat pater eius quæ ille faceret, & clamabat, *Non est meus*. Statuerat denique Constantium (qui postea Cæsar est factus, tunc autem præsidatum Dalmatiæ administrabat) in locum eius subrogare, quod nemo tunc vir melior videbatur; illum vero (vt Onesimus dicit) occidere. Longum est si de eius luxuria plura velim dicere. Quicumque ostiatim cupit noscere, legat etiam Fuluium Asprianum, vsque ad tædium gestorum eius vniuersa dicentem. Hic vbi patrem fulmine absumptum, fratrem a socero interemptum, Diocletianum Augustum appellatum comperit, maiora vitia & scelera edidit; quasi iam libera frenis, domesticæ pietatis suorum moribus absolutus. Nec tamen defuit ad vindicandum sibimet imperium vigor mentis. Nam contra Diocletianum multis prœliis conflixit. Sed vltima pugna apud *Murtium commissa, victus occubuit. Hic triū principū finis fuit, Cari, Numeriani, & Carini: post quos DIOCLETIANVM & MAXIMIANVM principes dii dederūt, iungētes talibus viris GALERIVM atque CONSTANTIVM: quorū alter natus est qui acceptā ignominiam Valeriani captiuitate, deleret: alter, qui Gallias Romanis legibus redderet. Quatuor sane principes mundi fortes, sapientes, benigni, & admodum liberales, vnum in republica sentientes: præterea *senatus Rom. moderati, populo amici, potestate graues, religiosi, & quales principes semper orauimus: quorum vitam singulis libris Claudius *Eusthenius, qui Diocletiano ab epistolis fuit, scripsit: quod idcirco dixi, nequis a me tantā rem quæreret, maxime quum vel viuorum principum vita non sine reprehensione dicatur. Memorabile maxime & Carini & Numeriani hoc habuit imperiū, quod ludos Romanos nouis ornatos spectaculis dederunt, quos in palatio circa porticum stabuli pictos vidimus. Nam & *Neurobaten, qui velut in *ventis cothurnatus ferretur, exhibuit: & Tichobaten, qui per parietem vrso eluso cucurrit: & vrsos *mimum agentes: & item centum salpistas vno crepitu concinentes: & centum *camptaulas, choraulas centum, etiam *pithaulas centum, pantomimos & gymnicos mille: *pegma præterea, cuius flammis scena conflagrauit: quam Diocletianus postea magnificentiorem reddidit. Mimos præterea vndique aduocauit. Exhibuit & ludū Sarmaticum, quo dulcius nihil est. Exhibuit Cyclopem adornatum. & Græcis artificibus & gymnicis, & histrionibus, & musicis, aurum & argentum donata, & vestis serica. Sed hæc omnia nescio quantum ad populum gratiæ habeant: nullius certe sunt momenti apud principes bonos. Diocletiani denique dictum fertur, quum ei quidā *largitionalis suus editionem Cari laudaret, dicens multum placuisse principes illos caussa ludorum theatralium ludorumque circensium, *Ergo*, inquit, *bene risus est imperio suo Carus*. Deniq; quū omnibus gentibus aduocatis Diocletianus daret ludos, parcissime vsus liberalitate, dicens, *castiores esse oportere ludos spectante censore*. Legat hunc locum Iunius Messala, quem ego libere culpare audeo. Ille enim patrimoniū suum scenicis dedit, heredibus abnegauit: matris tunicam dedit mimæ, lacernam patris mimo: & *recte si auiæ pallio aurato atque purpurato, pro syrmate tragœdus vteretur. Inscriptum est adhuc in choraulæ pallio *tyrianthino, quo ille velut spolio nobilitatis exsultat, Messalæ nomen & vxoris. Iam quid *lineas petitas AEgypto loquar? quid Tyro & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, *plumandi difficultate pernobiles? Donati sunt ab Atrebaticis birri petiti, donati birri Canusini, A-

fricanæ opes in scena non prius visæ. Et hęc quidem idcirco ego in litteras retuli, quo futuros editores pudor tangeret, ne patrimonia sua, proscriptis legitimis heredibus, mimis & * balatronibus deputarent. Habe mi amice meum munus; quod ego (vt sæpe dixi) non eloquentiæ caussa, sed curiositatis, in lumen edidi: id præcipue agens, vt si quis eloquens vellet facta principum referare, materiam non requireret, habiturus meos libellos ministros eloquii. Te quæso sis contentus; nosque sic voluisse scribere, * meliusque potuisse, contendas.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER DECIMVSQVARTVS.

POST emensos insuperabilis expeditionis euentus, languentibus partiū animis, quas periculorum varietas fregerat & laborum, nondū tubarum cessante clangore, vel milite locato per * stationū hiberna fortunæ sęuientis procellæ tempestates alias rebus infudere communibus, per multa illa & dira facinora Cæsaris Galli; qui ex squalore nimio miseriarum, [in] ætatis adultæ primitiis, ad principale culmen insperato cultu prouectus, vltra terminos potestatis delatæ procurrens, asperitate nimia cuncta fœdabat. Propinquitate enim regiæ stirpis, gentilitateque etiamnum Constantini nominis, efferebatur in fastus; si plus valuisset, ausurus hostilia in auctorē suæ felicitatis, vt videbatur. cuius acerbitati vxor graue accesserat incentiuum, germànitate Augusti turgida supra modum; quam Annibaliano regi fratris filio antehàc Constantinus iunxerat patet: Megæta quædam mortalis, inflammatrix sæuientis adsidue, humani cruoris auida nihil minus quam maritus: qui paulatim eruditiores facti processu temporis ad nocendum, per clandestinos versutosque rumigerulos, compertis leuiter addere quædam male suetos, falsa & placentia sibi * discentes, affectati regni vel artium nefandarum calumnias insontibus adfingebant. Eminuit autem inter humilia, supergressa iam potentia fines mediocrium delictorum, nefanda Clematii cuiusdam Alexandrini nobilis mors repentina: cuius socrus commisceri sibi generum flagrans, eius amore non impetrato, vt ferebatur, per palatii pseudothyrum introducta, oblato pretioso reginæ monili, id assequuta est vt ad Honoratum, tum comitem orientis, formula missa, letali odio, scelere nullo contactus idē Clematius, nec hiscere nec loqui permissus, occideretur. Post hoc impie perpetratum, quod in aliis quoq; iā timebatur, tam quā *licentia crudelitati indulta*, per suspicionum nebulas æstimati quidam noxii damnabantur: quotū pars necati, alii puniti bonorum multatione, actiq; laribus suis extorres, nullo sibi relicto præter querelas & lacrymas, stipe collatitia victitabant: & ciuili iustoq; imperio ad voluntatem conuerso cruentā, claudebantur opulentæ domus & claræ. Nec vox accusatoris vlla, licet subditi, in his malorū quærebatur aceruis, vt * saltē specie tenus crimina præscriptis legū cōmitterentur, q; aliquoties fecere principes sæui sed quidquid Cęsaris implacabilitati sedisset, id velut fas iusq; perpēsum, cōfestim vrgebatur impleri.

pleri. Excogitatum est super his, vt homines quidam ignoti, vilitate ipsa parum cauendi, ad colligendos rumores per Antiochiæ latera cuncta destinarentur, relaturi quæ audirent. Hi peragranter & dissimulanter honoratorum circulis adsistendo, peruadendoque diuites domos egentium habitu, * quidquid noscere poterant vel audire, latenter intromissi per posticas in regiam nuntiabant: id obseruantes * conspiratione concordi, vt fingerent quædam, & cognita duplicarent in peius: laudes vero supprimerent Cæsaris, quas inuitis compluribus formido malorum impendentium exprimebat. Et interdum acciderat vt si quid in penetrali secreto, nullo citeriore eius vitæ ministro præsente, paterfamilias vxori susurrasset in aurem, velut Amphiarao referente aut * Martio, quondam vatibus inclytis, postridie disceret Imperator. Ideoque etiam parietes, arcanorum soli conscii, timebantur. Adolescebat autem obstinatum propositum erga hæc & similia multa * scrutandi, stimulos admouente regina, quæ abrupta e marin fortuna stridebat in exitium præceps: quum eum potius *lenitate fœminea ad veritatis humanitatisque viam reducere vtilia suadendo* deberet; vt in Gordianorũ actibus factitasse Maximini truculẽti illius Imperatoris retulimus coniugẽ. Nouo deniq; perniciosoq; exemplo idem Gallus ausus est inire flagitiũ graue, quod Romæ cum vltimo dedecore tentasse aliquando dicitur Gallienus: & adhibitis paucis clam ferro succinctis, vesperi per tabernas palabatur & compita, quæritando Græco sermone, cuius erat impendio gnarus, quid de Cæsare quisque sentiret. & hæc cõfidenter agebat in vrbe, vbi pernoctantium luminum claritudo dierum solet imitari fulgorem. Postremo agnitus sæpe, iamque si prodisset, conspicuum fore se contemplans, non nisi * luce palam egrediens ad agenda quæ putabat seria, cernebatur. Et hæc quidem, medullitus multis gementibus, agebatur. Thalassius vero ea tempestate præfectus prætorio, * præsens ipse quoq; arrogantis ingenii, considerans incitationem eius ad multorũ augeri discrimina, non maturitate vel consiliis mitigabat, vt aliquoties *celsæ potestates iras principum molliuerunt*; sed aduersando iurgandoque, quum parum congrueret, ad rabiẽ eum [potius] euibrabat, Augustum, actus eius exaggerando, creberrime docens, idq; (incertũ qua mente) ne lateret affectans. Quib. mox Cæsar acrius efferatus, velut contumaciæ quoddã vexillum altius erigens, sine respectu salutis alienæ vel suæ, ad verrenda supposita, instar rapidi fluminis, irreuocabili impetu ferebatur. Nec sane hæc pernicies sola orientem diuersis cladibus affligebat. Namq; & Isauri, quibus vsitatum est sæpe * palari, sæpeq; inopinis excursibus cuncta miscere, ex latrociniis occultis & raris, *alente impunitate adolescentem in peius audaciam*, ad bella grauia proruperunt: diu quidẽ perduelles spiritus irrequietis motibus erigentes, hac tamen indignitate perciti vehementer, vt iactabant, quod eorum quidam capti consortes, apud Iconium Pisidiæ oppidum, in amphitheatrali spectaculo feris prædatricibus obiecti sunt, præter morem. Atque, vt Tullius ait, vt *etiam feræ monitæ plerumque ad eum locum vbi aliquando pastæ sunt, reuertuntur*: ita omnes instar turbinis digressi montibus impeditis & arduis, loca petiuere mari confinia. Per quæ * in latebrosis sese conuallib. occultantes, quũ appeteret nox, luna etiam tum cornuta, ideoq; nondum solido splendore fulgente, nauticos obseruabant. quos quum in somnum sentirent effusos, per ancoralia * quadrupedo gradu repentes seseq; suspensis passibus iniectantes in scaphas, eisdem nihil opinantibus adsistebant: & incendẽte auiditate sæuinam, ne cedentium quidẽ vlli parcendo, obtruncatis omnibus, merces opimas vel vtiles nullis repugnantibus auertebant: hæcq; non diu sunt perpetrata. Cognitis enim * viatorum cæsorum funeribus, nemo deinde ad has stationes appulit nauem: sed vt Scironis prærupta letalia declinantes, litoribus Cypriis contigui nauigabant, qua Isauriæ scopulis sunt controuersa. Procedente igitur mox tempore, quum aduectitium nihil inueniretur, relicta ora maritima, in Lycaoniam adnexã Isauriæ, se contulerunt: ibique densis inter obsidentium itinera prætenturis, prouincialium & viatorum opibus pascebantur. Excitauit hic ardor milites, per municipia plurima, quæ iisdem conterminant, dispositos & castella: & quisque serpentes latius pro viribus repellere moliens, nunc globis consertos, aliquoties & dispersos, multitudine superabatur ingenti: quæ nata & educata inter editos recuruosque ambitus montium, eos vt loca plana persultat & mollia, missilibus obuios eminus lacessens,

& vlulatu truci perterrens. Coactique aliquoties nostri pedites ad eos persequendos scandere cliuos sublimes, etiamsi lapsantibus plaritus* frutecta prensando vel dumos, ad vertices venerint summos; inter arcta tamẽ & inuia nullas acies explicare permissi, nec firmare nisu valido gressus, hoste discursatore rupium abscisa voluente superne, periculose per prona discedunt: aut ex necessitate vltima fortiter dimicantes, ruinis ponderum immanium consternuntur. Quamobrem circumspecta cautela obseruatum est deinceps, & quum edita montium petere cœperint grassatores, loci iniquitate milites cedunt: vbi autem in planicie potuerint reperiri, quod contingit adsidue, nec exsertare lacertos, nec crispare permissi tela, quæ* vehunt bina vel terna, pecudum ritu inertium trucidantur. Metuentes igitur iidem latrones Lycaoniam magna parte campestrem, quum se impares nostris fore congressione stataria documentis frequentibus scirent, tramitibus deuiis petiuere Pamphyliam, diu quidem intactam, sed timore populationum & cædium, milite per omnia diffuso propinqua, magnis vndique præsidiis communitam. Raptim igitur properantes, vt motus sui tumorem celeritate nimia præuenirent, vigore corporum ac leuitate confisi, per flexuosas semitas ad summitates collium tardius euadebant. Et quum superatis difficultatibus arduis, ad supercilia venissent fluuii Melanis alti & verticosi, qui pro muro tuetur accolas* circumfusos, vrgente nocte adulta temporeque, quieuere paulisper, lucem opperientes. Arbitrabantur enim, nullo impediente transgressi, inopino accursu opposita quæque vastare. Sed incassum labores pertulere grauissimos. Nam sole orto, magnitudine angusti gurgitis & profundi a transitu arcebantur: & dum piscatorios quærunt* lenunculos, vel innare temere contextis ratibus parant, effusæ legiones, quæ hiemabant tunc apud Sidenistam, impetu occurrere veloci. & signis prope ripam locatis ad manus comminus conserendas, densas scutorum compages scientissime præstruebant: ausos quoque aliquos fiducia nandi vel cauatis arborum truncis amnem permeare latenter, facillime trucidarunt. Vnde tentatis ad discrimen vltimum artibus multum, quum nihil impetraretur, pauore vique repellente extrusi, & quo tenderent ambigentes, venere prope oppidum Laranda. ibi victu recreati & quiete, postquam abierat timor, vicos opulentos adorti, equestrium adiumento cohortium, quæ casu propinquabant, nec resistere planicie porrecta conati, digressi sunt; retroque concedentes, omne iuuentutis robur relictum in sedibus acciuerunt. Et quoniam inedia graui adflictabantur, locum petiuere Paleas nomine, vergentem in mare, valido muro firmatum: vbi conduntur nunc vsq; commeatus, distribui militibus omne latus Isauriæ defendentibus adsueti. Circumstetere igitur hoc munimentum per triduum & trinoctium: & quum neque accliuitas ipsa sine discrimine aditi letali, nec cuniculis quidquam geri posset, nec procedebat vllum obsidionale commentum, mœsti excedunt; *postremo ira subeunte maiora viribus aggressuri. Proinde concepta rabie sæuiore, quam desperatio incendebat & fames, amplificatis viribus, ardore incohibili in excidium* vrbium matris Seleuciæ efferebantur; quam Comes tuebatur Castritius, tresque legiones bellicis sudoribus induratæ. Horum aduentum prædocti speculationibus fidis rectores militum, tessera data solenni, armatos omnes celeri eduxere procursu: & agiliter prætereito Calycadni fluminis ponte, cuius vndarum magnitudo murorum alluit turres, in speciem locauere pugnandi. Neque tamen exsiluit quisquam, nec permissus est congredi. Formidabatur enim flagrans vesania manus, & superior numero, & ruitura sine respectu salutis in ferrum. Viso itaque exercitu procul, auditoque liticinum cantu, represso gradu parumper stetere prædones: exsertantesque minaces gladios, postea lentius incedebant. quibus occurrere bene pertinax miles explicatis ordinibus parans, hastisque feriens scuta, (qui habitus iram pugnantium concitat & dolorem) proximo iam gestu terrebat. Sed eum in certamen alacriter consurgentem reuocauere ductores; rati intempestiuum, anceps subire certamen, quum haud longe muri distarent, quorum tutela securitas poterat in solido locari cunctorum. Hac icti persuasione, reducti intra mœnia bellatores, obseratis vndique portarum aditibus, propugnaculis insistebant & pinnis, congesta vndique saxa telaque habentes in promptu: vt si quis sese proripuisset vlterius, multitudine missilium sterneretur

tur

tur & lapidum. Illud tamen clausos vehementer angebat, quod captis nauigiis, quæ frumenta vehebant per flumen, Isauri quidem alimentorum copiis adfluebant, ipsi vero solitarum rerum cibos iam consumendo, inediæ propinquantis ærumnas exitiales horrebant. Hæc vbi lanius fama vulgasset, missæque relationes adsiduæ Gallum Cæsarem permouissent, quoniam magister equitum longius ea tempestate distinebatur, iussus Comes orientis Nebridius, contractis vndique militaribus copiis, ad eximendam periculo ciuitatem amplam & opportunam, studio properabat ingenti. quo cognito abscessere latrones, nulla re amplius memorabili gesta: dispersique (vt solent) auia montium petiere celsorum. Eo adducta re per Isauriam, rege Persarum bellis finitimis illigato, repellenteque a conlimitiis suis ferocissimas gentes, quæ mente quadam versabili hostiliter eum sæpe incessunt, & in nos arma mouentem aliquoties iuuant; Nohodares quidam nomine, e numero optimatum, incursare Mesopotamiam, quoties copia dederit, ordinatus; explorabat nostra sollicite; si reperisset vsquam locum, vi subita perrupturus. Et quia Mesopotamiæ tractus omnes crebro inquietari sueti, *prætenturis & stationibus seruabātur agrariis, læuorsum flexo itinere, *Osdruenæ subsederat *extimas partes; nouum parumque aliquando tentatum commentum adgressus: quod si impetrasset, fulminis modo cuncta vastaret. Erat autem quod agitabat, huiusmodi: Batne, municipium in Anthemusia conditum Macedonum manu priscorum, ab Euphrate flumine breui spatio disparatur, refertum mercatoribus opulentis: vbi annua sollennitate, prope Septembris [mensis] initium, ad nundinas magna *promiscuæ fortunæ conuenit multitudo, ad commercanda quæ Indi mittunt & Seres, aliaque plurima vehi terra marique consueta. Hanc regionem præstitutis celebritati diebus inuadere parans dux ante dictus, per solitudines Aboræque amnis herbidas ripas, suorum indicio proditus, qui admissi flagitii metu exagitati, ad præsidia discurrere Romana, absque vllo egressus effectu, deinde tabescebat immobilis. Saraceni tamen, nec amici nobis vmquam, nec hostes optandi, vltro citroque discursantes, quidquid inueniri poterat, momento temporis parui vastabāt, miluorum rapaci vitæ similes: qui si prædam dispexerint celsius, volatu rapiunt celeri; aut, si impetrarint, non immorantur. Super quorū moribus licet in actibus principis Marci & postea aliquoties meminerim retulisse, tamē nunc quoque pauca deiisdem expediam carptim. Apud has gentes, quarum exordiens initium ab Assyriis ad Nili cataractas porrigitur & confinia Blemyarum, oēs pari sorte sunt bellatores, seminudi, coloratis sagulis pube tenus amicti; equorum adiumento pernicium, graciliumque camelorum, per diuersa reptantes in tranquillis vel turbidis rebus: nec eorum quisquam aliquando stiuam apprehendit, vel arborem colit, aut arua subigendo quæritant victum: sed errant semper per spatia longe lateque distenta, sine late, sine sedibus fixis aut legibus: nec idem perferūt diutius cælum, aut tractus vnius soli illis vmquam placet: vita est illis semper in fuga, vxoresq; mercenariæ conductæ ad tēpus ex pacto: atq; vt sit species matrimonii, dotis nomine futura coniux hastam & tabernaculum offert marito, post statum diem, si id elegerit, discessura: & incredibile est quo ardore apud eos in venerem vterque soluitur sexus. Ita autem, quoad vixerint, late palantur, vt alibi mulier nubat, in loco pariat alio, liberosque procul deducat, nulla copia quiescendi permissa. Victus vniuersis cara ferina est, lactisq; abundans copia, qua sustentantur, & herbæ multiplices, & siquæ alites capi per aucupium possint: & plerosque nos vidimus frumenti vsum & vini penitus ignorantes. Hactenus de natione perniciosa: nunc ad textum propositum reuertamur. Dum hæc in oriente aguntur, Arelate hiemem agens Constantius, post theatrales ludos atque circenses ambitioso editos apparatu, *ad diem sextū idus Octobr. qui imperii eius annum tricesimum terminabat, insolentia pondera grauius librans, siquid dubium deferebatur aut falsum, pro liquido accipiens & comperto, inter alia excarnificatum Gerontium Magnentianæ comitem partis, exsulari mœrore multauit. Vtque *ægrum corpus quassari etiam leuibus solet offensis;* ita animus eius angustus & tener, quidquid increpuisset, ad salutis suæ dispendium existimans factū aut cogitatū, insontium cædibus fecit victoriam luctuosam. Siquis enim militarium vel honoratorū, aut nobilis inter suos, rumore tenus esset insimu-

latus fouisset partes hostiles, iniecto onere catenarũ, in modũ beluæ trahebatur: & inimico vrgente vel nullo, quasi sufficiente hoc solo quod nominatus esset aut delatus aut postulatus, capite vel multatione bonorum, aut insulari solitudine, damnabatur. Accendebant eius asperitatem iactata vulgo crimina, quibus imminui amplitudo imperii dicebatur; & iracundiæ suspicionem proximorum cruentæ blanditiæ, exaggerantium incidentia, & dolere impendio simulantium, si principis perditur vita; a cuius salute velut filo pendere statum orbis terrarum fictis vocibus exclamabant. Ideoque fertur, neminem aliquando ob hæc vel similia pœnæ addictum, oblato de more elogio reuocari iussisse; quod inexorabiles quoque principes factitarunt: & exitiale hoc vitium, quod in aliis nonnumquam intepescit, in illo ætatis progressu efferuescebat, obstinatum eius propositum accendente adulatorum cohorte. Inter quos Paulus eminebat notarius, ortus in Hispania, *glabro quidem sub vultu latens, odorandi vias periculorum occultas perquam sagax. is in Britanniam missus vt militares quosdam perduceret ausos conspirasse Magnentio, quum reniti non possent, his licentius supergressus, fluminis modo fortunis complurium sese repentinus infudit. & ferebatur per strages multiplices ac ruinas, vinculis membra ingenuorum adfligens, & quosdam obterens manicis, crimina scilicet multa consarcinando a veritate longe discreta. Vnde admissum est facinus impium, quod Constantii temporibus notam inusserat sempiternam. Martinus regens illas prouincias *pro præfecto, ærumnas innocentium grauiter gemens, sæpeque obsecrans vt ab omni culpa immunibus parceretur, quum nõ impetraret, minabatur se discessurum: vt saltem id metuens perquisitor maleuolus, tandem desineret quieti coalitos homines in aperta pericula prolectare. Per hoc minui studium suum existimans Paulus, vt erat in complicandis negotiis artifex dirus, (vnde & *Catena* inditum est cognomentum) vicarium ipsum eos quibus *parserat adhuc defensantem, ad sortem periculorum communium traxit. & instabat vt eum quoque cum tribunis & aliis pluribus ad comitatum Imperatoris vinctum perduceret. quo percitus ille, exitio vrgente, abrepto ferro eumdem adoritur Paulum. & quia languente dextera letaliter ferire non potuit, iam districtum mucronem in proprium latus impegit: hocque deformi genere mortis excessit e vita iustissimus, remora ausus miserabiles casus leuare multorum. Quibus ita scelestè patratis, Paulus cruore perfusus, reuersus est ad principis castra, multos coopertos pene catenis adducens, in squalorem deiectos atque mœstitiam: quorum aduentu * intendebantur eculei, vncosque parabat carnifex & tormenta. & ex iis proscripti sunt plures, actique in exsilium alii; nonnullos gladii consumpsere pœnales. Nec enim quisquam facile meminit sub Constantio, vbi *susurro tenuis hæc mouebantur, quemquam absolutum. Inter hæc Orphitus præfecti potestate regebat vrbem æternam, vltra modum delatæ dignitatis sese efferens insolenter: vir quidẽ prudens & forensium negotiorum oppido gnatus, sed splẽdore liberalium doctrinarũ minus quam nobilem decuerat, institutus: quo administrante, seditiones sunt concitatæ graues ob inopiam vini. Huius auidis vsibus vulgus intentum, ad motus asperos excitatur & crebros. Et quoniam mirati posse quosdam peregrinos existimo, hæc lecturos forsitan si contigerit: quamobrem, quum oratio ad ea monstranda deflexerit quæ Romæ gererentur, nihil præter seditiones narretur, & tabernas & vilitates harũ similes alias, summatim caussas * præstringam, nusquam a veritate sponte propria digressurus. Tempore quo primis auspiciis in mundanum fulgorem surgeret victura dum erunt homines Roma, vt augeretur sublimibus incrementis fœdere pacis æternæ, * Virtus conuenit atque Fortuna, plerumque dissidentes: quarũ si altera defuisset, ad perfectam non venerat summitatem. Eius populus ab incunabulis primis adusque pueritiæ tempus extremum, quod annis circumcluditur fere trecẽtis, circummurana pertulit bella: deinde ætatem ingressus adultam, post multiplices bellorũ ærumnas, Alpes *transcendit & fretum: in iuuenẽ erectus & virum, ex omni plaga quam orbis ambit immensus, reportauit laureæ triumphos. Iamque vergens in senium, & nomine solo aliquoties vincens, ad tranquilliora vitæ discessit. Ideo vrbs venerabilis, post superbas efferatarum gentiũ ceruices oppressas, latasq; leges, fundamenta libertatis & retinacula sempiterna, velut frugi parens

rens, & prudens & diues, Cæsaribus, tamquã liberis suis regenda patrimonii iura permisit & olim, licet otiosæ sint tribus, pacatæque centuriæ, & nulla suffragiorum certamina, sed Pompiliani redierit securitas temporis: per omnes tamen quotquot sunt partes terrarum, vt domina suspicitur & regina, & vbiq; Patrum reuerenda cum auctoritate canicies, populique Romani nomen circumspectum & * verendum. Sed læditur hic cœtuum magnificus splendor leuitate paucorum incondita, vbi nati sint non reputantium, sed, tamquam indulta licentia vitiis, ad errores lapsorum & lasciuiam. Vt enim Simonides lyricus docet, *Beate perfecta ratione victuro, ante alia patriam esse conuenit gloriosam* Ex his quidam æternitati se commendari posse per statuas æstimantes, eas ardenter adfectant; quasi plus præmii ex figmentis æreis sensibus carentibus adepturi, quam ex conscientia honeste recteque factorum; easque auro curant imbractteari: quod Acilio Glabrioni delatum est primo, quum consiliis armisq; regem superasset Antiochum. Quam autem sit pulchrum, exigua hæc spernentem & minima, ad ascensus veræ gloriæ tendere longos & arduos, vt memorat vates * Ascræus; Censorius Cato monstrauit; qui interrogatus quamobrem inter multos nobiles statuam non haberet, *Malo*, inquit, *ambigere bonos quamobrem id non meruerim, quam (quod est grauius) cur impetrauerim, mussitare.* Alii summum decus in carrucis solito altioribus, & ambitioso vestium cultu ponentes, sudant sub ponderib. lacernarum, quas in colli exserta * fibulis ipsis adnectant, nimia subtegminum tenuitate peruia, filis exstantes crebris a locis omnibus, maximeque sinistra: vt longioris fimbriæ tunicæ perspicua luceant varietate liciorum, effigiatæ in species animalium multiformes. Alii nullo quærente, vultus seueritate adsimulata, patrimonia sua in immensum extollunt, cultorum (vt putant) feracium multiplicantes annuos fructus; quæ a primo ad vltimum solem se abunde iactitant possidere: ignorantes profecto maiores suos, per quos ista magnitudo Romana porrigitur, non diuitiis eluxisse, sed per bella sæuissima: nec opibus, nec victu, nec indumentorum vilitate a gregariis militibus discrepantes, opposita cuncta superasse virtute. Hinc ex collatitia stipe Valerius humatur ille Publicola: & subsidiis amicorum mariti inops cum liberis vxor alitur Reguli: dotatur ex ærario filia Scipionis, quum nobilitas florem adultę virginis, diuturniam absentiam pauperis erubesceret patris. At nunc si ad aliquem bene nummatum tumentemque loculis honestus aduena salutatum introiueris, primitus tamquam exoptatus * susciperis; & interrogatus multa, coactusq; mentiri, miraris, numquam antea visus, summatem virum tenuem te sic enixius obseruantem: vt pœniteat hæc bona tamquam præcipua non vidisse ante decennium: Romanaque affabilitate confisus, quum eadem postridie feceris vt incognitus * heres & repentinus, hortatore illo, hesterna die mirando, qui sis vel vnde venias diutius ambigente. Agnitus vero tandem, & adscitus in amicitiã, si te salutandi adsiduitate dederis mennio indiscretus, & per totidem * defueris, reuerteris ad patia perferenda · nec vbi esses interrogatus, & num e medio discesseris, ætatem omnem frustra in stipite cõteres submittendo. Quum autem interuallata temporibus conuiuia longa & noxia cœperint apparari, vel distriburio solẽnium sportularum, anxia deliberatione tractatur, an exceptis his quibus vicissitudo debetur, peregrinum inuitari conueniet: &, si digesto plene consilio id placuerit geri, is adhibetur qui pro domibus excubat aurigarum, aut artem tesserariam profitetur, aut secretiora quædam se nosse confingit. Homines enim eruditos & sobrios, vt infaustos & inutiles, vitant quoque: [eo] accedente quod & nomenclatores adsueti hæc & talia venditare mercede accepta, * cœnis quosdã & prandiis inserunt subdititios, ignobiles, & obscuros. Mensarum enim voragines, & varias voluptatum illecebras, ne longius progrediar, prætermitto: illuc transiturus quod quidam per ampla spatia vrbis subuersasque silices, sine periculi metu properantes equos velut publicos signatis (quod dicitur) calceis agitant, familiarium agmina tamquam prædatorios globos post terga trahentes, ne Sannione quidem (vt ait comicus) domi relicto. quo comitatu matronæ complures, opertis capitibus & * bastemis, per latera ciuitatis cuncta discurrunt; vtque prœliorum periti rectores, primo cateruas densas opponunt & fortes, deinde leues armaturas, post iaculatores, vltimasque subsidiales acies, si fors adegerit, in-

uasuras. ita præpositis vrbanæ familiæ suspensæ digerentibus sollicite, quos insignes faciunt virgæ dextris aptatæ, velut tessera data castrensi, iuxta vehiculi frontē omne textrinum incedit. huic atratum coquinæ adiungitur ministerium; deinde totum promiscue seruitium, cum * otiosis plebeiis de vicinitate coniunctis. postrema multitudo spadonum, a senibus in pueros desinens, * coloris obluridi, distortaque liniamentorum compage deformis: vt, quaqua incesserit quisquam, cernens mutilorum hominũ agmina, detestetur memoriam Semiramidis reginæ illius veteris, quæ teneros mares castrauit omnium prima, velut vim iniectans naturæ, eamdemq; instituto cursu retorquens; quæ inter ipsa oriundi crepundia, per primigenios seminis fontes, tacita quodammodo lege vias propagandæ posteritatis ostendit. Quod quũ ita sit, paucæ domus studiorum seriis cultibus antea celebratæ, nunc ludibriis ignauiæ torrentes exundant, * perflabili sono vocali tinnitu fidium resultantes. Denique pro philosopho cantor, & in locum oratoris doctor artium ludicrarum accitur: & bibliothecis sepulcrorum ritu in perpetuum clausis, organa fabricantur hydraulica, & lyræ ad speciem carpentorum ingentes, tibiæque & histrionici gestus instrumenta non leuia. Postremo ad id indignitatis est ventum, vt quum peregrini, ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam. pellerentur ab vrbe præcipites, sectatoribus disciplinarum liberalium impendio paucis sine respiratione vlla extrusis, tenerentur mimarum asseclæ veri, quiue id simularunt ad tempus: & tria milia saltatricum, ne interpellata quidem, cum choris totidemque remanerent magistris. Et licet, quocumque oculos flexeris, fœminas adfatim multas spectare cirratas, quibus, si nupsissent, per ætatem ter iam nixus poterat suppetere liberorum, * adusque tædium pedibus pauimenta * terentes, iactari volubilibus gyris, dum exprimunt innumera simulacra quæ finxere fabulæ theatrales. Illud autem non dubitatur, quod quum esset aliquando virtutum omnium domicilium Roma, ingenuos aduenas plerique nobilium (vt * Homerici baccarum suauitate lotophagi) humanitatis multiformibus officiis retentabant. Nunc vero inanes flatus quorumdam, vile esse quidquid extra vrbis pomœrium nascitur æstimant; præter orbos & cælibes. nec credi potest qua obsequiorum diuersitate coluntur homines sine liberis Romæ. Et quoniam apud eos, vt in capite mundi, morborum acerbitates celsius dominantur, ad quos vel sedandos omnis professio medendi torpescit, excogitatum est adminiculum sospitale, ne quis amicum perferentem similia videat. additumque est cautionibus paucis, remedium aliud satis validum: vt famulos percontatum missos, quemadmodum valeant noti hac ægritudine colligati, non ante recipiant domum quam lauacro purgauerint corpus. Ita etiam alienis oculis visa metuitur labes. Sed tamen hæc quum ita tutius obseruentur, quidam vigore artuum imminuto rogati ad nuptias, vbi aurũ dexteris manib. cauatis offertur, impigre vel vsq; Spoletiũ pergunt. Hæc nobiliũ instituta. Ex turba vero imæ sortis & paupertinæ, in tabernis aliqui pernoctãt vinariis: nonnulli velabris vmbraculorum theatralium latent; quæ Campanam imitatus lasciuiam, Catulus in ædilitate sua suspendit omnium primus: aut pugnaciter aleis certant, turpi sono fragosis naribus introrsum reducto spiritu cõcrepantes: aut (quod est studiorum omnium maximum) ab ortu ad vesperam sole fatiscunt vel pluuiis, præmia aurigarũ equorumq; præcipua, vel delicta, scrutantes. Et est admodum mirum videre plebẽ innumeram mentibus ardore quodã infuso, cum dimicationũ curuliũ euentu pendentẽ. Hæc similiaq;, memorabile nihil vel seriũ agi Romæ permittunt. Ergo redeũdum ad textum. Latius iam dissimulata licẽtia onerosus bonis omnibus Cæsar, nullum post hæc adhibẽs modũ, orientis latera cuncta vexabat, nec honoratis parcens, nec vrbium primatibus, nec plebeiis. Deniq; Antiochiæ ordinis verendi duces sub vno elogio iussit occidi; ideo efferatus, quod ei celebrari vilitatẽ intempestiuam vrgẽti, quum impenderet inopia, grauius rationabili responderunt. & perissent ad vnũ, ni Comes orientis tunc Honoratus fixa constantia restitisset. Erat aũt * diritatis eius hoc quoq; indicium, nec obscurum nec latens, quod ludicris cruentis delectabatur, & in circo sex vel septẽ aliquoties * vetitis certaminibus, pugilum vicissim se concidentiũ, perfusorumq; sanguine specie, vt lucratus ingentia, lætabatur. Accẽdebat super his incitatũ propositũ ad nocendum aliqua mulier vilis; quæ ad pa

latium

latium vt poposcerat intromissa, insidias * ei latenter obtēdi prodiderat ab militibus obscurissimis: quam Constantina exsultans, vt in tuto iam locata mariti salute, muneratam vehiculoque impositam, per regiæ ianuas emisit in publicum; vt iis illecebris alios quoque ad indicanda proliceret paria vel maiora. Post hæc Gallus Hierapolim profecturus est, vt expeditioni specietenus adesset, Antiochensi plebi suppliciter obsecranti vt inediæ dispelleret metum, quæ per multas difficilesque caussas affore iam sperabatur, non (*vt mos est principibus quorum diffusa potestas localibus subinde medetur ærumnis*) disponi quidquam statuit, vel ex prouinciis alimenta transferri conterminis; sed * consularem Syriæ Theophilum prope adstantem, vltima metuenti multitudini dedit, assidue replicando, quod inuito rectore nullus egere poterit victu. Auxerunt hęc vulgi sordidioris audaciam. Et quum ingrauesceret penuria commeatuum, fames & furor, impulsu Eubuli cuiusdam inter suos clari, domum ambitiosam ignibus subditis inflammauit: rectoremque, vt sibi iudicio imperiali addictum, calcibus incessens & pugnis conculcans, seminecem laniatu miserando discerpsit. Post cuius lacrymosum interitum *in vnius exitio quisque imaginem periculi sui considerans*, documento recenti similia formidabat. Eodem tēpore Serenianus * ex duce, cuius ignauia popularam in Phœnice Cœlen ante tentu litus, pulsatæ maiestatis imperii reus iure postulatus a lege, incertum qua potuit suffragatione absolui, aperte conuictus, familiarem suum cum pileo quo caput operiebat, incantato vetitis artibus, ad templum misisse fatidicum, quæritatū expresse an ei firmū portēderetur imperium vt cupiebat & iunctū duplexq. iisdē diebus acciderat malū, quod & Theophilū insontē atrox interceperat casus, & Serenianus dignus exsecratione cunctorum, innoxius modo non reclamante publico vigore discessit. Hæc subinde Constantius audiens, & quædā referente Thalassio doctus, * quem mo uisse iā cōpeterat lege cōmuni, scribens ad Cæsarē blandius, adiumenta paulatim illi subtraxit, sollicitari se simulans, ne quod *militare otiū fere tumultuosum* in eius perniciē conspiraret: solisq. scholis iussit esse contētum Palatinis, & protectorū cum scutariis & gentilibus: & mandabat Domitiano ex Comite largitionū * præfecto, vt quū in Syriam veneris, Gallū, quem crebro acceperat ad Italiā properare, blande hortaretur & verecunde. Qui quū venisset ob hæc festinatis itineribus Antiochiam, præstrictis palatii ianuis, cōtempto Cæsare, quem videri decuerat, ad prætorium cum pompa solenni perrexit. morbosque diu caussatus, nec regiam introiit, nec processit in publicum: sed abditus, multa in eius moliebatur exitium, addens quædam relationibus superuacua, quæ subinde dimittebat ad principem. Rogatus ad vltimum, admissusque in consistorium, ambage nulla prægressa, inconsiderate & leuiter, *Proficiscere*, inquit, *vt præceptum est Cæsar; sciens quod si cessaueris, & tuas & palatii tui auferre iubeo propediem annonas*. Hocque solo contumaciter dicto, subiratus abscessit, nec in conspectum eius postea venit sæpius accersitus. Hinc ille commotus, vt iniusta perferēs & indigna, præfecti custodiam protectoribus mandauerat fidis. Quo comperto, Mōtius tunc quæstor, * asper quidem, sed ad lenitatem propensior, consulens in cōmune, aduocatos Palatinarum primo scholarū alloquutus est mollius, dicens nec decere hæc fieri, nec prodesse: addensque voces obiurgatorio sono, quod si id placeret, post statuas Constantini deiectas, super adimenda vita præfecto conuenier securius cogitari. His cognitis, Gallus vt serpens appetitus telo vel saxo, iamque spes extremas oppetiens, & succurrens saluti suæ, quauis ratione colligi omnes iussit armatos: & quum starent attoniti, districta dentium acie stridens, *Adeste*, inquit, *viri fortes mihi periclitanti vobiscum. Montius nos tumore inusitato quodam & nouo, vt rebelles & Maiestati recalcitrantes augustæ, per hæc quæ strepit incusat: iratus nimirum quod contumacem præfectum, quid rerum ordo postulat ignorare dissimulantem, formidine tenus iusserim custodiri.* Nihil morati post hæc militares, auidi sæpe turbarum, adorti sunt Montium primum, qui diuertebat in proximo, leui corpore senem, atque morbosum: & hirsutis resticulis cruribus eius innexis, diuaricatum sine spiramento vllo adusque prætorium traxere præfecti. Et eodem impetu Domitianum præcipitem per scalas itidem funibus constrinxerunt: eosque coniunctos per ampla spatia ciuitatis acri raptauere discursu. iamq; artuum & membrorum diuulsa compage,

superscandentes corpora mortuorum, ad vltimam truncata deformitatem, velut exsaturati, mox abiecerunt in flumen. Incenderat autem audaces vsque ad insaniã homines ad hæc quæ nefariis egere conanibus, Luscus quidam curator vrbis subito visus: cumque eo* Sthenelaus batulorum præcentor, ad expediendum quod orsi sunt incitans vocibus crebris; qui haud longe postea ideo viuus exustus est. Et quia Montius inter dilaniantium manus spiritum efflaturus, Epigonum & Eusebium, nec professionem nec dignitatem ostendens, aliquoties increpabat: qui sint hi, magna quærebatur industria. & ne quid intepesceret, Epigonus e Lycia philosophus ducitur, & Eusebius e Mysia *pietatis cognomento concitatus orator: quum quæstor non hos, sed tribunos fabricarũ insimulasset, promittentes armorum si nouæ res agitari cœpissent. Iisdem diebus Apollinaris Domitiani gener, paulo ante agens palatii Cæsaris curam, ad Mesopotamiã missus a socero, per militares numeros immodice scrutabatur an quædam altiora meditantis iam Galli secreta susceperint scripta. Qui compertis Antiochiæ gestis, per minorem Armeniam lapsus, Constantinopolin petiit: exindeque per protectores retractus, arctissime tenebatur. Quæ dum ita struuntur, indicatum est apud Tyrum indumentum regale textum occulte; incertum quo locante, vel cuius vsibus apparatum. Ideo rector prouinciæ tunc pater Apollinaris, eiusdẽ nominis, vt conscius ductus est: aliique congregati sunt ex diuersis ciuitatibus multi, qui atrocium criminum ponderibus vrgebantur. Iamque lituis* cladum concrepãtibus internarum, non celate (vt antea) turbidum sæuiebat ingenium a veri consideratione detortum: & nullo impositorum vel compositorum fidem solenniter inquirente, nec* discernente a societate noxiorum insontes, velut exturbatum e iudiciis fas omne discessit: & caussarum legitima silente defensione, carnifex rapinarum sequester, & obductio capitum, & bonorum vbique multatio versabatur per orientales prouincias: quas recensere puto nunc opportunum, absque Mesopotamia, digesta quum bella Parthica dicerentur; & AEgypto, quam necessario aliud reieci ad tempus. Superatis Tauri montis verticibus, qui ad solis ortum sublimius attolluntur, Cilicia spatiis porrigitur late distentis, diues bonis omnibus terra: eiusque latere dextro adnexa Isauria, pari sorte vberi palmite viret & frugibus multis; quam mediam nauigabile flumen Calycadnus interscindit. Et hanc quidem præter oppida multa, duæ ciuitates exornant, Seleucia opus Seleuci regis, & Claudiopolis, quã deduxit coloniam Claudius Cæsar: Isauria enim antehac mœniũ potens, olim subuersa vt rebellatrix* internecíua, ægre vestigia claritudinis pristinæ monstrat admodũ pauca: Ciliciã vero, quæ Cydno amne exsultat, Tarsus nobilitat, vrbs perspicabilis: (hanc condidisse Perseus memoratur, Iouis filius & Danaes; vel certe ex AEthiopia profectus Sandan quidam nomine, vir opulentus & nobilis) & Anazarbus, auctoris vocabulũ referens: & [Mopsuhestia, vatis] illius domicilium Mopsi, quem a cõmilitio Argonautarum cũ aureo vellere direpto reducẽ & errore abstractum, delatũ ad Africæ litus mors repentina consumpsit: & ex eo cæspite Punico tecti manes eius heroici, dolorum varietati medentur plerumque sospitales. Hæ duæ prouinciæ bello quondam piratico cateruis mixtæ prædonum, a Seruilio proconsule missæ sub iugũ, factæ sunt vectigales. Et hæ quidem regiones, velut in prominenti terrarum lingua positæ, ab orbe eo monte Amano disparantur. Orientis vero limes in longum protẽtus & rectum, ab Euphratis fluminis ripis adusque supercilia porrigitur Nili, læua Saracenis conterminans gentibus, dextra pelagi fragoribus patens: quam plagã * Nicator Seleucus occupatam auxit magnum in modum, quum post Alexandri Macedonis obitum successorio iure teneret regna Persidis, efficaciæ * impetrabilis rex, vt indicat cognomentum. Abusus enim multitudine hominum, quã tranquillis in rebus diutius rexit, ex agrestibus habitaculis vrbes construxit multis opibus firmas & viribus: quarũ ad præsens pleræq;, licet Græcis nominibus appellentur, quæ iisdem ad arbitrium imposita sunt conditoris, primigenia tamen nomina non amittunt, quæ eis Assyria lingua institutores veteres indiderunt. Et prima post Osdroenam, quam (vt dictum est) ab hac descriptione discreuimus, Comagena nunc Euphratensis clementer adsurgit, Hierapoli, vetere Nino & Samosata ciuitatibus amplis illustris. Dein Syria per spatiosam interpatet diffusa planiciẽ. hãc nobilitat Antiochia, mundo cognita ciui-

ta ciuitas, cui non certauerit alia aduectitiis ita adfluere copiis & internis: & Laodicea, & Apamia, itidemque Seleucia, inde a primis auspiciis florentissimæ. Post hāc accliuis Libano monti Phœnice, regio plena gratiarum & venustatis, vrbibus decorata magnis & pulcbris: in quibus amœnitate celebritateque nominum Tyrus excellit, Sidon, & Berytus; iisdemque pares, Emissa & Damascus, seculis conditæ priscis. Has autem prouincias quas Orontes ambiens amnis, imosque pedes Cassii mōtis illius celsi prætermeans, funditur in Parthenium mare, Cn. Pompeius superato Tigrane, regnis Armeniorum abstractas dicioni Romanæ coniunxit. Vltima Syriarum est Palæstina, per interualla magna protenta, cultis abundans terris & nitidis, & ciuitates habens quasdam egregias, nullam nulli cedentem, sed sibi vicissim velut ad perpendiculum æmulas: Cæsaream, quam ad honorem Octauiani principis exædificauit Herodes; & Eleutheropolim, & Neapolim, itidemque Ascalonem, Gazam & Iuliam, æuo superiore exstructas. In his tractibus nauigerum nusquam visitur flumen, & in locis plurimis aquæ suapte natura calentes emergunt, ad vsus aptæ multiplicium medelarum. Verum has quoque regiones pari sorte Pompeius Iudæis domitis & Hierosolymis captis, in prouinciarum speciem rectori delata iurisdictione formauit. Huic Arabia est conserta, ex alio latere Nabatæis contigua, opima varietate commerciorum, castrisque oppleta validis & castellis; quæ ad repellendos gentium vicinarum excursus, sollicitudo peruigil veterū per opportunos saltus erexit & cautos. Hæc quoq; ciuitates habet inter opida quædam ingentes, Bostram & Gerasam atque Philadelphiam, murorum firmitate cautissimas. Hanc, prouinciæ imposito nomine, rectoreq; attributo, obtemperare legibus nostris Traianus compulit Imperator, incolarum tumore sæpe contuso, quum glorioso marte Mediam vrgeret & Parthos. Cyprum itidem insulam procul a continenti discretam & portuosam, inter municipia crebra vrbes duæ faciunt claram, Salamis & Paphus: altera Iouis delubris, altera Veneris templo insignis. tanta autem tamque multiplici fertilitate abūdat rerum omnium eadem Cyprus, vt nullius externi indigens adminiculi, indigenis viribus, * a fundamento ipso carinæ ad supremos vsq; carbasos, ædificet onerariam nauē, omnibusq; armamentis instructam mari cōmittat. nec piget dicere, auide magis hanc insulam populum Romanum inuasisse quā iuste. Ptolemæo enim rege fœderato nobis & socio, ob ærarii nostri angustias iusso sine vlla culpa proscribi, ideoq; hausto veneno voluntaria morte deleto, & tributaria facta est; & velut hostiles eius exuuiæ classi impositæ, in vrbem aduectæ sunt per Catonem. Nunc repetetur ordo gestorum. Inter has ruinarum varietates, a Nisibi quam tuebatur, accitus, cui nos obsequituros iunxerat imperiale præceptum, dispicere litis exitialis semina cogebatur, abnuens & reclamans adulatorum oblatrantibus turmis; bellicosus sane, milesque semper & militum ductor, sed forensibus iurgiis longe discretus: qui metu sui discriminis anxius, quum accusatores quæsitoresq; * subditiuos sibi consociatos ex iisdē foueis cerneret emergentes, quæ clam palamue agitabantur, occultis Constantiū litteris edocebat, implorans subsidia, quorum metu tumor notissimus Cæsaris exhalaret. Sed cautela nimia in peiores hæserat plagas, vt narrabimus postea, æmulis consarcinantibus insidias graues apud Constantium, cetera medium principem; sed si quid auribus eius huiusmodi quiuis infudisset ignotus, acerbum & implacabilem, & in hoc caussarum titulo dissimilem sui. Proinde die funestis interrogationib. præstituto, imaginarius iudex equitum resedit magister, adhibitis aliis iam quæ essent agenda prædoctis: & adsistebant hinc inde notarii, quid quæsitum esset quidue responsum, cursim ad Cæsarem perferentes. cuius imperio trucis tum a stimulis reginæ, exsertantis aurem subinde per aulæum, nec diluere obiecta permissi, nec defensi periere complures. Primi igitur omnium statuuntur Epigonus & Eusebius, ob nominum gentilitatem oppressi. Prædiximus enim Montium sub ipso viuendi termino, his vocabulis appellatos fabricarum culpasse tribunos, vt adminicula futuræ vltioni pollicitos. & Epigonus quidem amictu tenus philosophus, vt apparuit, prece frustra tentata, sulcatis lateribus mortisque metu admoto, turpi confessione cogitatorum socium, quæ nulla erant, fuisse firmauit, quum nec vidisset quidquam nec audisset, penitus expers forensium rerum: Eusebius vero, obiecta fiden-

tius negasis, suspensus in eodem gradu cunctatus est, latrocinium illud esse, non iudicium, clamans. Quumque pertinacius, vt legum gnarus, accusatorem flagitaret atque solennia, doctus id Cæsar, libertatemque superbiam ratus, tamquam obtrectatorem audacem excarnificari præcepit. qui ita euisceratus vt cruciatib. membra deessent, implorans cælo iustitiam, toruum renidens, fundato pectore mansit immobilis, nec se incusare nec quemquam alium passus: & tamdem nec confessus nec confutatus, cum abiecto consorte pœnali est morte multatus. & ducebatur intrepidus temporum iniquitati insultans, imitatus Zenonem illum veterem Stoicum, qui vt mentiretur quædam, laceratus diutius, auulsam sedibus linguam suam cum cruento sputamine in oculos interrogantis Cyprii regis impegit. Post hæc indumentum regale quærebatur: & ministris fucandæ purpuræ tortis confessisque pectoralem tuniculam sine manicis textam, Maras quidam nomine inductus est, (vt appellant Christiani) diaconus: cuius prolatæ litteræ scriptæ Græco sermone ad Tyrii textrini præpositum: celerari speciem perurgebat; quam autem, non indicabat. deniq; etiam idem vsque ad discrimen vitæ vexatus, nihil fateri compulsus est. Quæstione igitur per multiplices dilatata fortunas, quum ambigerentur quædam, nonnulla leuius actitata cõstaret, post multorum clades Apollinares ambo, pater & filius, in exsilium acti, quũ ad locum Crateras nomine peruenissent, villam scilicet suam, quæ ab Antiochia vicesimo & quarto disiungitur lapide, vt mandatum est, fractis cruribus occiduntur. Post quorum necem nihilo lenius ferociens Gallus, vt leo cadaueribus pastus, multa huiusmodi scrutabatur: quæ singula narrare non refert, ne professionis modum (quod euitandum est) excedamus. Hæc dum oriens diu perferret, cæli reserato tẽpore, Constantius consulatu suo septies, & Cæsaris iterum, egressus Arelate Valentiam petit, in * Gundomadum & Vadomarium fratres Alemannorum reges arma moturus; quorum crebris excursibus vastabantur confines limitibus terræ Gallorum. Dumque ibi diu moratur, commeatus opperiens, quorum translationẽ ex Aquitania verni imbres solito crebriores prohibebant, auctique torrentes, * Herculanus aduenit protector domesticus, Hermogenis ex magistro equitum filius, apud Constantinopolim (vt supra retulimus) populari quõdam turbella discerpti: quo verissime referente quæ Gallus egerat, damnis super præteritis mœrens, & futurorum timore suspensus, angorem animi quamdiu potuit emendabat. Miles tamen interea omnis apud * Cabillona collectus, morarum impatiens sæuiebat, hoc irritatior quod nec subsidia viuendi suppeterent, alimentis nondum ex vsu translatis. Vnde Rufinus ea tempestate præfectus prætorio, ad discrimen trusus est vltimum. Ire enim ipse compellebatur ad militem quem exagitabat inopia simul & feritas, & alioquin coalito more in ordinarias dignitates asperum semper & sæuum; vt satisfaceret, atq; monstraret quã ob caussam annonæ conuectio sit impedita. quod opera cõsulta cogitabatur astute, vt hoc insidiatũ genere * Galli periret auunculus, ne eum vt præpotens acueret ad fiduciam exitiosa cœptantem. Verũ nauata est opera diligens. Eusebius præpositus cubiculi, missus est * Cabillona aurũ secum perferens: quo per turbulentos seditionum * concitores occultius distributo, & tumor cõsenuit militũ, & salus est in tuto locata præfecti. Deinde cibo abunde perlato, castra die prædicto sunt mota. Emensis itaque difficultatibus multis, & niue obrutis callibus pluribus, vbi prope Rauracum ventum est ad supercilia fluminis Rheni, resistente multitudine Alemanna, pontem suspendere nauium compage Romani vi nimia vetabantur, ritu grandinis vndique conuolantibus telis: & quum id impossibile videretur, Imperator cogitationibus magnis attonitus, quid capesseret ambigebat. Ecce autẽ ex improuiso index quidam regionum gnarus aduenit; & mercede accepta, vadosum locum nocte monstrauit, vnde superari potuit flumen. & potuisset, aliorsum intentis hostibus, ni pauci ex eadem gente, quibus erat honoratioris militiæ cura commissa, populares suos hæc per nuntios docuissent occultos, vt quidam existimabant. Infamabat autem hæc suspicio Latinum domesticorum comitem, & Agilonem tribunum stabuli, atque Scudilonem scutariorum rectorem; qui tunc vt dextris suis gestantes remp. colebantur. At barbari, suscepto pro instantium rerum ratione consilio, dirimentibus forte * auspiciis, vel congredi prohibentibus,

auctori-

auctoritate factorum mollito rigore, quo fidentius resistebant, optimates misere delictorum veniam petituros & pacem. Tentis igitur regis vtriusque legatis, & negotio * rectius diu pensato, quum pacem oporteret tribui, quæ iustis conditionibus petebatur, eamque ex re tum fore sententiarum via concinens adprobasset, aduocato in concionem exercitu, Imperator pro tempore pauca dicturus, tribunali adsistens, circumdatus potestatum cœtu celsarum, ad hunc disseruit modum: *Nemo quæso miretur, si post exsudatos labores itinerum longos, congestosque adfatim commeatus, fiducia vestri ductante, barbaricos pagos aduentans, velut mutato repente consilio ad placidiora diuerti. Pro suo enim loco & animo quisque vestrum reputans, id inueniet verum quod* MILES *vbique, licet membris vigentibus firmus, se solum vitamque propriam circumspicit & defendit:* IMPERATOR *vero officiorum, dum æquus omnibus alienæ custos salutis, nihil non ad suspectare tutelam rationes populorum cognoscit, & remedia cuncta quæ status negotiorum admittit, arripere debet alacriter secunda numinis voluntate delata. Vt in breue igitur conferam, & ostendam qua ex causa omnes vos simul adesse volui, commilitones mei fidissimi, accipite æquis auribus quæ succinctius explicabo;* VERITATIS *enim sermo est simplex. Arduos vestræ gloriæ gradus, quos fama per plagarum quoque accolas extremarum diffundit, excellenter accrescens, Alemannorum reges & populi formidantes, per oratores quos videtis, summissis ceruicibus concessionem præteritorū poscunt & patem: quam vt cunctator & cautus vtiliumque monitor, si vestra voluntas adest, tribui debere censeo; multa contemplans. Primo, vt martis ambigua declinentur: dein, vt auxiliatores pro aduersariis adsciscamus, quod pollicentur: tum autem, vt incruenti mitigemus ferocia flatus perniciosos sæpe prouinciis: postremo, id reputantes quod non ille hostis vincitur solus qui cadit in acie pondere armorum oppressus & virium: sed multo tutius etiam tuba tacente, sub iugo mittitur voluntarius, qui sentit expertus, nec fortitudinem in rebelles, nec lenitatem in supplices animos deesse. In summa, tamquam arbitros vos quid suadetis opperior, vt princeps tranquillus temperanter adhibere modū allapsa felicitate decernens. Non enim inertiæ, sed modestiæ humanitatique (mihi credite) hoc quod recte consultum est adsignabitur.* Mox vt dicta finierat, multitudo omnis ad quæ Imperator voluit promptior, laudato consilio, consensit in pacem, ea ratione maxime percita, quod norat expeditionibus crebris, fortunam eius in malis tantum ciuilibus vigilasse: quū autem bella mouerentur externa, accidisse plerumque luctuosa. Icto post hæc fœdere gentium ritu, perfectaque solennitate, Imperator Mediolanum ad hiberna discessit vbi curarum abiectis ponderibus aliis, tamquam nodum & odium difficillimum, Cæsarem conuellere nisu valido cogitabat: eique deliberanti cum proximis clandestinis colloquiis & nocturnis, qua vi quibusue commentis id fieret, antequam effundendis rebus pertinacius incumberet confidentia, acciri molliorib. scriptis per simulationem tractatus publici, minis abiectis, eumdem placuerat Gallum; vt auxilio destitutus, sine vllo interiret obstaculo. Huic sentētiæ versabilium adulatorum refragantibus globis, inter quos erat Arbetio ad insidiandum acer & flagrans; & Eusebius tunc præpositus cubiculi, effusior ad nocendū: id occurrebat, Cæsare discedente Vrsicinum in oriente perniciose relinquendum, si nullus esset qui prohiberet altiora meditaturum. Iisdemq; residui regii accessere spadones; quorum ea tempestate plus habendi cupiditas vltra mortalem modum adolescebat, inter ministeria vitæ secretioris per arcanos susurros nutrimenta fictis criminib. subserentes: qui ponderibus inuidiæ grauioris virum fortissimum opprimebant, subolescere imperio adultos eius filios mussitantes, decore corporum fauorabiles & ætate, per multiplicem armaturæ scientiam agilitatemque membrorum inter quotidiana * proludia exercitos, * consulto consilio cognitos: Gallum suopte ingenio trucem, per suppositos quosdam ad sæua facinora ideo animatum, vt eo digna omnium ordinum detestatione exoso, ad magistri equitum liberos principatus insignia transferantur. Quū hæc taliaque sollicitas eius aures euerberarent, expositas semper huiusmodi rumoribus & patentes, vario animo tumescente, consilio tamdem dato optimum factu elegit: & Vrsicinum primum ad se venire summo eum honore mandauit, ea specie vt pro rerum tunc vrgentium captu disponeretur concordi consilio, quibus virium incrementis Parthicarum gentium arma minantium impetus fran-

gerentur. Et nequid suspicaretur aduersi ventutus, vicarius eius, dum redit, Prosper missus est Comes: acceptisque litteris, & copia rei vehiculariæ data, Mediolanum itineribus properauit magnis. Restabat vt Cæsar post hæc properaret accitus: & abstergendæ caussa suspicionis sororem suam, eius vxorem, Constantius ad se tamdem desideratam venire multis fictisq; blanditiis hortabatur. Quæ licet ambigeret, metuens sæpe cruentum: spe tamen, quod eum lenire poterat vt germanum, profecta, quum Bithyniam introisset, in statione quæ * Cænos Gallicanos appellatur, absumpta est vi febrium repentina. Cuius post obitum maritus contemplans cecidisse fiduciam qua se fultum existimabat, anxia cogitatione quid moliretur hærebat. Inter res enim impeditas & turbidas, ad hoc vnum mentem sollicitam dirigebat, quod Constantius cuncta ad suam sententiam conferens, nec satisfactionem suscipiet aliquam, nec erratis ignoscet: sed, (vt erat in propinquitatis perniciem inclinatior) laqueos ei latenter obtendens, si cepisset incautum, morte multaret. Eo necessitatis adductus, vltimaque, ni vigilasset, operiēs, principem locum, si qua patuisset copia, affectabat: sed perfidia proximorum, ratione bifaria deserebatur, quod eum vt truculentum horrebant & leuem, quodque altiorem Constantii fortunam in discordiis ciuilibus formidabāt. Inter has curarum moles immensas, Imperatoris scripta suscipiebat assidua, monentis orantisque vt ad se veniret, & mente monstrantis obliqua, remp. nec posse diuidi nec debere, sed pro viribus quemque ei ferre suppetias fluctuanti, nimirum Galliarum indicans vastitatem: quibus subserebat non adeo vetus exemplum, quod Diocletiano & eius collegæ, vt apparitores, Cæsares non * resides, sed vltro citroque discurrentes obtemperabant: & in Syria Augusti vehiculum irascentis, per spatium mille passuum fere, pedes antegressus est Galerius purpuratus. Aduenit post multos Scudilo scutariorum tribunus, velamento subagrestis ingenii persuasionis opifex callidus qui eum adulabili sermone seriis admixto, solus omniū proficisci pellexit, vultu adsimulato, sæpius replicando quod flagrantibus votis eum videre frater cuperet patruelis; quod per imprudētiam gestum est, remissurus vt mitis & clemens: participemque eum suæ maiestatis adscitum, vt futurum laborum quoque socium, quos Arctoæ prouinciæ diu fessæ poscebant. Vtque *solent manum iniectantibus fatis hebetari sensus hominum & obtundi*, his illecebris ad meliorum exspectationem erectus, egressusque Antiochia numine læuo ductante, prorsus *ire tendebat de fumo* (vt prouerbium loquitur vetus) *ad flammam*: & ingressus Constantinopolim, tamquam in rebus prosperis & securis, editis equestribus ludis, capiti * Coracis aurigæ imposuit coronā, vt victoris. Quo cognito, Constantius vltra mortalem modum exarsit: ac nequo casu idē Gallus de futuris incertus, agitare quædam conducentia saluti suæ per itinera conaretur, remoti sunt oēs de industria milites agētes in ciuitatibus peruiis. Eoq; tempore Taurus quæstor ad Armeniā missus, confidenter nec appellato eo nec viso transiuit. Venere tamen aliqui iussu Imperatoris, administrationum specie diuersarum, eumdē, ne cōmouere se posset, neue tēraret aliquid occulte, custodituri. inter quos Leontius erat, postea vrbi præfectus vt quæstor: & Lucillianus quasi domesticorū comes, & scutariorum tribunus nomine Bainobaudes. Emensis itaq; longis interuallis & planis, quum Hadrianopolim introisset vrbē Hæmimontanam, * Vscudumā antehac appellatam; fessasq; labore diebus duodecim recreans vires, comperit Thebæas legiones in vicinis opidis hiemantes, consortes suos misisse quosdam, eum vt remaneret promissis fidis hortaturos & firmis: fiducia sui abunde per stationes locat confines: sed obseruante cura peruigili proximorum, nullam dicendi vel audiendi quæ ferebant, furari potuit facultatem. Inde aliis super alias vrgentibus litteris exire, & decem vehiculis publicis, vt præceptum est, vsus, relicto palatio omni præter paucos tori ministros & mensæ, quos * adiunxerat secum, squalore concretus, celerare gradum compellebatur, adigentibus multis; temeritati suæ subinde flebiliter imprecatus, quæ eum iam despectū & vilem arbitrio subdiderat infirmorum. Inter hæc tamen per inducias naturæ conquiescentis, sauciabātur eius sensus circūstridentium terrore laruarū: interfectorumq; cateruę, Domitiano & Montio præuiis, correptū eū, vt existimabat in somnis, vncis furialib. obiectabāt. *Solutis enim corporeis nexibus, animus semper vigēs motib. indefessis,* & cogitationib.*

subiectus

subiectus & curis, quæ mortalium sollicitant mentes, collegit visa nocturna, quas phantasias nos appellamus. Pandente itaque viam fatorum sorte tristissima, qua præstitutum erat eum vita & imperio spoliari, itineribus interiectis per mutationem iumentorum emensis, venit * Petobionem opidum Noricorum: vbi reseratæ sunt insidiarum latebræ oẽs, & Barbatio repẽte apparuit comes, qui sub eo domesticis præfuit, cum Apodemio agente in rebus; milites ducens quos beneficiis suis oppigneratos elegerat Imperator, certus nec præmiis nec miseratione vlla posse deflecti. Iamque non adũbratis fallaciis res agebatur: sed qua palatium est extra muros, armatis omne circumsedit. Ingressusque obscuro iam die, ablatis regiis indumentis, Cæsarem tunica texit & paludamento communi, eum post hæc nihil passurum, velut mandato principis, iurandi crebritate confirmans: & *statim*, inquit, *exsurge.* & inopinum carpento priuato impositum, ad Istriam duxit prope opidum Polam, vbi quondam peremptum Constantini filium accepimus Crispum. Et quum ibi seruaretur artissime, terrore propinquantis exitus iam præsepultus, accurrit Eusebius cubili tunc præpositus, Pentadiusque notarius, & * Mellobaudes armaturarum tribunus, iussu Imperatoris compulsuri eum singillatim docere quam ob caussam quemque apud Antiochiam necatorum iusserat trucidari. Ad quæ Adrasteo pallore perfusus, hactenus voluit loqui, quod plerosque incitante coniuge iugulauerit Constantina, ignorans profecto Alexandrum Magnum vrgenti matri vt occideret quemdam insontem, & dictitanti spe impetrandi postea quæ vellet, eum se per nouem menses vtero portasse prægnantem, ita respondisse prudenter; *Aliam parens optima posce mercedem: Hominis enim salus beneficio nullo pensatur.* Quo comperto, irreuocabili ira princeps percitus & dolore, fiduciam omnem fundandæ securitatis in eodem posuit abolendo. Et misso Sereniano, quem in crimen maiestatis vocatum præstigiis quibusdam absolutum esse monstrauimus; Pentadio quinetiam notario, & Apodemio agente in rebus, eum capitali supplicio destinauit: & ita colligatis manibus, in modum noxii cuiusdam latronis ceruice abscissa, ereptaque vultus & capitis dignitate, cadauer est relictum informe, paulo ante vrbibus & prouinciis formidatum. Sed *vigilauit vtrobique superni numinis æquitas.* Nam & Gallum obitu oppressit crudeli, & non diu postea ambo cruciabili morte absumpti sunt, qui eum, licet nocentem, blandius palpantes, periurus adusque plagas perduxere letales: quorum Scudilo distillatione iecoris pulmones vomitans interiit: Barbatio, qui in eum diu falsa composuerat crimina, quum ex magisterio peditum altius niti quorumdam susurris incusaretur, damnatus, exstincti per fallacias Cæsaris manibus anima in ludibrioso obitu parentauit. Hæc & huiusmodi quædam innumerabilia, vltrix facinorum impiorum, bonorumque præmiatrix, aliquoties operatur ADRASTIA; atque vtinam semper; quã vocabulo duplici etiam NEMESIN appellamus: Ius quoddam sublime numinis efficacis, humanarum mentium opinione lunari circulo superpositum; vel (vt definiunt alii) substantialis tutela, generali potentia partilibus præsidens fatis: quam theologi veteres fingentes Iustitiæ filiam, ex abdita quadam æternitate tradunt omnia despectare terrena. Hæc vt regina caussarum, & arbitra rerum; hæc disceptatrix, vrnã sortium temperat, accidentium vices alternans: voluntatumque nostrarum exorsa interdum alio quam quo contendebant exitu terminans, multiplices actus permutando conuoluit. Eademque necessitatis insolubili retinaculo mortalitatis vinciens fastus tumentes incassum, & incrementorum detrimentorumque momenta versans, vt nouit; nunc erectas mentium ceruices opprimit & eneruat, nunc bonos ab imo suscitans, ad bene viuendum extollit. Pinnas autem ideo illi fabulosa vetustas aptauit, vt adesse velocitate volucri cunctis existimetur: & prætendere gubernaculum dedit, eique subdidit rotam; vt vniuersitatem regere per elementa discurrens omnia non ignoretur. Hoc immaturo interitu, ipse quoque sui pertæsus, excessit e vita, ætatis nono anno atque vigesimo, quum quadriennio imperasset, natus apud Tuscos * in Massa Veternensi, patre Constantio, Constantini fratre Imperatoris; matreque Galla sorore Ruffini & Cerealis, quos trabeæ consulares nobilitarunt, & præfecturæ prouinciarum: forma conspicuus bona, decente filo corporis, membrorumque recta compage; flauo capillo & molli barba, licet recens emergente

lanugine teneras per genas; ita tamen vt maturius auctoritas emineret: tantum a temperatis moribus Iuliani differens fratris, quantum inter Vespasiani filios fuit Domitianum & Titum. Assumptus autem in amplissimum fortunæ fastigium, versabiles eius motus expertus est, qui ludunt mortalitatem; nunc euehentes quosdam in sidera, nunc ad Cocyti profunda mergentes. cuius rei quum innumera sint exempla, pauca tactu summo transcurram. Hæc fortuna mutabilis & inconstans fecit Agathoclem Siculum ex figulo regem; & Dionysium, gentium quondam terrorem, Corinthi literario ludo præfecit. Hæc Adramyttenum Andriscum in *fullonia natum, ob Pseudophilippi nomen euexit: & Persei legitimum filium artem ferrariam ob quærendum docuit victum. Eadem Mancinum *post imperium Numantinis summa atrocitate, Veturium & Claudium Corsis substrauit, feritati Carthaginis Regulum: istius iniquitate Pompeius, post quæsitum Magni ex rerum gestarum amplitudine cognomentum, ad spadonum libidinem in AEgypto trucidatur. & Eunus quidam ergastularius seruus, ductauit in Sicilia fugitiuos. Quam splendido loco multi nati, eadem rerum domina conniuente, Viriati genua sunt amplexi vel Spartaci? quot capita quæ horruere gentes, funesti carnifices absciderunt? Alter in vincula ducitur, alter insperatæ præficitur potestati; alius a summo culmine dignitatis excutitur. Quæ omnia si scire quisquam velit quam varia sint & adsidua, arenarum numerum idem iam desipiens, & montium pondera scrutari *poterit.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER DECIMVSQVINTVS.

*VT CVMQVE potuimus veritatem scrutari, quæque videre nõ licuit per ætatem, vel perplexe interrogando versatos in medio scire, narrauimus, ordine casuum exposito diuersorum: residua quæ sequuturus aperiet textus, pro virium captu limatius absoluemus; nihil obtrectatores longi (vt putant) operis formidantes. Tũc enim laudanda est breuitas quum moras rumpens intempestiuas, nihil subtrahit cognitioni iustorum. Nondum apud Noricũ exuto penitus Gallo, Apodemius, quoad vixerat igneus turbarum incentor, raptos eius *calceos vehens equorũ permutatione veloci, vt nimietate cogendi quosdã exstingueret, præcursorius index Mediolanum aduenit: ingressusq; regiam, ante pedes proiecit Constantii, velut spolia regis occisi Parthorum. & perlato nuntio repentino, docente rem insperatam & arduam, ad sententiam totam facilitate completam, hi qui summam aulam tenebant, omni placendi studio in adulationem ex more collato, virtutem felicitatemque Imperatoris extollebant in cælum: cuius nutu in modum gregariorum militum, licet diuersis temporibus, duo exauctorati sunt principes, Veteranio nimirum & Gallus. Quo ille studio blanditiarum exquisito sublatus, immunemque se deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter existimans, confestim a iustitia declinauit ita intemperanter, vt æternitatem eam aliquoties asseteret, & ipse dictãdo scribendoq; propria manu Orbis totius se dominũ appellaret; quod dicentibus aliis, indignanter admodum ferre deberet is qui ad æmulationem ciuiliũ principũ vitã formare motesq; suos, vt prædicabat, diligentia laborabat enixa. Namque etiamsi mundorum infinitates Democriti regeret, quos Anaxarcho incitante magnus somniabat Alexander, id reputasset legens vel audiens, quod (vt docent mathematici concinentes) ambitus terræ totius, quæ nobis videtur immensa, ad magnitudinem vniuersitatis, instar breuis obtinet puncti. Iamque post *horrendam deleti Cæsaris cladem, sonante periculorum iudicialium turba, in crimen læsæ maiestatis arcessebatur Vrsicinus, adolescente magis magisque contra eius salutem liuore omnibus bonis infesto. Hac enim superabatur difficultate, quod ad suscipiendas defensiones æquas & probabiles Imperatoris

toris aures occlusæ, patebant susurris insidiantium clandestinis: qui Constantii nomine pro orientis tractus omnes abolito, antedictum ducem domi fonsque desiderari, vt formidolosum Persicæ genti, fingebant. Sed contra accidentia vir magnanimus stabat immobilis, ne se proiiceret abiectius cauens, *parum tuto loco innocentiam stare* medullitus gemens, hocque vno tristior quod amici ante hæc frequentes, ad potiores desciuerant; vt ad successores officiorum more poscente solent transire lictores. Impugnabat autem eum per fictæ benignitatis illecebras collega, & virum fortem propalam sæpe appellans Arbetio; ad innectendas letales insidias vitæ simplici perquam callens, & ea tempestate nimium potens. Vt enim subterraneus serpens foramen subsidens occultum, adsultu subito singulos transitores obseruans incessit: ita ille addens etiam potestati lędendi militiæ munus, nec læsus aliquando nec lacessitus, inexplebili quodam lædendi proposito conscientiam polluebat. Cogitur, paucis arcanorum præfectis consciis, latenter cum Imperatore sententiam retegere. [Id] sederat, vt nocte ventura procul a conspectu militarium raptus Vrsicinus, indemnatus occideretur, vt quondam Domitius Corbulo dicitur cæsus in colluuione illa Neroniani seculi, prouinciarum fidus defensor & cautus. Quibus ita compositis, quum ad hoc destinati prædictum tempus opperirentur, consilio in lenitudinem flexo, facinus impium ad deliberationem secundam differri præceptum est. Indeque ad Iulianum recens perductum calumniarum vertitur machina, memorabilem postea principem, gemino crimine (vt iniquitas æstimabat) implicitum; quod a *Marcelli fundo in Cappadocia posito, ad Asiam demigrarat liberaliū desiderio doctrinarum, & per Constantinopolim transeuntem viderat fratrem. Qui quum obiecta dilueret, ostenderetque neutrum sine iussu fecisse, nefando adsentatorum cœtu vrgente perisset, ni aspiratione superni numinis, Eusebia suffragante regina, ductus ad Comum opidum, Mediolano vicinum; ibique paulisper moratus, *pro colendi ingenii caussa, vt cupidine flagrauit, ad Græciam ire permissus esset. Nec defuere deinceps ex his emergentia casibus, quæ displiceret secundis auibus contigisse, dum punirentur ex iure, vel tamquam irrita diffluebant & vana. Sed accidebat nonnumquam vt opulenti pulsantes præsidia potiorum, iisdemque tamquam ederæ celsis arboribus adhærentes, absolutionē pretiis mercarentur immensis: tenues vero, quibus exiguæ res erant ad tuendam salutem aut nullæ, damnabantur abrupte. Idcoq; & veritas mendaciis velabatur, & valuere pro veris aliquoties falsa. Perductus est iisdem diebus & Gorgonius, cui erat thalami Cæsariani cura commissa: quumque eum ausorum fuisse participem concitoremque interdum ex confesso pateret, conspiratione spadonum, iustitia concinnatis mendaciis obumbrata, periculo euolutus abscessit. Hæc dum Mediolani aguntur, militarium cateruæ ab oriente perductæ sunt Aquileiam, cum aulicis pluribus, membris inter catenas fluentibus, spiritū trahentes exiguum, viuendique moras per ærumnas detestati multiplices. Arcessebantur enim ministri fuisse Galli ferocientis; perque eos Domitianus discerptus credebatur, & Montius & alii post eos acti in exitium præceps. ad quos *audiendos Arbora missus est, & Eusebius cubiculi tunc præpositus, ambo incōsideratæ iactantiæ, iniusti pariter & cruenti: qui nulla perspicacitate, sine innocentium sontiumque differentia, alios verberibus vel tormentis afflictos exsulari pœna damnarunt; quosdam ad infimam trusere militiam, residuos capitalibus addixere suppliciis. Impletisque funerum bustis, reuersi velut ouantes gesta retulerunt ad principem, erga hęc & similia palam obstinatum & grauem. Vehementius hinc & deinde Constantius, quasi præscriptum fatorum ordinem conuulsurus, recluso pectore patebat insidiantibus multis. vnde rumorum aucupes subito exstitere complures, honorum vertices ipsos ferinis morsibus adpetentes: postea que pauperes & diuites indiscrete, non, vt *Cibyratæ illi Verrini, tribunal vnius legati lambentes, sed reipubl. membra totius per incidentia mala vexantes. Inter quos facile Paulus & Mercurius eminebant: hic, origine Persa; ille, natus in Dacia: notarius *hic, ille minister triclinii rationalis. Et Paulo quidem (vt relatum est supra) *Catena* inditum est cognomentum, eo quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis, tetra venena ferens, varieque disperdens, vt in colluctationibus calce tenere quidam solent

artifices palestritæ. Mercurius solēniorum appellatus comes, quod vt clam mordax canis interno vitio summissus, agitans caudam, epulis cœtibusque se crebris inserés, si per quietem quisquam, vbi fusius natura vagatur, vidisse aliquid amico narrasset, id venenatis artibus coloratum in peius, patulis Imperatoris auribus infundebat: & ob hoc homo tamquam inexplicabili obnoxius culpæ, graui mole criminis pulsabatur. Hæc augente vulgatius fama, tantum aberat vt proderet quisquam visa nocturna, vt ægre homines dormisse sese præsentibus faterentur externis: mœrebantque docti quidam quod apud Atlanteos nati non essent, vbi memorantur somnia non videri: quod vnde eueniat, rerum scientissimis relinquamus. Inter has quæstionum suppliciorumque species diras, in Illyrico exorta alia clades, ad multorum pericula ex verborum inanitate progressa. In prouincia Africani Pannoniæ secundæ rectoris, apud Sirmium poculis amplioribus madefacti quidam, arbitrum adesse nullum existimantes, licenter imperium præsens vt molestissimum incusabant: e quibus alii optatam permutationem temporum aduentare veluti e præsagiis affirmabant: nonnulli maiorum auguria sibi portendi incogitabili dementia promittebant. E quorum numero Gaudentius magnis in rebus mente præcipiti stolidus, rem vt seriam detulerat ad Rufinum apparitionis præfecturæ prætorianæ tunc principem, vltimorum semper auidum hominem, & coalita prauitate famosum. qui cōfestim, quasi pinnis* alatus, ad comitatum principis aduolauit: cumque, ad suspiciones huiusmodi mollem & penetrabilem, ita acriter inflammauit, vt sine deliberatione vlla Africanus, & omnes letalis mensæ participes, iuberentur sublimes tolli. Quo facto delator funestus, veria ex more humano validius cupiens, bienno id quod agebat, vt postularat, continuare præceptus est. Missus igitur ad eos corripiendos Teutomeres protector domesticus cum collega, onustos omnes catenis, vt mandatum est, perducebat. Sed vbi ventum est Aquileiam, Marinus ex campiductore eo tempore vacans, auctor perniciosi sermonis, & alioquin natura feruentis, in taberna relictus, dum parantur itineri necessaria, lateri cultrum casu repertum impegit; statimque extractis vitalibus interiit. Residui ducti Mediolanū, excruciatique tormentis, & confessi vi quæstionis, inter epulas petulanter se quædam loquutos, iussi sunt retineri pœnalibus claustris sub absolutionis aliqua spe, licet incerta. Protectores vero, pronuntiati vertere solum exsilio, vt Marino iisdem consciis mori permisso, veniam Arbetione meruere precante. Re hoc modo finita, paulo post & Lentiensibus Alemannicis pagis indictum est bellum, collimitia sæpe Romana latius irrumpentibus. Ad quem procinctum Imperator egressus, in Rhætias camposque venit *Caninos: & digestis diu consiliis, id visum est honestum & vtile omnibus, vt eo cum militis parte Arbetio magister equitum, cum validiore exercitus manu relegens margines lacus Brigantiæ pergeret, protinus barbaris* congressuris: cuius loci figuram breuiter, quantum ratio patitur, designabo. Inter montiū celsorum anfractus impulsu immani Rhenus discurrens extenditur per Lepontios, perque deciduas cataractas inclinatione pernici funditur vt Nilus, torrente ab ortu protinus primogenio copiis aquarum proprius irruenti cursu simplici. iamque adiutus niuibus liquatis ac solutis, altaque diuortia riparum adradens, lacum inuadit rotundum & vastum, quem Brigantiam accola* Rhætus appellat, perque quadringenta & sexaginta stadia longum, parique pene spatio late diffusum, horrore siluarum squalentium inaccessum, (nisi qua vetus illa Romana virtus & sobria iter composuit* latum) barbaris & natura locorum & cæli inclementia refragante. Hanc ergo paludem spumosis strependo verticibus amnis irrumpens, & vndarum quietem permeans pigram, mediam velut finali intersecat libramento: & tamquam elementum perenni discordia separatum, nec aucto nec imminuto agmine quod intulit, vocabulo & viribus absoluitur integris; nec contagia deinde vlla perpetiens, oceani gurgitibus intimatur. quodque est impendio mirum, nec stagnum aquarum rapido transcursu mouetur, nec limosa subluuie tardatur properans flumen, & confusum misceri non potest corpus: quod ni ita agi ipse doceret aspectus, nulla vi credebatur posse discerni. Sic Alpheus oriens in Arcadia, cupidine fontis Arethusæ captus, scindens Ionium mare, vt fabulæ ferunt, adusque amatæ confinia progreditur.

greditur. Arbetio, qui aduentus barbarorum nuntiarent non exspectans dum adessent, licet sciret aspera orsa bellorum, in occultas delatus insidias, veluti immobilis malo repentino perculsus est. Interea visi e latebris hostes exsiliunt, & sine aliqua intermissione, quidquid offendi poterat, telorum genere multiplici configebant. Nec enim resistere nostrorum quisquam potuit, nec aliud vitæ subsidiũ, nisi discessu sperare veloci. Quocirca vulneribus declinandis intenti, incomposito agmine milites huc & illuc dispalantes terga ferienda dederunt. Plerique tamen per angustas semitas spatii, periculoque præsidio tenebrosæ noctis extracti, reuoluta iam luce redintegratis viribus, agmini quisque proprio sese consociauit. In quo casu ita tristi & inopino abundans numerus armatorum, & tribuni desiderati sunt decem. ob quæ Alemanni sublatis animis, ferocius incidentes quotidie prope munimenta Romana, adimente matutina nebula lucem, strictis mucronibus discurrebant, frendendo minas tumidas intentantes. Egressique repente scutarii, quum obiectu turmarum hostiliũ repercussi stetissent, omnes suos conspirantibus animis ciebant ad pugnam. Verum quum plerosque recentis ærumnæ documenta terrerent, & in tuto fore reliqua credens hęreret Arbetio, tres simul exsiluere tribuni; Arintheus, agens vicem armaturarum rectoris; * & Seniaucbus, qui equestrem turmam comitum tuebatur; & Bappo, ducens promotos, cum commissis sibi a principe. Vrgebat caussa communis, vel ut propria, vim cunctis afferentibus veterum exemplo accolarum fluminis: hostibusque superfusi, non iusto prœlio, sed discursionibus prædatoriis, vniuersos in fugam coegere fœdissimam. qui dispersi laxatis ordinibus, dumque elabi properant, impediti, corpora nudantes intecta, gladiorum hastarumque densis ictibus truncabantur. multique cum equis interfecti, iacentes etiam tum eorum dorsis videbantur innixi. quo viso omnes e castris effusi, qui prodire in prœlium cum sociis ambigebant, cauendi immemores, proterebant barbaram plebem, nisi quos fuga exemerat mortis; calcantes cadauerum strues, perfusi sanie peremptorum. Hocque exitu prœlio terminato, Imperator Mediolanum ad hiberna ouans reuertit & lætus. Exoritur iam hinc rebus afflictis, haud dispari prouinciarum malo, calamitatum turbo nouarum, destructurus omnia simul, ni fortuna moderatrix humanorum casuum, motum euentu celeri consummasset impendio formidatum. Quum diuturna incuria Galliæ cædes acerbas rapinasque & incendia, barbaris licenter grassantibus, nullo iuuante perferrent, Siluanus pedestris militiæ rector iratus, & efficax ad hæc corrigenda, primum * ipsis superuenit, Arbetione id maturari modis quibus poterat adigente, vt absenti æmulo, quem quietum superesse adhuc grauabatur, periculosæ molis onus impingeret. * Actuarius sarcinalium principis iumentorum, commẽdatitias ab eo petierat ad amicos; vt quasi familiaris eiusdem esset notissimus. Hoc impetrato, quum ille nihil suspicans simpliciter præstitisset, seruabat epistolas, vt perniciosum aliquid in tempore moliretur. Memorato itaque duce Gallias ex republ. * discursante barbarosque propellẽte, iam sibi diffidentes & trepidantes, idem Dynamius inquietius agens, vt versutus & in fallendo exercitatus, fraudem cõminiscitur impiam, subornatore & conscio (vt iactauere rumores incerti) Lampadio præfecto, & Eusebio ex comite rei priuatæ, cui cognomentum erat inditum Mattiocopæ, atque AEdesio ex magistro memoriæ; quos ad consulatum, vt amicos iunctissimos, idem curarat subrogari præfectus: & peniculo serie litterarum abstersa, sola incolumi relicta * subscriptione, alter multum a vero illo dissonans superscribitur textus: velut Siluano rogante verbis obliquis, hortanteque amicos agentes intra palatium, vel priuatos, inter quos & Tuscus erat Albinus, aliique plures, vt se altiora cœptantem, & propediem solium principis aditurum, iuuarent. Hunc fascem ad arbitrium figmenti cõmisit, vitã pulsaturus insontis. Dynamius præfectus est, vt hæc pro Imperatore scrutaretur. Hæc & similia quum astu texeret, consistoriũ solus ingressus intimũ; captato tẽpore vincire sperans peruigilẽ salutis imperatoriæ custodẽ. Lectaq; in consistorio astu callido consarcinata materia, tribuni iussi sunt custodiri, & de prouinciis duci priuati, quorũ epistolę nomina designabãt. Cõfestimq; iniquitate rei percitus Malarichus gentiliũ rector, collegis adhibitis strepebat immaniter, circũueniri homines dicatos imperio ꝑ factiones & dolos minime debere proclamãs, petebat-

que vt ipse, relictis obsidum loco necessitudinibus suis, * Mallobaude armaturarum tribuno spondente quod remearet velocius, iuberetur ire ducturus Siluanum, aggredi nihil tale conatum quale insidiatores acerrimi concitarunt: vel contra, se paria promittente, Mallobaudem orabat properare permitti, hæc quæ ipse pollicitus est impleturum. Testabatur enim id se proculdubio scire, quod si quis mitteretur externus, suopte ingenio Siluanus, etiam nulla re perterrente timidior, composita forte turbaret. Et quamqnam vtilia moneret & necessaria, ventis tamen loquebatur incassum. Namque Arbetione auctore, Apodemius ad eum vocandum cum litteris mittitur, inimicus bonorum omnium diuturnus & grauis: qui * incidens principi in Galliis, diffidens a mandatis conuentis quæ proficiscenti sunt data, nec viso Siluano, nec oblatis scriptis vt veniret admonito, remansit: adscitoq; rationali quasi proscripti iamq; necandi magistri peditum, clientes & seruos hostili tumore vexabat. Inter hæc tamen dum præsentia Siluani speratur, & Apodemius quieta perturbat, Dynamius vt argumento validiore impie structotum assereret fidem, compositas litteras, his concinentes quas obtulerat principi per præfectum, ad tribunum miserat fabricæ Cremonensis nomine Siluani & Malarichi, a quibus, vt arcanorum conscius, monebatur parare propere cuncta. Qui quũ hæc legisset, herens & ambigens diu quidnã id esset, (nec enim meminerat secum aliquando super negotio vllo interiore, hos quorũ litteras acceperat, colloquutos) epistolas ipsas per baiulum qui portarat, iũcto milite ad Malarichum misit, obsecrans vt doceret aperte quæ vellet, nõ ita perplexe: nec enim intellexisse firmabat, vt subagrestem & simplicẽ, quid significatum esset obscurius. Hæc Malarichus subito nactus, etiam tunc squalens & mœstus, suamque & popularis Siluani vicem grauiter ingemiscens, adhibitis Francis, quorũ ea tempestate in palatio multitudo florebat, erectius iam loquebatur tumultuabaturque, * factis insidiis, retectaque iam fallacia, per quã ex confesso salus eorũ appetebatur. Hisq; cognitis statuit Imperator, dispicientibus * consistorianis & militaribus vniuersis in negotiũ * præterinquiri. Quumq; iudices fastidissent, Florentius Nigriani filius, agens tunc pro magistro officiorum, contemplans diligentius scripta, apicumque pristinorum reliquias quasdã reperiens, animaduertit, tum factum ex priore textu * interpolato longe alium quam dictarat Siluanus ex libidine consarcinatæ falsitatis adscriptum. Proinde fallaciarũ nube discussa, Imperator doctus gesta relatione fideli, abrogata potestate, præfectum statui sub quæstione pręcipit: sed absolutus est enixa cõspiratione multorũ: suspensus autẽ Eusebius ex comite priuatarũ, se conscio hæc dixerat concitata. AEdesius enim, * nescisse quid actum sit pertinaci infitiatione contẽdens, abiit innoxius. & ita finito negotio, omnes sunt absoluti, quos exhiberi delatio compulit criminis. Dynamius vero, vt præclaris artibus illustratus, cum correctoris * dignitate abiit: nec non corrigere iussus est Tuscus reliquam principis creduli militiam. Agens inter hæc apud Agrippinam Siluanus assiduisque suorum compertis nuntiis, quæ Apodemius in labem suarum ageret fortunarum, & sciens animum tenerum versabilis principis in dicta caussa; timens ne absens & indemnatus perageretur reus, in difficultate positus maxima, barbaricæ se fidei committere cogitabat. Sed * Laniogaiso vetante, tunc tribuno, quem, dum militaret candidatus, solum adfuisse morituro Constanti supra scripsimus, docenteque, Francos, vnde oriebatur, interfecturos eum, aut accepto præmio prodituros, nihil tutum ex præsentibus ratus, in consilia cogebatur extrema: & sensim cum * principiorum verticibus * secretius colloquutus, iisdẽq; magnitudine promissæ mercedis * annisis, cultu purpureo, draconum & vexillorum insignibus ad tempus abstracto, ad culmen imperiale surrexit. Dumque hæc aguntur in Galliis, ad occasum inclinato iam die, perfertur Mediolanum insperabilis nuntius, aperte Siluanum demonstrans, dum ex * magistro peditum altius nititur, sollicitato exercitu ad augustum culmen euectum. Hac mole casus inopini Constantio icto, quasi fulmine fati, primates * consilio secunda vigilia conuocato properarunt omnes in regiam. Quumque nulli ad eligendum quid agi deberet, mens suppetere posset aut lingua, summissis verbis * fit Vrsicini mentio, vt consiliis rei bellicæ præstantissimi, frustraque graui iniuria lacessiti: & per admissionum magistrum, qui mos est honoratior, accito eodem, ingresso

consisto-

consistorium * offertur purpura: atque ita ante principis pedes supplicem statuerunt, externorum regum ritu: quum semper antea ad similitudinem iudicum salutatos principes legerimus. Ita is qui paulo antea cum * insectatione maleuola, orientis vorago, inuadendæque summæ rei per filios affectator compellabatur, tunc dux prudẽtissimus, & Constantini Magni fuerat commilito, solusque ad exstinguendum probis quidem, sed insidiosis rationib. petebatur. Diligens enim opera nauabatur Siluanum exstingui, vt fortissimum perduellem: aut, si secus accidisset, Vrsicinum exulceratum iam penitus aboleri, ne superesset scrupulus impendio formidandus. Igitur quum de profectione celeranda disponeretur, propulsationem obiectorum criminum eumdem ducem patantem prægressus oratione leni prohibet Imperator, non id esse memorãs tempus vt controuersa defensio caussæ susciperetur; quum vicissim restitui in pristinam concordiam partes necessitas subigeret vrgentium rerum, antequam cresceret, mollienda. Habita igitur deliberatione multiplici, potissimum tractabatur quo commento Siluanus gesta etiam tum Imperatorem ignorare existimaret: probabili argumento ad firmandam fidem reperto, monetur honorificis scriptis, vt accepto Vrsicino successore, cum potestate rediret intacta. Post hæc ita digesta protinus iubetur exire tribunus: * & protectores domesticos decem, vt postularat, ad iuuandas necessitates publicas secum duxit: inter quos ego quoque eram cum * Veriniano collega; residui omnes propinqui & familiares. Iamque eum egressum solum, de se metu quisque per longa spatia deducebat. Et quamquam vt bestiarii obiiceremur intractabilibus feris: perpendentes tamen hoc bonum babere tristia præcedentia, quod in locis suis secunda substituunt, mirabamur illam sententiam Tullianam, ex * æternis veritatis ipsius adytis promulgatam, quæ est talis; *Et quamquam optatissimum est perpetuo fortunam quam florentissimam permanere: illa tamẽ * qualitas vitæ non tantum habet sensum, quantũ quum ex sæuis & perditis rebus ad meliorem statum fortuna reuocatur.* Festinamus itaq; itineribus magnis, vt ambitiosus magister armorum ante allapsum per Italicos de tyrannide vllum rumorem, in suspectis finibus appareret. Verum cursim nos properantes erratica quædam anteuolans prodiderat fama: & Agrippinam ingressi, inuenimus cuncta nostris conatibus altiora. Namque conuena vndique multitudine trepide cœpta fundante, coactisque copiis multis, pro statu rei præsentis id aptius videbatur, vt ad imperatoris nouelli, per ludibriosa auspicia virium accessus firmantis, sensum ac voluntatem dux flebilis verteretur; quo variis assentandi figmentis in mollius vrgente securitate, nihil metuens hostile deciperetur. Cuius rei finis arduus videbatur. Erat enim cautius obseruandum vt appetitus opportunitati obtemperarent, nec præcurrentes eam nec deserentes: qui si eluxissent intempestiue, constabat nos omnes sub elogio vno morte multandos. Susceptus tamen idem dux leniter, adactusque, inclinante negotio ipso ceruices, adorare solenniter anhelantem celsius purpuram, * specialius colebatur: & intimus facilitate aditus honoreque mensæ regalis adeo antepositus aliis, vt iam secretius de rerum summa consultaretur. AEgre ferebat Siluanus, ad consulatũ potestatesque sublimes elatis indignis, se & Vrsicinum solos post exsudatos magnos pro rep. labores & crebros, ita fuisse despectos, vt ipse quidem per quæstiones familiariũ sub * disceptatione ignobili crudeliter agitatus, commisisse in maiestatem arcesseretur: alter vero ab oriente raptus, odiis inimicorum * addiceretur: & hoc assidue clã querebatur & palã. Terrebant nos tamẽ, quum dicerentur hæc & similia, circumfrementia vndiq; murmura caussantis inopiam militis, & rapida celeritate ardentis angustias Alpium perrumpere Cottiarum. In hoc æstu mentis ancipiti, ad effectum tendens consilium occulta scrutabamur indagine: sederatq; tãdem, mutatis præ timore sæpe sententiis, vt quæsitis magna industria cautis ministris, obstricto religionum cõsecratione colloquio, Braccan sollicitarentur atque Cornuti, fluxioris fidei, & vbertate mercedis ad momentum omne versabiles. Firmato itaque negotio, per sequestres quosdã gregarios, obscuritate ipsa ad id patrandũ idoneos, præmiorũ exspectatione accensos, solis ortu iam rutilo, subitus armatorũ globus erumpit: atq; (vt solet in dubiis rebus) audẽnor cæsis custodib. regia penetrata, Siluanum extractũ ædicula, quo exanimatus confugerat, ad conuenticulum ritus Christiani tendentẽ,

densis gladiorum ictibus trucidant. Ita dux* haud exsilium meritorum, hoc genere oppetit mortis, metu calumniarum, quibus factione iniquorũ irretitus est absens; vt tueri possit salutem, ad præsidia progressus extrema. Licet enim ob tempestiuam illam cum armaturis proditionem ante* Mursense prœlium, obligatum gratia retineret Constantium; vt dubium tamen & mutabilem verebatur: licet patris quoque *Bonini prætenderet fortia facta, Franci quidem, sed pro Constantini partibus in bello ciuili acriter contra Licinianos sæpe versati. Euenerat autem, antequam huiusmodi aliquid agitaretur in Galliis, vt Romæ in circo maximo populus, incertum ratione quadam percitus an præsagio, *Siluanus deuictus est*, magnis vocibus exclamaret. Igitur Siluano Agrippinæ (vt relatum est) interfecto, inæstimabili gaudio re cognita, princeps insolentia coalitus & tumore, hoc quoque felicitatis suæ prosperis cursibus adsignabat: eo more quo semper oderat fortiter facientes, vt quondam Domitianus; superare tamen quacumque arte contraria cupiebat. Tantumque abfuit laudare industrie gesta, vt etiam quædam scriberet de Gallicanis intercepta thesauris, quos nemo attigerat. Idque scrutari iusserat arctius, interrogato Remigio etiam tum rationario apparitionis armorum magistri: cui multo postea Valentiniani temporibus laqueus vitam in caussa Tripolitanæ legationis rupit. Post quæ ita completa, Constantius, vt iam cælo contiguus, casibusque imperaturus humanis, magniloquẽtia fastuque sufflabatur adulatorum: quos augebat ipse, spernendo proiiciendoque id genus parum callentes: vt Crœsum. legimus ideo regno suo Solonem expulisse præcipitem, quia blandiri nesciebat; & Dionysium intentasse poetæ Philoxeno mortem, quũ eum recitantem proprios versus absurdos & inconcinnos laudantibus cunctis, solus audiret immobilis: quæ res perniciosa vitiorum est altrix. *Ea demum enim laus grata esse potestati debet excelsæ, quum interdum & vituperationi secus gestorum patet locus.* Iamque post securitatem quæstiones agitabantur de more; ex vinculis catenisque plures vt noxii plectebantur. Exsurgebat enim efferuẽs lætitia Paulus, tartareus ille delator, ad venenatas artes suas licentius exercendas: & inquirentibus in negotium consistorianis atque militaribus, vt præceptum est, Proculus admouetur eculeo, Siluani domesticus, homo gracilis & morbosus; metuentibus cunctis ne vi nimia tormentorum leui corpore fatigato, reos atrocium criminum promiscue citari faceret multos. verum contra quam spetatum est contigit. Memor enim somnii quo vetitus erat per quietem (vt ipse firmauit) pulsare * quemquam insontem, vsque ad confinia mortis vexatus, nec nominauit nec prodidit aliquem: sed adserebat factũ Siluani constanter; id eum cogitasse quod iniit, non cupiditate sed necessitate compulsum, argumento euidenti demonstrans. Caussam enim probabilem ponebat in medio, multorum testimoniis claram, quod die quinto antequam infulas susciperet principatus, donatum stipendio militem Constantii nomine adloquutus est, fortis esset & fidus. Vnde apparebat, quod si præsumere fortunæ superioris insignia conaretur, auri tam graue pondus * expenderet vt suum. Post hunc damnatorum sorte Pœmenius raptus ad supplicium interiit: qui (vt supra retulimus) quum *Treuiri ciuitatem Cæsari clausissent Decentio, ad defendendam plebem electus est. Tum Asclepiodotus & Lutto & Maudio Comites interempti sunt, aliique plures. Hæc & similia perplexe temporis obstitatione scrutante, dum has exitiorum communium clades suscitat turbo feralis, vrbem æternam Leontius regens, multa spectati iudicis documenta præbebat; in audiendo celer, in disceptando iustissimus, natura beneuolus; licet auctoritatis caussa seruandæ, acer quibusdam videbatur; & inclinatior ad amandum. Prima igitur ars seditionis in eum concitandæ vilissima fuit & leuis. Philoromum enim aurigam rapi præceptum, sequuta plebs omnis, velut defensura proprium pignus, terribili impetu præfectum incessebat vt timidum: sed ille stabilis & erectus, immissis apparitoribus correptos aliquot vexatosque tormentis, nec strepente vllo nec obsistente, insulari pœna multauit. Diebusque paucis sequutis, quum itidem plebs excita calore quo consueuit, vini caussando inopiam, ad *Septizonium conuenisset, celebrem locum, vbi operis ambitiosi Nymphæum Marcus condidit Imperator, illuc de industria pergens præfectus, ab omni toga apparitioneque rogabatur enixius, ne in multitudinem se arrogantem immitteret, & minacem

minacem ex commotione pristina sæuientem: difficilisque ad pauorem recti tetendit; adeo vt eum obsequentium pars desereret, licet in periculum festinantem abruptum. Insidens itaque vehiculo cum speciosa fiducia contuebatur acribus oculis tumultuantium vndique cuneorum, veluti serpentium, vultus * perpessusque multa dici probrosa, agnitum quemdam inter alios eminentem, vasti corporis, rutilique capilli, interrogauit an ipse esset Petrus Valuomeres (vt audierat) cognomento: eumque, quum esse sono respondisset obiurgatorio, vt seditiosorum antesignanum olim sibi compertum, reclamantibus multis, post terga manibus vinctis suspendi præcepit. Quo viso sublimi, tribuniumque adiumentum nequidquam implorante, vulgus omne paulo ante confertum, per varia vrbis membra diffusum ita euanuit, vt turbarum acerrimus concitor, tamquam in iudiciali secreto exaratis lateribus, ad Picenum eiiceretur: vbi postea ausus eripere virginis non obscuræ pudorem, Patruini consulari sententia supplicio ob id capitali addictus. Hoc administrante Leontio, * Liberius Christianæ legis antistes a Constantio ad comitatum mitti præceptus est, tamquam Imperatoris iussis & plurimorum sui consortium decretis obsistens in re quam breui textu percurram. Athanasium episcopum, eo tempore apud Alexandriam vltra professionem altius se efferentem, sciscitarique conatum externa, vt prodidere rumores adsidui, cœtus in vnum * quæsitus eiusdem loci multorum (synodus, vt appellant) remouit a sacramento quod obtinebat. Dicebatur enim fatidicarum sortium fidem, quæue augurales portenderent alites, scientissime callens, aliquoties prædixisse futura. Super his intendebantur ei alia quoque a proposito legis abhorrentia cui præsidebat. Hunc per subscriptionem abiicere sede sacerdotali, paria sentiens ceteris, iubente principe Liberius monitus, perseueranter renitebatur; *nec visum hominem nec auditum damnare nefas vltimum* sæpe exclamans; aperte scilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille, Athanasio semper infestus, licet sciret impletum; tamen auctoritate qua potiuntur æternæ vrbis episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti. Quo non impetrato, Liberius ægre, populi metu qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit asportari. Et hæc quidem Romæ (vt ostendit textus superior) agebantur. Constantium vero exagitabant assidui nuntii, deploratas iam Gallias indicantes, nullo renitente ad internecionem barbaris vastantibus vniuersa. Æstuansque diu qua vi propulsaret ærumnas, ipse in Italia residens, vt cupiebat, (periculosum enim existimabat se in partem contrudere longe dimotam) reperit tandem consilium rectum: & IVLIANVM patruelem fratrem, haud ita dudum ab Achaia contractum accitu, etiam tum palliatum, in societatem imperii adsciscere cogitabat. Id vbi vrgente malorum impendentium mole est confessus proximis, succumbere tot necessitatibus tamque crebris vnum se (quod numquam fecerat) aperte demonstrans: illi in adsentationem nimiam eruditi infatuabant hominē, nihil esse ita asperum dictitantes quod præpotens eius virtus fortunaque tam vicina sideribus, non superaret ex more. addebantque, noxarum cōscientia stimulante complures, deinceps caueri debere Cæsaris nomen, replicantes gesta sub Gallo. Quîs adnitentibus obstinate, opponebat se sola regina, incertum migrationem ad longinqua pertimescens, an pro natiua prudentia consulens in commune, omnibusque memorans anteponi debere propinquum. Post multaque per deliberationes ambiguas actitata, sterit fixa sententia: abiectisque disputationibus irritis, ad imperium placuit Iulianum adsumere. Quum venisset accitus prædicto die, aduocato omni quod aderat commilitio, tribunali ad altiorem suggestum erecto, quod aquilæ circumdederunt & signa, augustius * inscendens, eumque manu retinens dextera, hæc sermone placido perorauit: *Adsistimus apud vos, optimi reip. defensores, caussæ communi vno pene omnium spiritu vindicandæ; quam acturus tamquam apud æquos iudices succinctius edocebo. Post interitum rebellium tyrannorum, quos ad hæc tentanda quæ mouerunt, rabies egit & furor, velut impiis eorum manibus Romano sanguine parentantes, * insultant barbari Gallias rupta limitum pace; hac animati fiducia quod nos per disiunctissimas terras ardua necessitates adstringunt. Huic igitur malo vltra opposita iam proserpenti, dum patitur tempus, si occurrerit nostri vestrique consulti suffragium, & colla superbarum gentium detumescent, & imperii fines erunt intacti. Restat vt rerum*

spem quam gero, secundo roboretis effectu. IVLIANVM *hunc, fratrem meum patruelem, vt nostis, verecundia, qua nobis ita vt necessitudine carus est, recte spectatum, tamque elucentis industriæ iuuenem, in Cæsaris adhibere potestatem exopto; cœptis, si videntur vtilia, etiam vestra concessione firmandis.* Dicere super his plura conantem interpellans concio lenius prohibebat; arbitrium summi *Iouis id esse, non mentis humanæ; velut præscia venturi prædicans. Stansque Imperator immobilis, dum silerent, residua fidentius explicauit. *Quia igitur vestrum quoque fauorem adesse fremitus indicat lætus, adulescens vigoris tranquilli, cuius temperati mores imitandi sunt potius quam prædicandi, ad honorem properatum exsurgat: cuius præclaram indolem bonis artibus institutam hoc ipso plene videor exposuisse quod elegi. Ego eum, præsente nutu Dei cœlestis, amictu principali velabo.* Dixit, moxque indutum auita purpura Iulianum, & Cæsarem cum exercitus gaudio declaratum, his alloquitur contractiore vultu submœstum: *Recepisti primæuus originis tuæ splendidum florem, amantissime mihi omnium frater: aucta gloria mea confiteor, qui iustus in deferenda superiori potestate nobilitati mihi propinquæ, quam ipsa potestate videor esse sublimis. Adesto igitur laborum periculorumque particeps, & tutelam ministerii suscipe Galliarum, omni beneficentia partes leuaturus adflictas. & si hostibus congredi sit necesse, fixo gradu consiste inter signiferos ipsos, audendi in tempore consideratus hortator, pugnantes accendens præeundo cautissime, turbatosque subsidiis fulciens, modeste increpans desides, verissimus testis adfuturus industriis & ignauis. Proin vrgente rei magnitudine, perge vir fortis ducturus viros itidem fortes. Aderimus nobis vicissim amoris robusta constantia: militabimus simul, vna orbem pacatum (Deus modo velit quod oramus) pari moderatione pietateque recturi. Mecum vbique videberis præsens, & ego tibi quodcumque acturo non deero. Ad summa mihi propera socius omnium votis, velut assignatam tibi ab ipsa rep. stationem cura peruigili defensurus.* Nemo post hæc finita reticuit: sed militares omnes horrendo fragore scuta genibus illidentes (quod est prosperitatis indicium plenum: nam contra, quum hastis clypei feriuntur, iræ documentum est & doloris) immane quo quantoque gaudio præter paucos Augusti probauere iudicium: Cæsaremque admiratione digna suscipiebant, imperatorii muricis fulgore flagrantem: cuius oculos cum venustate terribiles, vultumq. excitatius gratum, multum diuque contuentes, qui futurus sit colligebant, velut scrutatis veteribus libris, quorum lectio *per corporum signa pandit animarum interna.* Eumque vt potiori reuerentia seruaretur, nec supra modum laudabant, nec infra quam decebat: atque ideo censorum voces sunt æstimatæ, non militum. susceptus denique ad consessum vehiculi, receptusque in regiam, hunc versum ex Homerico carmine susurrabat, *Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή. Hæc die octauo iduum Nouemb. gesta sunt,
1107 quum Arbetionem consulem annus haberet & Lollianum. Deinde diebus paucis Helena virgine Constantii sorore, eidem Cæsari coniugali fœdere copulata, paratisq; vniuersis quæ maturitas proficiscendi poscebat, comitatu paruo suscepto, calend. Decembrib. egressus est: deductusq. ab Augusto adusque locum duabus columnis insignem, qui Laumellũ interiacet & Ticinum, itineribus rectis Taurinos peruenit. Vbi nuntio percellitur graui, qui nuper in comitatum Augusti perlatus, de industria silebatur, ne parata diffluerent. Indicabat autem, Coloniam Agrippinam ampli nominis vrbem in secunda Germania, pertinaci barbarorũ obsidione reseratam, & magnis viribus deletam. Quo mœrore perculsus, velut primo aduentantium malorum auspicio, murmurans querulis vocibus sæpe audiebatur, nihil se plus assequutum quam vt occupatior interiret. Quumque Viennam venisset, ingredientem optatum quidem & *imperatorem honorifice susceptura omnis ætas concurrebat & dignitas: proculque visum plebs vniuersa cum vicinitate finitima Imperatorem clementem appellans & faustum, præuia consonis laudibus celebrabat, auidius pompam regiam in principe legitimo cernens: communiumque remedium ærumnarum in eius locabat aduentu, salutarem quemdam genium adfulsisse conclamans, nec secius arbitrata. Tunc anus quædã orbata luminibus, quum percontãdo quinam esset ingressus, Iulianum Cęsarẽ cõperisset, exclamauit hũc deorũ templa reparaturũ. Proinde quoniam (vt Mantuanus vates prædixit excelsus) maius opus moueo, maiorq. mihi rerũ nascitur ordo, Galliarũ tractus & sitũ ostẽdere puto nunc tẽpestiuũ, ne inter pcinctus

vrgentes

vrgentes præliorumque varios casus ignota quibusdam expediens, imitari videatur desides nauticos, adrrita lintea cum rudentibus, quæ licuit parari securius, inter fluctus resarcire coactos & tempestates. Ambigentes super origine prima Gallorum scriptores veteres, notitiam reliquere negotii semiplenam. sed postea Timagenes, & diligentia Græcus & lingua, quæ diu sunt ignorata, collegit ex multiplicibus libris: cuius fidem sequuti, obscuritate dimota, eadem distincte docebimus & aperte. *Aborigines* primos in his regionibus quidam visos esse firmarunt, *Celtas* nomine regis amabilis, & matris eius vocabulo *Galatas* dictos: ita enim Gallos sermo Græcus appellat. Alii Dorienses, antiquiorem sequutos Herculem, Oceani locos inhabitasse confines *Drasidæ memorant reuera fuisse populi partem indigenam: sed alios quoque ab insulis extimis confluxisse *& tractibus Transrhenanis, crebritate bellorum, & alluuione feruidi maris sedibus suis expulsos. Aiunt quidam, paucos post excidium Troiæ, fugitantes Græcos vbique dispersos, loca hæc occupasse tunc vacua. Regionum autem incolæ id magis omnibus adseuerant, (quod etiam nos legimus in monumentis eorum incisum) Amphitryonis filium Herculem ad Geryonis & Taurisci sæuorum tyrannorum perniciem festinasse; quorum alter Hispanias, alter Gallias infestabat: superansque ambobus coisse cum generosis fœminis, suscepisseque liberos plures; & eos partes quibus imperitabant, suis nominibus appellasse. A Phocæa vero Asiaticus populus, Harpali inclementiam vitans Cyri regis præfecti, Italiam nauigio petiit. cuius pars in Lucania Veliam, alia condidit in Viennensi Massiliam. Dein sequutis ætatibus opida aucta virium copia, instituere non pauca: sed declinanda varietas sæpe satietati cōiuncta. Per hæc loci hominibus paulatim excultis viguere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos & *Eubages & Druidas. Et Bardi quidem fortia virorum illustrium facta, heroicis composita versibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt: *Eubages vero, scrutantes summa & sublimia naturæ, pandere conabantur. Inter hos Druidæ, ingeniis celsiores, vt auctoritas Pythagoræ decreuit, sodalitiis adstricti consortiis, quæstionibus occultarum rerum altarumque erecti sunt; & despectantes humana, pronuntiarunt animas immortales. Hanc Galliarum plagam ob suggestus mōtium arduos, & horrore niuali semper obductos, orbis residui incolis antehac pene ignotam, nisi qua litoribus est vicina, munimina claudunt vndique natura velut arte circumdata. & a latere quidem australi Tyrrheno alluitur & Gallico mari: qua cæleste suspicit plaustrū, a feris gentibus fluētis distinguitur Rheni: vbi occidentali subiecta est sideri, Oceano & altitudine Pyrenęi: vnde ad solis ortus *attollitur, aggeribus cedit Alpium Cottiarū: quas rex Cottius perdomitis Gallis, solus in angustiis latens, inuiaque locorum asperitate confisus, lenito tandem *tumore in amicitiam Octauiani receptus principis, molibus magnis exstruxit ad vicem memorabilis muneris compendiarias & viantibus opportunas, medias inter alias Alpes vetustas, super quibus comperta paulo postea referemus. In his Alpibus Cottiis, quarum initium a *Segusione opido est, præcelsum erigitur iugum, nulli fere sine discrimine penetrabile. Est enim e Galliis venientibus prona humilitate deuexum, pendentium saxorum altrinsecus visu terribile, præsertim verno tempore: quum liquente gelu niuibusque solutis flatu calidiore ventorum, per diruptas vtrimque angustias, & lacunas pruinarum congerie latebrosas, descendentes cunctantibus plantis homines & iumenta procidunt & carpenta: idque remedium ad arcendum exitium repertum solum, quod pleraque vehicula vastis funibus illigata, pone cohibente virorum vel boum nisu valido, vix gressu reptante paulo tutius deuoluuntur. Et hæc (vt diximus) anni verno contingunt. Hieme vero humus crustata frigoribus & tamquam læuigata, ideoq; labilis, incessum præcipitantem impellit, & patulæ valles per spatia plana glacie perfidæ vorant nonnumquam transeuntes. ob quæ locorum callidi, eminentes ligneos stylos per cautiora loca defigunt, vt eorum series viatorem ducat innoxium: qui si niuibus operti latuerint, montanis defluentibus riuis euersi, agrestibus præuiis difficile peruaduntur. A summitate autem huius Italici cliui, planicies adusque stationem nomine Martis, per septem extenditur millia. & hinc alia celsitudo erectior, ægreq; superabilis ad Matronæ porrigitur verticem; cuius vocabulum casus fœminæ nobilis dedit. Vnde decliue quidem iter, sed

expeditius adusque castellum Virgantiam patet. Huius sepulcrum reguli, quem itinera struxisse retulimus, Segusione est mœnibus proximum: manesque eius ratione gemina religione coluntur; quod iusto moderamine rexerat suos; & adscitus in societatem rei Romanæ, quietem genti præstitit sempiternam. Et licet hęc quam diximus, via media sit, & compendiaria magisque celebris, tamen etiam aliæ multo antea temporibus sunt cōstructę diuersis. Primam *Thebanus Hercules ad Geryonem exstinguendum (vt relatum est) & Tauriscum lenius gradiēs, prope maritimas composuit Alpes. hicque harum nomen indidit. Monœci similiter arcem & portum ad perennem sui memoriam consecrauit. Deinde emensis postea seculis multis, hac ex caussa sunt Alpes excogitatę *Pœninę. Superioris Africani pater P. Cornelius Scipio, Saguntinis memorabilibus ærumnis & fide, pertinaci destinatione Afrorum obsessis, iturus auxilio in Hispaniam, traduxit onustam manu valida classem. sed ciuitate potiore marte deleta, Annibalem assequi nequiens, triduo ante transito Rhodano ad Italiæ partes contendentem, nauigatione veloci intercurso spatio maris haud longo, digressurum mōtibus apud Genuam obseruabat Liguriæ opidum; vt cum eo (si copiam fors dedisset) viarum asperitate fatigato decerneret in planicie cōsulens tamen rei communi, Cn. Scipionem fratrem ire monuit in Hispanias, vt Asdrubalem exinde similiter erupturum arceret. quæ Annibal doctus a perfugis, vt erat expeditę mentis & callidę, Tauritus ducentibus accolis, per Tricassinos & oram Vocontiorum extremā ad saltus Tricorios venit. Indeq; exorsus, aliud iter antehac insuperabile fecit: excisaque rupe in immensum elata, quam cremando vi magna flammarum aceroq; infuso *dissoluit, per Druentiam flumen gurgitibus vagis intortum regiones occupauit Hetruscas. Hactenus super Alpibus; nunc ad restantia veniamus. Temporibus priscis, quum laterent hæ partes vt barbaræ, tripartitæ fuisse creduntur, in Celtas (eosdem Gallos) diuisæ, & Aquitanos, & Belgas, lingua, institutis legibusq; discrepantes. Et *Gallos* quidem, qui sunt Celtæ, ab *Aquitanis* Garumna disterminat flumen, a Pyrenæis oriens collibus, postque opida multa transcursa in oceano delitescens. A *Belgis* vero eamdem gentem Matrona discindit & Sequana, amnes magnitudinis geminæ: qui fluentes per Lugdunensem, post circumclausum ambitu insulari Parisiorum castellum, Lutetiam nomine, consociatim meant: meantesq; protinus prope castra Constantia funduntur in mare. Horum omnium apud veteres Belgę dicebantur esse fortissimi, ea propter quod ab humaniore cultu lōge discreti, nec aduentitiis effœminati deliciis, diu cum Transrhenanis certauere Germanis. Aquitani enim, ad quorū litora, vt proxima placidaq;, merces aduentitiæ conuehuntur, moribus ad mollitiem lapsis, facile in ditionem venere Romanam. Regebantur autem Galliæ omnes, iam inde vt crebritate bellorū vrgenti cessere Iulio dictatori, potestate in partes diuisa quatuor. quarum Narbonensis vna, Viennensem intra se cōtinebat & Lugdunensem: altera, Aquitanis præerat vniuersis: superiorem & inferiorem Germaniam Belgasq; duæ iurisdictiones iisdem rexere temporibus. At nunc numerantur prouinciæ per omnem ambitū Galliarum: secunda Germania, prima ab occidentali exordiens cardine, Agrippina & Tungris munita, ciuitatibus amplis & copiosis. dein prima Germania; vbi præter alia municipia Magontiacus est, & Vangiones & Nemetes, & Argentoratus barbaricis cladibus nota. Post has Belgica prima Mediomatricos prętendit & *Treuiros domicilium principum clarum. Huic adnexa est secunda Belgica; qua Ambiani sunt vrbs inter alias eminens, & *Cathelauni & Remi. apud Sequanos Bisonnios vidimus & Rauracos, aliis potiores opidis multis. Lugdunensem primam Lugdunus ornat, & Cabillones, & Senones, & Biturigæ, & mœnium Augustuduni magnitudo vetusta. Secundam enim Lugdunensem Rothomagi, & Turini *Mediolanum ostendunt: & Tricassini, *Alpes Graiæ & Pœninæ, exceptis obscurioribus habent & Auenticum, desertam quidem ciuitatem, sed non ignobilem quondam, vt ædificia semiruta nunc quoque demonstrant. Hæ prouinciæ vrbesque sunt splendidæ Galliarū. In Aquitania, quæ Pyrenæos montes & eam partē spectat oceani quæ pertinet ad Hispanos, prima prouincia est Aquitanica, amplitudine ciuitatum admodū culta: omissis aliis multis, Burdegala & Aruerni excellunt, & Santones, & Pictaui. Nouem populos Ausci commendant & Vasatæ. In Narbonensi clusa est Narbona & Tolosa,

Tolosa, quæ principatum vrbium tenent. Viennensis ciuitatum exsultat decore multarum; quibus potiores sunt Vienna ipsa, & Arelate & Valentia: quibus Massilia iungitur, cuius societate & viribus in discriminibus arduis fultam aliquoties legimus Romam. His prope * Salluuii sunt, & Nicæa & Antipolis, insulæque Stœchades. Et quoniam ad has partes opere contexto peruenimus, silere super Rhodano maximi nominis flumine incongruum est & absurdum. * A Pœninis Alpibus effusiore copia fontium Rhodanus fluens, & procliui impetu ad planiora digrediens, proprio agmine ripas occultat, & paludi sese ingurgitat nomine Lemano, eamq; intermeans, nusquam aquis miscetur externis: sed altrinsecus summitates vndæ præterlabens segniores, quæritans exitus, viam sibi impetu veloci molitur. Vnde sine iactura rerum per densa paludium fertur, & Sequanos, longeque progressus Viennensem latere sinistro perstringit, dextro Lugdunensem: & emensus spatia flectuosa, Ararim, quem Sauconnam appellant, inter Germaniam primam fluentem, suum in nomen adsciscit. qui locus exordium est Galliarum. Exinde non millenis passibus, sed * leucis itinera metiuntur: vbi auctus Rhodanus aquis aduenis locupletior, vehit grandissimas naues, ventorum flatu iactari sæpius assuetas. finitusque inter valles, quas ei natura præscripsit, spumeus Gallico mari concorporatur per patulum sinum, quem vocant Adgradus, ab Arelate octauodecimo ferme lapide disparatum. Sit satis de situ locorum. nunc figuras & mores hominum designabo. Celsioris staturæ & candidi pene Galli sunt omnes & rutili, luminumque toruitate terribiles; auidi iurgiorum, & sublatius insolescentes. Nec enim eorum quemquam, adhibita vxore rixantem, multo fortiore & glauca, peregrinorum ferre poterit globus; tum maxime quum illa inflata ceruice suffrendens, ponderansque niueas vlnas & vastas, admixtis calcibus emittere cœperit pugnos, vt catapultas tortilibus neruis excussas. Metuendæ voces complurium & minaces, placatorum iuxta & irascentium. Tersi tamen pari diligentia cuncti & mundi; nec in tractibus illis, maximeque apud Aquitaniam, poterit videri vel fœmina, licet perquam pauper, vt alibi, frustis squalere pannorum. Ad militandum omnis ætas aptissima. & pari pectoris robore senex ad procinctum ducitur, & adultus, gelu duratis artubus & labore assiduo, multa contempturus & formidanda: nec eorum aliquando quisquam, vt in Italia, munus martium pertimescens pollicem sibi præcidit; quos localiter *murcos* appellant. Vini auidum genus, adfectans ad vini similitudinem multiplices potus: & inter eos humiles quidam obtusis ebrietate continua sensibus (quam furoris voluntariam speciem esse Catoniana sententia definiuit) raptantur discursibus vagis: vt verum illud videatur quod ait defendens Fonteium Tullius, Gallos post hæc dilutius esse poturos; quod illi venenum esse arbitrabantur. Hæ regiones, præcipue quæ confines Italicis, paulatim leuius odere sub imperium venire Romanum: primo tentatæ per Fuluium, deinde prœliis paruis quassatæ per Sextium; ad vltimum per Fabium Maximum domitæ; cui negotii plenius effectus, asperiore Allobrogum gente deuicta, hoc indidit cognomentum. Nam omnes Gallias, nisi quæ paludibus inuiæ fuere, vt Sallustio docetur auctore, post decennalis belli mutuas clades, Cæsar societati nostræ fœderibus iunxit æternis. Euectus sum longius; sed remeabo tandem ad cœpta. Domitiano crudeli morte cōsumpto, * Musonianus successor orientem prætoriani regebat potestate præfecti, facundia sermonis vtriusque clarus: vnde sublimius quam sperabatur eluxit. Constantinus enim quum limatius superstitionum quæreret sectas, Manichæorum & similium, nec interpres inueniretur idoneus, hunc sibi commendatum, vt sufficientem, elegit: quem officio functum perite Musonianum voluit appellari, ante Strategium dictitatum: & ex eo percursis honorum gradibus multis, ascendit ad præfecturam; prudens alias tolerabilisque prouinciis, & mitis & blandus; sed ex qualibet occasione, maximeque ex controuersis litibus, (quod nefandum est) & in totum luctandi auiditate sordescens, vt inter alia multa euidenter apparuit in quæstionibus agitatis super morte Theophili Syriæ consularis, ob proditionem Cæsaris Galli impetu plebis promiscuæ discerpti: vbi damnans pauperibus, quos quum hæc agerentur peregre constabat fuisse, auctores diri facinoris exuti patrimoniis, absoluti sunt diuites. Hunc Prosper adæquabat, pro magistro equitum agente etiam tum in Galliis mili-

tem regens, abiecte ignauus, & (vt ait Comicus) arte despecta furtorum rapiens propalam. Quis concordantibus, mutuaque commercia vicissim sibi conciliando locupletatis, Persici duces vicini fluminibus, rege in vltimis terrarum suarum terminis occupato, per prædatorios globos nostra vexabant, nunc Armeniam, aliquoties Mesopotamiam confidentius incursantes, Romanis ductoribus ad colligendas obeuntium exuuias occupatis.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIBER DECIMVSSEXTVS.

1108 HÆc per orbem Romanum fatorum ordine contexto versante, Cæsar apud Viennam in collegium fastorum a consule octies Augusto adscitus, vrgente genuino vigore, pugnatum fragores cædesque barbaricas somniabat; colligere prouinciæ fragmenta iam parans, si adfuisset flatu tandem secundo. Quia igitur res magnæ quas per Gallias virtute felicitateque correxit, multis veterum factis fortibus præstant, singula serie progrediente monstrabo; instrumẽta omnia mediocris ingenii si suffecerint, commoturus. Quidquid autem narrabitur, quod non falsitas arguta concinnat, sed fides integra rerum absoluit, documentis euidentibus fulta, ad laudatiuam pene materiem pertinebit. Videtur enim lex quædam vitæ melioris hunc iuuenem a mobilibus cunis, adusque spiritũ comitata supremum. Namque incrementis velocibus ita domi forisque colluxit, vt prudentia Vespasiani filius Titus alter æstimaretur. bellorum gloriosis cursibus Traiani simillimus; clemens vt Antoninus; rectæ perfectæque rationis indagine congruens Marco, ad cuius æmulationem actus effingebat & mores. Et* quoniam (vt Tulliana docet auctoritas) *omnium magnarum artium sicut arborum altitudo nos delectat, radices stirpesque non item*: sic præclaræ huius indolis rudimenta tunc multis obnubilantibus tegebantur, quæ anteferri gestis eius postea multis & miris hac ratione deberent, quod adolescens primæuus vt Erechtheus in secessu Mineruæ nutritus, ex academiæ quietis vmbraculis, non e militari tabernaculo in puluerem martium tractus, strata Germania pacatisq; rigentis Rheni *motibus, cruenta spirantium regum hîc sanguinem fudit, alibi manibus catenas affixit. Agens itaque negotiosam hiemem apud opidum ante dictum inter rumores qui volitabant adsidui, comperit Augustuduni ciuitatis antiquæ muros, spaciosi quidem ambitus, sed carie vetustatis inualidos, barbarorũ impetu repentino insessos, torpente præsentium militum manu veteranos concursatione peruigili defendisse, vt *solet abrupta sæpe discrimina salutis vltima desperatio propulsare*. Nihil itaque remittentibus curis, ancillari adulatione posthabita, qua eum proximi ad amœnitatem flectebant & luxum, satis omnibus comparatis VIII Cal. Iulias Augustudunum peruenit, velut dux diuturnus, viribus eminẽs & cõsiliis, per diuersa palãtes barbaros; vbi dedisset fors copiam, aggressurus. Habita itaque deliberatione, adsistentibus locorum peritis quodnam iter eligeretur vt tutum, multa vltro citroq; dicebantur, aliis per Arborosam, quibusdam per *sedes Leucorum iri debere firmantibus. sed quum subsererent quidam, Siluanum paulo ante magistrum peditum, per compendiosas vias, verum suspectas, (quia tenebris multis vmbrantur) cum VIII auxiliarium millibus ægre transisse, fidentius Cæsar audaciam viri fortis imitari magnopere nitebatur cunctis viribus. Et ne qua interueniret mora, adhibitis cataphractis solis & balistariis, parum ad tuendum rectorem idoneis, percurso eodem itinere, * Autosidorum peruenit: vbi breui (sicut solebat) otio cum milite recreatus, ad Tricassinos tendebat: & barbaros in se cateruatim ruentes, partim quum timeret vt ampliores, confertis lateribus obseruabat, alios occupatis habilibus locis decursu facili proterens, nonnullos pauore traditos cepit; residuos in curam celeritatis omne quod poterant conferentes, quia sequi nõ valebat grauitate præpeditus armorũ, innocuos abire perpessus est. Proinde certiori iam spe ad resistendum ingruentibus confirmatus, per multa discri-

mina

mina venerat * Tricassas, adeo insperatus vt eo portas pene pulsante, diffusæ multitudinis barbaræ metu aditus vrbis non sine anxia panderetur ambage: & paulisper moratus, dum fatigato consulit militi, ciuitatem Remos, nihil prolatandum existimans, petit: vbi in vnum congregatum exercitum * Vesuntii iusserat oppetiri præsentiam suam: cui præsidebat Vrsicini successor Marcellus, & ipse Vrsicinus adusque expeditionis finem agere præceptus iisdem in locis. Post variaras itaque sententias plures, quum placuisset per decem pagos Alemannam adgredi plebem, densatis agminibus tendebat illuc solito alacrior miles: & quia dies humectus & decolor vel contiguum eripiebat aspectum, iuuante locorum gnaritate, hostes tramite obliquo discurso post Cæsaris terga, legiones duas arma cogentes adorti pene delessent, ni subito concitus clamor sociorum auxilia * coegisset. Hinc & deinde nec itinera nec flumina transire posse sine insidiis putans, erat prouidus & cunctator: quod præcipuum bonũ in magnis ductoribus, opem ferre solet exercitibus & salutem. Audiens itaque Argentoratum, Brotomagum, *Tabernas, *Salisonem, Nemetas, & Vangionas, & Magontiacum ciuitates barbaros possidentes, territoria eorum habitare, (nam ipsa opida vt circumdata retibus lustra declinant) primam omnium Brotomagum occupauit: eique iam aduentanti Germanorum manus pugnam intentans occurrit. Quumque in bicornem figuram acie diuisa collato pede res agi cœpisset, exitioq; hostes vrgerentur ancipiti, captis nonnullis, aliis in ipso prœlii furore truncatis, residui discessere celeritatis præsidio tecti Nullo itaque posthac repugnãte, ad recuperandam ire placuit Agrippinam, ante Cæsaris in Gallias aduentum excisam; per quos tractus nec ciuitas vlla visitur, nec castellum: nisi quod apud Confluentes locũ ita cognominatum, vbi amnis Mosella cõfunditur Rheno, *Rigodulum opidum est, & vna prope ipsam Coloniam turris. Igitur Agrippinam ingressus, non ante motus est exinde quam Francorum regibus furore mitescente perterritis, pacem reip. firmaret interim profuturam, & vrbem reciperet munitissimam. Quibus vincendi primitiis lætus, per Treueros hiematurus apud Senonas, opidum tunc oportunum, abscessit. vbi bellorum inundantium molem humeris suis (quod dicitur) vehens, scindebatur in multiplices curas: vt milites quia solitis desciuere præsidiis, * reducerentur ad loca suspecta, & conspiratas gentes in noxam Romani nominis disiectaret, ac præuideret ne alimenta deessent exercitui per varia discursuro. Hæc sollicite perpensantem, hostilis aggreditur multitudo opidi capiundi spe in maius accensa: ideo confidentes quod nec scutarios adesse prodentibus perfugis didicerant, nec gentiles, per municipia distributos, vt commodius vescerentur. Clausa ergo vrbe, murorumque in tuta parte firmata, ipse cum armatis diu noctuque inter propugnacula visebatur & pinnas, ira exundante substridens, quum erumpere sæpe conatus, paucitate præsentis manus impediretur. Post tricesimum denique diem abiere barbari tristes, inaniter stulteque cogitasse ciuitatis obsidium mussitantes. & (quod indignitati rerum est adsignandum) periclitanti Cæsari distulit suppetias ferre Marcellus magister equitum, agens in stationibus proximis: quum, etiam si ciuitas absque principe vexaretur, opposita multitudine malis obsidionalibus expediri deberet. Hoc metu solutus efficacissimus Cæsar, prouidebat constanti sollicitudine vt militum diuturno labori quies succederet aliqua, licet breuis, ad recreandas tamen sufficiens vires: quamquam vltima squalentes inopia terræ sæpe * vastatæ exigua quædam victui congrua suggerebant. Verum hoc quoque diligentia curato peruigili, affusa lætiore spe prosperorum, sublato animo ad exsequenda plurima consurgebat. Primum igitur factuque difficile, temperantiam ipse sibi indixit atque retinuit, tamquam adstrictus sumptuariis legibus viueret: quas ex rhetris Lycurgi, id est axonibus Romam translatas, diuque obseruatas & senescentes, paulatim reparauit Sylla dictator; reputans ex prædictis Democriti, quod *ambitiosam mensam fortuna, parcam virtus adponit.* Id enim etiam Tusculanus Cato prudenter definiens, cui Censorii cognomentum castior vita indidit, *Cultus magna*, inquit, *cura tibi, magna virtutis incuria*. Deniq; quum legeret libellũ adsidue, quẽ Constantius vt priuignũ ad studiũ mittens, manu sua cõscripserat, prælicenter disponens quid in cõuiuio Cęsaris impẽdi deberet, phasianũ & vuluã & sumẽ exigi vetuit & inferri, munificis militis vili & fortuito cibo cõtẽtus. Hinc

contingebat vt noctes ad officia diuideret tripartita, quietis, & publicæ rei, & musarum; quod factitasse Alexandrum legimus Magnum; sed multo hic fortius. Ille namque ænea concha supposita, brachio extra cubile protento pilam tenebat argenteam; vt cum neruorum rigorem sopor laxasset infusus, gestaminis lapsi tinnitus abrumperet somnum. Iulianus vero absque instrumento quoties voluit euigilauit: & nocte dimidiata semper exsurgens, non e plumis vel stragulis sericis ambiguo fulgore nitentibus, sed ex tapete & *sisyra, quam vulgaris simplicitas *susurnam* appellat, occulte Mercurio supplicabat; quem mundi velociorem sensum esse, motum mentium suscitantem, theologicæ prodidere doctrinæ: atque in tanto rerum defectu *explorate curabat. Post quæ vt ardua & seria terminata, ad procudendum ingenium vertebatur: & incredibile quo & quanto ardore rerum principalium notitiam celsam indagans, & quasi pabula quædam animo ad sublimiora scandenti conquirens, per omnia philosophiæ membra prudenter disputando currebat. Sed tamen quum hæc effecte pleneque colligeret, nec humiliora despexit, poeticam mediocriter & rhetoricam, (vt ostendit orationum epistolarumque eius cum grauitate comitas incorrupta) & nostrarum externarumque rerum historiam multiformem. super his aderat Latine quoque disserendi sufficiens sermo. Si itaque verum est quod scriptores varii memorant, Cyrum regem, & *Simonidem lyricum, & Hippiam Eleum sophistarum acerrimum, ideo valuisse memoria quod epotis quibusdam remediis id impetrarunt, credendum est hunc etiam tum adultum totum memoriæ dolium, si vsquam reperiri potuit, exhausisse. Et hæc quidem pudicitiæ virtutumque sunt signa nocturna. De his vero quæ ornate dixit & facete, quæue in apparatu vel in ipsis egit congressibus prœliorum, aut in re ciuili, magnanimitate correxit & libertate, suo quæque loco singula demonstrabuntur. Quum exercere prælудia disciplinæ castrensis philosophus cogeretur vt princeps, artemque modulatius incedendi per pyrricham concinentibus disceret fistulis, vetus illud prouerbium, *Clitellæ boui impositæ sunt, plane non est nostrum onus*, Platonem crebro nominans exclamat. Inductis quadam solennitate agentibus in rebus in consistorium vt aurum acciperent, inter alios quidam ex eorum consortio, non (vt moris est) expansa chlamyde, sed vtraque manu *cauata suscepit. & Imperator, *Rapere*, inquit, *non accipere sciunt agentes in rebus*. Audito a parentibus virgines raptas, eum qui violarat, conuictum relegari decreuit. Hisque indigna pati querentibus, quod non sit morte mulctatus, responderat; *Hactenus incusent iura clementiam, sed Imperatorem mitissimi animi legibus præstare ceteris decet*. Egressurum eum ad expeditionem plures interpellabant, vt læsi: quos audiendos prouinciarum rectoribus commendabat. Et reuersus, quid egerint singuli quærens, delictorum vindictas genuina lenitudine mitigabat. Ad vltimum exceptis victoriis, per quas cadentes sæpe incolumi contumacia barbaros fudit, quod profuerit anhelantibus extrema penuria Gallis, hinc maxime claret, quod primitus partes eas ingressus, pro *capitibus singulis tributi nomine vicenos quinos aureos reperit flagitari: discedens vero, septenos tantum munera vniuersa complentes: ob quę tamquam solem sibi serenum post squalentes tenebras adfulsisse cum alacritate & tripudiis lętabantur. Denique id eum adusque imperii finem & vitæ scimus vtiliter obseruasse, ne per indulgentias quas appellant, tributariæ rei concederet reliqua. Norat enim hoc facto se aliquid locupletibus additurum; quum constet vbique, pauperes inter ipsa *dictorum exordia soluere vniuersa sine laxamento compelli. Inter has tamen regendi moderandique vias, bonis principibus æmulandas, barbarica rabies exarserat in maius. vtque bestiæ custodum negligentia raptu viuere solitæ, ne his quidem remotis & appositis fortioribus abscesserunt; sed tumescentes inedia sine respectu salutis armenta vel greges incursant: ita etiam illi, cunctis quæ diripuere consumptis, fame vrgente agebant aliquoties prædas: interdum antequam contingerent aliquid, oppetebant. Hæc per eum annum spe dubia, euentu tamen secundo, per Gallias agebantur. In comitatu vero Augusti circumlatrabat Arbetionem inuidia; velut summa mox adepturum, decora cultus imperatorii præstruxisse: instabatque ei strepetis immania Comes Verissimus nomine; arguens coram quod a gregario ad magnum militiæ culmen euectus, hoc quoque non contentus vt paruo,

locum

locum appeteret principalem. sed specialiter eum insectabatur Dorus quidam ex medico scutariorum; quem niceteriorum centurionem sub Magnentio Romę prouectum, retulimus accusasse Adelphium vrbi pręfectum vt altiora cœptantē. Quumque res in inquisitionem veniret, necessariisq; negotio tentis, obiectorum probatio speraretur, tamquam * per satyram subito cubiculariis suffragantibus (vt loquebatur pertinax rumor) & vinculis sunt exutæ personæ quæ stringebantur vt conscię, & Dorus euanuit, & Verissimus ilico tacuit, velut aulæo deposito scenæ. Iisdem diebus adlapsorum ore Constantius doctus, obsesso apud Senonas Cæsari auxilium non tulisse Marcellum, eum sacramento solutum abire iussit in larem: qui tamquam iniuria grauì perculsus, quædam in Iulianū moliebatur, auribus Augusti confisus in omne parentibus crimen. Ideoque quum discederet, Eutherius præpositus cubiculi mittitur statim post eum, si quid finxerit conuicturus. Verum ille hoc nesciens, mox venit Mediolanum, strepens & tumultuans (vt erat vanidicus, & amenti propior) admissus in consistorium, Iulianum vt procacem insimulat; iamque ad euagandum altius, validiores sibi pinnas aptare. Ita enim cum motu quodam corporis loquebatur ingenti. Hæc eo fingente licentius, Eutherius vt postulauit inductus, iussusque loqui quod vellet, verecunde & modice docet velari veritatem mendaciis. Magistro enim armorum (vt credebatur) cessante consulto, industria vigili Cæsarem diu obsessum apud Senonas, barbaros repulisse: apparitoremque fidum auctori suo, quoad vixerit, fore, obligata ceruice sua spondebat. Res monuit super hoc eodem Eutherio pauca subserere, forsitan non credenda, ea re quod si Numa Pompilius, vel Socrates bona quædam dicerent de spadone, dictisque religionum adderent fidem, a veritate descíuisse arguerentur. Sed *inter vepres rosæ nascuntur, & inter feras nonnullæ mitescunt.* Itaque carptim præcipua quæ sunt comperta monstrabo. Natus in Armenia sanguine libero, captusque a finitimis hostibus, etiam tum paruulus abstractus, geminis Romanis mercatoribus venumdatus, ad palatium Constantini deducitur. vbi paulatim arte curaque rationem rectè viuendi sollertiamque ostendebat, litteris quantum tali fortunæ satis esse poterat eruditus; cogitandi inueniendique dubia & scrupulosa acumine nimio præstans, immensum quantum memoria vigens, benefaciendi auidus, plenusque iusti consilii: quem si Constans Imperator olim ex adulto spectasset, pluraque tamquam maturum audiret honesta suadentem & recta, nulla, vel venia certe digna, peccasset. Is præpositus cubiculi, etiam Iulianum aliquoties corrigebat, Asiaticis coalitum moribus, ideoque leuem. Denique digressus ad otium, ascitusque postea in palatium, semper sobrius & in primis consistens, ita fidem continentiamque virtutes coluit amplas, vt nec prodidisse aliquando arcanum, nisi tuendæ caussa alienæ salutis, nec exarsisse cupidine plus habendi arcesseretur, vt ceteri. Vnde factum est vt subinde Romam secedens, ibique fixo domicilio consenescens, comitem circumferens conscientiam bonam, colatur a cunctis ordinibus & ametur: quum soleant id genus homines post partas ex iniquitate diuitias, latebras captare secretas, vt lucifugę vitantes multitudinis læsæ conspectus. Cui spadonum veterū hunc comparare debeam, antiquitatem replicando * compluries, inuenire non potui. Fuerunt enim apud veteres, licet oppido pauci fideles & frugi, sed ob quædam vitia maculosi. inter præcipua enim quæ eorum quisque studio possederat vel ingenio, aut rapax, aut feritate contentior fuit, aut propensior ad lædendum, vel diligentibus nimium blandus, aut potentiæ fastu superbior: ex omni latere autem ita peritum, neq; legisse me neq; audisse confiteor, ætatis nostrę testimonio lucupleti confisus. Verum si forte scrupulosus quidam lector antiquitatum, Menophilum Mithridatis Pontici regis eunuchum nobis opponat: hoc monitu recordetur, nihil super eo relatū præter id solum quod in supremo discrimine gloriose monstrauit. Ingenti prœlio superatus a Romanis & Pompeio rex prædictus, fugiensque ad regna Colchorum * auitą, filiam nomine Drepnn, vexatam asperitate * morborū, in castello Sinhorio huic Menophilo commissam reliquit: qui virginem omni remediorū solatio plene curatam patri tutissime seruans, quum a Manlio Prisco imperatoris legato munimentum quo claudebatur obsideri cœpisset, defensoresq; eius deditionē meditātes sentiret, veritus ne parentis opprobrio puella nubilis captiua superesset & violata, interfecta illa, mox

gladium in viscera sua compegit. Nunc redeam vnde diuerti. Superato (vt dixi) Marcello, euersaque Serdica, (vnde oriebatur) in castris Augusti per simulationem tuendæ maiestatis imperatoriæ, multa & nefanda perpetrabantur. Nam siquis super occentu soricis vel occursu mustelæ, vel similis signi gratia consultisset quemquam peritum, aut anile incantamentum ad leniendum adhibuisset dolorem; quod medicinæ quoque admittit auctoritas; reus vnde non poterat opinari delatus, raptusque in iudicium pœnaliter interibat. Per id tempus fertur, fuisse virum quemdam nomine Danum; quem terrore tenus vxor rerum leuium incusarat: certum an incertum reum non libet affirmare: indefensum inde Rufinus eluserat. quo indicante quędam cognita per Gaudentium agentem in rebus consularem Pannonię tunc Africanum, quum * retulissent præfectum apparitionis præfectura prætorianæ. dum etiam princeps ob deuotionem bis, vt loquebantur, iactantius versabilem fœminam post nefandum concubitum periculosam iri fraudem illexit: suasitque consarcinatis mendaciis læsæ maiestatis arcessere maritum insontem, & fingere quod velamen purpureum a Diocletiani sepulcro furatus, quibusdam cõsciis occultabat. Hisque ad multorum exitium ita formatis, ipse spe potiorum ad imperatoris peruolat castra, excitaturus calumnias consuetas. reque comperta iubetur Mauortius tunc præfectus prætorio, vir sublimis constantiæ, crimen acri inquisitione spectare, iuncto ad audiendi societatem Vrsulo largitionum comite, seueritatis itidem non improbandæ. Exaggerato itaque negotio ad arbitrium temporũ, quum nihil post tormenta multorum inueniretur, iudicesque hærerent ambigui, tandem veritas respirauit oppressa; & in abrupto necessitatis mulier Rufinum totius machinæ cõfitetur auctorem: nec adulterii fœditate suppressa: statimque legibus contemptis, multa vltro citroque discussa. tandem ordo & iustitia ambos sententia damnauere letali. Quo cognito Constantius fremens, & tamquam vindicem salutis suæ lugens exstinctum, missis equitibus citis, Vrsulum redire ad comitatum minaciter iussit. Et iis spretis qui prohibebant, perrupit intrepidus: ingressusque consistorium, ore & pectore libero docuit gesta: atque fiducia linguis adulatorum occlusis, & præfectum & se discrimine graui subtraxit. Tunc illud apud Aquitanos euenit quod latior fama vulgarat. Veterator quidam ad lautum conuiuium rogatus & mundum, (qualia sunt in his regionibus plurima) quum vidisset linteorum totalium par, duos clauos ita latissimos vt sibi vicissim arte ministrantium cohærerent, mensamque operimentis paribus tectam, anteriorem chlamydis partem vtraque manu vehens, intrinsecus structuram omnem vt amictus adornauerat; principalesque res, patrimonium diues, euertit. Malignitate simili quidam agens in rebus in Hispania, ad cœnam itidem inuitatus, quum inferentes vespertina lumina pueros exclamasse audisset ex vsu, * *Vincamus*, interpretatus atrociter deleuit nobilem domum. Hæc taliaque ideo magis magisque crescebant, quod Constantius impendio timidus semper se feriri sperabat; vt Dionysius tyrannus ille Siciliæ: qui ob hoc idem vitium, & tonstrices docuit filias, necui alieno ora committeret læuiganda: ædemque breuem vbi cubitare sueuerat, alta circumdedit fossa, eamque ponte solubili superstrauit: cuius disiectos asseres & axiculos secum in somnum abiens transferebat, eosdemque compaginabat lucis initio processurus. Inflabant itidem has malorum ciuilium buccinas potentes in regia, ea re, vt damnatorum petita bona suis accorporarent, essetque materia per vicinitates eorum late grassandi. Namque, vt documenta liquida prodiderunt, proximorũ fauces aperuit primus omnium Constantinus: sed eos medullis prouinciarum saginauit Constantius. Sub hoc enim ordinum singulorum auctores infinita cupidine diuitiarum arserunt sine iustitiæ distinctione vel recti; inter ordinarios iudices, Rufinus primus præfectus prætorio; & inter militares, equitum magister Arbetio præpositusque cubiculi, & Vrsicinus equestris ordinis præfectus: quæstor & in vrbe Anitius, qui in regiam æmulationem posteritate tendens, satiari numquam potuit cum possessione multo maiore. At Persæ in oriente per furta & latrocinia potius quam (vt solebant ante) per concursatorias pugnas hominum prædas agitabant & pecorum: quis nonnumquam lucrabantur vt repentini, aliquoties superati multitudine militum, amittebant: interdum nihil prospicere prorsus quod poterat rapi, permittebantur. Musonianus

ſonianus tamen præfectus prætorio, multis (vt ante diximus) bonis artibus eruditus, ſed venalis, & flecti a veritate pecunia facilis, per emiſſarios quoſdam fallendi * perſtringendique gnaros Perſarum ſciſcitabatur conſilia, aſſumpto in deliberationes huiuſmodi Caſſiano Meſopotamiæ duce, ſtipendiis & diſcriminibus indurato diuerſis. Qui quum fide concinente ſpeculatorum aperte cognoſcerent, Saporem in extremis regni limitibus ſuorum ſanguine fuſo multiplici, ægre propulſare gentes infeſtas, tamen Saporem ducem parti noſtræ contiguum, occultis per ignotos milites tentauere colloquiis, vt ſi copiam fors dediſſet, ſuaderet regi per litteras pacem tamdem aliquando cum principe Romano firmare: vt hoc facto latere ab omni ſecurus, perduelles adbellaret adſiduos. Paruit tamen Sapor. hisque fretus refert ad regem, quod bellis acerbiſſimis Conſtantius implicatus pacem poſtulat precariam. Dumq; ad Chionitas & * Alanos hæc ſcripta mittuntur, in quorum confiniis agebat hiemem Sapor, tempus interceſſit longum. Hæc dum per eoas partes & Gallias pro captu temporum disponuntur, Conſtantius cõcluſo Iani templo, ſtratisque hoſtibus cunctis, Romam geſtiebat viſere, poſt Magnentii exitium absque nomine ex ſanguine Romano triumphaturus. Nec enim gentem vllam bella cientem per ſe ſuperauit, aut victam fortitudine ſuorum comperit ducũ, vel addidit quædam imperio, aut vſquam in neceſſitatibus ſummis primus, vel inter primos eſt viſus: ſed vt pompam nimis extentam, rigentiaq; auro vexilla, & pulchritudinem ſtipatorũ oſtenderet agenti tranquillius populo, hęc vel ſimile quidquã videre nec ſperanti vnquam nec optãti: ignorans fortaſſe, quoſdam veterum principum in pace quidem lictoribus fuiſſe contentos: vbi vero prœliorum ardor nihil perpeti poterat ſegne, alium anhelanter auido flatu ventorum lenunculo ſe cõmiſiſſe piſcantis; alium ad Deciorum exempla vouiſſe pro rep. ſpiritum, alium hoſtilia caſtra per ſemetipſum cum militibus infimis exploraſſe: diuerſis deniq; actibus inclaruiſſe magnificis, vt glorioſas ſuas res poſteritati celebri memoria commendarent. Vt igitur multa quæque conſumpta ſunt in apparatu regio, pro meritis cuilibet * munera reddita: ſecunda Orphiti præfectura, tranſcurſo * Ocriculo elatus honoribus magnis, ſtipatusq; agminibus formidandis, tamquam acie ducebatur inſtructa, omnium oculis in eo contuitu pertinaci intentis. Quumq; vrbi propinquaret, ſenatus officia, reuerendasq; patriciæ ſtirpis effigies ore ſereno contemplans, non (vt Cineas ille Pyrrhi legatus) in vnum coactam multitudinem regũ, ſed aſylum mundi totius adeſſe æſtimabat. Vnde quum ſe vertiſſet ad plebem, ſtupebat qua celeritate omne quod vbiq; eſt hominum genus confluxerit Romam: & tamquam Euphratem armorum ſpecie territurus, aut Rhenum, altrinſecus præeuntibus ſignis, inſidebat aureo ſolus ipſe carpento, fulgenti claritudine lapidum variorum. Quo micante, lux quædam miſceri videbatur, alternumq; poteſtatis greſſus multiplices: alios purpureis ſubtegminibus texti circumdedere dracones, haſtarum aureis gemmatisq; ſummitatibus illigati, hiatu vaſto perflatiles, & ideo velut ira perciti ſibilantes, caudarumq; volumina relinquentes in ventum. Et incedebat hinc inde ordo geminus armatorum clypeatus atq; criſtatus, coruſco lumine radians, nitidis loricis indutus; ſparſique cataphracti equites, quos * clibanarios dictitant Perſæ, thoracum muniti tegminibus, & limbis ferreis cincti: vt Praxitelis manu polita crederes ſimulacra, non viros. quos laminarum circuli tenues apti corporis flexibus ambiebant, per omnia membra deducti: vt quocumque artus neceſſitas commouiſſet, veſtitus congrueret iunctura cohærenter aptata. Auguſtus itaque fauſtis vocibus appellatus, vocum lituorumque intonante fragore cohorruit, talem ſe tamque immobilem, qualis in prouinciis ſuis viſebatur, oſtendens. Nam & corpus perhumile curuabat portas ingrediens celſas; & velut collo munito rectam aciem luminum tendens, nec dextra vultum, nec læua flectebat, tamquam figmentum hominis: non quum rota concuteret, nutans, nec ſpuens, aut os aut naſum tergens vel fricans, manumue agitans eſt viſus vnquã. Quæ licet affectabat, erant tamen hęc & alia quædã in ceteta vita patientiæ non mediocris indicia, vt exiſtimari dabatur, vni illi cõceſſa. Quod aũt per omne tempus imperii, nec in conſeſſum vehiculi quemquã ſuſcepit, nec in trabea ſocium priuatũ adſciuit, vt facere principes * conſueuere, & ſimilia multa, quę elatus in arduum ſupercilium, tamquã leges æquiſſimas obſeruauit, prętereo;

memorea me retulisse quum incidissent. Proinde Romam ingressus, imperii virtutumque omnium latem, quum venisset ad Rostra, perspectissimum priscæ potentiæ forum obstupuit: perque omne latus quo se oculi contulissent, miraculorum densitate præstrictus, alloquutus nobilitatem in curia, populumque pro tribunali, in palatium receptus fauore multiplici, lætitia fruebatur optata: & sæpe quum equestres ederet ludos, dicacitate plebis oblectabatur, nec superbæ nec a libertate coalita desciscentis; reuerenter modum ipse quoque debitum seruans. Non enim, vt per ciuitates alias, ad arbitrium suum certamina finiri patiebatur; sed, vt mos est, variis casibus permittebat. Deinde intra septem montium culmina, per accliuitates planiciemque posita vrbis membra collustrans & suburbana, quidquid erat primum, id eminere inter alia cuncta sperabat: Iouis Tarpei delubra, quantum terrenis diuina præcellunt, lauacra in modum prouinciarum exstructa, amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage, ad cuius summitatem ægre visio humana conscendit: Pantheon velut regionem teretem speciosa celsitudine fornicatam; elatosq; vertice scansili suggestus consulum & priorum principum imitamenta portantes; &*Vrbis templum, forumque Pacis, & Pompeii theatrum, & odêum, & stadium, aliaq; inter hæc decora vrbis æternæ. Verum quum ad Traiani forum venisset, singularem sub omni cælo structuram, vt opinamur, etiam numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos. Omni itaque spe huiusmodi quidquam conandi depulsa, Traiani equum solum locatum in atrii medio, qui ipsum principem vehit, imitari se velle dicebat, & posse. Cui prope adstans regalis Hormisda, cuius e Perside discessum supra monstrauimus, respondit gestu gentili, *Ante*, inquit, *Imperator stabulum tale condi iubeto, si vales: equus quem fabricare disponis, ita late succedat, vt iste quem videmus*. Is ipse interrogatus quid de Roma sentiret, id tantum sibi placuisse aiebat quod didicisset ibi quoq; homines mori. Multis igitur cum stupore visis horrendo, Imperator de fama querebatur vt inualida vel maligna, quod augẽs omnia semper in maius, erga hæc explicanda quæ Romæ sunt obsolescit: deliberansque diu quid ageret, vrbis addere statuit ornamentis, vt in proximo circo erigeret obeliscum; cuius originem formamq; loco condecenti monstrabo. Inter hæc Helenæ sorori Constantii, Iuliani coniugi Cæsaris, Romam affectionis specie ductæ, regina tunc insidiabatur Eusebia, ipsa quoad vixerat sterilis: quæsitumque venenum bibere per fraudem illexit, vt quotiescumque concepisset, immaturum abiiceret partum. Nam & pridem in Galliis quum marem genuisset infantem, hoc perdidit dolo, quod obstetrix corrupta mercede, mox natum præfecto plusquam conuenerat vmbilico necauit: tanta tamque diligens opera nauabatur ne fortissimi viri soboles appareret. Cupiens itaque augustissima omnium sede morati diutius Imperator, vt otio puriore frueretur & voluptate, assiduis nuntiis terrebatur & certis, indicantibus Sueuos Rhætias incursare, Quadosq; Valeriam; & Sarmatas (latrocinandi peritissimum genus) superiorem Mœsiam & secundam populari Pannoniam. Quibus percitus, XXX postquam ingressus est die, IIII Cal. Iunias ab vrbe profectus, per Tridentum iter in Illyricum festinauit. Vnde misso in locum Marcelli Seuero, bellorũ vsu & maturitate firmato, Vrsicinum ad se venire præcepit. Et ille litteris gratanter acceptis, Sirmium venit, comitantibus sociis: librarisq; diu super pace consiliis, quam fundari posse cum Persis Musonianus retulerat, in orientem cum magisterii remittitur potestate: prouectis e consortio nostro ad regendos milites natu maioribus, adolescentes eum sequi iubemur, quidquid pro rep. mandauerit impleturi. At Cęsar exacta apud Senonas hie-
1109 me turbulenta, Augusto nouies, seque iterum COSS. Germanicis vndique circumfremẽtibus minis, secundis ominibus motus Remos properauit, alacrior magisq; lętus quod exercitum regebat Seuerus, nec discors nec arrogans, sed longa militiæ frugalitate compertus, & eum recta præeuntem sequuturus vt ductorem morigerũ miles. Parte alia Barbatio post Siluani interitum promotus ad peditum magisterium, ex Italia iussu principis cum XXV millibus armatorum Rauracos venit. cogitatum est enim sollicite que præstructum vt sęuientes vltra solitum Alemanni, vagantesque fusius, multitudine geminata nostrorum, forcipis specie, trusi in angustias cæderentur.

Dum

Dum hæc tamen rite disposita celerantur, læti barbari, ad tempestiua furta sollertes, inter vtriusque exercitus castra occulte transgressi, inuasere Lugdunum incautam: eamque populatam nisu auido concremassent, ni clausis aditibus repercussi, quidquid extra opidum potuit inueniri, vastassent. Qua clade cognita, agili studio Cæsar missis cuneis tribus equitum expeditorum & fortium, tria obseruauit itinera, sciens per ea erupturos procul dubio grassatores: nec quod destinauerat, irritum fuit. Cunctis enim qui per eos tramites exiere truncatis receptaque præda omni intacta, hi solum innoxii absoluti sunt qui per vallum Barbationis transiere securi: ideo labi permissi, quod Bainobaudes tribunus, & Valētinianus postea Imperator, cum equestribus turmis quas regebant ad exsequendum id ordinati, a Cella tribuno scutariorum, qui Barbationi sociatus venerat ad procinctum, iter obseruare sunt vetiti, vnde redituros didicere Germanos. Quo non contentus magister peditum ignauus, & gloriarum Iuliani peruicax obtrectator, sciens se id contra vtilitatem *Romanam iussisse, (hoc enim quum argueretur, Cella confessus est) relatione fefellit Constantium: finxitque hos eosdem tribunos ad sollicitandos milites quos duxerat, per speciem venisse negotii publici: qua caussa abrogata potestate ad lares rediere priuati. Iisdem diebus exercituum aduentu perterriti barbari, qui domicilia fixere cis Rhenum, partim difficiles vias & suapte natura cliuosas & incommeabiles, clausere sollerter arboribus immensi roboris cæsis. Alii occupatis insulis sparsis crebro per flumen Rhenum, vlulantes lugubre, conuitiis & Romanos incessebant & Cæsarem, qui grauiori motu animi percitus, ad corripiendos aliquos septem a Barbatione petierat naues, ex his quas velut transiturus amnem, ad compaginandos parauerat pontes: qui, ne quid per eum * impetraretur, omnes incendit. Doctus denique exploratorum delatione recens captorum, æstate iam torrida fluuium vado posse transiri, hortatus auxiliares velites cum Bainobaude Cornutorum tribuno misit, facinus memorabile si iuuisset fors, patraturos. qui nunc incedendo per breuia, aliquoties scutis in modum alueorum suppositis, nando ad insulam venere propinquam: egressique promiscue virilis & muliebris sexus sine ætatis vllo discrimine trucidabant vt pecudes: nactique vacuas lintres, per eas, licet vacillantes, euecti, huiusmodi loca plurima perruperunt: & vbi satietas cædendi cepit, opimitate prædarum onusti, cuius partem vi fluminis amiserunt, rediere omnes incolumes. Hocque comperto residui Germani, vt infido præsidio insularum relicto, ad vlteriora necessitudines & fruges opesque barbaricas contulerunt. Conuersus hinc Iulianus ad reparandas Tres tabernas, munimentum ita cognominatum, haud ita dudum obstinatione subuersum hostili: quo ædificato, constabat ad intima Galliarum (vt consueuerant) adire Germanos arceri: & opus spe celerius consummauit: & victum defensoribus ibi locandis, ex barbaricis messibus non sine discriminis metu collectum, militis manu condidit in vsus anni totius. Nec sane hoc solo contentus, sibi quoque viginti dierum alimenta parata collegit. Libentius enim bellatores quæsito dextris propriis vtebantur: admodum indignati quoniam ex commeatu qui eis recens aduectus est, ideo nihil sumere potuerunt, quod partem eius Barbatio, quum transiret iuxta, superbe præsumpsit, residuum quod superfuit, congestum in aceruum exussit: quæ vtrum vt vanus gerebat & demens, an mandato principis confidenter nefanda multa tentabat, [vsque in] id temporis latuit. Illud tamen rumoretenus vbique iactabatur, quod Iulianus non leuaturus incōmoda Galliarum electus est, sed vt possit per bella deleri sæuissima, rudis etiam tum, vt æstimabatur, ac ne ad sonitum quidem duraturus armorum. Dum castrorum opera mature consurgunt, militisque pars stationes prætendit agrarias, alia frumenta insidiarum metu colligit caute: multitudo barbarica rumorem nimia velocitate præuersa, Barbationem cū exercitu quem regebat (vt dictum est) Gallico vallo discretum, impetu repentino aggressa, sequensque fugientes adusque Rauracos, & vltra quoad potuit, rapta sarcinarum & iumentorum cum calonibus parte maxima, redit ad sua. Et ille, tamquā expeditione euentu prospero terminata, milite disperso per stationes hibernas, ad comitatū Imperatoris reuertit, crimen cōpositurus in Cæsarem, vt solebat, grauiter semper incessens. Quo dispalato fœdo terrore, Alemannorum reges Chonodomarius & Vestralpus, Vrius

quinetiam & Vrsicinus cum Serapione & Suomario & Hortario, in vnum robore virium suarum omni collecto, consedere prope vrbem Argentoratum, extrema metuentem Cæsarem arbitrati retrocessisse, quum ille etiam [dum] perficiendi munimenti studio stringeretur. Erexit autem confidentiam caput altius * adtollentem scutarius perfuga: qui commissi criminis metuens pœnam, transgressus ad eos post ducis fugati discessum, armatorum tredecim millia tantum remansisse cum Iuliano docebat. *Is enim numerus sequebatur, barbara feritate certaminum rabiem vndiq; concitante. Cuius adseueratione eadem subinde replicantis, ad maiora stimulati fiducia, missis legatis satis pro imperio Cæsari mandauerunt, vt terris abscederet virtute sibi quæsitis & ferro. Qui ignarus pauendi, nec ira nec dolore perculsus, sed fastus barbaricos ridens, *retentis legatis adusq; perfectum opus castrorum, in eodem gradu constantiæ stetit immobilis. Agitabat autem miscebatq; omnia, sine modo vbiq; sese diffundirans & princeps audendi periculosa, rex Chonodomarius, ardua subrigens supercilia, vt sæpe secundis rebus elatus. Nam & Decentium Cæsarem superauit æquo marte congressus, & ciuitates erutas multas vastauit & opulentas; licentiusque diu nullo refragante Gallias persultauit. Ad cuius roborandam fiduciam recens quoq; fuga ducis accessit, numero præstantis & viribus. Alemanni enim scutorum insignia contuentes, norant eos milites permisisse paucis suorum latronibus terram: quorum metu aliquoties quum gradum conferrent, amissis pluribus abiere dispersi. quæ anxie ferebat sollicitus Cæsar; quod i rudente ipsa necessitate digressus periculis, cum paucis, licet fortibus, populosis gentibus occurrere cogebatur. Iamq; solis radiis rutilantibus, tubarumq; concinente clangore, pedestres copiæ lentis incessibus educuntur, earumq; lateri equestres cõiunctæ sunt turmæ, inter quas cataphracti erant & sagittarii, formidabile genus armatorum. Et quoniam a loco vnde Romana promota sunt signa adusque vallum barbaricum quarta * leuca signabatur & decima, id est vnum & XX millia passuum; vtilitati securitatiq; recte consulens Cæsar, reuocatis præcursoribus iam ante egressis, indictaq; solitis vocibus quiete, cuneatim circumsistentes alloquitur genuina placiditate sermonis; *Vrget ratio salutis tuendæ communis, (vt parcissime dicam) non iacentis animi, Cæsarem vos hortari & orare, commilitones mei, vt adulta robustaq; virtute confisi, cautiorem viam potius eligamus ad tolerãda vel ad depellenda quæ sperantur, *quam præproperam & ancipitem. Vt enim in periculis* VIRTVTEM impigram esse conuenit & audacem, ita quum res postulat, regibilem & consultam. Quod igitur censeo, si arbitrium adfuerit vestrum, iustaq; sustinet indignatio, paucis absoluam. Iam dies in meridiem vergit; lassitudine nos itineris fatigatos scrupulosi tramites excipient & obscuri, nox senescente luna nullis sideribus adiuuanda, terræ protinus æstu flagrantes, nullis aquarum subsidiis fultæ: quas si dederit quisquam commode posse transiri, ruentibus hostium examinibus post otium cibiq; refectionem & potus, quid nos agimus, quo vigore, inedia, siti, laboreq; membris marcentibus occurramus? Ergo quoniam negotiis difficillimis sæpe DISPOSITIO TEMPESTIVA prospexit, & statum nutantium rerum recto consilio in bonam partem accepto aliquoties diuina remedia repararunt, hic quæso vallo fossaq; circumdati, diuisis vigiliis quiescamus, somnoq; & victu congruis potiti pro tempore, (pace Dei sit dictũ) triumphaturas aquilas & vexilla victricia, primo lucis moueamus exordio. Nec finiti perpessi quæ dicebãtur, stridore dentiũ infrendentes, ardoremq; pugnandi hastis illidendo scuta monstrantes, in hostem se duci iam conspicuum exorabant, *cælitis Dei fauore fiduciaq; sui, & fortunati rectoris expertis virtutibus freti: atq;, vt exitus docuit, salutaris quidã genius præsens ad dimicandũ eos, dum adesse potuit, incitabat. Accessit huic alacritati plenus celsarum potestatum assensus, maximeq; Florentii præfecti prætorio; periculose quidẽ, sed ratione secunda pugnandum esse *cõsentientibus, dum instarent barbari conglobati: qui si* deflexissent, motum militis, in seditiones natiuo calore propensioris, ferri non posse aiebat, extortam sibi victoriam, vt putauit, non sine vltimorum conatu grauiter toleraturi. Addiderat autem fiduciam nostris consideratio gemina, recordantibus quod anno nuper emenso Romanis per Transrhenana spatia fusius volitantibus, nec visus est quisquam laris sui defensor, nec obuius stetit: sed cõcæde arborum densa vndique semitis clausis, sidere vrente brumali ægre vixere barbari longius amandati: quodque Imperatore terras eorum ingresso, nec resistere ausi,

nec apparere, pacem impetrarunt suppliciter obsecrantes. Sed nullus mutatam rationem temporis aduertebat, quod tunc tripartito exitio premebantur: Imperatore vrgente per Rhætias, Cæsare proximo nusquam elabi permittente, finitimis quos hostes fecere discordiæ, modo non occipitia conculcantibus hinc indeque cinctorum. Postea vero pace data, discesserat Imperator: & sedata iurgiorum materia, vicinæ gentes iam concordabant: & turpissimus ducis Romani digressus, ferociam naturæ conceptam auxit in maius. Alio itidem modo res est aggrauata Romana ex negotio tali. Regii duo fratres vinculo pacis adstricti, quam anno præterito impetrauerant a Constantio, nec tumultuare nec commoueri sunt ausi. Sed paulo postea vno ex his Gundomado, qui potior erat fideiq; firmioris, per insidias interempto, omnis eius populus cum nostris hostibus conspirauit: & confestim Vadomarii plebs, vt asserebant, agminibus bella cientium barbarorum sese coniunxit. Cunctis igitur summis infimisque approbantibus tunc opportune congrediendum, nec de rigore animotum quidquam remittentibus, exclamauit subito signifer: *Perge, felicissime omnium Cæsar, quo te fortuna prosperior ducit: tandem per te virtutem & consilia militaria sentimus. I præeuntes, vt faustus antesignanus & fortis. experieris quid miles sub conspectu bellicosi ductoris, testisque indiuidui gerendorum, modo adsit supernum numen, iis rebus efficiet excitatus.* His auditis, quum nullæ laxarentur induciæ, promotus exercitus prope collem aduenit, molliter editum, opertum segetibus iam maturis, a superciliis Rheni haud longo interuallo distantem. E cuius summitate speculatores hostium tres equites exciti, subito nuntiaturi Romanum exercitum aduentare, festinarunt ad sua. Vnus vero pedes, qui sequi non potuit, captus agilitate nostrorum, indicauit per triduum & trinoctium flumen transisse Germanos. Quos quum iam prope densantes semet in cuneos nostrorum conspexere ductores, steterunt vestigiis fixis, antepilanis hastatisque & ordinum primis velut insolubili muro fundatis: & pari cautela hostes stetere cunctati. Quumque, ita vt antedictus docuerat perfuga, equitatum omnem a dextero latere sibi vidissent oppositū, quidquid apud eos per equestres copias præpollebat, in læuo cornu locauere confertum. Iisdemque sparsim pedites miscuere discursatores & leues, profecto ratione tuta poscente. Norant enim, licet prudentem, ex quo bellatorem cum clibanario nostro congressum, frena retinentem & scutum, hasta vna manu vibrata, tegminibus ferreis absconditо bellatori nocere non posse: peditem vero inter ipsos discriminum vertices, quum nihil caueri solet præter id quod occurrit, humi occulte reptantem, latere forato iumenti, incautum rectorem præcipitem agere, leui negotio trucidandum. Hoc itaque disposito, dextrum sui latus struxere clandestinis insidiis & obscuris. Ductabant autem populos omnes pugnaces & sæuos Chonodomarius & Serapio, potestate excelsiores ante alios reges. Et Chonodomarius quidē, nefarius belli totius incentor, cuius vertici *flammeus torulus aptabatur, anteibat cornu sinistrum audax & fidens ingenti robore lacertorum: vbi ardor prœlii sperabatur immanis: equo spumante sublimior erectus in iaculum formidandæ vastitatis, armorumque nitore conspicuus, antea strenuus & miles, & vtilis præter ceteros ductor. Latus vero dextrum Serapio agebat, *etiam tum adultæ lanuginis iuuenis, efficacia præcurrens ætatem, Mederici fratris Chonodomarii filius, hominis quoad vixerat perfidissimi; ideo sic appellatus, quod pater eius diu obsidatus pignore tentus in Gallus, doctusq; Græca quædā arcana, hunc filium suum Agenarichum genitali vocabulo dictitatū, ad Serapionis trāstulit nomen. Hos sequebantur potestate proximi reges numero quinque, regalesque decem, & optimatum series magna, armatorum millia triginta & quinque, ex variis nationibus partim mercede, partim pacto vicissitudinis reddendæ quæsita. Iamque toruum increpantibus tubis, Seuerus dux Romanorum aciem dirigens læuam, quum prope fossas armatorum refertas venisset, vnde dispositum erat vt abditi repente exorti cuncta turbarent, stetit impauidus: suspectiorque de obscuris, nec referre gradum, nec vlterius ire tentauit. Quo viso, animosus contra labores maximos Cæsar, ducentis equitibus septus, vt ardor negotii flagitabat, agmina peditum, impetu veloci discurrens, verbis hortabatur. Et quum alloqui pariter omnes, nec longitudo spatiorum extenta, nec in vnum coactæ multitudinis permitteret crebri-

ras: & alioquin vitabat grauioris inuidiæ pondus, ne videretur id affectasse quod sibi soli deberi Augustus existimabat: cautior sui hostium tela præteruolans, his & similibus notos pariter & ignotos ad faciendum [fortiter] accendebat: *Aduenit ô socii iustum pugnandi iam tempus, olim exoptatum mihi vobiscum, quod antehac arcessentes arma inquietis motibus poscebatis.* Item quum ad alios postsignanos in acie locatos extrema venisset, *En,* inquit, *commilitones, diu speratus præsto est dies, compellens nos omnes * elotis pristinis maculis Romanæ maiestati reddere proprium decus. Hi sunt barbari, quos rabies & immodicus furor ad perniciem rerum suarum coegit occurrere nostris viribus opprimendos.* Alios item bellandi vsu diutino callentes aptius ordinans, his exhortationibus adiuuabat; *Exsurgamus viri fortes, propellamus fortitudine congrua, illisa nostris partibus probra, quæ contemplans Cæsaris nomen cunctando suscepi.* Quoscunque autem pugnæ signum inconsulte poscentes, rupturosque imperium irrequietis motibus prævideret, *Quæso,* inquit, *ne hostes vertendos in fugam sequentes, auidius futuræ victoriæ gloriam violetis, nequis ante necessitatem vltimam cedat. Nam fugituros proculdubio deseram; hostium terga cæsurus adero indiscretus, si hoc pensatione moderata fiat & cauta.* Hæc aliaque in eumdem modum sæpius replicando, maiorem exercitus partem primæ barbarorum opposuit fronti: & subito Alemannorum peditũ fremitus indignationi mixtus auditus est, vnanimi conspiratione vociferantium, relictis equis secum oportere versari regales: ne, siquid contigisset aduersum, deserta miserabili plebe facilem discedendi copiam reperirent. Hoc comperto, Chonodomarius iumẽto actutum desiluit, & sequuti eum residui, idem facere nihil morati: nec enim eorum quisquam ambigebat partem suam fore victricem. Dato igitur [ab] æneatorum occentu solenniter signo ad pugnandum, vtrimque magnis concursum est viribus. Præpilabantur missilia: & properantes cito quam cõsiderato cursu Germani, telaque dextris explicãtes, inuolauere nostrorum equitum turmas frendentes immania eorumque vltra solitum sæuientium comæ fluentes horrebant, & elucebat quidam furor ex oculis: quos contra pertinax miles, scutorum obicibus vertices tegens, eiectansque gladios, vel tela concrispans mortem minantia, perterrebat. Quumque in ipso præliorum articulo eques se fortiter conturmaret, & muniret latera sua firmius pedes frontem arctissimis conser●os patmis, erigebantur crassi pulueris nubes: variique fuere discursus, nunc resistentibus nunc cedentibus nostris: & obnixi genibus quidam barbari peritissimi bellatores, hostem propellere laborabant: sed destinatione nimia dextræ dextris miscebantur, & vmbo trudebat vmbonem: cælumque exsultantium cadentiumque resonabat vocibus magnis. Et quum cornu sinistrum altius gradiens, vrgentium tot agmina Germanorum vi nimia propulisset, iretque in barbaros fremens, equites nostri cornu tenentes dextrum, præter spem incondite discesserunt. dumque primi fugientium postremos impediunt, gremio legionum protecti, fixerunt integrato prœlio gradum. Hoc autem exinde acciderat, quod dum ordinum restituitur series, cataphracti equites viso rectore suo leuiter vulnerato, & consorte quodam per ceruicem equi labentis pondere armorum oppresso, dilapsi qua quisque poterat. peditesque calcando cuncta turbassent, ni conferti illi sibique vicissim innixi stetissent immobiles. Igitur quum equites nihil præter fugæ circumspectantes præsidia, vidisset longius Cæsar, concito equo eos velut repagulum quoddam cohibuit. Quo agnito per purpureum signum draconis summitati hastæ longioris aptatum, velut senectuus pendentis exuuias, sicut vnius turmæ tribunus, & pallore * timoris perculsus, ad aciem integrandam recurrit. Vtque in rebus amat fieri dubiis, eosdem lenius increpans Cæsar, *Quo inquit,* inquit, *cedimus viri fortissimi? an ignoratis,* FVGAM *quæ salutem numquam reperit, irriti conatus stultitiam indicare? Redeamus ad nostros; saltem gloriæ futuri participes, si eos pro rep. dimicãtes relinquimus inconsulte.* Hæc reuerenter dicendo, reduxit omnes ad munia subeunda bellandi; imitatus veterem Syllam: qui quum contra Archelaum Mithridatis ducem educta acie prœlio fatigabatur ardenti, relictus a militibus cunctis, cucurrit in ordinem primum: raptoque & coniecto vexillo in partem hostilem: *Ite,* dixerat, *socii periculorum electi: & scitantibus vbi relictus sum Imperator, respondete nihil fallentes. Solus in Bœotia pro omnibus nobis cum dispendio sanguinis sui decernens.* Proinde Alemanni pulsis

disiectis-

disiectisque equitibus nostris, primam aciem peditum incesserunt, eam abiecta resistendi animositate pulsuti. Sed postquam comminus ventum est, pugnabatur paribus diu momentis. Cornuti enim & Braccati, vsu prœliorum diuturno firmati, excipiunt eos, iam gesturientes barritum ciere vel maximum: qui clamor ipso feruore certaminum a tenui susurro exoriens, paulatimque adolescens, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum. Iaculorum deinde stridentium crebritate hinc inde conuolante, puluis æquali motu assurgens, & prospectum eripiens, arma armis, corpora corporibus obtrudebat. sed violentia iraque incompositi barbari in modum exarsere flammarum; nexamque scutorum compagem, quæ nostros in modum testudinis tuebatur, scindebant ictibus gladiorum assiduis. Quo cognito, opitulatum contubernalibus suis celeri cursu Bataui venere cum regibus, formidabilis manus, extremæ necessitatis articulo circumuentos, si iuuisset fors, ereptura: toruumque canentibus classicis, adultis viribus certabatur. Verum Alemanni bellum acriter ineuntes, altius anhelabant, velut quodam furoris affectu opposita omnia deleturi. Spicula tamen verutaque missilia non cessabant, ferratæque arundines fundebantur: quamquam etiam comminus mucro feriebat contra mucronem, & loricæ gladiis findebantur, & vulnerati nondum effuso cruore ad audendum consurgebant. Pares enim quodammodo coiuere cum paribus; Alemanni robusti & celsiores, * milites vsu nimio dociles. illi, feri & turbidi; hi, quieti & cauti: animis isti fidentes, grandissimis illi corporibus freti. Resurgebat tamen aliquoties armorum pōdere pulsus loco Romanus; lassatisq; impressu genibus læuum reflectens poplitem barbarus subsidebat, hostem vltro lacessens; quod indicium est obstinationis extremæ. Exsiluit itaque subito ardens optimatium globus; inter quos decernebant & reges: & sequente vulgo, ante alios agmina nostrorum * interrupit; & iter sibi aperiendo, adusque primanorum legionem peruenit locatam in medio: quæ confirmatio Castra prætoria dictitatur. vbi densior & ordinibus frequens miles instat turrium fixa firmitate cōsistens, prœlium maiore spiritu repetiuit: & vulneribus declinandis intentus, seque in modum myrmillonis operiens, hostium latera quæ nudabat ira flagrantior, districtis gladiis perforabat. At illi prodigere vitam pro victoria contendentes, tentabant agminis nostri laxare compagem: sed continuata serie peremptorum, quos Romanus iam fidentior strauit, succedebant barbari superstites interfectis: auditoque occumbentium gemitu crebro, pauore perfusi torpebant. Fessi denique tot ærumnis, & ad solam deinceps strenui fugam, per diuersos tramites * toto celeritatis gradu festinabant: vt e mediis sæuientis pelagi fluctibus, quocumque auexerit ventus, eiici nautici properant. Victores (quod voti magis quam spei fuisse fatebitur quilibet tunc præsens) adorant propitiati numinis arbitrium. Inclemens & secans terga cedentium miles, quum interdum flexis ensibus feriendi non suppeterent instrumenta, ipsis barbaris tela eorum vitalibus immergebat; nec quisquam vulnerantium sanguine iram expleuit, nec satiauit cæde multiplici dexteram, vel miseratus supplicantem abscessit. Iacebant itaque plurimi transfixi letaliter, remedia mortis compendio postulantes: alii semineces, labente iam spiritu, lucis vsuram oculis morientibus inquirebant: quorumdam capita discissa trabalibus telis, & pendentia iugulis cohærebant: pars per lutosum & lubricum solum in sociorum cruore lapsi, intactis ferro corporibus, aceruis superruentium obruti necabantur. Quæ vbi satis euenere prosperrime, validius instante victore, acumina densis ictibus hebescebant, splendentesque galeæ sub pedibus voluebantur & scuta. Vltimo denique trudente discrimine, barbari, quum elati cadauerum aggeres exitus impedirent, subsidia fluminis petiuere, quæ sola restabant, eorum terga iam perstringentis. & quia cursu ab armis concito fugientes miles indefessus vrgebat, quidam nandi peritia eximi se posse discriminibus arbitrati, animas fluctibus commiserunt. Qua caussa celeri corde futura præuidens Cæsar, cum tribunis & ducibus, clamore obiurgatorio prohibebat ne hostem auidius sequens nostrorum quisquam segurgitibus committeret verticosis. Vnde id obseruatum est vt marginibus insistentes confoderent telorum varietate Germanos: quorū si quem morti velocitas subtraxisset, iacti corporis pondere ad ima fluminis subsidebat. & velut in quodam theatrali spectaculo aulæis miranda mōstrantibus, multa licebat iam

sine metu videre: nandi strenuis quosdam nescios adhærere, fluitantes alios quum *expediti viribus linquerentur vt stipites, & velut luctāte amnis violētia, vorari quosdam fluctibus inuolutos; nonnullos clypeis vectos, præruptas vndarum occursantium moles obliquatis meatibus declinantes, ad ripas vlteriores post multa discrimina peruenire. Spumans denique cruore barbarico decolor alueus, insueta stupebat *augmenta. Dum hæc aguntur, rex Chonodomarius reperta copia discedendi, lapsus per funerum strues, cum satellitibus paucis celeritate rapida properabat ad castra, quæ prope Tribuncos & Concordiam munimenta Romana, fixit intrepidus; vt adscensis nauigiis, dudum paratis ad casus ancipites in secretis secessibus, euaderet. Et quia non nisi Rheno transito ad territoria sua poterat peruenire, vultum ne agnosceretur operiens, sensim retulit pedem. Quumq; propinquaret iam ripis, lacunam palustribus aquis interfusam circumgrediens, vt transiret, calcata mollitie glutinosa, equo est euolutus: & confestim, licet obeso corpore grauior, ad subsidium vicini collis euasit. quem agnitum (nec enim potuit celari qui fuerat, fortunæ prioris magnitudine proditus) statim anhelo cursu cohors cum tribuno sequuta, armis circumdatum aggerem nemorosum cautius obsidebat; perrumpere verita, ne fraude latenti inter ramorum tenebras exciperetur occultas. Quibus visis compulsus ad vltimos metus, vltro se dedit, solus egressus: comitesq; eius ducenti numero, & tres amici iunctissimi, flagitium arbitrati post regem viuere, vel pro rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere se vinciendos. Vtque natiuo more sunt barbari humiles in aduersis, disparesque in secundis, seruus alienæ voluntatis trahebatur pallore confusus, claudente noxarum conscientia linguam; immensum quantum ab eo differens qui post feros lugubresque terrores cineribus Galliarum insultans, multa minabatur & sæua. Quibus ita fauore superni numinis terminatis, post exactum iam diem occinente liticine, reuocatus inuictissimus miles, prope supercilia Rheni tendebat; scutorumque ordine multiplicato vallatus, victu fruebatur & somno. Ceciderunt autem in hac pugna Romani quidem CCXLIII; rectores vero quatuor, Bainobaudes Cornutorum tribunus; adęque Laipso, & Innocentius cataphractarios ducens, & vacans quidam tribunus, cuius non suppetit nomen: ex Alemannis vero sex millia corporum sunt inuenta in campo constrata, & inæstimabiles mortuorum aceruі per vndas fluminis ferebantur. Tunc Iulianus, vt erat fortuna sui spectatior, meritisque magis quam imperio potens, Augustus acclamatione concordi totius exercitus appellatus, vt agentes petulantius milites increpabat; id se nec sperare, nec adipisci velle iurando confirmans. Et vt augeret euentus secundi lætitiam, concilio Chonodomarium iussit offerri: qui primo curuatus, deinde humi suppliciter fusus, gentiliq; pace veniam poscēs, bono animo esse est iussus. Et diebus postea paucis ductus ad comitatum Imperatoris, missusq; exinde Romam, in Castris peregrinis, quæ in monte sunt Cælio, morbo veterni consumptus est. His tot ac talibus prospero peractis euentu, in palatio Constantii quidam Iulianum culpantes, vt princeps ipse delectaretur, Victoriam siue Victorinum ideo nominabant, quod verecunde referens, quoties imperaret, superatos indicabat sæpe Germanos. Interque exaggerationem inanium laudum, ostentationemque aperte lucentium, inflabant ex vsu Imperatorem suopte ingenio nimium; quidquid per omnem terræ ambitum agebatur, felicibus auspiciis eius assignantes. Quocirca magniloquentia elatus adulatorum, tunc & deinde edictis propositis arroganter satis multa mentiebatur; se solum, quum gestis non adfuisset, & dimicasse & vicisse, & supplices reges gentium erexisse aliquoties scribens: & si, verbi gratia, eo agente tunc in Italia, dux quidam egisset fortiter contra Persas, nulla eius mentione per textum longissimum facta, laureatas litteras ad prouinciarum signa mittebat, se inter primores versatum cum odiosa sui iactatione significans. Exstant denique eius edicta in tabulariis principis publicis condigne scriptis, memoria delata narrandi extollendique semet in cælum. Argentorato, quum pugnaretur, mansione quadragesima disparatus, describens prœlium, aciem ordinasse, & stetisse inter signiferos, & barbaros fugasse præcipites, sibiq; oblatū falso indicat Chonodomarium; proh rerum indignitas; super Iuliani gloriosis actibus conticescens: quos sepeliérat penitus, ni fama res maximas, vel obumbrantibus plurimis, silere nesciret.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIBER DECIMVSSEPTIMVS.

HAc rerum quam iam digessimus varietate ita conclusa, Martius iuuenis, Rheno post Argentoratensem pugnam otiose fluente securus, sollicitusq; ne diræ volucres consumerent corpora peremptorum, sine discretione cunctos humari mandauit: absolutisque legatis, quos ante certamen superba quædam portasse prædiximus, ad Tres tabernas reuertit. Vnde cum captiuis omnibus prædam Mediomatricos, seruandam ad reditum vsque suum, duci præcepit: & petiturus ipse Maguntiacum, vt ponte compacto transgressus, in suis requireret barbaros, quum nullum reliquisset, in nostris; refragante verabatur exercitu: verum facundia iucunditateque sermonum allectum, in voluntatem traduxerat suam. Amor enim post documenta flagrantior, sequi libenter hortatus est omnis operæ contubernalem, auctoritate magnificum ducem, plus laboris indicere sibi quam militi (sicut perspicue contigit) adsuetum. Moxque vt ad locum prædictum est ventum, flumine pontibus constratis transmisso, occupauere terras hostiles. At barbari præstricti negotii magnitudine, qui se in tranquillo positos otio, tunc parum inquietari posse sperabant, aliorum exitio quid fortunis suis immineret anxie cogitantes, simulata pacis petitione, vt primæ vestiginis impetum declinarent, miserunt legatos cum verbis compositis, quæ denuntiarent concordem fœderum firmitatem: incertumque quo consilio aut instituto mutata voluntate, per alios cursu celeri venire compulsos, acerrimum nostris minati sunt bellum, ni eorum regionibus excessissent. Quibus clara fide cõpertis, Cæsar prima noctis quiete nauigiis modicis & velocibus octingentos imposuit milites: eorum viginti sursum versus decurso egressi, quidquid inuenire potuerint, ferro violarent & flammis. Quo ita disposito, solis primo exortu visis per montium vertices barbaris, ad celsiora ducebatur alacrior miles: nemineque inuento (hoc siquidem opinati discessere) confestim eminus *ingentis fumi volumina visebantur, indicantia nostros perruptas populari terras hostiles. Quæ res Germanorum perculit animos: atque desertis insidiis, quas per arta loca & latebrosa struxerant nostris, trans *Mœnum nomine fluuium ad opitulandum suis necessitudinibus auolarunt. Vt enim rebus amat fieri dubiis & turbatis, hinc equitum nostrorum accursu, inde nauigiis vectorum militum impetu repentino perterrefacti, euadendi subsidium velox locorum inuenere prudentes. quorum digressu miles libere gradiens, opulentas pecore villas & frugibus rapiebat, nulli parcendo. extractisque captiuis, domicilia cuncta curatius ritu Romano constructa, flammis subditis exurebat. Emensisque æstimatione decimi lapidis, cum prope siluam venisset squalore tenebratum bortendam, stetit diu cunctando: indicio perfugæ edoctus, per subterranea quædam occulta fossasque multifidas latere plurimos, vbi habile visum fuerit, erepturos. Ausi tamen omnes accedere fidentissime, ilicibus incisis & fraxinis, roboreq; obiecto magno, semitas inuenere constratas. Ideoque gradientes cautius retro, non nisi per anfractus longos & asperos vltra progredi posse, vix indignationem capientibus animis, aduertebant. Et quoniam aeris vrente sæuitia, cum discriminibus vltimis laborabatur incassum, (æquinoctio quippe autumnali exacto, per eos tractus superfusæ niues oppleuere montes simul & campos) opus arreptum est memorabile. Et dum nullus obsisteret, munimentum quod in Alemannorum solo conditum Traianus suo nomine voluit appellari, dudum violentius oppugnatum, tumultuario studio reparatum est: locatisque ibi pro tempore defensoribus, ex barbarorum visceribus alimenta congesta sunt. quæ illi maturata ad suam perniciem contemplantes, metuque rei peractæ velociter congregati, precibus & humilitate suprema petiere missis oratoribus pacem. quam Cæsar omni cõsiliorum via firmata, caussatus verisimilia plurima, per decem mensium tribuit interuallum: id nimirũ solletti colligens mẽte, quod castra supra quã optari potuit occupata, sine obstaculo tormentis murali-

bus & apparatu deberent valido communiri. Hac fiducia tres immanissimi reges venerunt, tamdem aliquando iam trepidi, ex his qui misere victis apud Argentoratum auxilia; iurantes conceptis ritu patrio verbis, nihil inquietum acturos, sed fœdera ad præstitutum vsque diem (quia id nostris placuerat) cum munimento seruaturos intacto, frugesque portaturos humeris, si defuisse sibi docuerint defensores: quod vtrumque metu perfidiam frenante fecerunt. Hoc memorabili bello, comparando quidem Punicis & Teutonicis, sed dispendio rei Romanæ peracto leuissimo, vt faustus Cæsar exsultabat & felix. credique obtrectatoribus potuit, ideo fortiter eum vbique fecisse fingentibus, quod oppetere dimicando gloriose magis optabat, quam damnatorum sorte (sicut sperabant) vt frater Gallus occidi; ni pari proposito post excessum quoque Constantii actibus mirandis inclaruisset. Quibus (vt in tali re) compositis firmiter, ad sedes reuertens hibernas, sudorum reliquias reperit tales. Remos Seuerus magister equitum per Agrippinam petens & Iuliacum, Francorum validissimos cuneos in sexcentis velitibus (vt postea claruit) vacua præsidiis loca vastantes offendit: hac oportunitate in scelus audaciam erigente, quod Cæsare in Alemannorum secessibus occupato, nulloque vetante, expleri se posse prædarum opimitate sunt arbitrati: sed metu iam reuersi exercitus, munimentis duobus, quæ olim exinanita sunt, occupatis, se, quoad fieri poterat, tuebantur. Hac Iulianus rei nouitate perculsus, & coniiciens quorsum erumperet, si iisdem transisset intactis, retento milite circumuallare disposuit Castellum oppidum, quod Mosa fluuius prætterlambit. & adusque quartum & quinquasimum diem, Decembri scilicet & Ianuario mense, obsidionales tractæ sunt moræ, destinatis barbarorum animis incredibili pertinacia reluctatis. Tunc pertimescens sollertissimus Cæsar, ne obseruata nocte illuni, barbari gelu * vinctum amnem peruaderent, quotidie a sole in vesperam flexo adusque lucis principium, lusoriis nauibus discurrentes flumen vltro citroque milites ordinauit, vt crustis pruinarum diffractis, nullus ad erumpendi copiam facile perueniret. Hocque commento, inedia & vigiliis, & desperatione postrema lassati, sponte se propria dederunt: statimque ad comitatum Augusti sunt missi. Ad quos eximendos periculo multitudo Francorum egressa, quum captos comperisset & asportatos, nihil amplius ausa, repedauit ad sua castra. hisque perfectis acturus hiemem reuertit Parisios Cæsar. Quia igitur plurimæ gentes vi maiore collaturæ capita sperabantur, dolum bellorum coniectans sobrius rector, magnis curarum molibus stringebatur. Dumque per inducias, licet negotiosas & breues, ærumnosis possessorum damnis mederi posse credebat, tributi ratiocinia dispensauit. Quumque Florentius præfectus prætorio cuncta permensus, vt cõtendebat, quidquid in capitatione deesset, ex conquisitis se supplere firmaret, talium gnarus, animam prius amittere quam hoc sinere fieri memorabat. Norat enim huiusmodi prouisionum, immo euersionum, (vt verius dixerim) insanabilia vulnera sæpe ad vltimam egestatem prouincias contraxisse: quæ res (vt docebitur postea) penitus euertit Illyricum. Ob quæ præfecto prætorio ferre non posse clamante, se repente factum infidũ, cui Augustus summam commisisset rerum: Iulianus eum sedatus leniens, scrupulose computando & vere, docuit non sufficere solum, verum etiam exuberare capitationis calculum ad commeatuum necessarios apparatus. Nihilominus tamẽ diu postea indictionale augmẽtum oblatum sibi nec recitare nec subnotare perpessus, humi proiecit. Litterisque Augusti monitus ex relatione præfecti, non agere ita perplexe, vt videretur parum Florentio credi; rescripsit, gratandum esse, si prouincialis hinc inde vastatus, saltem solennia præbeat, nedum incrementa quæ nulla supplicia egenis possent hominibus extorquere. Factumque est tunc & deinde vnius animi firmitate, vt præter *solita nemo Gallis quidquam exprimere conaretur * camelasii nomine inique. Insuetato exemplo id petendo Cæsar impetrauerat a præfecto, vt secundæ Belgicæ multiformibus malis oppressæ dispositio sibi committeretur; ea videlicet lege vt nec præfectianus, nec præsidialis apparitor ad soluendum quemquam vrgeret. Quo leuati solatio cuncti, quos in curam æs alienum separat suam, nec interpellati, ante præstitutum tempus debita contulerunt. Inter hæc recreandarũ exordia Galliarum administrante secundam adhuc Orphito præfecturã, obeliscus Romæ in circo erectus est

maximo.

maximo. Super quo nunc, quia tempestiuum est, pauca discurram. Vrbem priscis seculis conditam ambitiosa mœnium strue, & portarum centum quondam aditibus celebrem, *Hecatompylos Thebas* institutores ex facto cognominarunt: cuius vocabulo prouincia nunc vsque Thebais appellatur. Hanc inter exordia pandentis se late Carthaginis, improuiso excursu duces oppressere Pœnorum: posteaque reparatam Persarum rex ille Cambyses, quoad vixerat alieni cupidus & immanis, Ægypto perrupta aggressus est; vt opes exinde raperet inuidendas; ne deorum quidem donariis parcens. Qui dum inter prædatores turbulenter concursat, laxitate præpeditus indumentorum, concidit pronus: ac suomet pugione, quem aptatum femori dextro gestabat, subita vi ruinæ nudato, vulneratus pene letaliter interisset. Longe autem postea Cornelius Gallus, Octauiano res tenente Romanas Ægypti procurator, exhausit ciuitatem plurimis interceptis: reuersusque quum furtorum arcesseretur & depopulatæ prouinciæ, metu nobilitatis acriter indignatæ, cui negotium spectandum dederat Imperator, stricto incubuit ferro. Is est (si recte existimo) Gallus poeta, quem flens quodammodo in postrema Bucolicorum parte Virgilius, carmine leni decantat. In hac vrbe inter labra ingentia, diuersasque moles figmenta Ægyptiorum numinum exprimentes, obeliscos vidimus plures, aliosque iacentes & comminutos; quos antiqui reges bello domitis gentibus, aut prosperitatibus summarum rerum elati, montium venis vel apud extremos orbis incolas perscrutatis, excisos erectosque, diis superis in religione dicarunt. Est autem *obeliscus*, asperrimus lapis in figuram metæ cuiusdam, sensim ad proceritatem consurgens excelsam; vtque radium imitetur, gracilescens paulisper, specie quadrata in verticem productus angustum, manu læuigatus artificis. Formarum autem innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas ei vndique videmus incisas, initialis sapientiæ vetus insigniuit auctoritas. Volucrum enim ferarumque, etiam alieni mundi, genera multa sculpentes, ad æui quoque sequentis ætates Imperatorum vulgatius perueniente memoria, promissa vel soluta regum vota monstrabant. Non enim, vt nunc litterarum numerus præstitutus & facilis exprimit quidquid humana mens concipere potest, ita prisci quoque scriptitarunt Ægyptii: sed singulæ litteræ singulis nominibus seruiebant, & verbis nonnumquam significabant integros sensus. Cuius rei scientiæ in his interim sit duobus exemplum. Per vulturem naturæ vocabulum pandunt: quia mares nullos posse inter has alites inueniri rationes memorant physicæ: perque speciem apis mella conficientis indicant regem; moderatori cum iucunditate aculeos quoque innasci debere, his signis ostendentes, & similia plurima. Et quia sufflantes adulatores ex more Constantium, id sine modo strepebant; quod quum Octauianus Augustus obeliscos duos ab Heliopolitana ciuitate transtulisset Ægyptia, quorum vnus in circo maximo, alter in campo locatus est Martio, hunc recens aduectum, difficultate magnitudinis territus, nec contrectare ausus est nec mouere: discant qui ignorant, veterem principem translatis aliquibus hunc intactum ideo præterisse, quod deo Soli speciali munere dedicatus, fixusque intra ambitiosi templi delubra quæ contingi non poterant, tamquam apex omnium eminebat. Verum Constantinus id parui ducens, auulsam hanc molem sedibus suis, nihilq; committere in religionem recte existimans, si ablatum vno templo miraculum Romæ sacraret, id est in templo mundi totius, iacere diu perpessus est, dum translationi pararētur vtilia. Quo conuecto per alueum Nili, proiectoque Alexandriæ, nauis amplitudinis antehac inusitatæ ædificata est sub trecentis remigibus agitanda. Quibus ita prouisis, digressoque vita principe memorato, vrgens effectus intepuit: tamdemque sero impositus naui, per maria fluentaque * Thybridis, velut pauentis ne quod pene ignotus miserat Nilus, ipse parum sub emeatus sui discrimine mœnibus alumnis inferret, defertur in vicum Alexandri, tertio lapide ab vrbe seiunctum: vnde chamulcis impositus, tractusque lenius per Ostiensem portam piscinamque publicam circo illatus est maximo. Sola post hæc restabat erectio, quæ vix aut ne vix quidem spetabatur posse compleri: erectisque vsque periculum altis trabibus, vt machinarum cerneres nemus, innectuntur vasti funes & longi, ad speciem multiplicium liciorum cęlum densitate nimia subtexēres: quibus colligatus mons ipse effigiatus scriptilibus elementis,

paulatimque * id per arduum inane protentus, diuque pensilis, hominum millibus multis, tamquam molendarias rotantibus metas, cauea locatur in media; eique sphæra superponitur ahena, aureis laminis nitens; qua confestim vi ignis diuini contacta, ideoq; sublata, facis imitamentũ in figura æreum, itidem auro imbracteatum, velut abundanti flamma * canentis. Sequutæque ætates alios transtulerunt: quorum vnus in Vaticano, alter in hortis Sallustii, duo in Augusti monumento erecti sunt. Qui autem notarum textus obelisco incisus est veteri, quem videmus in circo, Hermapionis librum sequuti, interpretatum litteris subiecimus Græcis: Ἀρχὴν ἀπὸ τοῦ νοτίου * διερμηνευμένα ἔχει στίχος πρῶτος. Τάδε λέγει ἥλιος βασιλεῖ Ραμέστῃ δεδωρήμεθα, ὃν πᾶσαν οἰκουμένην μετὰ χαρᾶς βασιλεύειν Ἥλιος φιλεῖ καὶ Ἀπόλλων κρατερὸς, φιλαλήθης υἱὸς Ἥρωνος, θεογέννητος, κτίστης τῆς οἰκουμένης, ὃν Ἥλιος προέκρινεν ἄλκιμος Ἄρεως βασιλεὺς Ραμέστης ᾧ πᾶσα ὑποτέτακται ἡ γῆ μετὰ ἀλκῆς καὶ θάρσους. βασιλεὺς Ραμέστης Ἡλίου παῖς αἰωνόβιος. Στίχος δεύτερος. Ἀπόλλων κρατερὸς, ὁ ἑστὼς ἐπ' ἀληθείας δεσπότης διαδήματος τὴν Αἴγυπτον δοξάσας κεκτημένος, ὁ ἀγλαοποιήσας Ἡλίου πόλιν, καὶ κτίσας τὴν λοιπὴν οἰκουμένην, καὶ * πολυτιμήσας τοὺς ἐν Ἡλίου πόλει θεοὺς ἀνιδρυμένους, ὃν Ἥλιος φιλεῖ. Τρίτος στίχος. Ἀπόλλων κρατερὸς Ἡλίου παῖς παμφεγγὴς, ὃν Ἥλιος προέκρινεν καὶ Ἄρης ἄλκιμος ἐδωρήσατο. οὗ τὰ ἀγαθὰ ἐν παντὶ διαμένει καιρῷ· ὃν Ἄμμων ἀγαπᾷ, πληρώσας τὸν νεὼν τοῦ φοίνικος ἀγαθῶν· ᾧ οἱ θεοὶ ζωῆς χρόνον ἐδωρήσαντο. Ἀπόλλων κρατερὸς υἱὸς Ἥρωνος, βασιλεὺς οἰκουμένης Ραμέστης, ὃς ἐφύλαξεν Αἴγυπτον τοὺς ἀλλοεθνοὺς νικήσας· ὃν Ἥλιος φιλεῖ· ᾧ πολὺν χρόνον ζωῆς ἐδωρήσαντο θεοί· δεσπότης οἰκουμένης Ραμέστης αἰωνόβιος. Ἄλλος στίχος δεύτερος. Ἥλιος θεὸς μέγας δεσπότης οὐρανοῦ· δεδώρημαί σοι βίον * ἀπρόσκορον. Ἀπόλλων κρατερὸς, κύριος διαδήματος ἀνείκαστος· ᾧ ἀνδριάντας ἀνέθηκεν ἐν τῇδε τῇ βασιλείᾳ δεσπότης Αἰγύπτου, καὶ ἐκόσμησεν Ἡλίου πόλιν ὁμοίως καὶ αὐτὸν Ἥλιον δεσπότην οὐρανοῦ. συνετελεύτησεν ἔργον ἀγαθὸν Ἡλίου παῖς βασιλεὺς αἰωνόβιος. Τρίτος στίχος. Ἥλιος θεὸς δεσπότης οὐρανοῦ, Ραμέστῃ βασιλεῖ δεδώρημαι τὸ κράτος καὶ τὴν κατὰ πάντων ἐξουσίαν· ὃν Ἀπόλλων φιλαλήθης δεσπότης χρόνων, καὶ Ἥφαιστος ὁ τῶν θεῶν πατὴρ προέκρινεν διὰ τὸν Ἄρεα· βασιλεὺς, παγχαρὴς, Ἡλίου παῖς, καὶ ὑπὸ Ἡλίου φιλούμενος. Ἀφηλιώτης, πρῶτος στίχος. Ὁ ἀφ' Ἡλίου πόλεως μέγας θεὸς ἐνουράνιος Ἀπόλλων κρατερὸς Ἥρωνος υἱὸς, ὃν Ἥλιος * ἠγάπησεν, ὃν οἱ θεοὶ ἐτίμησαν, ὁ πάσης γῆς βασιλεύων, ὃν Ἥλιος προέκρινεν, ὁ ἄλκιμος διὰ τὸν Ἄρεα βασιλεὺς, ὃν Ἄμμων φιλεῖ,

1110 καὶ ὁ παμφεγγὴς συγκρίνας αἰώνιον βασιλέα. & reliqua. Titiano & Cereali coss. quum vniuersa per Gallias studio cautiore disponerentur, formidoq; præteritorum barbaricos hebetaret excursus, rex Persarum in confiniis agens adhuc gentium extimarum, iamque cum Chionitis & * Halanis omnium acerrimis bellatoribus pignore icto societatis, rediturus ad sua, tum Saporis scripta suscepit, pacem Romanum principem nuntiantis poscere precatiuam. Ideoque non nisi infirmato imperii robore tentari talia suspicatus, latius semet extentans, pacis amplectitur nomen, & conditiones proposuit graues: missoque cum muneribus Narseo quodam legato, litteras ad Constantium dedit, nusquam a genuino fastu declinans: quarum hunc fuisse accepimus sensum: *Rex regum Sapor particeps siderum, frater Solis & Lunæ, Constantio Cæsari fratri meo salutem plurimam dico. Gaudeo tandemque mihi placet, ad optimam te viam reuertisse, & incorruptum æquitatis agnouisse suffragium, rebus ipsis expertum pertinax* ALIENI CVPIDITAS *quas aliquoties ediderit strages. Quia igitur* VERITATIS ORATIO *soluta esse debet & libera, & celsiores fortunas idem loqui decet atque sentire, propositum meum in pauca conferam; reminiscens hæc quæ dicturus sum, me sæpius replicasse. Adusque Strymona flumen & Macedonicos fines tenuisse maiores meos, antiquitates quoque vestræ testantur. Hæc me conuenit flagitare, (ne sit arrogans quod affirmo) splendore virtutumque insignium serie vetustis regibus antistantem. Sed vbique mihi cordi est re-*

est recordatio; cui coalitus ab adolescentia prima, nihil vmquam pœnitendum admisi. Ideoq; Armeniam recuperare cum Mesopotamia debeo, auo meo, composita fraude præreptam. Illud apud nos numquam acceptum fuit quod adseritis vos exsultantes, nullo discrimine virtutis ac doli prosperos omnes laudari debere bellorum euentus. Postremo si morem gerere suadenti volueris recte, contemne partem exiguam semper luctificam & cruentã, vt cætera regas securus; ac prudenter reputans, medelarum quoq; artifices vrere nonumquam & secare, & partes corporum amputare, vt reliquis vti liceat integris: hocq; bestias factitare: quæ quum aduertant cur maximopere capiantur, illud propria sponte amittunt, vt viuere deinde possint impauidæ. Id sane pronuntio; Quod si hæc mea legatio redierit irrita, post tempus hiemalis quietis exemptum, viribus totis accinctus, fortuna conditionumq; æquitate spem successus secundi fundante, venire quoad ratio siuerit, festinabo. His literis diu libratis, recto pectore (quod dicitur) consideratoq; responsum est hoc modo: *Victor terra mariq; Constantius semper augustus, fratri meo Sapori regi salutem plurimam dico. Sospitati quidem tuæ gratulor, vt futurus (si velis) amicus: cupiditatem vero semper indeflexam fusiusq; vagantem, vehementer insimulo. Mesopotamiam poscis vt tuam, perindeq; Armeniam & suades integro corpore adimere membra quædam, vt eius salus deinde locetur in solido: quod refutandũ est potius quam vlla consensione firmandum. Accipe igitur veritatem non obtectã præstigiis, sed perspicuam, nullisq; minis inanibus perterrendam. Præfectus prætorio meus, opinatus adgredi negotium publicæ vtilitati conducens, cum duce tuo per quosdam ignobiles me inconsulto, sermones conseruit super pace. Non refutamus hanc nec repellimus; adsit modo cum decore & honestate, nihil pudori nostro præreptura vel maiestati. Est enim absonum & indecens, quum gestarum rerum ordine* explicatæ sint aures, quas inuidiæ nobis multipliciter incluserunt, quum deletis tyrannis totus orbis Romanus nobis obtemperat, ea prodere quæ contracti in orientales angustias diu seruauimus illibatã. Cessent autem quæso formidines quæ nobis intentantur ex more: quum ambigi nequeat, non inertia nos sed modestia, pugnas interdum excepisse potius quam intulisse: & nostra, quoties lacessimur, fortissimo beneuolentiæ spiritu defensare: id experiendo legendoq; scientes, in prœliis quibusdam raro rem titubasse Romanam, in summa vero bellorum numquam ad deteriora prolapsam.* Hanc legationem nullo impetrato remissam (nec enim effrenatæ regis cupiditati responderi amplius quidquã potuit) post paucissimos dies sequutus est Prosper Comes, & Spectatus tribunus & notarius, itémque Eustachius Musoniano suggerente philosopho, vt opifex suadendi, Imperatoris scripta perferentes & munera; enisuri apparatũ interim Saporis arte quadam suspendere, vt supra humanum modum prouinciæ muniuntur arctoæ. Inter quæ ita ambigua Iuthungi, Alemannorum pars Italicis conterminans tractibus, obliti pacis & fœderũ quæ adepti sunt obsecrando, Rhætias turbulente vastabant, adeo vt etiam opidorum tentarent obsidia præter solitum. Ad quos repellendos cum valida manu missus Barbatio, in locum Siluani peditum promotus magister, ignauus, sed verbis effusior, alacritate militum vehementer erecta, prostrauit acerrime multos; ita vt exigua portio, quæ periculi metu se dedit in fugã, ægre dilapsa res suas non sine lacrymis reuiseret & lamentis. Huic pugnę Neuita postea consul, equestris præpositus turmæ, & affuisse, & fortiter fecisse firmatur. Iisdem diebus terræmotus horrendi per Macedoniam Asiamque & Pontum assiduis pulsibus opida multa concusserunt & montes. Inter monumenta tamen multiformium ærumnarũ eminuere Nicomediæ clades, Bithyniæ vrbium matris, cuius ruinarum euentum vere breuiterq; absoluam. Primo lucis exortu ad diem nonum cal. Septembr. concreti nubium globi nigrantiũ, lætam paullo ante cæli speciem confuderunt: & amandato solis splendore, nec contigua vel apposita cernebantur: ita oculorum obtutu præstricto, humo inuolutus crassæ caliginis squalor insedit. Dein velut numine summo fatales cõtorquente manubias, ventosque ab ipsis excitante cardinibus, magnitudo furentium incubuit procellarum: cuius impetu pulsorum auditus est montium gemitus, & elisi litoris fragor: hæcque sequuti typhones atque prestetes cum horrifico tremore terrarum, ciuitatem & suburbana funditus euerterunt. Et quoniam accliuitate collium ędes pleræq; vehebantur, aliæ super alias concidebant, reclangentibus cunctis sonitu ruinarum immenso. Interim clamoribus variis excelsa culmina resultabant, queritantium coniugium liberosque, & si quid necessitudinis arcte constringit. Post horam de-

nique secundam multo ante tertiam, aer iam sudus & liquidus latentes retexit funereas strages. Nonnulli enim superruentium ruderum vi nimia constipati, sub ipsis interiere ponderibus. Quidam collo tenus aggeribus obruti, quum superesse possent si qui iuuissent, auxiliorum inopia necabantur. Alii lignorũ exstantium acuminibus fixi pendebant. Vno ictu cæsi cõplures paulo ante homines; tunc promiscuæ strages cadauerum cernebantur. Quosdam domorum inclinata fastigia intrinsecus ferebant intactos, angore & inedia consumendo. inter quos Aristænetus affectatam regens diœcesin, curans vicaria potestate, quam Constantius ad honorem vxoris Eusebiæ, Pietatis cognominarat, animam hoc casu cruciatam diutius exhalauit. Alii subita magnitudine oppressi, iisdem adhuc molibus conteguntur. Collisis quidam capitibus, vel humeris præsectis aut cruribus, inter vitæ mortisque confinia, aliorum adiumenta paria perferentium implorantes, cum obtestatione magna deserebantur. Et superesse potuit ædium sacrarum & priuatarum hominumque pars maior, ni palantes abrupti flammarum ardores per quinquaginta dies & noctes, quidquid consumi poterat, exussissent. Adesse tempus existimo pauca dicere, quæ de terræ pulsibus coniectura veteres collegerunt. Ad ipsius enim veritatis arcana non modo hæc nostra vulgaris inscitia, sed ne sempiterna quidem lucubrationibus longis nondum exhausta physicorum ingenia penetrarunt. Vnde & in ritualibus & pontificiis obtemperantibus sacerdotiis, cautum ne alio deo pro alio nominato, quum qui eorum terram concutiat sit in abstruso, piacula committantur. Accidunt autem (vt opiniones æstimant; inter quas * Aristoteles æstuat & laborat) aut in cauernis minutis terrarum, quas syringas appellamus, inpulsu crebriori aquis vndabundis: aut certe (vt Anaxagoras affirmat) ventorum vi subeuntium ima terrarum: qui quum soliditatibus concrustatis inciderint, eruptiones nullas reperiẽtes, eas partes soli conuibrant, quas subrepserint humidi. Vnde plerumque obseruatur, terra tremente, ventorum apud nos spiramina nulla sentiri; quod in vltimis secessibus occupantur. Anaximander ait arescentem nimia æstuum siccitate, aut post madores imbrium terram rimas pandere grandiores, quas penetrat supernus aer violentus & nimius; ac per eas vehementi spiritu quassatam cieri propriis sedibus. Qua de caussa terrores huiusmodi vaporatis temporibus, aut nimia aquarum cælestium superfusione contingunt. Ideoque Neptunum, humentis substantiæ potestatem, *ennosigæon* & *sisichthona* poetæ veteres & theologi nuncupauerunt. Fiunt autem terrarum motus modis quatuor. aut enim * brasmatiæ sunt, qui humum intus suscitantes, sursum propellunt immanissimas moles: vt in Asia Delos emersit & Hiera, & Anaphe, & Rhodus, Ophiûssa & * Pelagia prioribus seculis dictitata, aureo quondam imbri perfusa; & Eleusin in Bœotia, & apud Tyrrhenos * Vulcani, insulæque plures. aut * climatiæ, qui * limes ruentes & obliqui, vrbes, ædificia, montesq; complanant. aut chasmatiæ, qui grandiori motu patefactis subito voratrinis, terrarũ partes absorbent: vt in Atlantico mari, Europæo orbe potior insula, & in Crisæo sinu Helice & Bura, & in Ciminia Italiæ parte opidum * Succinense profundo hiatu absorpta æternis tenebris occultantur. Inter hæc tria genera terræ motuum * Mycemariæ sonitu audiuntur minatorio: quum dissolutis elementa compagibus vltro adsiliunt, vel relabuntur considentibus terris. Tunc enim necesse est velut taurinis reboare mugitibus fragores fremitusque terrenos. Sed hinc ad exorsa. At Cæsar hiemem apud Parisios agens, Alemannos præuenire studio maturabat ingenti, nondum in vnum coactos, sed ad insaniam post Argentoratum audaces omnes & sæuos: opperiensque Iulium mensem, vnde sumunt Gallicani procinctus exordia, diutius angebatur. Nec enim egredi poterat, antequam ex Aquitania, æstatis remissione solutis frigoribus & pruinis, veheretur annona. Sed, vt est difficultatum pene omnium diligens RATIO victrix, multa mente versans & varia, id tantum reperit solum, vt anni maturitate non exspectata, barbaris occurreret insperatus. firmatoque consilio, XX dierum frumentum ex eo quod erat in sedibus consumendum, ad vsus diuturnitatem excoctum, buccellarum, (vt vulgo appellant) humeris imposuit libentium militum: hocque subsidio fretus, secundis (vt ante) auspiciis profectus est, intra mensem quintum vel sextum duas expeditiones consummari posse vrgentes & necessarias arbitratus.

arbitratus. Quibus paratis, petit primos omnium Francos; eos videlicet quos consuetudo* Salios appellauit; ausos olim in Romano solo apud Toxiandriam locum habitacula sibi figere prælicenter. Cui, quum Tungros venisset, occurrit legatio prædictorum, opinantium reperiri Imperatorem* etiam tum in hibernis; pacem sub hac lege prætendens, vt quiescentes eos, tamquam in suis, nec lacesseret quisquam nec vexaret. Hos legatos, negotio plene digesto, oppositaque conditionum perplexitate, vt in iisdem tractibus moraturus dum redeunt, muneratos absoluit. Dictoq; citius sequutus profectos, Seuero duce misso, per ripam subito cunctos adgressus, tamquam fulminis turbo perculsit. iamque precantes potius quam resistentes, in opportunam clementiæ partem effectu victoriæ flexo, dedentes se cum opibus liberisque suscepit. *Chamauos itidem ausos similia adortus, eadem celeritate partim cecidit, partim acriter repugnantes viuosque captos compegit in vincula: alios præcipiti fuga trepidantes, ad sua, ne militem spatio longo defatigaret, abire interim permisit innocuos: quorum legatis, paulo postea missis precatum consultumque rebus suis, humi prostratis sub obtutibus eius, pacem hoc tribuit pacto vt ad sua redirēt incolumes. Cunctis igitur ex voto currentibus, studio peruigili properans modis omnibus vtilitatem fundare prouinciarum, munimenta tria recta serie superciliis imposita fluminis Mosæ, subuersa dudum obstinatione barbarica, reparare pro tempore cogitabat: & ilico sunt instaurata procinctu paulisper omisso. atq; vt consilium prudens celeritas faceret tutum, ex annona decem dierum & septem, quam in expeditionem pergens vehebat ceruicibus miles, portionem subtractam in iisdem condidit castris; sperans ex Chamauorum segetibus id suppleri posse quod ablatum est. Longe autem aliter accidit. Frugibus enim nondum etiam maturis, miles expensis quæ portauit, nusquam reperiens victus, extrema minitans Iulianum compellationibus incessebat & probris, Asianum appellans Græculum & fallacem, & specie sapientiæ stolidum. Vtque inueniri solent quidam inter armatos verborum volubilitate conspicui, hæc & similia multa strepebant; *Quo trahimur spe meliorum abolita; olim quidem dura & perpessu asperrima per niues tolerantes & acumina crudelium pruinarum: sed nunc, proh nefas, quum vltimis hostium fatis instamus, fame, ignauissimo mortis genere, tabescentes? & nequis nos turbarum existimet concitores, pro vita loqui sola testamur, non aurum neque argentum petentes, quæ olim nec contrectare potuimus nec videre, ita nobis negata, velut contra remp. tot suscepisse labores & pericula confutatis.* Et erat ratio iusta querelarum. Inter tot enim rerum prubabilium cursus articulosque necessitatum ancipites, sudoribus Gallicanis miles exhaustus, nec donatiuum meruit nec stipendium, iam inde vt Iulianus illo est missus; ea re quod nec ipsi quod daret suppetere poterat vsquam, nec Constantius erogari more solito permittebat. Hocque exinde claruit, fraude potius quam tenacitate commissum quod quum idem Cęsar petenti ex vsu gregario cuidam vt barbas detonderet, dedisset aliquid vile, contumeliosis calumniis appetitus est a Gaudentio tunc notario, ad explorandos eius actus diu morato per Gallias; quem postea ipse interfici iussit, vt loco monstrabitur competenti. Lenito tandem tumultu non sine blanditiarum genere vario, contextoque nauali ponte Rheno transito, & terris Alemannorum calcatis, Seuerus magister equitū, bellicosus ante hæc & industrius, repente commarcuit. & qui sæpe vniuersos ad fortiter faciēdum hortabatur & singulos, tunc dissuasor pugnandi contemptus videbatur & timidus: mortem fortasse metuens aduentantem: vt in *Tagetis Tusci libris legitur, Vetitus fulmine mox tangendos adeo hebetari, vt nec tonitrum nec maiores aliquos possint audire fragores. & iter ignauiter egerat præter solitum; vt ductores viarum præeuntes alacri gradu vltima minitando terreret, ni omnes conspirantes in vnum se loca penitus ignorare firmarent. Qui interdicti metuentes auctoritatem, nusquam deinde sunt progressi. Inter has tamen moras Alemannorum rex Suomarius vltro cum suis improuisus occurrit; ferox ante sæuiensque in damna Romana, & tum lucrum existimans insperatum, si propria retinere permitteretur. Et quia vultus incessusque supplicem indicabat, susceptus, bonoque animo esse iussus & placido, nihil arbitrio suo relinquens, pacem genibus curuatis orabat. Et eam cum concessione præteritorum sub hac meruit lege, vt captiuos redderet nostros, & quoties

sit necesse, militibus alimenta præberet; susceptorum vilium more securitatem accipiens proillatis: quam si non ostendisset in tempore, sciret se rursus ea defatigandum. Quod ita recte dispositum, est impræpedite completum. Hortarii nomine perendus erat regis alterius pagus: & quia nihil videbatur deesse prætet ductores, Nesticæ tribuno scutariorum, & Charitoni viro fortitudinis miræ, imperauerat Cæsar vt magna quæsitum industria comprehensumque offerrent sibi captiuum: & correptus velociter adolescens ducitur Alemannus, pacto obtinendæ salutis pollicitus itinera se monstraturum. Hoc prægresso sequutus, exercitus celsarum arborum obsistente* concæde ire protinus vetabatur. Verum per circuitus longos & flexuosos ventum est tamdem ad loca: & ira quisq, percitus armatorum vrebat agros, pecora diripiebat & homines, resistentesque sine vlla parcimonia contruncabat. His malis perculsus rex, quum multiplices regiones, vicorumque reliquias cerneret exustorum, vltimas fortunatum iacturas adesse iam contemplatus, orauit ipse quoque veniam, facturum se imperanda, iurandi exsecratione restituere vniuersos promisit: id enim cura agebatur impensiore: detentisque plurimis, reddidit paucos. Quo cognito, ad indignationem iustam Iulianus erectus, quum munerandus venisset ex more, quatuor comites eius, quorum ope & fide maxime nitebatur, non ante absoluit dum omnes rediere captiui. Ad colloquium tamen accitus a Cæsare tremẽtibus oculis adorato, victorisque superatus aspectu, conditione difficili premebatur: hac scilicet, vt quoniã consentaneum erat, post tot secundos euentus ciuitates quoque reparari vi barbarorum excisas, carpenta & materias ex opibus suis suorumque præberet, & hoc pollicitus, imprecatusque, si perfidum quidquam egisset, luenda sibi cruore supplicia, ad propria remeare permissus est. Annonam enim transferre, ita vt Suomarius, ea re compelli non potuit, quod ad internecionem regione eius vastata, nihil inueniri poterat quod daretur. Ita reges illi tumentes quondam immaniter, rapinisque ditescere adsueti nostrorum, Romanæ potentię iugo subdidere colla iam domita, & velut inter tributarios nati & educati, obsecundabant imperio ingrauate. Quibus hoc modo peractis, disperso per stationes milite, consueta ad hiberna regressus est Cæsar. Hæc quum in comitatu Constantii subinde noscerentur, (erat enim necesse tamquam [appantorem] Cæsarem super omnibus gestis ad Augusti referre scientiam) omnes qui plus poterant in palatio, adulandi professores iam docti, recte consulta prospereque completa vertebant in deridiculum: talia sine modo strepentes insulse, *In odium venit cum victoriis suis capella, non homo*: vt hirsutũ Iulianum carpentes, appellantesque loquacem talpam, & purpuratam simiam, & litterionem Græcum: & his congruentia plurima atque vernacula principi resonantes, audire hæc taliaque gestienti, virtutes eius obruere verbis impudentibus conabantur; vt segnem incessentes & timidum & vmbratilem, gestaque secus verbis comptioribus exornantem: quod non tunc primitus accidit. Namque, vt *solet amplissima gloria obiecta esse semper inuidiæ*, legimus in veteres quoque magnificos duces vitia criminaque (etiamsi inueniri non poterant) finxisse malignitatem, spectatissimis actibus eorum offensam: vt Cimonem Miltiadis filium insimulatum incesti, qui prope Eurymedonta Pamphylium flumen Persarum populum deleuit innumerũ: coegitque gentem insolentia* regis elatam, obsecrare suppliciter pacem: Æmilianum itidem Scipionem, vt somniculosum, æmulorum incusari maleuolentia; cuius* impetrabili vigilantia obstinatæ in perniciem Romæ duæ sunt potentissimæ vrbes excisæ. nec non etiam in Pompeium obtrectatores iniqui multa scrutantes, quũ nihil vnde vituperari deberet, inueniretur, duo hæc obseruauerunt ludibriosa & irrita: quod genuino quodam more caput digito vno scalpebat, quodque aliquamdiu tegendi vlceris caussa deformis, fasciola candida crus colligabat: quorum alterum factitare vt dissolutum; alterum, vt nouarum rerum cupidum, asserebant; nihil interesse oblatrantes argumento subfrigido, quam partem corporis redimiret regiæ maiestatis insigni; in eum virum quo nec fortior nec cautior quisquam patriæ fuit. vt documenta præclara testantur. Dum hæc ita aguntur, Romæ Artemius curans vicariam præfecturam, pro Basso quoque agebat, qui recens promotus vrbi præfectus, fatali decesserat sorte. Cuius administratio seditiones perpessa est turbulentas: nec me-

nec memorabile quidquam habuit quod narrari sit dignum. Augusto inter hæc quiescenti per hiemem apud Sirmium, indicabant nuntii graues & crebri, permixtos Sarmatas & Quados, vicinitate & similitudine morum armaturæque concordes, Pannonias Mœsiarumque alteram cuneis incursare dispersis. quibus ad latrocinia magis quam aperto habilibus Marti, hastæ sunt longiores, & loricæ ex cornibus rasis & læuigatis, plumarum specie linteis indumentis innexæ: equorumque plurimi ex vsu castrati, ne aut fœminarum visu exagitati raptentur: aut in subsidiis ferocientes, prodant hinnitu densiore vectores. & per spatia discurrunt amplissima sequentes alios, vel ipsi terga vertentes insidendo velocibus equis & morigeris: trahentesque singulos, interdum & binos, vti permutatio vires foueat iumentorum, vigorque otio integretur alterno. Æquinoctio itaque temporis verni confecto, Imperator coacta militum valida manu, ductu *lenioris fortunæ profectus, quum ad locum aptissimum peruenisset, flumen Istrum exundantem pruinarum iam resoluta congerie, super nauium foros ponte contexto transgressus, populandis barbarorum incubuit terris. Qui itinere festinato præuenti, ceteruasque bellatoris exercitus iugulis suis imminere cernentes, quem nondum per anni tempus colligi posse rebantur, nec spirare ausi, nec stare, sed vitantes exitium insperatum, semet omnes effuderunt in fugam. Stratisq; plurimis, quorum gressus vinxerat timor, ii quos exemit celeritas morti, inter latebrosas conualles montium occultati, videbant patriã ferro pereuntem: quam vindicassent profecto, si vigore quo discesserant, restitissent. Gerebantur hæc in ea parte Sarmatiæ quæ secundam prospectat Pannoniam: parique fortitudine contra Valeriam, opes barbaricas ferendo rapiendoque, occurrentia militaris turbo vastabat. Cuius cladis immensitate permoti, posthabito consilio latendi, armati petendæ specie pacis agmine tripertito, agentes securius nostros aggredi cogitarunt: vt nec expedire tela, nec vim vulnerum declinare, nec (quod est in rebus arctissimis vltimum) verti posset in fugam. Aderant autem ilico Sarmatis periculorum Quadi participes, qui noxarum sæpe socii fuerant indiscreti: sed ne eos quidem prompta iuuit audacia in discrimina ruentes aperta. Cæsis enim compluribus, pars quæ potuit superesse, per notos calles euasit. Quo euentu vires & animos incitante, iunctis densius cuneis ad Quadorum regna properabat exercitus. qui ex præterito casu impendẽtia formidantes, rogaturi suppliciter pacem fidentes ad principis venere conspectum. Ergo hæc & similia lenituris, dictoq; die statuendis conditionibus, Zizais quoque etiam tum regalis, haud parui corporis iuuenis, ordines Sarmatarum more certaminis instruxit ad preces: visoque Imperatore, abiectis armis pectore toto procubuit exanimis stratus: & amisso vocis officio præ timore, tum quum orare deberet, maiorem misericordiam mouit, conatus aliquoties, parumque, impediente singultu, permissus explicare quæ poscebat Recreatus denique tamdem, iussusque exsurgere, genibus nixus, vsu linguæ recuperato, concessionem delictorum sibi tribui supplicauit & veniam. Eoque ad precandum admissa multitudo, cuius ora formido muta eludebat, periculo adhuc præstantioris ambiguo: vbi ille solo iussus attolli, orandi signum exspectantibus diu monstrauit, omnes clypeis telisque proiectis manus precibus dederunt, plura excogitantes vt vincerent humilitate supplicandi regalem. Duxerat *potior cum ceteris armatis etiam Rumonem & Zinafrum & Fragiledum subregulos, plurimosq; optimates cum impetrandi spe similia petituros. Qui licet elati gaudio salutis indultæ, conditionum sarcina compensare inimice facta pollicebantur, seque cum facultatibus & liberis & coniugibus, terrarumque suarum ambitu, Romanæ potentiæ libenter offerre: præualuit tamen æquitati iuncta benignitas: iussiq; obtinere sedes impauidi, nostros reddidere captiuos. Duxeruntque obsides postulatos, & obedire præceptis deinde promptissime spoponderunt. Hortante hoc exemplo clementiæ, aduolarunt regales cum suis omnibus *Arabarius & Vsafer, inter optimates excellentes agminum gentilium duces: quorum alter transiugitanorum Quadorum parti; alter quibusdam Sarmatis præerat, locorum confiniis & feritate iunctissimis: quorum plebem arcuit Imperator, ne ferire fœdera simulans, in arma repente consurgeret. Discreto consortio, pro Sarmatis obsecrantes iussi paulisper abscedere, dum *Arabarii & Quadorum nego

tium spectaretur. Qui quum eorum ritu oblati, stantes curuatis corporibus, facinora grauia purgare non possent, vltimæ sortis infortunia metuentes, dederunt obsides imperatos, numquam antea pignora fœderis exhibere compulsi. His ex æquo bonoque compositis, Vsafer in preces admissus est: Arabario pertinaciter obstrepente, firmanteque, pacem quam ipse meruit, ei quoque debere proficere, vt participi, (licet inferiori) & obtemperare suis imperiis consueto. Verum quæstione discussa, aliena potestate eripi Sarmatæ iussi, vt semper Romanorum clientes, offerre obsides quietis vincula conseruandæ, gratãter amplexi sunt. Ingerebat autem se post hæc maximus numerus cateruarum confluentium nationum & regum, suspendi a iugulis suis gladios obsecrantium, postquam Arabarium impune compererant abscessisse. Et pari modo ipsi quoque adepti pacem quam poscebant, accitos ex intimis regni procerum filios obsidatus sorte opinione celerius obtulerunt: iidemque captiuos (vt placuerat) nostros, quos haud minori gemitu perdidere quã suos. Quibus ordinatis, translata est in Sarmatas cura, miseratione dignos potius quam simultate: quibus incredibile quantum prosperitatis hæc attulit caussa: vt verum illud æstimaretur quod opinatur quidam, fatum vinci principis potestate, vel fieri. Potentes olim ignobiles erant huius indigenæ regni: sed coniuratio clandestina seruos armauit in facinus: atque vt barbaris esse omne ius in viribus assueuit, vicerunt dominos ferocia pares, & numero præminentes. Qui confundente metu consilia, ad Victobalos discretos longius confugerunt; obsequi defensoribus, vt in malis optabile, quam seruire suis mancipiis arbitrati. quæ deplorantes, post impetratam veniam recepti in fidem, poscebant præsidia libertati. eoque iniquitate rei permotus, inspectante omni exercitu cõuocatos alloquutus verbis mollioribus Imperator, nulli nisi sibi ducibusq; Romanis parere præcepit. Atque vt restitutio libertatis haberet dignitatis *augmentum, Zizaim regem iisdem præfecit conspicuæ fortunę, tum insignibus aptum profecto (vt res docuit) & fidelem nec discedere quisquã post hæc gloriosa gesta permissus est, antequã (vt placuerat) remearent nostri captiui. His in barbarico gestis, Bregetionem castra commota sunt: vt etiam ibi belli Quadorum reliquias, circa illos agitantiũ tractus lacrymæ vel sanguis exstingueret. quorum regalis *Vitrodorus Viduarii filius regis, & Agilimundus subregulus, aliiq; optimates & iudices variis populis præsidentes, viso exercitu, in gremio regni soliq; genitalis, sub gressibus iacuere militum; & adepti veniam, iussa fecerunt: sobolemque suam obsidatus pignore, vt obsequuturi conditionibus impositis, tradiderunt: eductisque mucronibus, quos pro numinibus colunt, iurauere se permansuros in fide. His (vt narratum est) secundo finitis euentu, ad *Limigantes Sarmatas seruos ocius signa transferri vtilitas publica flagitabat; quos erat admodum nefas impune multa & nefaria perpetrasse. Nam velut obliti priorum, tum erumpentibus liberis, ipsi quoq; tempus aptissimum nacti, limitem perrupere Romanum; ad hanc solam fraudem dominis suis hostibusque concordes. Debberatum est tamen id quoque lenius vindicari, quam criminum magnitudo poscebat: hactenus vltione porrecta, vt ad longinqua translati, amitterent copiam nostra vexandi: quos pericula formidare monebat scelerum conscientia diutius commissorum. Ideoq; in se pugnæ molem suspicati vertendam, dolos parabant, & ferrum, & preces. Verum aspectu primo exercitus tamquam fulminis ictu percussi, vltimaq; cogitantes, vitam precati, tributum annuum delectumq; validæ iuuentutis, & seruitium spoponderunt: annuere parati, si iuberentur, aliorsum migrare; (vt gestibus indicabant & vultibus) locorũ confisi præsidio, vbi lares, post exactos inde dominos, fixere securi. Has enim terras Parthiscus irruens obliquatis meatibus Istro miscetur. Sed dum solus licentius fluit, spatia longa & lata sensim prętcrlabens, & ea coarctans prope exitum in angustias, accolas ab impetu Romanorum alueo Danubii defendit, a barbaricis vero excursibus suo tutos præstat obstaculo: vbi pleraq; humidioris soli natura & incrementis fluminum redundantia, stagnosa [sunt] & referta salicibus; ideoque inuia, nisi perquam gnaris: & super his insularem anfractum, aditu Parthisci pene contiguum, amnis potior ambiens, terræ consortio separauit. Hortante igitur principe, cum genuino fastu ad citeriorem venere fluminis ripam, vt exitus docuit, non iussa facturi, sed ne viderentur mili-

tur mili-

tur militis præsentiam formidasse: stabantque contumaciter: ideoque propinquasse monstrantes, vt iubenda repudiarent. Quæ Imperator accidere posse contemplans, in agmina plurima clam distributo exercitu, celeritate volucri migrantes intra suorum acies clausit. Stansque in aggere celsiore cum paucis, & stipatorum præsidio tectus, eos, ne ferocirent, lenius admonebat. Sed fluctuantes ambiguitate mentiū, in diuersa rapiebantur; & furori mixta versutia tentabant cum precibus prœlium: vicinumque sibi in nostros parantes excursum, proiecere consulto longius scuta: vt ad ea recuperanda sensim progressi, sine vllo fraudis indicio spatia furarentur. Iamque vergente in vesperum die, quum moras rumpere lux moneret, incedēs erectis vexillis, in eos igneo miles impetu ferebatur. Qui conferti, acieque densiore contracta, aduersus ipsum principem stantem (vt dictum est) altius, omnem impetum contulerant, cum oculis incessentibus & vocibus truculentis. Cuius furoris amentiā exercitus ita ferre non potuit: eosque Imperatori (vt dictum est) acriter imminentes, desinente in angustum fronte, quem habitum *caput porci* simplicitas militaris appellat, impetu disiecit ardenti: & dextra pedites cateruas peditum obtruncabant, equites læua equitum se turmis agilibus infuderunt. Cohors prætoria ex aduerso Augustum cautius stipans, resistentium pectora, moxque terga fugientium, cædebat: & cadentes insuperabili contumacia barbari, non tam mortem dolere, quam nostrorum lætitiam, horrendo stridore monstrabant: & iacentes absque mortuis plurimi succisis poplitibus, ideoque adempto fugiendi subsidio; alii dexteris amputatis; nonnulli ferro quidem intacti, sed superruentium collisi ponderibus, cruciatus alto silentio perferebant: nec eorum quisquam inter diuersa supplicia veniam petiit, aut ferrum proiecit, aut exorauit celerem mortem; sed arma iugiter retinentes, licet afflicti, minus criminis æstimabant alienis viribus quam conscientiæ suæ iudicio vinci. mussantesque audiebantur interdum, fortunæ non meriti, fuisse quod euenit. Ita in semihoræ curriculo discrimine prœliorum emenso, tot procubuere subito barbari, vt pugnam fuisse sola victoria declararet. Vix dum populis hostilibus stratis, gregatim peremptorum necessitudines ducebantur humilibus extractæ tuguriis, ætatis sexusque promiscui: & fastu vitæ prioris abolito, ad infimitatem obsequiorum venere seruilium: & exiguo temporis interuallo decurso, cæsorum aggeres, & captiuorum agmina cernebantur. Incitante itaq; feruore certaminum, fructuq; vincendi, cōsurrectum est in perniciem eorum qui deseruere prœlia, vel in tuguriis latitantes occultabantur. Hos, quum ad loca venisset auidus barbarici sanguinis miles, disiectis culmis leuibus obtruncabat: nec quemquā casa, vel trabibus compacta firmissimis, periculo mortis extraxit. Deniq; quum inflammarentur omnia, non vllusque latere iam posset, cunctis vitæ præsidiis circumcisis, aut obstinate igni peribat absumptus, aut incendium vitans, egressus vno supplicio declinato, ferro sternebatur hostili. Fugientes tamen aliqui tela incendiorumque magnitudinem, amnis vicini se commisere gurgitibus; peritia nandi ripas vlteriores occupare posse sperantes: quorū pleriq; submersi necatiq; sunt, alii iaculis periere confixi: adeo vt abunde cruore diffuso meatus fluminis spumaret tumens: ita per elementū vtrumq; armata vincentiū ira virtusq; deleuit. Placuerat igitur post hunc rerum ordinem cunctis adimi spem omnem vitæq; solatium: & post lares incensos raptasque familias, nauigia iussa sunt colligi, ad indagandos quos a nostrorum acie vlterior discreuerat ripa: statimque, ne alacritas intepesceret pugnatorum, impositi lintribus per abdita ducti velites expediti, occuparunt latibula Sarmatarum: quos repentinus fefellit aspectus, gentiles lembos & nota remigia conspicantes. Vbi vero procul micantibus telis, quod verebantur, propinquare senserunt, ad suffugia locorum palustrium se contulerunt: eosque sequutus infestius miles, cæsis plurimis ibi victoriā reperit vbi nec caute posse consistere, nec audere aliquid credebatur. Post absumptos pene *diffusos Amicenses, petiti sunt sine mora Picenses, ita ex regionibus appellati conterminis: quos tutiores fecere sociorum ærumnæ, rumorum assiduitate compertæ. Ad quos opprimendos (erat enim arduum sequi per diuersa sparsos, imprudentia viarum arcente) Taifalorum auxilium, & liberorum adæque Sarmatarum adsumptum est. Quumque auxiliorum agmina locorum ratio separa-

ret, tractus contiguos Mœsiæ sibi miles elegit; Taifali, proxima suis sedibus obtinebant; liberi, terras occupatierant e regione sibi * oppositas. Limigantes, territi recentibus subactorum exemplis & prostratorum, diu hæsitabant ambiguis mentibus, vtrum oppeterent an rogarent; quum vtriusque rei suppeterent documẽta non leuia. Vicit tamen ad vltimum, cœtu seniorum vrgente, dedendi se consilium: variæque palmæ victoriarum, accessit eorum quoque supplicatio, qui armis libertatem inuaserant: & reliqui eorum cum precibus, vt superatos & imbelles dominos aspernati, fortioribus visis inclinauere ceruices. Accepta itaque publica fide, & deserto montium propugnaculo, ad castra Romana conuolauit eorum pars maior, diffusa per spatia ampla camporum, cum parentibus & natis atque coniugibus, opumque vilitate quam eis celeritatis ratio futari permisit. & qui animas amittere potius quam cogi solum vertere putabantur, dum licentem amentiam libertatem existimarent, parere imperiis, & sedes alias suscipere sunt adsensi, tranquillas & fidas, vt nec bellis vexari, nec mutari seditionibus possint. Iisdemque ex sententia (vt credebatur) acceptis, quieuere paulisper; post feritate natiua in exitiabile scelus erecti, vt congruo docebitur textu. Hoc rerum prospero currente successu, tutela Illyrico competens gemina est ratione firmata: cuius negotii duplicem magnitudinem Imperator aggressus, vtramque perfecit. Exsules populos, licet mobilitate suspectos, actutos tamen paulo verecundius, tandem reductos in auitis sedibus collocauit. Iisdemque ad gratiæ cumulum, non ignobilem quempiam regem, sed quem ipsi antea sibi præfecere, regalem imposuit, bonis animi corporisque præstantem. Tali textu recte factorum Constantius iam * metuente sublimior; militarique consensu secundo *Sarmaticus* appellatus ex vocabulo subactorum; iamque discessurus, conuocatis cohortibus & centuriis & mampulis omnibus, tribunal insistens, signisque ambitus & aquilis, & agmine multiplicium potestatum, his exercitum alloquutus est, ote omnium fauorabilis, vt solebat; *Hortatur recordatio rerum gloriose gestarum, omni iucunditate viris fortibus gratior, admodum verecunde replicare quæ diuinitus delata sorte vincendi & ante prælia, & in ipso correximus feruore pugnarum, Romanæ rei fidissimi defensores. Quid enim tam pulcrum tamque posteritatis memoriæ iusta ratione mandandum, quam vt* MILES *strenue factis,* DVCTOR *prudenter consultis exsultet? Persultabat Illyricum furor hostilis, absentiam nostram inanitate tumentis despiciens, dum Italos tueremur & Gallos: variisque discursibus vastabat extima limitũ; nunc cauatis roboribus, aliquoties peragrans pedibus flumina; non congressibus nec armis fretus aut viribus, sed latrociniis assuetus occultis, astu & ludificandi varietate, iam inde ab institutis agente, nostris quoq; maioribus formidatus: quæ, longius disparati quæ ferri poterant tulimus, leuiores iacturas efficacia ducum vetari posse sperantes. Vbi vero per licentiam scandens in maius, ad funestas prouinciarum clades erepsit & crebras, communitis aditibus Rhæticis, tutelaque peruigili Galliarum securitate fundata, terrore nullo relicto post terga venimus in Pannoniam, vt placuit numini sempiterno, labentia firmaturi: cunctisq; paratis (vt nostis) vere adulto egressi, arripuimus negotiorum maximas moles: primum, ne struendo textis compagibus ponti telorum officeret multitudo: quo opera leui perfecto, visis terris hostilibus & calcatis, obstinatis ad mortem animis conatos resistere Sarmatas absq; nostrorum dispendio strauimus: pariq; petulantia ruentes in agmina nobilium legionum Quados Sarmatis adiumenta ferentes, attriuimus. Qui post ærumnosa dispendia inter discursus & repugnandi minaces anhelitus, quid nostra valeat virtus experti, manus ad dimicandum aptatas, armorum abiecto munimine pone terga vinxerunt: restareq; solam salutem contemplantes in precibus, affusi sunt vestigiis Augusti clementis; cuius prælia sæpe compererant exitus habuisse felices. His sequestratis, * Limigantes quoque fortitudine superauimus pari: interfectisq; pluribus, alios periculi declinatio adegit suffugia petere latebrarum palustrium. Hisq; secundo finitis euentu, lenitatis tempus aderat tempestiuæ. Limigantes ad loca migrare compulimus longe diserta, ne in perniciem nostrorum se commouere possent vlterius & pepercimus plurimis: & Zizaim præfecimus liberis, dicatum nobis futurum & fidum, plus æstimãtes creare quam afferre barbaris regem · hoc decore augente solennitatem, quod iisdem quoque rector tributus, antehac electus est et acceptus. Quadruplex igitur præmium, quod vnus procinctus absoluit, nos quæsiuimus & resp. primo vltione parta de grassatoribus noxiis, deinde*

inde quot vobis abunde sufficient ex hostibus captiuis: (his enim virtutem oportet esse contentam, quæ sudore quæsiuit & dexteris) nobis amplas facultates opum, quæ sunt magni thesauri, integra omnium patrimonia, nostri labores & fortitudo seruauerint. hoc enim boni principis menti, hoc successibus congruit prosperis. Postremo ego quoque hostilis vocabuli spolium præ me fero,* SECVNDI SARMATICI *cognomentum, quod vos vnum idemq; sentientes mihi (ne sit arrogans dicere) merito tribuistis.* Post hunc dicendi finem, concio omnis alacrior solito, aucta spe potiorum & lucri, vocibus* vestis in laudes Imperatoris assurgens, demumque ex vsu testata, non posse Constantium vinci, tentoria repetit læta. Et reductus Imperator ad regiam, otioq; bidui recreatus, Sirmium cum pompa triumphali regressus est; & militares numeri destinatas remearunt sedes. Hisce iisdem diebus Prosper & Spectatus atque Eustachius, legati ad Persas, vt supra docuimus, missi, Ctesiphonta reuersum regem adiere, litteras proferentes Imperatoris & munera: poscebantque rebus integris pacem; & mandatorum memores, nusquam ab vtilitate Romanæ rei maiestateque discedebant; amicitiæ fœdus sub hac lege firmari debere asseuerantes, ne super turbando Armeniæ vel Mesopotamiæ statu quidquam moueretur. Diu igitur ibi morati, quum obstinatissimum regem, nisi harum regionum dominio sibi adiudicato, obdurescentem ad suscipiendam cernerent pacem, negotio redierunt infecto. Post quod, id ipsum conditionum robore pari impetraturi, Lucillianus missus Comes, & Procopius tunc notarius; qui postea, nodo quodam violentæ necessitatis adstrictus, ad res consurrexit nouas.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER DECIMVS OCTAVVS.

HÆc per orbis varias partes vno eodemque anno sunt gesta. At in Galliis, quum in meliore statu res esset, & Eusebium atque Hypatium fratres sublimarent vocabula consulum, Iulianus contextis successibus clarus, apud hiberna, sequestratis interim sollicitudinibus bellicis, haud minore cura prouinciarum fortunis multa conducentia disponebat; diligenter obseruans ne quem tributorum sarcina prægrauaret; neue potentia premeret aliena, aut hi versarentur in medio quorum patrimonio publicæ clades augebant, vel iudicum quisquam ab æquitate deuiaret impune. Idque ea re leui labore correxit, quod ipse iurgia dirimens, vbi caussarum cogebat magnitudo vel personarum, erat indeclinabilis iustorum, iniustorumque distinctor. Et licet multa sint eius laudanda in huiusmodi controuersiis, vnum tamen sufficiet poni, ad cuius similitudinem acta vel dicta sunt. Numerium, Narbonensis paulo ante rectorem, accusatum vt furem, inusitato censorio rigore pro tribunali palam admissis volentibus audiebat: qui quum infitiatione defenderet obiecta, nec posset in quoquam confutari, Delphidius orator acerrimus vehementer eum impugnans, documentorum inopia percitus exclamauit; *Ecquis, florentissime Cæsar, nocens esse poterit vsquam, si negare suffecerit?* Circa quem Iulianus prudenter motus ex tempore; *Ecquis,* ait, *innocens esse poterit, si accusasse sufficiet?* Et hæc quidem, & huiusmodi multa, ciuilia. Egressurus autem ad procinctum vrgentem, quum Alemannorum pagos aliquos esse reputaret hostiles, & ausuros immania, ni ipsi quoque ad ceterorum sternerentur exempla, hærebat anxius qua vi, qua celeritate (quum primum ratio copiam tribuisset) rumore præcurso terras eorum inuaderet repentinus. Sedit tandem multa & varia cogitanti, id tentare, quod vtile probauit euentus. Hariobaudem vacantem tribunum fidei fortitudinisque notæ, nullo conscio, legationis specie ad Hortarium miserat regem iam pacarum; vt exinde facile ad collimitia progressus eorum, in quos erant arma protinus commouenda, scitari possit quid molirentur, sermonis barbarici perquam

gnaris. quo fidentet ad hæc pattanda digresso, ipse anni tempore opportuno, ad expeditionem vndique milite conuocato profectus, id inter potissima mature duxit implendum, vt ante prœliorum feruorem ciuitates multo ante excisas introiret, receptasque communiret: horrea quinetiam exstrueret pro incēsis, vbi condi posset annona a Britannis sueta transferri. Et vtrumque perfectum est spe omnium citius. nam & horrea veloci opere surrexerunt, alimentorumque in iisdem satias condita: & ciuitates occupatæ sunt septem: Castra Herculis, Quadriburgum, *Tricesimæ, Niuesio, Bonna, *Antennacum, & Bingio: vbi læto quodam euentu etiam Florentius præfectus apparuit subito, partem militum ducens, & commeatuum perferens copiam sufficientem vsibus longis. Post hæc impetrata, restabat, adigente necessitatum articulo, receptarum vrbium mœnia reparari, nullo etiam tum interturbante: idque claris indiciis apparet, ea tempestate vtilitati publicę metu barbaros obedisse, non rectoris amore. Romanis reges ex pacto superioris anni, ædificiis habilia multa suis misere carpentis: & auxiliarii milites semper munia spernentes huiusmodi, ad obsequendi sedulitatem Iuliani blanditiis deflexi quinquagenarias longioresque materias vexere ceruicibus ingrauate; & fabricandi ministeriis operam maximam contulerunt. Quæ dum diligenti maturantur effectu, Hariobaudes exploratis omnibus redit, docuitque comperta. Post cuius aduentum incitatis viribus, omnes venere Mogontiacum. vbi Florentio & Lupicino Seueri successore destinate certantibus, per pontem illic constitutum transiri debere, renitebatur firmissime Cæsar; asserens pacatorum terras non debere calcari, ne (vt sæpe conting'r) per inciuilitatem militis occurrentia vastantis, abrupte fœdera frangerentur. Alemanni tamen omnes, quos petebat exercitus, confine periculum cogitantes, Suomarium regem amicum nobis ex pactione præterita, monuerunt minaciter, vt a transitu Romanos arceret. Eius enim pagi, Rheni ripis vlterioribus adhærebant. Quo testante solum non posse, in vnum coacta barbarica multitudo venit prope Mogontiacum, prohibitura viribus magnis exercitum ne transmitterent flumen. Gemina itaq; ratione visum est habile quod suaserat Cæsar, ne pacatorum terræ corrumperentur; neue renitente pugnacissima gente, pons cum multorum discrimine iungeretur in locum ad compaginandum pontem aptissimum. Quod hostes sollertissime contemplati, per contrarias ripas leniter incedentes, vbi nostros figere tentoria procul cernebant, ipsi quoque noctes agebant exsomnes, custodientes peruigili studio ne transitus tentaretur. Verum quum nostri locum aduentarent prouisum, vallo fossaque quieuere circumdati. & accito Lupicino in consilium, Cæsar certis imperauit tribunis vt trecentenos pararent cum sudibus milites expeditos, quid agi quoue iri deberet penitus ignorantes. Et collecti nocte prouecta, impositique omnes quos lusoriæ naues quadraginta, quæ tunc aderant solæ, ceperunt, decurrere iubentur per flumen adeo taciti vt etiam remi suspenderentur; ne barbaros sonitus excitaret vndarum: atque mentis agilitate & corporum, dum hostes nostrorum ignes obseruant, aduersas perrumpere limitis ripas. Dum hæc celerantur, Hortarius rex, nobis ante fœderatus, non nouaturus quædam, sed amicus finitimis quoq; suis, reges omnes & regales & regulos, ad conuiuium corrogatos, retinuit epulis, adusque vigiliam tertiam more gentili extentis: quos discedentes inde, casu nostri ex improuiso adorti, nec interficere, nec corripere vllo modo potuerunt, tenebrarum equorumque adiumento, quo dubius impetus trusit abreptos. Lixas vero vel seruos qui eos pedibus sequebantur, nisi quos exemit discrimine temporis obscuritas, occiderunt. Cognito denique Romanorum transitu, qui tunc perque expeditiones præteritas ibi leuamen sumere laborum opinabantur, vbi hostem contingeret inueniri, perculsi reges eorumq; populi, qui pontē, ne strueretur, studio seruabāt intento, metu exhorrescētes diffuse vertūtur in pedes: & indomito furore sedato, necessitudines opesq; suas transferre longi' festinabāt. Statimq; difficultate omni depulsa, pōte cōstrato sollicitatū gentiū opinione preuenta, visus in barbarico miles, per Hortarii regna transibat intacta. Vbi vero terras infestorū etiātum tetigit regū, vrens omnia rapiensq;, per mediū rebelliū solū grassabatur intrepidus. Postq; sepimēta fragiliū penatiū inflāmata, & obtrūcatā hominū multitudinē, visosq; cadētes multos aliosq; supplicantes,

plicantes, quum ventum fuisset ad regionem cui Capellatii, vel Palas, nomen est, vbi terminales lapides *Alemannorum & Burgundorum confinia distinguebant, castra sunt posita: ea propter vt Macrianus & Hariobaudus germani fratres & reges, susciperentur impauidi: qui propinquare sibi perniciem sentientes, venerant pacem anxiis animis precaturi. Post quos statim rex quoque Vadomarius venit, cuius erat domicilium contra Rauracos: scriptisque Constantii principis, quibus commẽdatus est, arctius allegatis, leniter susceptus est, olim ab Augusto in clientelam rei Romanæ susceptus. Et Macrianus quidem cum fratre inter aquilas admissus & signa, stupebat armorum viriumq; varium decus, visa tunc primitus, pro que suis orabat. Vadomarius vero nostris coalitus, vtpote vicinus limiti, mirabatur quidẽ apparatum ambitiosi procinctus; sed vidisse se talia sæpe adolescentia meminerat prima. Libratis deniq; diu cõsiliis, concordi assensione cunctorũ, Macriano quidem & Hariobaudo pax est attributa: Vadomario vero, qui suam locaturus securitatem in tuto, & legationis nomine precator venerat pro Vrio & Vrsicino & Vestralpo regibus, pacem itidem obsecrans, interim responderi non poterat; ne (vt sunt fluxioris fidei barbari) post abitum *recordati nostrorum, parum adquiescerent per alios impetratis. Sed quum ipsi quoq; missis legatis post messes incensas & habitacula, captosq; plures & interfectos, ita supplicarẽt tamquam ipsi hæc deliquissent in nostros, pacẽ conditionum similitudine meruerunt. Inter quas id festinatum est maxime vt captiuos restituerent omnes, quos rapuerant excursibus crebris. Hæc dum in Galliis cælestis corrigit cura, in comitatu Augusti turbo nouarum exoritur rerum, a primordiis leuibus ad luctus & lamenta progressus. In domo Barbationis, pedestris militiæ tunc rectoris, examen apes fecere perspicuum. Superque hoc [ei] prodigiorum gnaros sollicite consulenti, discrimen magnum portendi responsum est; coniectura videlicet tali, quod hæ volucres post compositas sedes opesque congestas, fumo pelluntur, & turbulento sonitu cymbalorum. Huic vxor erat Assyria nomine, nec taciturna nec prudens: quæ eo ad expeditionem profecto & multiplici metu suspenso, ob ea quæ meminerat sibi prædicta, perculsa vanitate muliebri, ancilla adscita notarum perita, quam e patrimonio Siluani possederat, ad maritum scripsit intempestiue, velut flens, obtestansque ne post obitum Constantii propinquantem, in imperium ipse (vt sperabat) admissus, despecta se anteponeret Eusebiæ matrimonium, tunc reginæ, decore corporis inter multas fœminas excellentis. Quibus litteris occulte, quantum fieri potuit, missis, ancilla quæ domina dictante perscripserat, reuersis omnibus e procinctu, exemplũ ferens ad Arbetionem noctis prima quiete confugit; auideque suscepta, chartulam prodidit. Hocq; indicio ille confisus, vt erat ad criminandum aptissimus, principi detulit: atq; ex vsu, nec mora vlla negotio tributa nec quiete, Barbatio epistolã suscepisse confessus, & mulier scripsisse documento conuicta non leui, ceruicibus interiere præcisis. Hisq; punitis, quæstiones longe serpebant, vexatique multi nocentes sunt & innocentes. Inter quos etiam Valentinus ex *primicerio protectorum tribunus, vt conscius inter complures alios tortus aliquoties, superuixit, penitus quid erat gestum ignorans: ideoque ad iniuriæ periculique compensationem, ducis in Illyrico meruit potestatem. Erat autem idem Barbatio subagrestis arrogantisque propositi; ea re multis exosus, quod & dum domesticos protectores sub Gallo regeret Cæsare, proditor erat & perfidus: & post eius excessum nobilioris militiæ statu elatus, in Iulianum itidem Cæsarem paria confingebat; crebroque, detestantibus bonis, sub Augusti patulis ausibus multa garriebat & sæua; ignorans profecto notum Aristotelis sapiens dictum; qui Callisthenem sectatorem & propinquum suum ad regem Alexandrum mittens, ei sæpe mandabat vt quam rarissime & iucunde apud hominem loqueretur, vitæ potestatẽ & necis in acie linguæ portantem. Ne sit hoc mirum, homines profutura discernere nonnumquam & decentia, quorum mentes cognatas cælestibus arbitramur: animalia ratione carentia, salutem suam interdum alto tueri silentio solent; vt exemplum est hoc perquam notum: linquentes orientem *grues ob calorem, plagamque petentes occiduam, quum montẽ penetrare cœperint Taurum aquilis abundantẽ, timentes fortissimas volucres, rostra lapillis occludunt, ne eis eliciat vel necessitas

extrema clangorem: iisdemque collibus agiliore volatu transcursis, proiiciunt calculos: atque ita securius pergunt. Dum apud Sirmium hæc diligentia quæruntur impensa, orientis fortuna periculorum terribiles tubas inflabat. Rex enim Persidis, ferarum gentium quas placarat adiumentis accinctus, augendique regni cupiditate super homines flagrans, arma viresque parabat & commeatus; consilia tartareis manibus miscens, & præstigiatores omnes consulens de futuris. hisque satis collectis, peruadere cuncta prima verni temperie cogitabat. Et quum hæc primo rumores, deinde nuntii certi perferrent, omnesque suspensos aduentantium calamitatum complicaret magna formido, Comitensis fabrica, eamdem incudem (vt dicitur) diu noctuque tundendo ad spadonum arbitrium, Imperatori suspicanti ac timido intendebat Vrsicinum, velut vultus Gorgonei toruitatem, hæc sæpe taliaq. replicans, quod interempto Siluano, quasi penuria meliorum ad tuendas partes eoas denuo missus, altius anhelabat. Hac autem assentandi nimia fœditate mercari complures nitebantur Eusebii fauorem, cubiculi tunc præpositi, (apud quem, si vera dici debent, multa Constantius potuit) antedicti magistri equitum salutem acriter impugnantis ratione bifaria: quod omnium solus nec opis eius egebat, vt ceteri, & domo sua non cederet Antiochiæ, quam molestissime flagitabat: qui vt coluber copia virus exuberans, natorum multitudinem etiam tum ægre * serpentem excitans, ad nocendum emittebat cubicularios iam adultos: vt inter ministeria vitæ secretioris, gracilitate vocis semper puerilis & blandæ, apud principis aures nimium patulas, existimationem viri fortis inuidia graui pulsarent: & breui iussa fecerunt. Horum & similium tædio iuuat veterem laudare Domitianum, qui licet patri fratrique dissimilis, memoriam nominis sui inexpiabili detestatione perfudit; tamen receptissima inclaruit lege, qua minaciter interdixerat ne intra terminos iurisdictionis Romanæ castraret quisquam puerum: quod ni contigisset, quis eorum ferret examina quorum paucitas difficile toleratur? Actum est tamen cautius, ne (vt fingebat) rursus accitus idem Vrsicinus metu cuncta turbaret, sed, quum fors copiam detulisset, raperetur ad mortem. Hæc opperientibus illis, & ancipiti cogitatione districtis, nobis apud Samosatam Comageni quondam regni clarissimam sedem parumper morantibus, repente noui motus rumoribus densis audiuntur & concretis; quos docebit orationis progrediens textus. Antoninus quidam, ex mercatore opulento rationatius apparitor, Mesopotamiæ ducis tunc protector, exercitatus & prudens, perque omnes illas notissimus terras, auiditate quorumdam nexus ingentibus damnis, quumque iurgando contra potentes se magis magisq; iniustitia frangi contemplaretur, ad deferendam potentioribus gratiam qui spectabant negotium, inclinatis, ne cõtra acumina calcitraret, flexit se in blanditias molliores: confessusque debitum per colludia in nomen fisci translatum. iamque ausurus immania, rimabatur tectius reip. membra totius & vtriusque linguæ litteras sciens, circa ratiocinia versabatur, qui vel quarum virium milites vbi agant, vel procinctus tempore quos tuerentur, describens: itidem armorum & commeatuum copiæ, aliaque vsui bello futura, an abunde suppetant, indefessa sciratione percontans. Et quum totius orientis didicisset interna, virorum stipendiique parte maxima per Illyricũ distributa, vbi distinebatur ex negotiis seriis Imperator: adlapsuro iam præstituto die soluendæ pecuniæ, quam per syngrapham debere se confiteri vi metuque compulsus est; quum omnibus se prospiceret vndique periculis opprimendum, largitionum comite ad alterius gratiam infestius perurgente, fugam ad Persas cum coniuge liberisque & omni vinculo caritatum, ingenti molimine conabatur. Atque vt laterer stationarios milites, fundum in Hiaspide, qui locus Tigridis fluentis alluitur, pretio non magno mercatur. Hocque commento, quum nullus caussam veniendi ad extremas Romani limitis partes, iam possessorem cum plurimis auderet exigere, per familiares fidos peritosque nandi occultis sæpe colloquiis cum Sapore habitis, qui tractus omnes aduersos ducis potestate tunc tuebatur, & antea cognitus, misso a Persicis castris auxilio virorum pernicium, lembis impositus, cum omni penatum dulcedine nocte concubia transfretat; re contraria, specie Zopyri illius similis Babylonii proditoris. Rebus per Mesopotamiã in hunc statum deductis, palatina cohors palinodiam in exitium cõcinens nostrum,

inuenit

inuenit tamdem ansam nocendi fortissimo viro, auctore & incitatore cœtu spadonum: qui feri & auidi semper, carentesque necessitudinibus ceteris, diuitias solas vt filiolas iucundissimas amplectuntur. Stetitque sententia vt Sabinianus, vietus quidẽ senex & bene nummatus, sed imbellis & ignauus, & ab impetranda magisterii dignitate per obscuritatem adhuc longe discretus, præficiendus eois partibus mitteretur, Vrsicinus vero curaturus pedestrem militiam, & successurus Barbationi ad comitatum reuerteretur, quo præsens rerum nouarum auidus concitor, (vt iactabant) a grauibus inimicis & metuendis incesseretur. Dum hæc in castris Constantii quasi per lustra aguntur & scenam, & diribitores venumdatæ subito potestatis pretium per potiores diffundirant domos, Antoninus ad regis hiberna perductus, auenter suscipitur; apicis nobilitatus auctoritate: (quo honore participantur mensæ regales; & meritorum apud Persas ad suadendum ferendasque sententias in concionibus ora panduntur) non contis nec*remulco, (vt aiunt) id est, non flexiloquis ambagibus, vel obscuris, sed velificatione plena in remp. ferebatur: eumdemq, incitans regem, vt quondã Maharbal lenitudinis increpans Annibalem, posse eum vincere, sed victoria vti nescire, assidue prædicabat. eductus enim in medio, vt rerum omniũ gnarus, auditorum nactus vigiles sensus & aurium delinimẽta captantes, nec laudantiũ, sed secundum Homericos Phæacas cum silentio admirantium, iam inde quadragesimi anni memoriam replicabat, post bellorum assiduos casus, & maxime apud*Hileiam & Singaram, vbi acerrima illa nocturna concertatione pugnatum est, nostrorum copiis ingenti strage confossis, quasi dirimente quodam medio fetiali, Persas nondum Edessam, nec pontes Euphratis tetigisse victores: quos armipotentia fretos successibusque magnificis, ita dilatasse decuerat rem, eo maxime tempore quo diuturnis bellorum ciuilium motibus sanguis vtrimque Romani roboris fundebatur. His ac talibus subinde inter epulas sobrius perfuga, vbi de apparatu bellorum & seriis rebus apud eos *Graiorum more veterum consultatur, regem incendebat ardentem, vt exacta hieme statim arma fretus fortunæ suæ magnitudine concitaret; ipse quoque in multis ac necessariis operam suam fidenter promittens. Sub iisdem fere diebus Sabinianus adepta repentina potestate sufflatus, & Ciliciæ fines ingressus, decessori suo principis litteras dedit, hortantis vt ad comitatum dignitate afficiendus superiore citius properaret. eo necessitatũ articulo quo, etiamsi apud Thulen moraretur Vrsicinus, acciri eum magnitudo rerum ratione probabili flagitabat: vtpote disciplinæ veteris, & longo vsu bellandi artis Persicæ scientissimum. Quo rumore prouinciis perciis, ordines ciuitatum & populi decretis & acclamationibus densis, iniecta manu detinebant penes se publicum defensorem: memores quod relictus ad sui tutelam, cum inerti & vmbratili milite, nihil amiserat per decennium; simul metuentes saluti, quod tempore dubio, remoto illo, aduenisse hominem compererant inertissimũ. Credimus (neq; enim dubium est) per aerios tramites famam præpetem volitare · cuius indicio hæc gesta pandente, cõsiliorum apud Persas summa præponebatur: & multis vltro citroque deliberatis, placuit, Antonino suadente, vt Vrsicino procul amoto, despectoque nouello duce, posthabitis ciuitatum perniciosis obsidiis, perrumperetur Euphrates, ireturque prorsus, vt occupari possint prouinciæ, fama celeritate præuenta, omnibus ante bellis (nisi temporibus Gallieni) intactæ, paceque longissima locupletes: cuius rei, prosperante Deo, ductorem commodissimum fore spondebat. Laudato firmatoque concordi omniũ voluntate consilio, conuersisq; vniuersis ad ea quæ erant citius congerenda, commeatus, milites, arma, ceteraq; instrumẽta quæ poscebat procinctus aduentans, perpetua hieme parabantur. Nos interea paulisper cis Taurum morati, ex imperio ad partes Italiæ venientes, festinantes prope flumen venimus Hebrum, ex Odrysarũ montibus decurrentẽ: ibiq; principis scripta suscepimus, iubẽtia omni caussatione posthabita reuerti Mesopotamiam sine apparitione, nullam expeditionem curaturi periculosam ad aliũ omni potestate translata. quod ideo per molestos formatores imperii struebatur, vt si Persę frustra habiti redissent ad sua, ducis noui facinus assignaretur egregium: si fortuna sequior ingruisset, Vrsicinus reus proditor reipubl. deferretur. Agitati ita sine rationibus, diu*contati reuersiq;, fastidii plenum Sabinianum inuenimus, homi-

nem mediocris staturæ, & parui angustique animi, vix sine turpi metu sufficientem ad leuem conuiuii, nedum prœlii strepitum perferendum: tamen quoniam speculatores apparatus omnes apud hostes feruere constanti adseueratione perfugis concinentibus affirmabant, oscitante homunculo Nisibin prope venimus, vtilia paraturi; ne dissimulantes obsidium Persæ, ciuitati superuenirent incautæ. Dumq; intra muros matutanda perurgerentur, fumus micantesque ignes assidui a Tigride per castra Maurorum, & Sisara & conlimitia reliqua, adusque ciuitatem continui perlucebant solito crebriores, erupisse hostium vastatorias manus superato flumine permonstrantes. Qua caussa ne occuparentur itinera, celeri cursu prægressi, quum ad secundum lapidem venissemus, liberali forma puerum torquatum, vt coniectabamus, octennem in aggeris medio vidimus eiulantem, ingenui cuiusdam filium, vt aiebat, quem mater dum imminentium hostium terrore percita fugeret, impeditior trepidando reliquerat solum. Hunc dum imperatu ducis miserati commotique, impositum equo præ me ferens ad ciuitatem reduco, circumuallato murorum ambitu, prædatores latius vagabantur. Et quia me obsidionales ærumnæ terrebant, intra semiclausam posticam exposito puero, nostrorum agmen agilitate volucri repetebam exanimis: nec multũ fuit quin caperer. Nam quum Abdigidum quemdã tribunum fugientem cum calone ala sequeretur hostilis, lapsoque per fugam domino seruum deprehensum, quum ego rapido ictu transirem, interrogassent, quisnam præfectus sit *iudex, audissentque Vrsicinum paulo ante vrbem ingressum, montem *Izalam petere, occiso indice minimum quæsiti, complures nos irrequietis cursibus sectabantur. Quos quum iumenti agilitate prægressus, apud Amudum munimentum infirmum dispersis per pabulum equis recubantes nostros securius inuenissem, porrecto extensius brachio, & summitatibus sagi contortis elatius, adesse hostes signo solito demonstrabam: iisdemque iunctus, impetu communi ferebar, equo iam fatiscente. Terrebat autem nos plenilunium noctis, & planicies supina camporum, nulla, si occupasset arctior casus, latibula præbere sufficiens, vbi nec arbores, nec frutecta, nec quidquam præter herbas humiles visebatur. Excogitatum est ergo, vt ardente superposita lampade, & circumligata, ne rueret, iumentum solum quod eam vehebat, solutum sine rectore læuorsus ire permitteretur, quum nos ad montanos excessus dextera positos tenderemus: vt prælucere sebalem facem duci lenius gradienti Persæ credentes, eum tenerent potissimum cursum: quod nisi fuisset præuisum, circumuenti & capti sub dicionem venissemus hostilem. Hoc extracti periculo, quum ad nemorosum quemdam locum vineis arbustisq. pomiferis consitum, *Meiacarire nomine, venissemus, cui fontes dedere vocabulum gelidi, lapsis accolis omnibus, solum in remoto secessu latentem inuenimus militem. Qui oblatus duci, & loquutus varia præ timore, ideoque suspectus, adigente metu qui intentabatur, pandit rerum integram fidem: docetque quod apud Parisios natus in Gallis, & equestri militans turma, vindictam quondam commissi facinoris timens, ad Persas abierat profugus: exindeque morum probitate spectata, sortita coniuge liberisque susceptis, speculatorem se missum ad nostra, sæpe veros nuntios reportasse. at nunc se a *Sapore & Nohodare optimatibus missum, qui cateruas ductauerant prædatorum, ad eos redire quæ didicerat perlaturum. Post hæc, adiectis quæ agi in parte diuersa norat, occiditur. Proinde curarum crescente sollicitudine, inde passibus citis Amidam pro temporis copia venimus, ciuitatem postea sequutis cladibus inclytam. Quo reuersis exploratoribus nostris, in vaginæ internis figuris notarũ membranam reperimus scriptam a Procopio ad nos perferri mandatam; quem legatum ad Persas antea missum cum comite Lucilliano, prædixi, hæc consulto obscurius indicantem, ne captis baiulis, sensuque intellecto scriptorum, excitaretur materia funestissima: *Amandatis procul Græcorum legatis, forsitan & necandis, rex longæuus non contentus Hellesponto, iunctis Granici & Rhyndaci pontibus, Asiam cum numerosis populis peruasurus adueniet, suopte ingenio irritabilis & asperrimus, auctore & incensore Hadriani quondam Romani principis successore. actum & conclamatum est, ni cauerit Græcia.* Qui textus significabat Persarum regem, transitis fluminibus Anzaba & Tigride, Antonino hortante dominium orientis affectare totius. His ob perplexitatem nimiam

ægerrime

ægerrime lectis, consilium suscipitur prudens. Erat eo tempore satrapa Corduenæ, quæ obtemperabat potestati Persarum, Iouinianus nomine appellatus in solo Romano adolescens, nobiscum occulte sentiens, ea gratia quod obsidatus sorte in* Syria detentus, & dulcedine liberalium studiorum illectus, remeare ad nostra ardenti desiderio gestiebat. Ad hunc missus ego cum centurione quodam fidissimo, exploratius noscendi gratia quæ gerebantur, per auios montes angustiasque præcipites veni. Visusque & agnitus, comiterque susceptus, caussam præsentiæ meæ vni illi confessus, adiuncto taciturno aliquo locorum perito, mittor ad præcelsas rupes exinde longe distantes: vnde nisi oculorum deficeret acies, ad quinquagesimum vsque lapidem, quoduis etiam minutissimum apparebat. Ibi morati integrum biduum, quũ sol tertius affulsisset, cernebamus terrarum omnes ambitus subiectos, quos horizontas appellamus, agminibus oppletos innumeris, & antegressum regem vestis claritudine rutilantem. Quem iuxta læuus incedebat Grumbates Chionitarum rex ætate quidem media, rugosisque membris; sed mente quadam grandifica, multisque victoriarum insignibus nobilis: dextera rex Albanorum pari loco atque honore sublimis: post, duces varii auctoritate & potestatibus eminentes: quos ordinũ omnium multitudo sequebatur, ex vicinarum gentium roboribus lecta, ad tolerandam rerũ asperitatem diuturnis casibus erudita. Quousque nobis Doriscum Thraciæ oppidũ, & agminatim intra consepta exercitus recensitos Græcia fabulosa narrabis? quum nos cauti, vel (vt verius dixerim) timidi, nihil exaggeremus, præter ea quæ fidei testimonia neque dubia neque incerta monstrarunt. Postquam reges Nineue Adiabenæ ingenti ciuitate transmissa, in medio pontis Anzabæ hostiis cæsis extisque prosperantibus transiere lætissimi, coniectantes nos residuam plebem omnem ægre penetrare post triduum posse, citius exinde ad satrapen reuersi quieuimus, hospitalibus officiis recreati. Vnde per loca indem deserta & sola, magno necessitatis ducente solatio, celerius quam potuit sperari reuersi, confirmauimus animos hæsitantium, vnum e naualibus pontem transisse reges absq; vlla circuitione* perdoctos. Extemplo igitur equites citi mittuntur ad Cassianum Mesopotamiæ ducem, rectoremque prouinciæ tunc Euphronium; compulsuri agrestes cum familiis & pecoribus vniuersis ad tutiora transire; & agiliter deseri Carras oppidum inualidis circumdatũ muris; super his campos omnes incendi, ne pabulorum suppeteret copia: & imperatis sine mora completis, iniecto igne, furentis elementi vis maxima, frumenta omnia, quum iam stipula flauenti turgerent, herbasque pubentes ita contortuit, vt adusque Eupbratem ab ipsis marginibus Tigridis nihil viride cerneretur. Tunc exustæ sunt feræ complures, maximeque leones per ea loca sæuientes, immaniter consumi vel cæcari sueti paulatim hoc modo: Inter harundineta Mesopotamiæ fluminum & frutecta, leones vagantur innumeri, clementia hiemis ibi mollissimæ semper innocui. At vbi solis radiis exarserit tempus, in regionibus æstu ambustis, vapore sideris & *magnitudine culicum agitantur; quorum examinibus per eas terras referta sunt omnia. Et quoniam oculos, quasi humida & lucentia membra, eædem appetunt volucres, palpebrarum libramentis mordicus insidentes, iidem leones cruciati diutius, aut fluminibus mersi sorbentur, ad quæ remedii caussa cõfugiunt; aut amissis oculis, quos vnguibus crebro lacerantes effodiunt, immanius efferescunt: quod ni fieret, vniuersus oriens huiusmodi bestiis abundaret. Dum campi cremantur, (vt dictum est) tribuni cum protectoribus missi, citeriores ripas Euphratis castellis & præacutis sudibus, omnique præsidiorum genere communiebant; tormenta, qua non erat voraginosum, locis opportunis aptantes. Dum hæc celerantur, Sabinianus inter rapienda momenta periculorum communium lectissimus moderator belli internecini, per Edessena sepulcra, quasi fundata cum mortuis pace nihil formidans, more vitæ remissioris fluxius agens, militari pyrrichio sonantibus modulis, pro histrionicis gestibus in silentio summo delectabatur; ominoso sane & incepto & loco. Quum hæc & huiusmodi factu dictuque tristia futuros pronuntiant motus, vitare optimum quemque debere seculi progressione discamus. Interea reges Nisibi pro statione vili transmissa, incendiis arida nutrimentorum varietate crescentibus, fugitantes inopiam pabuli, sub montium pedibus per valles gramineas incedebant.

Quumq; *Bebasen villam venissent, vnde ad Constantiam vsque opidum, quod centesimo lapide disparatur, arescunt omnia siti perpetua, nisi quod in puteis aqua reperitur exilis, quid agerent diu contati, iamque suorum duritiæ fiducia transituri, exploratore fido docente, cognoscunt Euphratem niuibus tabefactis inflatum, late fusis gurgitibus euagari; ideoq; vado nequaquam posse transiri. Conuertuntur ergo ad ea quæ amplectenda sortuita daret occasio, spe concepta præter opinionem exclusi. Ac proposito pro abrupto rerum præsentium statu vrgenti consilio, Antoninus dicere quid sentiat iussus, orditur, flecti iter suadens in dexterũ latus, vt per longiorem circuitum, omnium rerum vsu regionum feracium, & consideratione ea qua rectus pergeret hostis adhuc intactarum, castra duo præsidiaria Bartzala & Laudias peterentur sese ductante: vbi tenuis fluuius prope originem & angustus, nullisque adhuc aquis aduenis adolescens, facile penetrari poterit vt vadosus. His auditis, laudatoque suasore & iusso ducere qua norat, agmina cuncta ab instituto itinere conuersa *per auium sequebantur. Quo certis speculationibus cognito, nos disposuimus properare Samosata; vt superato exinde flumine, pontiumque apud Zeugma & Capersana iuncturis abscisis, hostiles impetus, si iuuisset fors vlla, repelleremus. Sed contigit atrox & silentio omni dedecus obruendum. Namq; duarum turmarum equites circiter septingenti ad subsidium Mesopotamiæ recens ex Illyrico missi, enerues & timidi, præsidium per eos traductus agentes, nocturnasq; pauentes insidias, ab aggeribus publicis vesperi, quando custodiri magis omnes tramites conueniret, longius discedebant. Hocque obseruato, eos vino oppressos & somno, viginti millia fere Persarum, *Sapore & Nohodare ductantibus, nullo prospiciente transgressa, post tumulos celsos vicinos Amidæ occultabantur armata. Moxque (vt dictum est) quum abituri Samosatam luce etiam tum dubia pergeremus, ab alta quadam specula radiantium armorum splendore præstricti, hostesque adesse excitatius clamitantes, signo dato quod ad prœlium solet hortari, restitimus conglobati; nec fugam capessere, quum essent iam in contuitu qui sectarentur, nec congredi cum hoste, equitatu & numero præualente, *metu indubitatæ mortis cautum existimantes. Denique ex vltima necessitate manibus iam conserendis, quum quid agi oporteat contaremur, occiduntur quidam nostrorum temere procursantes: & vrgente vtraque parte, Antoninus ambitiose prægrediens agmina, ab Vrsicino agnitus, & obiurgatorio sono vocis increpitus, proditorque & nefarius appellatus, sublata tiara quam capiti summo ferebat honoris insigne, *dissiluit equo: curuatisque membris humum vultu pene contingens, salutauit, patronum appellans & dominum, manus post tergum connectens, quod apud Assyrios supplicis indicat formam: &, *Ignosce mihi*, inquit, *amplissime comes, necessitate non voluntate ad hæc quæ noui scelesta prolapso. Egere me præcipitem flagitatores; (vt nosti) quorum auaritiæ ne tua quidem excelsa illa fortuna *propugnans, misertis meis potuit refragari.* Simul hæc dicens, e medio prospectu abscessit non auersus; sed, dum euanesceret, verecunde retrogradiens & pectus ostentans. Quæ dum in curriculo semihoræ aguntur, postsignani nostri qui tenebant editiora collis, exclamant, aliam cataphractorum multitudinem equitum pone visam celeritate quammaxima propinquare. Atque vt in rebus solet afflictis, ambigentes cuinam deberet aut posset occurri, irrudente pondere plebis immensæ, passim qua cuiq; proximum videbatur, diffundimur vniuersi. Dumque se quisque expedire discrimine magno conatur, sparsim disiecti hosti cõcursatori miscemur. Itaque spreta iam viuendi cupiditate fortiter decernentes, ad ripas pellimur Tigridis alte excisas. Vnde quidam præcipites pulsi implicantibus armis hæserunt, vbi vadosus est amnis: alii lacunarum hausti vertigine vorabantur: nonnulli cum hoste congressi, vario euentu certabant: quidam cuneorum densitate perterriti, petebant proximos Tauri montis excessus. Inter quos dux ipse agnitus, pugnatorumque mole circumdatus, cum *Aiadaltha tribuno, caloneque vno, equi celeritate ereptus abscessit. Mihi, dum auius ab itinere comitum quid agerem circumspicio, Verennianus domesticus protector occurrit femur sagitta confixus: quã dum auellere obtestante collega conarer, cinctus vndique antecedentibus Persis, ciuitatem petebam anhelo cursu rependo, ex eo latere quo incessebamur in arduo

sitam,

sitam, vnoque adscensu per angusto meabilem, quem scissis callibus molinæ ad calles artandas ædificatæ densius constringebant. Hic mixti cum Persis eodem ictu procurrentibus ad superiora nobiscum, adusque ortum alterius solis immobiles stetimus, ita conferti vt cæsorum cadauera multitudine fulta, reperire ruendi spatium nusquam possent: vtque miles ante me quidam discriminato capite, quod in æquas partes ictus gladii fiderat validissimus, in stipitis modum vndique coartatus hæreret. & licet multiplicia tela per tormentorum omnia genera volarent e propugnaculis, hoc tamen periculo murorum nos propinquitas eximebat: tandemque per posticam ingressus, refertam inueni confluente ex finitimis virili & muliebri sexu. Nam & casu illis ipsis diebus in suburbanis peregrina commercia circumacto anno solita celebrare multitudo conuenarum augebat* agrestium. Interea sonitu vario cuncta miscentur, partim amissos gementibus, aliis cum exitio sauciis, multis caritates diuersas, quas præ angustiis videre non poterant, inuocantibus. Hanc ciuitatem olim perquam breuem, Cæsar etiam tum Constantius, vt accolæ suffugium possint habere tutissimum, eo tempore quo Antoninupolim opidum aliud struxit, turribus circumdedit amplis & mœnibus: locatoque ibi conditorio muralium tormentorum, fecit hostibus formidatam, suoque nomine voluit appellari. Et latere quidem australi, geniculato Tigridis meatu subluitur propius emergentis: qua euri opponitur flatibus, Mesopotamiæ plana despectat: vnde aquiloni obnoxia est, Nymphæo amni vicina, verticibus Taurinis vmbratur, gentes Transtigritanas dirimentibus & Armeniam: spiranti zephyro controuersa, *Gumathenam contingit, regionem vberem & cultu iuxta fœcundam: in qua vicus est Abatne nomine, sospitalium aquarum lauacris calentibus notus. In ipso autem amidæ meditullio sub arce fons diues exsudat, potabilis quidem, sed vaporatis æstibus non numquam fœtens. Cuius opidi præsidio erat semper quinta Parthica legio destinata, cum indigenarum turma non contemnenda. Sed tunc ingruentem Persarum multitudinem sex legiones partim percursis itineribus antegressæ, muris astitere firmissimis: Magnentiaci & Decentiaci, (quos post consummatos ciuiles procinctus, vt fallaces & turbidos, ad orientem venire compulit Imperator, vbi nihil præter bella timetur externa) & Tricesimani, Decimique Fortenses, & superuentores atque Præuentores cum Æliano iam comite: quos tyrones tum etiam nouellos hortante memorato adhuc protectore erupisse Singara, Persasque fusos in somnium retulimus trucidasse complures. Aderat comitum quoque sagittariorum pars maior, equestres videlicet turmæ ita cognominatæ, vbi merent omnes ingenui barbari armorum viriumq; firmitudine inter alios eminentes. Hæc dum primi impetus turbo conatibus agitat insperatis, rex cum populo suo gentibusque quas ductabat, a Bebase loco itinere flexo dextrorsus, vt monuerat Antoninus, per Horren & Meiacarire & Catcha vt transiturus Amidam, quum prope castella Romana venisset, quorum vnum Reman, alterum Busan appellatur, perfugarum indicio didicit multorũ opes illuc translatas seruari, vt in munimentis præcelsis & fidis: additumque est, ibi eum supellectili pretiosa inueniri fœminam pulchram cum filia paruula, Craugasii Nisibeni cuiusdam vxorem, municipali ordine, genere, fama, potentiaque circumspecti. Auiditate itaque rapiendi aliena festinans, petit impetu fidenti castella. vnde subita animi consternatione defensores, armorum varietate præstricti, cunctos prodidere qui ad præsidia confugerant; & digredi iussis, confestim claues obtulere portarum: patefactisque aditibus, quidquid ibi congestum erat, eruitur: & productæ sunt attonitæ sonitu mulieres, & infantes matribus implicati, graues ærumnas inter initia tenerioris ætatis experti. Quumque rex percontando cuiusnam coniux esset, Craugasii comperisset, vim in se metuentem prope venire permisit intrepidam: & visam opertamque, absque labra ipsa, atro velamine, certiore iam spe mariti recipiendi & pudoris inuiolati mansuri, benignius confirmauit. Audiens enim coniugem miro eius amore flagrare, hoc præmio Nisibenam se proditionem mercari posse arbitrabatur. Inuentas tamen alias quoq; virgines, Christiano ritu cultui diuino sacratas, custodiri intactas, & religioni seruire solito more nullo vetante præcepit: lenitudinem profecto in tempore simulans, vt omnes quos ante

hac diritate [crudelitateque] terrebat, sponte sua metu remoto venirent; exemplis recentibus docti, humanitate eum & moribus iam placidis magnitudinem temperasse fortunæ.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER DECIMVSNONVS.

HOc miseræ nostrorum captiuitatis euentu rex lætus successusque opperiens similes, egressus exinde paulatimque incedens, Amidam die tertio venit. Quumque primum aurora surgeret, vniuersa quæ videri poterant, armis stellantibus coruscabant; acfer-reus equitatus campos oppleuit & colles. Insidens autem equo, ante alios celsior ipse præibat agminibus cunctis, aureum capitis arietini figmentum interstinctum lapillis pro diademate gestans, multiplici vertice dignitatum & gentium diuersarum comitatu sublimis. Satisque eum constabat colloquio tenus defensores mœnium tentaturum, aliorsum Antonini consilio festinantem. Verum cæleste numen, vt Romanæ rei totius ærumnas intra vnius regionis concluderet ambitum, adegerat in immensum se extollentem, credentemque quod viso statim obsessi omnes, metu exanimati, supplices venirent in preces. Portis obequitabat, comitante cohorte regali. qui dum se prope confidentius inserit, vt etiam vultus eius possit aperte cognosci, sagittis missilibusque ceteris ob decora petitus insignia corruisset, ni puluere iaculantium admente conspectum, parte indumenti tragulæ ictu discissa, editurus postea strages innumeras euasisset. Hinc quasi in sacrilegos violati sæuiens templi, temeratumque tot regum & gentium dominum prædicans, eruendæ vrbis apparatu nisibus magnis instabat: & orantibus potissimis ducibus ne profusus in iram a gloriosis desciceret cœptis, lenissima eorum petitione placatus, postridie quoque super deditione moneri decreuerat defensores. Ideoque quum prima lux aduenisset, rex* Chionitarum Grumbates fidenter operam nauaturus tendebat ad mœnia cum manu promptissima stipatorum. quem vbi venientem iam telo forte contiguum contemplator peritissimus aduertisset, contorta balista filium eius primæ pubis adolescentem, lateri paterno hærentem, thorace cum pectore perforato perfodit, proceritate & decore corporis æqualibus antestantem. Cuius occasu in fugam dilapsi populares eius omnes, moxque, ne raperetur, ratione iusta regressi, numerosas gentes ad arma clamoribus dissonis concitarunt: quarum concursu ritu grandinis hincinde conuolantibus telis, atrox committitur pugna: & post internecìua certamina adusque finem diei protenta, quum iam noctis esset initium, per aceruos cæsorum & scatutigines sanguinis ægre defensum caligine tenebrarum extrahitur corpus: vt apud Troiam quondam super comite Thessali ducis exanimi, acies marte acerrimo conflixerunt. Quo funere regia mœsta, & optimatibus vniuersis cum parente subita clade perculsis, indicto iustitio iuuenis nobilitate commendabilis & dilectus, ritu nationis propriæ lugebatur. Itaque vt armari solebat elatus, in amplo quodam suggestu locatur & celso: circaque eum lectuli x sternuntur, figmenta vehentes hominum mortuorum, ita curate pollincta vt & imagines essent corporibus similes iam sepultis. Ac per dierum spatium septem viri quidem omnes per contubernia & manipulos epulis indulgebant, saltando & cantando tristia quædam genera næniarum regium iuuenem lamentantes: fœminæ vero miserabili planctu in primæuo flore succisam spem gentis solitis fletibus conclamabant, vt lacrymare cultrices Venereæ sæpe spectantur in solennibus Adonidis sacris; quod simulacrum aliquod esse frugum* adultarum religiones mysticæ docent. Post incensum corpus, ossaque in argenteam vrnam contecta, quæ ad gentem humo mandanda portari statuerat pater, agitata summa consiliorum, placuerat busto vrbis subuersæ expiare perempti iuuenis manes: nec

nes: nec enim Grumbates inulta vnici pignoris vmbra ire vltra patiebatur. biduoque ad otium dato, ac missis abunde qui pacis modo patentes agros pingues cultosque vastarent, quinquies ordine multiplicato scutorum cingitur ciuitas: ac tertiæ principio lucis corusci globi turmarum impleuerunt cuncta quæ prospectus humanus potuit vndique contueri: & sorte loca diuisa clementi gradu incedentes ordines occuparunt. Persæ omnes murorum ambitus obsidebant. Pars quæ orientem spectabat, Chionitis euenit, qua funestus nobis ceciderat adolescens: Vertæ, meridiano lateri sunt destinati: tractum seruabant septemtrionis Albani: occidentali portæ oppositi sunt Segestani, acerrimi omnium bellatores: cum quibus elata in arduum specie elephantorum agmina, rugosis horrenda corporibus, leniter incedebant armatis onusta, vltra omnem diritatem tetri spectaculi formidanda, vt retulimus sæpe. Cernentes populos tam indimensos, ad orbis Romani incendium diu quæsitos, in nostrum conuersos exitium, salutis rata desperatione, gloriosos vitæ exitus deinde curabamus, iamque omnibus nobis optatos. A sole itaque orto vsque diei vltimum, acies immobiles stabant vt fixæ, nullo variato vestigio, nec sonitu vel equorum audito hinnitu: eademque figura digressi qua venerant, cibo recreati & somno, quum superesset exiguum noctis, æneatorum clangore ductante, vrbem vt mox casuram terribili corona cinxerunt. Vixque ibi Grumbates hastam infectam sanguine, ritu patrio, nostrique more coniecerat fetialis, armis exercitus concrepans inuolat in muros: confestimque lacrymabilis belli turba crudescit, rapido turmalium procursu in procinctum alacritate omni tendentium, & contra acri intentaque occursatione nostrorum. Proinde diffractis capitibus multos hostium scorpionum iactu moles saxeæ colliserunt. alii traiecti sagittis, pars confixi tragulis humum corporibus obsternebant vulnerati: alii socios fuga præcipiti repetebant. Nec minores in ciuitate luctus aut mortes, sagittarum creberrima nube auras spissa multitudine obumbrante; tormentorumque machinis, quæ direpta in Singara possederant Persæ, vulnera inferentibus plura. Namque viribus collectis propugnatores, omissa vicissim certamina repetentes, in maximo defendendi ardore saucii perniciose cadebant; aut laniati voluendo stantes proxime subuertebant; aut certe spicula membris infixa viuentes adhuc vellendi peritos quæritabant. Ita strages stragibus implicitas, & ad extremum vsque diei productas ne vespertinæ quidem heberauerant tenebræ; ea re quod obstinatione vtrimq; magna decernebatur. Agitatis itaque sub onere armorum vigiliis, resultabāt altrinsecus exortis clamoribus colles: nostris virtutes Constantii Cæsaris extollentibus, vt domini rerum & mundi; Persis Saporem & Achæmenem appellantibus & Artaxerxem, quod *Regibus imperans & bellorum victor* interpretatur. Ac priusquam lux occiperet, signo per lituos dato, ad feruorem similium prœliorum excitæ vndiq; inæstimabiles copiæ in modum alitum ferebātur: vnde longe & late prospici poterat, campis & cōuallibus nihil præter arma micantia ferarum gentiū demonstrantibus. Moxq; clamore sublato, cunctis temere prorumpentibus, telorum vis ingens volabat e muris: vtq; opinari dabatur, nulla frustra mittebantur inter hominum cadēria densitatem. Tot enim nos circumstantibus malis, non obtinendæ caussa salutis, vt dixi, sed fortiter moriendi studio flagrabamus. & a diei principio adusq; lucem obscurā, neutrubi prœlio inclinato, ferocius quam consultius pugnabatur. Exsurgebant enim terrentium clamores, vt præ alacritate consistere sine vulnere quisquam vix posset. Tandemq; nox finem cędibus fecit, & satias ærumnarum inducias partibus dederat longiores. Vbi enim quiescendi nobis tempus est datum, exiguas quæ supererant vires, continuus cum insomnia labor absumpsit, sanguine & pallente exspirantium facie perterrente; quibus ne suprema quidem humādi solatia tribui siuebant angustiæ spatiorum, intra ciuitatis ambitum non nimium amplæ, legionibus septem & promiscua aduenarum ciuiumq; sexus vtriusq; plebe, & militibus aliis paucis adusq; numerum milium xx concitis inclusis. Medebatur ergo suis quisq; vulneribus pro possibilitate, vel curantium copia: quum quidam grauiter saucii cruore exhausto spiritus reluctantes efflarent: alii confossi mucronibus prostrati [in terram,] animis in ventum solutis proiiciebantur exstincti: aliquorum foratis vndique membris mederi periti vetabant, ne offensionibus cassis

animæ vexarentur afflictæ: nonnulli vellendis sagittis in ancipiti curatione grauiora morte supplicia perferebant. Dum apud Amidam hac partium destinatione pugnatur, Vrsicinus mœrens quod ex alterius pendebat arbitrio auctoritatis, tunc in regendo milite potiorem Sabinianum etiam tum sepulcris hærentem, crebro monebat vt compositis velitaribus cunctis, per imos pedes montiũ occultis itineribus properarent: quo leuium armorum auxilio, si qua fors iuuisset, stationibus interceptis, nocturnas hostium adgrederentur excubias, quæ ingenti circuitu vallauerant muros, aut lacessitionibus crebris occuparent obsidioni fortiter adhærentes. Quibus Sabinianus renitebatur, vt noxiis, palam quidem litteras imperiales prætendens, intacto vbique milite, quidquid geri potuisset, impleri debere aperte iubentes: clam vero corde altissimo retinens, sæpe in comitatu sibi mandatum vt ansam omnem adipiscendæ laudis decessori suo ardenti studio gloriæ circumcideret, etiam ex republica processuram. adeo vel cum exitio prouinciarum festinabatur, ne bellicosus homo memorabilis alicuius facinoris auctor nuntiaretur aut socius. Ideoque his attonitus malis, exploratores ad nos sæpe mittendo, (licet ob custodias artas nullus facile opidum poterat introire) & vtilia agitando complura, nihil proficiens, visebatur vt leo magnitudine corporis & toruitate terribilis, inclusos intra retia catulos periculo ereptum ire non audens, vnguibus ademptis & dentibus. Sed in ciuitate, vbi spatsorum per vias cadauerum multitudo humãdi officia superaret, pestilentia tot malis accessit, verminantium corporum lue tabifica, vaporatis æstibus, varioque plebis languore nutrita. quæ genera morborum vnde oriri solent, breuiter explicabo. Nimietatem frigoris aut caloris, vel humoris vel siccitatis, pestilentias gignere, philosophi & illustres medici tradiderunt. Vnde accolentes loca palustria vel humecta, tusses, *ioculares casus & similia perferunt: contra confines caloribus, tepore febrium arescunt. sed quanto ignis materies ceteris efficacior, tanto ad perimendum celerior siccitas. Hinc quum decennali bello Græcia desudaret, ne peregrinus pœnas dissociati regalis matrimonii lucraretur, huiusmodi grassata pernicie, telis Apollinis periere complures, qui Sol æstimatur: atque, vt Thucydides exponit, clades illa quæ in Peloponnesiaci belli principiis Athenienses acerbo genere morbi vexauit, abusque feruenti Æthiopiæ plaga paulatim proserpens, Atticam occupauit. Aliis placet, auras (vt solent aquæ) vitiatas fœtore cadauerum, vel similibus, salubritatis violare maximam partem: vel certe aeris permutationem subitam, ægritudines parere leuiores. Affirmant etiam aliqui, terrarum halitu densiore crassatum aera, emittendis corporis spiraminibus resistentem necare nonnullos: qua caussa animalia præter homines cetera iugiter prona, Homero auctore, & experimentis deinceps multis, quum talis incesserit labes, ante nouimus interire. & prima species luis *pandemos* appellatur, quæ efficit in aridioribus locis agentes caloribus crebris interpellari: secunda, *epidemos*, * quæ tempore ingruens aciem hebetat luminum, & concitat periculosos humores: tertia, *læmodes*, quæ itidem temporaria est, sed volucri velocitate letabilis. Hac exitiali peste quassati, paucis intemperanti æstu consumptis, quos multitudo angebat; tandem nocte quæ diem consequuta est decimum, exiguis imbribus disiecto concreto spiritu & crassato, sospitas retenta est corporum firma. Verum inter hæc inquies Persa vimineis ciuitatem pluteis circumdabat; & erigi aggeres cœpti: turresque fabricabantur frontibus ferratis excelsæ: quarum fastigiis balistæ locatæ sunt singulis, vt a propugnaculis propellerent defensores. leuia tamen per funditores & sagittarios prœlia ne puncto quidem cessabant. Erant nobiscum duæ legiones Magnentiæ recens e Galliis ductæ (vt prædiximus) virorum fortium & pernicium, ad planarios conflictus aptorum; ad eas vero belli artes quibus stringebamur, non modo inhabiles, sed contra nimii turbatores. qui quum neque machinis, neque in operum constructione iuuarent aliquem, stolidius erumpentes dimicantesque fidentissime, minuto numero reuertebant; tantum proficientes quantum in publico (vt aiunt) incendio aqua vnius hominis manu adgesta. Postremo obseratis portis precantibusque tribunis egredi nequeuntes frendebant vt bestiæ. Verum sequutis diebus efficacia eorum eminuit, vt docebimus. In summoto loco partis meridianæ murorum,

quæ

quæ despectat fluuium Tigrim, turris fuit in sublimitatem exsurgens; sub qua hiabant rupes abscissæ, vt despici sine vertigine horrenda non possent: vnde cauatis fornicibus subterraneis per radices montis, scalæ adusque ciuitatis ducebant planiciem, quo ex amnis alueo haurirentur aquæ furtim, (vt in omnibus per eas regiones munimentis quæ contingunt flumina, vidimus) affabre politæ. per has tenebras ob diruptam neglectas, oppidano transfuga quodam ductante, qui ad diuersam partem desciuerat, LXX sagittarii Persæ ex agmine regio, arte fiduciaque præstantes, silentio summoti loci defensi, subito singuli *nocte media ad contignationem turris tertiam ascenderunt. ibique occultati, mane sago Punici coloris elato, quod erat subeundæ indicium pugnæ, quum ex omni parte circumueniri vrbem suis copiis inundantibus aduertissent, exinanitis proiectisque ante pedes pharetris, clamosis vlulatibus incendio tela summa peritia dispergebant. moxque acies omnes densæ petebant multo infestius quam antea ciuitatem. Inter incertos nos & ancipites quibus occurri deberet, instantibus supra, an multitudini transcensu scalarum iam propugnacula ipsa prensanti, diuiditur opera & translatæ leuiores quinque balistæ contra turrim locantur. quæ ocius lignea tela fundentes, nonnumquam binos forabant. e quibus pars grauiter vulnerati ruebant; alii machinarum metu stridentium præcipites acti, laniatis corporibus interibant. Quibus hac celeritate confectis, relatisque ad loca sueta tormentis, paulo securius mœnia omnium concursu defendebantur. Et quoniam augebat curas militum scelestum facinus perfugæ, quasi decurrentes in planũ, ita iaculantes diuersa missilia lacertis fortibus incumbebant; vt Vertæ in meridiem degentes, vulnerum acri repulsa disiecti, lacrymantes compluriium mortes, tentoria repeterent metu. Adspirauit auram quamdam salutis fortuna, innoxio die cum hostili clade emenso: cuius reliquo tempore ad quietem reficiendis corporibus dato, posteræ lucis initio ex arce innumeram cernimus plebem, quæ Ziata capto castello ad hosticum ducebatur. ad quem locum, vt capacissimum & munitum (spatio quippe x stadiorũ ambitur) promiscua confugerat multitudo. Nam etiam alia munimenta iisdem diebus capta sunt & incensa, vnde hominum millia extracta complura *seruituti sequebantur: inter quos multi senecta infirmi, & mulieres iam grandæuæ, quum ex variis deficerent caussis, itineris longinquitate offensæ, abiecta viuendi cupiditate, suris vel suffraginibus relinquebantur exsectis. Has miserabiles turmas Galli milites contuentes, rationabili quidem sed *intempestiuo motu, conserendæ cum hostibus manus copiam sibi dari poscebant; mortem tribunis vetantibus primisque ordinibus minitantes, si deinceps prohiberent, vtque *dentatæ in caueis bestiæ, tetro pedore acerbius efferatæ, euadendi spe repagulis versabilibus illiduntur: ita gladiis portas cædebant, quas supra diximus obseratas, admodum anxii ne vrbe excisa ipsi quoque sine vllo specioso facinore deleantur: aut exuta periculis, nihil egisse operæ pretium pro magnanimitate Gallica memorentur: licet antea sæpe egressi, structoresque aggerum confossis quibusdam impedire conati, paria pertulerunt. Inopes nos consilii, & quid opponi deberet sæuientibus ambigentes, id potissimum ægre iisdem adsentientibus tamdem elegimus, vt quoniam vltra ferri non poterant, paulisper morati, custodias aggredi permitterentur hostiles, quæ non procul erant a coniectu locatæ telorum, vt eis perruptis pergerent prorsus. apparebat enim eos, si impetrassent, strages maximas edituros. Quæ dum parantur, per varia certaminum genera defensabantur acriter muri, laboribus, & vigiliis, & tormentis ad mittenda vndique saxa telaque dispositis. duo tamen aggeres celsi Persarum peditum manu erecti, & expugnatio ciuitatis struebatur operibus lentis. contra quos nostrorum quoque impensiore cura moles excitabantur altissimæ, fastigio aduersæ celsitudinis æquatæ, propugnatorum vel nimia pondera duraturæ. Inter hæc Galli morarum impatientes, securibus gladiisque succincti, patefacta sunt egressi postica, obseruata nocte squalida * & interluni, orantes cæleste præsidium vt propitium adesset & libens: atque ipsum spiritum reprimentes, quum prope venissent, conferti valido cursu quibusdam stationariis interfectis, exteriores castrorum vigiles, vt in nullo tali metu sopitos obtruncantes, superuenire ipsi regi, si prosperior illuxisset euentus, occulte meditabantur. Verum audito

*ruentium sonitu, gemituque cæsorum discusso somno, excitatis multis, & ad arma pro se quoque clamitante, steterunt milites vestigiis fixis, progredi vltra non ausi: nec enim cautum deinde, expergefactis quos petebant insidiæ, in apertum properare discrimen. Quum iam vndique frendentium cateruæ Persarum in prœlia venirent accensæ, contra Galli corporum robore audaciaque quoad poterant inconcussis gladiis secantes aduersos, parte suorum strata vel sagittarum vndique volantium crebritate confixa, quum vnum in locum totam periculi molem conuersam, & currentium hostium agmina aduertissent, nullo terga vertente euadere festinabant: & velut repedantes sub modulis sensim extra vallum protrusi, quum manipulos confertius inuadentes sustinere non possent, tubarum perciti clangore castrensium discedebant: & resultantibus e ciuitate lituis multis, portæ panduntur receptura nostros, si peruenire illuc vsque valuissent: tormentorumque machinæ stridebant sine iaculatione vlla telorum, vt stationibus præsidentes, post interemptos socios pone agerentur, ignari vrbis oppositi mœnibus nudatis vt viri fortes susciperentur innoxii. Hacque arte Galli portam prope confinia lucis introiere minuto numero, quidam perniciose, pars leuiter vulnerati, quadringentis ea nocte desideratis: qui non Rhesum nec cubitantes pro muris Iliacis Thracas, sed Persarum regem armatorum c milibus circumseptum, ni obstitisset violentior casus, in ipsis tentoriis obtruncarant. Horum campiductoribus, vt fortium factorum antesignanis, post ciuitatis excidium armatas statuas apud Edessam in regione celebri locari iusserat Imperator; quæ ad præsens seruantur intactæ. Retectis sequenti luce funeribus, quum inter cæsorum cadauera optimates inuenirentur & satrapæ, clamores dissoni fortunam aliam alibi cum lacrymis indicabant, luctus vbique & indignatio regum audiebatur, arbitrantium per stationes muris obiectas irrupisse Romanos: induciisque ob hoc tridui datis adsensu communi, nos quoque spatium ad respirandum accepimus. Perculsæ deinde nouitate rei efferatæque gentes, omissa omni cunctatione, operibus, quoniam vis minime procedebat, decernere *iam censebant: & concito extremo belli ardore, omnes oppetere gloriose iam properabant, aut ruina vrbis animis litare cæsorum: iamque apparatu cunctorum alacritate perfecto, exsiliente lucifero, operum variæ species cum turribus ferratis admouebantur: quorum in verticibus celsis aptatæ balistæ, propugnatores agitantes humilius disiectabant. Et albescente iam die, ferrea munimenta membrorum cælum omne subtexerunt: densatæque acies non inordinatim, vt antea, sed tubarum sonitu leni ductante nullis procursantibus incedebant, machinarum opertæ tegminibus, cratesque vimineas prætendentes. Quumque propinquantes ad coniectum venere telorum, oppositis scutis Persæ pedites sagittas tormentis excussas e muris ægrius euitantes, laxarunt aciem: nulloque pene iaculi genere in vanum cadente, etiam cataphracti hebetati & cedentes, animos auxere nostrorum. Tamen quia hostiles balistæ ferratis impositæ turribus, in humiliora ex supernis valentes, vt loco dispari, ita euentu dissimili, nostra multo cruore fœdabant: ingruente iam vespera quum requiescerent partes, noctis spatium maius consumptum est vt excogitari posset quid exitio ita atroci obiectaretur. Et tandẽ multa versantibus sedit nobis consilium, quod tutius celeritas fecit, quatuor iisdem balistis scorpiones opponi. Qui dum translati e regione caute, quod artis est difficillimæ, collocantur, lux nobis aduenit mœstissima, Persarum manipulos formidatos ostentans, adiectis elephantorum agminibus; quorum stridore immanitateque corporum, nihil humanæ mentes terribilius cernunt. Quumque omni ex latere armorum & operum belluarumque molibus vrgeremur, per scorpionum ferreas fundas e propugnaculis subinde rotundi lapides acti, dissolutis turrium coagmentis, balistas earumque tortores ita fudere præcipites, vt quidam citra vulnerum noxas, alii obtritu magnitudine ponderum interirent: elephantis vi magna propulsis; quos flammis coniectis vndique circumnexos, iam corporibus tactis, gradientesque retrorsus, retinere magistri non poterant. postque exustis operibus, nulla quies certaminibus data. Rex enim ipse Persarum, *qui numquam adesse certaminibus cogitur, his turbinum infortuniis percitus, nouo & nusquam antea cognito more, prœliatoris militis

ritu

ritu prosiluit in confertos: & quia conspectior tegentium multitudine procul speculantibus visebatur, petitus crebritate telorum, multis stipatoribus stratis abscessit, alternans regibiles acies: & ad extremum diei, nec morientium truci visu, nec vulnerum territus, tandem tempus exiguum tribui quieti permisit. Verum nocte prœlia dirimente, somno per breue otium capto, nitescente iam luce ad potiunda sperata ira & dolore exundans, nec fas vllum præ oculis habiturus, gentes in nos excitabat. Quumque crematis operibus, vt docueram, pugna per aggeres celsos muris proximos tentaretur, ex aggestis erectis intrinsecus, quantum facere nitique poterant, nostri æquis viribus per ardua resistebant. Et diu cruentum prœlium stetit, nec metu mortis quisquam ex aliqua parte a studio propugnandi remouebatur. Eoque producta contentione, quum sors partium euentu regeretur indeclinabili, diu laborata moles illa nostrorum velut terræ quodam tremore *quassata procubuit: & tamquam itineratio aggere vel superposito ponte complanatum spatium, quod inter murum congestamque forinsecus struem hiabat, patefecit hostibus transitum, nullis obicibus impeditum: & pars pleraque militum deiectorum oppressa vel debilitata, cessabat. Concursum est tamen vndique ad propulsationem periculi tam abrupti: & festinandi studio aliis irretientibus alios, audacia hostium ipso successu crescebat. Accitis igitur regis imperio prædatoribus vniuersis, strictoque comminus ferro, quum sanguis vtrobiq. immensis cædibus funderetur, repletæ sunt corporibus fossæ, latiorq; via inde pandebatur: & concursu copiarum ardentium ciuitate oppleta, quum omnis defendendi vel fugiendi spes esset abscissa, pecorum ritu armati & imbelles sine sexus discrimine *truncabantur. Itaque vespera tenebrante, quum adhuc, licet iniqua reluctante fortuna, multitudo nostrorum manu conserta distringeretur, in abstrusa quadam parte opidi cum duobus aliis latens obscuræ præsidio noctis, postica per quam nihil seruabatur euado: & squalentium peritia locorum comitumque adiutus celeritate ad decimum lapidem tandem perueni: in qua statione lenius recreati, quum ire protinus pergeremus, & incedendi nimietate iam superarer vt insuetus ingenuus, offendi dirum aspectu, sed fatigato mihi lassitudine graui leuamen impendio tempestiuum. Fugaci equo nudo & infreni calonum quidam sedens, ne labi possit, ex more habenam qua ductabatur, sinistra manu artius illigauit: moxque decussus, vinculi nodum abrumpere nequiens, per auia saltusque membratim discerptus, iumentum exhaustum cursu; pondere cadaueris detinebat: cuius dorsualis comprehensi seruitio vsus in tempore, cum iisdem sociis ad fontes sulphureos aquarum suapte natura calentium ægre perueni. Et quia per æstum arida siti reptantes aquam diu quæritando, profundum pene vidimus puteum, & neque descendendi *pro altitudine nec restium aderat copia, necessitate docente postrema, indumenta lintea quibus tegebamur in oblongos discidimus pannulos: vnde explicato fune ingenti, centonem quem sub galea vnus ferebat e nostris, vltimæ aptauimus summitati: qui per funem coniectus aquasque hauriens ad peniculi modum, facile sitim qua hauriebamur exstinxit. Vnde citi ferebamur ad flumen Euphraten, vlteriorem ripam petituri per nauem quam transfretandi caussa iumenta & homines, in eo tractu diuturna consuetudo locarat. Ecce autem Romanum agmen cum equestribus signis disiectum eminus cernimus; quod persequebatur multitudo Persarum, incertum vnde impetu tam repentino terga viantum aggressa. Quo exemplo terrigenas illos, non sinibus terræ emersos, sed exuberanti pernicitate credimus natos: qui quoniam inopini per varia visebantur, *Sparti* vocitati, humo exsiluisse, vetustate vt cetera fabulosius extollente, sunt æstimati. Hoc malo conciti, quum omne iam esset in celeritate salutis præsidiũ, per dumeta & siluas montes petimus celsiores: exindeq. Melitinam minoris Armeniæ opidum venimus: nos, repertum ducem comitati iam profecturum, Antiochiam reuisimus. Interea *Sapor & Persæ, quia tendere iam introrsus autumno præcipiti hœdorumq. sidere exorto prohibebantur, captiuos agentes & prædas, remeare cogitabant ad sua. Inter hæc tamen funera direptionesque ciuitatis excisæ, Æliano comite & tribunis, quorum efficacia diu defensa sunt mœnia stragesque multiplicatæ Persarum, patibulis sceleste suffixis, Iacobus & Cesius nu-

merarii apparitionis magistri equitum, aliique protectores, post terga vinctis manibus ducebantur; Transtigritanis, qui sollicita quærebantur industria, nullo infimi summique discrimine ad vnum omnibus contruncatis. Vxor vero Craugasii, quæ retinens pudorem inuiolatum, vt matrona nobilis colebatur, mœrebat velut orbem alium sine marito visura; quamquam sperabat documentis præsentibus altiora. In rem itaque consulens suam, & accidentia longe ante prospiciens, anxietate bifaria stringebatur, viduitatem detestans & nuptias. Ideo familiarem suum perquam fidum, regionumque Mesopotamiæ gnarum, per *Zagrum montem inter castella præsidiaria duo *Miride & Lorne, introiturum Nisibin occulte dimisit, mandatis arcanisque vitæ secretioris maritum exorans vt auditis quæ contigerint, veniret secum beate victurus. Quibus contentus expeditus viator, per saltuosos tramites & frutecta Nisibin passibus citis ingressus, caussatusque se dominam nusquam visa, & forsitan interempta, data euadendi copia castris hostilibus abscessisse, & ideo vt vilis neglectus, docet Craugasium gesta: moxque accepta fide quod, si tuto licuerit, sequetur coniugem, libens euasit, exoptatum mulieri nuntium ferens. Quæ hoc cognito, per *Saporem ducem supplicauerat regi, vt si daretur facultas, antequam Romanis excederet finibus, in potestatem suam iuberet propitius maritum adsciscі. Præter spem itaque omnium digresso aduena repentino, qui postliminio reuersus statim sine vllius euanuit conscientia; perculsus suspicione dux Cassianus, præsidentesque ibi proceres alii, minitantes vltima Craugasium incessebant; non sine eius voluntate vel venisse vel abisse hominem clamitantes. Qui vero, proditoris metuens crimen, impendioque sollicitus ne transitione perfugæ vxor eius superesse doceretur, & tractari pissime, per simulationem matrimonium alterius splendidæ virginis affectauit: & velut paraturus necessaria conuiuio nuptiali, egressus ad villam octauo lapide ab vrbe distantem, concito cursu ad Persarum vastatorium globum quem didicerat aduentare, confugit: susceptusque auenter, qui esset ex his cognitus quæ loquebatur, *Sapori post diem traditur quintum, perque eum *regi, ablatis opibus & necessitudine omni recuperata cum coniuge, quam paucos per menses amiserat; secundi loci post Antoninum, vt ait poeta præclarus, longo proximus interuallo. Ille enim, ingenio & vsu rerum diuturno firmatus, consiliis validis sufficiebat in cuncta quæ conabatur: hic, natura simplicior, nominis tamen itidem peruulgari. Et hæc quidem haud diu postea contigerunt. Rex vero, licet securitatem referens vultu exsultansque specie tenus vrbis excidio videbatur, profundo tamen animo grauiter æstuabar; reputans in obsidionalibus malis sæpe luctuosas se pertulisse iacturas, multoque ampliores seipsum populos perdidisse, quam e nostris ceperat viuos, vel certe per diuersas fuderat pugnas; vt apud Nisibin aliquoties euenit & Singara: parique modo quum LXX tresque dies Amidam multitudine circumsedisset armatorum, XXX millia perdidit bellatorum; quæ paulo postea per Discenem tribunum & notariũ numerata sunt hac discretione facilius, quod nostrorum cadauera mox cæsorum fatiscunt & defluunt, adeo vt nullius mortui facies post quatriduum agnoscatur: interfectorum vero Persarum inarescunt in modum stipitum corpora, vt nec liquentibus membris, nec sanie perfusa madescant: quod vita parcior facit, & vbi nascuntur exustæ caloribus terræ. Dum hæc per varios turbines in orientis extimo festinantur, difficultatem aduentantis inopiæ frumentorum vrbs verebatur æterna: vique minacissimæ plebis, famem vltimum malorum omnium exspectantis, subinde Tertullus vexabatur ea tempestate præfectus, irrationabiliter plane: nec enim per eum steterat quominus tempore congruo alimenta nauibus veherentur; quas maris casus asperioris solito, ventorumque procellæ reflantium, delatas in proximos sinus introire portum Augusti discriminum magnitudine perterrebant. Quocirca idem sæpe præfectus seditionibus agitatus, ac plebe iam sæuiente immanius quam vrebat impendens exitium, ab omni spe tuendæ salutis exclusus, vt existimabat, tumultuanti acriter populo, sed accidentia considerare sueto prudenter, obiecit paruulos filios: & lacrymans, *En*, inquit, *ciues vestri, (procul omen dii cælestes auertant) eadem perlaturi vobiscum, ni fortuna adfulserit lætior. Si itaq; his abolitis, nihil tri-*

ste accidere

ste accidere posse existimatis, præsto in potestate sum vestra. Qua miseratione vulgus ad clementiam suapte natura procliue, lenitum conticuit, æquanimiter venturam operiens sortem. Moxq; diuini arbitrio numinis, quod auxit ab incunabulis Romam, perpetuamque fore respondit, dum Tertullus apud *Ostiam in æde sacrificat Castorum, tranquillitas mare molliuit: mutatoque in austrum placidum vento, velificatione plena portum naues ingressæ, frumentis horrea referserunt. Inter hæc ita ambiguum Constantium, Sirmii etiam tum hiberna quiete curantem, permouebant nuntii metuendi & graues, indicantes id quod tunc magnopere formidabat, *Limigantes Sarmatas, quos expulisse paternis auitisq; sedibus dominos suos ante monstrauimus, paulatim posthabitis locis, quæ eis anno præterito vtiliter sunt destinata, ne(vt sunt versabiles) aliquid molirentur, regiones confines limitibus occupasse, vagariq; licentius, genuino more, ni pellerentur, omnia turbaturos. Quæ superbius incitanda propediem Imperator dilato negotio credens, coacta vndique multitudine militis ad bella promptissimi, necdum adulto vere ad procinctum egressus est, gemina cõsideratione alacrior: quod expletus prædarum opimitate exercitus, æstate nuper emensa, simili in spe fidenter in effectus animabatur prosperos: quodque Anatolio regente tunc per Illyricum præfecturam, necessaria cuncta, vel ante tempus coacta, sine vllius dispendiis affluebant. nec enim dispositionibus vnquam alterius præfecturæ (vt inter omnes constat) ad præsens arctoæ prouinciæ bonis omnibus floruerunt, correctione titubantium beneuola & solletti, vehicularíæ rei iacturis ingentibus, quæ clausere domus innumeras; & censuali professione speciosa fiducia releuatæ: indemnesq; deinde & innoxii earum incolæ paruum, querelarum sopitis materiis viuerent, ni postea exquisitorum detestanda nomina titulorum, per offerentes suscipientesque criminose in maius exaggerata, his propagan sibi nitentibus potestates, illis attenuatis omnium opibus se fore sperantibus tutos, adusque proscriptiones miserorumque suspendia peruenerant. Rem igitur emendaturus vrgentem, profectus cum instrumentis ambitiosus Imperator, (vt dictum est) Valeriam venit, partem quondam Pannoniæ, sed ad honorem Valeriæ Diocletiani filiæ, & institutam & ita cognominatam: sub pellibusque exercitu diffuso, per Istri fluminis margines barbaros obseruabat, ante aduentum suum amicitiæ velamento Pannoniam furtim vastandam inuadere hiemis durissimo cogitantes, quum necdum solutæ vernis caloribus niues amnem vndique peruium faciunt, nostrique pruinis subdiuales motas difficile tolerabant. Confestim itaque missis ad Limigantes duobus tribunis cum interpretibus singulis, explorabat modestius percontando, quamobrem relictis laribus, post pacem & fœdera petentibus attributis, ita palarentur varii, limitesque contra interdicta pulsarent. Qui vana quædam causantes & irrita, pauore adigente mentiri, principem exorabant *veniam obsecrantes, vt simultate abolita, transmisso flumine ad eum venire permitterentur, docturi quæ sustinerent incommoda, paratiq; intra spatia orbis Romani, si id placuerit, terras suscipere longe discretas; vt diuturno otio inuoluti, & quietem colentes tamquam salutarem deam, tributariorum onera subirent & nomen. His post reditum tribunorum compertis, Imperator exsultans, vt negotio quod rebatur inexplicabile, sine vllo puluere consummando, cunctos admisit, cupiditate plus habendi incensus: quã adulatorum cohors augebat, id sine modo strepentium, quod externis sopitis, & vbique pace composita, proletarios lucrabitur plures, & tirocinia cogere poterit validissima, aurum quippe gratanter prouinciales corporibus dabunt: quæ spes rem Romanam aliquoties aggrauauit. Proinde vallo prope Acumincum locato, celsoque aggere in speciem tribunalis erecto, naues vehentes quosdam legionarios expeditos, alueum fluminis proximum ripis obseruare sunt iussæ, cum Innocentio quodam agrimensore huius auctore consilii, vt si barbaros tumultuare sensissent, aliorsum intentos post terga peruaderent. Improuisique Limigantes, licet properari sentirent, nihil tamen præceps fingentes, stabant incurui, longe alia quam quæ gestu præferebant & verbis, altis mentibus perpensantes. Visoque Imperatore ex alto suggestu iam sermonem parante lenissimum, meditanteque adloqui velut morigeros iam futuros, quidam ex illis furore percitus truci, calceo suo in tribunal

contorio, *marhamarha*, quod est signum apud eos bellicum, exclamauit. Eumque sequuta incondita multitudo, vexillo elato repẽte Barbarico, vlulans ferum, in ipsum principem ferebatur. Qui quum ex alto despiciens plena omnia discurrentis turbæ cum missilibus vidisset, retectisq; gladiis & verutis iam propinquam perniciem, externis mixtus & suis, ignotusque dux esset an miles, quia neq; cunctandi aderat tempus neque cessandi, equo veloci impositus cursu effuso euasit. Stipatores tamen pauci, dum ignis * more inundantes conabantur arcere, interierunt, ponderibus superruentium solis adflicti: sellaque regalis cum aureo puluinari, nullo vetante direpta est. Mox autem audito quod vltimum pene tractus in exitium, in abrupto staret adhuc Imperator, antiquissimum omnium exercitus ratus eum iuuare, (nondum enim exemptum periculis existimatur) salutis fastu fidentior, licet ob procursionem subitam semitectus, sonorum & marium frendens, barbarorum * mori obstinatorum cateruis semet immersit. Et quia virtute dedecus purgatura ardens copia nostrorũ erupit, iras in hostem perfidum parans, obuia quæque obtruncabat sine parcimonia viuos conculcans & semineces ac peremptos: & antequam exsatiaret cædibus barbaricis manus, aceruí constipati sunt mortuorum. Vrgebantur enim rebelles, aliis trucidatis, aliis terrore disiectis: quorum pars spem vitæ cassis precibus vsurpando, multiplicatis ictibus cædebantur. Postque deletos omnes, receptum canentibus lituis, nostri quoque, licet rari videbantur exanimes; quos impetus conculcauerat vehemens, aut furori resistentes hostili, lateraque nudantes in recta, ordo fatalis absumpsit. Mors tamen eminuit inter alios Cellæ scutariorum tribuni; qui inter confligendi exordia primum omnium in medios Sarmatarum globos se immisit. Post quæ tam sæua, digestis pro securitate quæ limitum rationes monebant vrgentes, Constantius Sirmium redit, ferens de hoste fallaci vindictam: & maturatis quæ necessitates temporis poscebant instantes, egressus exinde Constantinopolim petit: vt orienti iam proximus, cladibus apud Amidam mederetur acceptis; & reintegrato supplementis exercitu, impetus regis Persarum pari virium robore cohiberet: quem constabat (ni cælestis ratio impensiorque repelleret cura multorum) Mesopotamia relicta post terga, per extenta spacia signa motutum. Inter has tamen sollicitudines, velut ex recepto quodam antiquitus more, ad vicem bellorum ciuilium inflabant litui * quædam colorata læsæ crimina maiestatis: quorum exsequutor & administer sæpe dicendus ille notarius, missus est Paulus: qui peritus artium cruentarum, vt lanista ex commerciis libitinæ vel * ludii, ipse quoque ex equuleo vel carnifice quæstum fructumque captabat. Vt enim erat obstinatum fixumque eius propositum ad lædendum, ita nec furtis abstinuit, innocentibus exitiales caussas adfingens, dum in calamitosis stipendiis versaretur. Materiam autem in infinitum quæstionibus extentis dedit occasio vilis & parua. Oppidum est Abydum in Thebaidis parte situm extrema. Hic Besæ dei localiter appellati oraculum quondam futura pandebat, priscis circumiacentium regionum ceremoniis solitum coli. Et quoniam quidã præsentes, pars per alios desideriorũ indice missa, scriptura, supplicationibus expressè conceptis consulta numinum scitabantur, chartulæ seu membranæ, continentes quæ petebantur, post data quoque responsa, interdum remanebant in fano. Ex his aliqua ad imperatorem maligne sunt missa: qui vt erat angusti pectoris, obsurdescens in aliis etiam nimium seriis, in hoc titulo ima (quod aiunt) auricula mollior & suspicax, & munitus acri felle concaluit. Statimque ad orientem ocius ire monuit Paulum, potestate delata, vt instar ducis rerum experientia clari, ad arbitrium suum audiri efficeret caussas. Datumque est negotium Modesto etiam tum per orientem comiti, apto ad hæc & similia. Hermogenes enim Ponticus, ea tempestate præfectus prætorio, vt lenioris ingenii spernebatur. Pertexit vt præceptum est Paulus, funesti furoris & anhelitus plenus: dataque calumniæ indulgentia, plurimi ducebantur ab orbe prope terrarũ iuxta nobiles & obscuri: quorũ aliquos vinculorum adflixerũt nexus, alios claustra pœnalia consumpserũt. Et electa est spectatrix suppliciorũ feralium ciuitas [in] Palæstina Scythopolis; gemina ratione visa magis omnibus opportuna, quod secretior, & inter Antiochiam Alexandriamque media, vnde multi plerumque ad crimina trahebantur. Ductus est itaque inter primos Simplicius

Philippi

Philippi filius ex præfecto & consule, reus hac gratia postulatus, quod super adipiscendo interrogasse dicebatur imperio: perque elogiũ principis torqueri præceptus, qui in his casibus nec peccatum aliquando pietati dederat nec erratum, fato quodam arcente, corpore immaculato fuga damnatus est. Dein Parnasius ex præfecto AEgypti, homo simplicium morum, eo deductus periculi vt pronuntiaretur capitis reus, itidem pulsus est in exsilium, sæpe auditus multis antehac retulisse quod, quum Patras Achaicum oppidum, vbi genitus habuit larem, impetrandæ caussa cuiusdam relinqueret potestatis, per quietem deducentia se habitus tragici figmenta viderat multa. Andronicus post, a studiis liberalibus & claritudine carminum notus, in iudicium introductus, quum secura mente nullis suspicionibus vrgeretur, purgãdo semper & fidentius absolutus est. Demetrius item *Cythras cognomento philosophus, grandæuus quidem, sed corpore durus & animo, sacrificasse aliquoties confutatus infitiari non potuit, adserens propitiandi caussa numinis hæc a prima adolescentia factitasse, non tentandi sublimiora *scrutatus: nec enim quemquam id nouerat adfectare. Diu itaq; adhærens eculeo, quum fiducia graui fundatus, nequaquam variãs, eadem oraret intrepidus, Alexandriã, vnde oriebatur, innoxius abire permissus est. Et hos quidem aliosque paucos æqua sors, veritatis adiutrix, periculis exemit abruptis: criminibus vero serpentibus latius per implicatos nexus sine fine distentos, quidam corporibus laniatis exstinguebantur, alii pœnis vlterioribus damnati sunt bonis ereptis, Paulo succentore fabularum crudelium, quas e promptuaria cella fallaciarum extulit nocendi specie, egitque complures: cuius ex nutu (prope dixerim) pẽdebat incedentium omnium salus. Nam si qui remedia quartanæ vel doloris alterius collo gestaret, siue per monumentum transisse vespere maleuolorum argueretur indiciis, vt veneficus, sepulcrorumque horrores & errantium ibidem animarũ ludibria colligens vana, pronuntiatus reus capitis interibat. & prorsus ita res agebatur, quasi Clarum, Dodonæas arbores, & effata Delphorum olim solennia, in Imperatoris exitium sollicitauerint multi: vnde blandinarum tetra commenta palatina cohors exquisite confingens, immunem eum fore malorum communium adserebat; fatum eius ingens semper & præsens in abolendis aduersa conantibus eluxisse, vocibus magnis exclamans. Et inquisitum in hęc negotia fortius, nemo, qui quidem recte sapiat, reprehendit. Nec enim abnuimus, *salutem legitimi principis*, propugnatoris bonorum & defensoris, vnde salus quæritur aliis, consociato studio muniri debere cunctorum: cuius redimẽdæ caussa validius, vbi maiestas pulsata defenditur, a quæstionib. vel cruentis, nullã Corneliæ leges exemere fortunã. Sed *exsultare mæstis casib.* effrenate, nõ decet, ne videãtur licẽtia regi subiecti, nõ potestate. Imitandus sit Tullius, quum parcere vel lædere potuisset, (vt ipse adfirmat) ignoscendi quærens caussas, non puniendi occasiones: quod iudicis lenti & considerati est proprium. Tunc apud Daphnen, amœnum illud & ambitiosum Antiochiæ suburbanum, visu relatuque horrendum natum est monstrum, infans ore gemino, cum dentibus binis & barba, quatuorque oculis, & breuissimis duabus auriculis: qui partus ita distortus, præmonebat rempublicam in statum verti deformẽ. Nascuntur huiuscemodi sæpe portenta, indicantia rerum variarum euentus: quæ quoniam non expiantur (vt apud veteres) publice, inaudita prætereunt & incognita. His temporibus Isauri diu quieti, post gesta quæ superior continet textus, tentatumque Seleuciæ ciuitatis obsidium, paulatim reuiuiscentes, (vt solent verno tempore foueis exsilire serpentes) saltibus degressi scrupulosis & inuiis, confertique in cuneos densos, per furta & latrocinia finitimos adflictabant, [& eo] prætenturas militum, vt montani, fallentes, perque rupes & dumeta ex vsu facile discurrentes. Ad quos vi vel ratione sedandos *Lauritius adiecta comitis dignitate missus est rector, homo ciuilis prudentiæ, qui minis potius quam acerbitate pleraque correxit: adeo vt eo diu prouinciam obtinente, nihil accideret quod animaduersione dignum æstimaretur.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIBER VIGESIMVS.

1112 HÆc per Illyricum perque orientem rerum series fuit. Consulatu vero Constantii decies, terque Iuliani, in Britanniis quum Scotorum * Pictorumque gentium ferarum excursu, rupta quiete, cōdicta loca limitibus vicina vastarentur, & implicaret formido prouincias præteritarum cladium cōgerie fessas, hiemem agens apud Parisios Cæsar, distractusque in sollicitudines varias, verebatur ire subsidio transmarinis, vt retulimus ante fecisse Constantium; ne rectore vacuas relinqueret Gallias, Alemannis ad sæuitiam etiam tum incitatis & bella. Mittere igitur ad hæc loca * ad rationes componendas Lupicinum placuit, ea tempestate magistrum armorum, bellicosum sane & castrensis rei peritum, sed supercilia erigentem vt cornua, & de tragico (quod aiunt) cothurno strepentem: super quo diu ambigebatur, auarus esset potius an crudelis. Moto ergo velitari auxilio, Herulis scilicet & Batauis, numerisque * Mœsiacorum pluribus, adulta hieme dux antedictus * Bononiam venit: quæsitisque nauigiis, & omni imposito milite, obseruato flatu secundo ventorum, ad * Rutupias sitas ex aduerso defertus; petitque * Lundinium; vt exinde suscepto pro rei qualitate consilio, festinaret ocius ad procinctum. Quæ quum ita gerentur, post Amidæ oppugnationem * Vrsicinum ad commilitium principis & peditum magisterium reuersum (successisse enim eum Barbationi prædiximus) obtrectatores excipiunt; primo disseminantes mordaces susurros, dein propalam ficta crimina subnectentes. Quibus Imperator adsensus, ex opinione pleraque æstimans & insidiantibus patens, * Arbetionem & Florentium officiorum magistrum quæsitores dederat, spectaturos quas ob res oppidum sit excisum. Quibus apertas probabilesque refutantibus caussas, veritisque ne offenderetur Eusebius cubiculi tunc præpositus, si documenta suscepissent perspicue demonstrantia, Sabiniani pertinaci ignauia hæc accidisse quæ cōgerunt: a veritate detorti, inania quædam longeque a negotio distantia scrutabantur. Qua iniquitate percitus qui * audiebat, *Etsi me*, inquit, *despicit Imperator, negotii est tamen magnitudo, vt non nisi iudicio principis nosci possit & vindicari. sciat tamen velut quodam præsagio, quod dum meret super his quæ apud Amidam gesta * emendata didicit fide, dumque ad spadonum arbitrium trahitur, defensandæ Mesopotamiæ proximo vere ne ipse quidem cum exercitus robore omni opitulari poterit præsens.* Relatis adiectisque cum interpretatione maligna compluribus, iratus vltra modum Constantius, nec discusso negotio, nec patefieri quæ scientiam eius latebant permissis, adpetitum calumniis, deposita militia digredi iussit ad otium, Agilone ad eius locum immodico saltu promoto ex gentilium scutariorum tribuno. Eodem tempore per Eoos tractus cælum subtextum caligine cernebatur obscura, & a primo auroræ exortu vsque ad meridiem intermicabant iugiter stellæ. Hisque terroribus accedebat quod quum lux cælestis operiretur, e mundi conspectu penitus luce abrepta, defecisse diutius solem pauidæ mentes hominum æstimabant: primo attenuatum in lunæ corniculantis effigiem, deinde in speciem auctum semestrem, posteaque in integrum restitutum: quod alias non euenit ita perspicue, nisi quum post inæquales cursus intermenstruum lunæ ad * idem reuocatur initium certis temporum interuallis: id est, quum domicilio eiusdem signi tota repente luna sub sole liniamentis obiecta rectissimis, atque in his paulisper consistit minutis, quas geometrica ratio [partiū] partes appellat. Ac licet vtriusque sideris conuersiones & motus, vt scrutatores caussarū intelligibiliū aduerterant, in vnum eumdemq; finē lunari cursu impleto, perenni distinctione * conueniūt: tamē sol non semper his diebus obducitur: sed quū luna e regione velut libramento quodam igneo orbi & aspectui nostro opponitur media ad summam, tū sol occultatur splendore suppresso, quum ipse & lunaris globus, astrorum omnium infimus, parili comitatu obtinentes circulos proprios, saluaque

rationē

ratione altitudinis interiectæ iunctim locati, vt scienter & decore Ptolemæus exponit, ad dimensiones venerint, quos ἀναβιβάζοντας & καταβιβάζοντας ἐκλειπτικοὺς συνδέσμους coagmenta videlicet defectiua, Græco* dictitant sermone. Et si contigua iisdem iuncturis præstrinxerint spatia, dilutior erit defectus: si vero articulis ipsis inhæserint, qui coactius adscensus vinciunt & descensus, offunditur densioribus tenebris cælum, vt crassato aere, ne proxima quidem & apposita cernere queamus. Sol autem geminus ita videri existimatur, si erecta celsius solito nubes, æternorumque ignium propinquitate collucens, orbis alterius claritudinem tamquam e speculo puriore formauerit. Nunc veniamus ad lunam. Apertum & euidentem ita demum sustinet luna defectum, quum pleno lumine rotunda, solique contraria, ab eius orbe centum octoginta partibus, id est signo septimo, disparatur. Et quamquam hoc per omne plenilunium semper eueniat, non semper deficit tamen. sed quoniam circa terrenā mobilitatem locata, & a cælo totius pulchritudinis extima, nonnumquam ferienti se subserit luci, obiectu metæ noctis in conum desinentis angustum, latet parumper, vmbrarumque nigrantibus inuoluitur globis, si sol sphæræ inferioris curuamine circumfusus, mole obsistente terrena, radiis eam suis illustrare non possit: quā numquā habere proprium lumen, opiniones variæ collegerunt. Et quū ad idem signū æquis partibus soli concurrerit, obscuratur (vt dictum est) penitus hebetato candore; μηνὶν Græce σύνοδος [dicitur.] Nasci autem putatur, quum parua declinatione velut a perpendiculo supererectū gerit solem. Exortus vero eius adhuc gracilescens primitus mortalitati videtur, quū ad secundum relicto sole migrauerit signum. Progressa itaque portectius, iamq; abunde nitens cornutæ habitu, μηνοειδὴς est appellata: quum autem sole longo cœperit interstitio summoueri, & ad quintum peruenerit signū, radiis eius ad se conuersis, maius concipit lumen; & fit Græco sermone* διχόμηνος: quę forma semiorbem ostendit. Procedens deinde iam* disiunctissimoq; signo arrepto, figurā monstrat ἀμφίκυρτον, vtrimq; prominentibus gibbis. E regione vero quū normaliter steterit, contra lumine pleno fulgebit, domiciliū septimi retinens signi. & in eodem tum etiam agens paululumque progressa, minuitur: quem habitum vocamus* κοιλόγυιον: atq; easdem formas repetit senescendo: tradit urq; doctrina multiplici cōgruente, nonnisi tempore intermenstrui deficere visam vsquam lunam. Quod autē solem nunc in æthere, nunc in mundo* interiore cursare prædiximus, sciendum est siderea corpora, quantū ad vniuersitatem pertinet, nec occidere nec oriri: sed ita videri nostris obtutibus constitutis in terra, spiritus cuiusdam interni motu suspensa, rerumque magnitudini instar exigui subdita puncti, nūc cælo infixas suspicere stellas, quarū ordo est sempiternus, aliquoties humana visione languente, discedere suis sedibus arbitrari. Verum ad instituta iam reuertamur. Properantem Cōstantium orienti ferre suppetias turbando propediem excursibus Persicis, vt perfugæ concinentes exploratoribus indicabant, vrebant Iuliani virtutes, quas per ora gentium diuersarum fama celebrior effundebat, magnorum eius laborum factorumq; vehens adoreas celsas, post Alemanniæ quædam regna prostrata, receptaq; opida Gallicana ante direpta a barbaris & excisa, quos tributarios ipse fecit & vectigales. Ob hæc & similia percitus, metuensque ne augerentur in maius, stimulante (vt ferebatur) præfecto Florentio, Decentium tribunum & notarium misit, auxiliares exinde protinus abstracturum Herulos & Batauos, cumq; * Perulantibus Celtas, & lectos ex numeris aliis trecentenos, hac specie iussos accelerare, vt adesse possint armis primo vere mouendis in Parthos Et super auxiliaris quidē & trecentenis cogendis ocius proficisci Lupicinus conuentus est solus, transisse ad Britannias nondum compertus: de scutariis autem & gentilibus excerpere quemq; promptissimum, & ipse perducere* Sintula iubetur, Cæsaris stabuli tunc tribunus. Conticuit, hisque adquieuerat Iulianus, potioris arbitrio cuncta concedens. Illud tamen nec dissimulare potuit nec silere, vt illi nullas paterentur molestias, qui relictis laribus transrhenanis, sub hoc venerant pacto, ne ducerentur ad partes vmquam transalpinas: verendum esse affirmans, ne voluntarii barbari militares, sæpe sub eiusmodi legibus adsueti transire ad nostra, hoc cognito deinceps arcerentur. Sed loquebatur incassum. Tribunus ēnim, parui querelas Cæsaris ducēs, Augusti iussis obtēperabat. & lecta expeditiore manu, vigore cor-

porumque leuitate præstanti, cum iisdem profectus est, spe potiorũ erectus. Et quia sollicitus Cæsar quid de residuis mitti præceptis agi deberet, perque varias curas animum versans, attente negotium tractari oportere censebat, quum hinc barbara feritas, inde iussorum vrgeret auctoritas, maximeque absentia magistri equitum faciente dubietatem; redire ad se præfectum hortatus est, olim Viennã specie annonæ parandæ digressum, vt se militari eximeret turba. Perpendebat enim ad relationẽ suã, quam olim putabatur misisse, abstrahendos a Galliarum defensione pugnaces numeros, barbarisq; iam formidatos. Qui quum suscepisset Cæsaris litteras, monentis petentisque vt venire acceleraret, rempublicam consiliis iuuaturus, obstinatissime detrectabat, ea ratione pauore mente confusa, quod * aperte scripta significabant, ab Imperatore nusquam diiungi debere præfectum in ardore terribilium rerum: adiectumque est, quod si procurare dissimulasset, ipse propria sponte proiiceret insignia principatus, gloriosum esse existimans iussa morte oppetere quam prouinciarum interitum sibi assignari. Sed vicit præfecti propositum pertinax, his quæ rationabiliter poscebantur, parere contentione maxima reluctantis. Inter has tamen moras absentis Lupicini, motusque militares tumentis præfecti, Iulianus consiliorum adminiculo destitutus, ancipitique sententia fluctuans, id optimum factu existimans, via solenni cunctos ex stationibus egressos, in quibus hiemabant, maturare disposuit. Hocque comperto, apud * Petulantium signa famosum quidam libellum humi proiecit occulte, inter alia multa etiam id continentem; *Nos quidem ad orbis terrarum extrema vt noxii pellimur & damnati: caritates vero nostræ Alemannis denuo seruient, quas captiuitate prima post internecinas liberauimus pugnas.* Quo textu ad comitatum perlato lectoque, Iulianus contemplans rationabiles querelas, cum familiis eos ad orientem proficisci præcepit, * clauularis cursus facultate permissa: & quum ambigeretur diutius qua pergerent via, placuit notario suggerente Decentio, per Parisios homines transire, vbi morabatur adhuc Cæsar nusquam motus. Et ita factum est. Iisdemque aduentantibus in suburbanis princeps occurrit, ex more laudans quos agnoscebat: factorumque fortium singulos monens, animabat lenibus verbis vt ad Augustum alacri gradu pergerent, vbi potestas & ample patens & larga, præmia laborum adepturi dignissima. Vtque honoratius procul abituros tractaret, ad conuiuium proceribus corrogatis, petere iure siquid in promptu esset edixit. Qui liberaliter ita suscepti, dolore duplici suspensi discesserunt & mœsti, quod eos fortuna quædam inclemens & moderato rectore & terris genitalibus dispararet. Hocq; angore impliciti, in statiua solita recesserunt. nocte vero cœptante, in apertum erupere dissidium: incitatisque animis, vt quemque insperata res adflictabat, ad tela conuertuntur & manus: fremituque ingenti omnes petiuerunt palatium; & spatiis eius ambitis, ne ad euadendi copiam quisquam perueniret, Augustum Iulianum horrendis clamoribus concrepabant, eum ad se prodire * festinatius adigentes: exspectareque coacti dum lux promicaret, tandem progredi compulerunt. Quo viso iterata magnitudine soni Augustum appellauere consensione firmissima & ille mente fundata vniuersis resistebat & singulis; nunc indignari semet ostendens, nunc manus tendens, oransque & obsecrans ne post multas felicissimasque victorias agatur aliquid indecorum, neue intempestiua temeritas & prolapsio, discordiarum materias excitaret. Hæcque adiiciebat tamdem sedatos leniter adloquutus: *Cesset ira quæso, paulisper: absque dissensione vel rerum appetitu nouarum, impetrabitur facile quod postulatis: quoniam dulcedo vos patriæ retinet, & insueta peregrinaque metuitis loca, redite iam nunc ad sedes, nihil visuri, quia displicet transalpinum. hocque apud Augustum capacem rationis & prudentissimum, ego competenti satisfactione purgabo.* Conclamabatur post hæc ex omni parte, nihilominus vno parique ardore tirentibus vniuersis: maximoque contentionis fragore, probro & conuitiis mixto, Cæsar adsentire coactus est. Impositusque scuto pedestri, & sublatius eminens, * populo silente Augustus renuntiatus, iubebatur diadema proferre: negansq; vmquam se habuisse, vxoris colli vel capitis poscebatur. Eoq; adfirmante, primis auspiciis non congruere aptari muliebri mundo, equi phalera quærebatur, vti congrua ornatus speciem saltem obscurã superioris prætenderet potestatis. Sed quum id quoque turpe esse adseueraret, Mau-

rus

rus nomine quidam, postea comes, qui rem male gessit apud Succorum angustias *speculannum, tunc hastatus, abstractum sibi torquem, quo vt draconarius vtebatur, capiti Iuliani imposuit confidenter. qui trusus ad necessitatem extremam, iamque periculum præsens vitare non posse aduertens, si reniti perseuerasset, quinos omnibus aureos argentiq; singula pondo promisit. Hisque gestis haud minore quā antea cura constrictus, futuraque celeri prouidens corde, nec diadema gestauit, nec procedere ausus est vsquam, nec agere seria quæ nimis vrgebant. Sed quum ad latebras secessisset occultas, accidentium varietate perterritus Iulianus, aliquis palatii decurio, qui ordo est dignitatis, pleniore gradu signa *Petulantium ingressus atque Celtarum, facinus indignum turbulente exclamat, pridie Augustum eorum arbitrio declaratum clam interemptū. Hocq; comperito, milites quos ignota pari sollicitudine mouebant & nota, pars crispantes missilia, alii minitantes nudatis gladiis, diuerso vagoque (vt in repentino solet) excursu occupauere volucriter regiam: strepituque immani excubitores perculsi & tribuni, & domesticorum comes Excubitor nomine, veritique versabilem perfidiam militis, euanuere metu mortis subitæ dispalati. Viso tamen otio summo, quieti stetere paulisper armati: & interrogati quæ caussa esset inconsulti motus & repentini, diu tacendo hæsitantes super salute principis, non antea discesserunt quam acciti in consistorium, fulgentem eum augusto habitu conspexissent. His tamen auditis, etiam illi quos antegressos retulimus duce Sintula, cum eo iam securi Parisios reuerterunt: edictoque vt futura luce cuncti conuenirent in campo, progressus princeps ambitiosius solito tribunal adscendit, signis aquilisque circumdatus & vexillis, septusque totis armatarum cohortium globis. Quumque interquieuisset paululum, dum alte contemplatur præsentium vultus, alacres omnes visos & lætos, quasi lituis verbis (vt intelligi possit) simplicibus incendebat. *Res ardua poscit & flagitat, propugnatores mei reique publicæ fortes & fidi, qui mecum pro statu prouinciarum vitam sæpius obiecistis, quoniā Cæsarem vestrum firmo iudicio ad potestatum omnium* culmen sustulistis, perstringere pauca summatim; vt remedia permutatæ rei iusta colligantur & cauta. Vixdum adolescens specie tenus purpuratus, (vt nostis) vestræ tutelæ nutu cælesti commissus, numquam a proposito recte viuendi defectus sum: vobiscum in omni labore perspicuus: quum dispersa gentium confidentia, post ciuitatum excidia, peremptaq; innumera hominū millia, pauca quæ semiintegra sunt relicta, cladis immensitas persultaret. & retexere superfluum puto quoties hieme cruda rigentique cælo, quo tempore terræ ac maria opere martio vacant, indomitos antea cum iactura virium suarum repulimus Alemannos. Id sane nec prætermitti est æquum nec taceri, quod quum prope Argentoratum illuxisset ille beatissimus dies, vehens quodammodo Gallis perpetuam libertatem, inter confertissima tela me discurrente, vos vigore vsusque diuturnitate fundati, velut incitatos torrentes hostes abruptius inundantes, superastis ferro prostratos, vel fluminis profundo submersos, paucis relictis nostrorum, quorum exsequias honestauimus celebri potius laude quam luctu. Post quæ opinor, tanta & talia, nec posteritatem tacituram de vestris in rempublicam meritis in gentibus cunctis, si plene, quem altiore fastigio maiestatis ornastis, virtute grauitateque, si quid aduersum ingruerit, defendatis. Vt autem rerum integer ordo seruetur, præmiaque virorum fortium maneant incorrupta, nec honores ambitio* præripiat clandestina, id sub reuerenda consilii vestri facie statuo, vt neque ciuilis quisquam iudex, nec militiæ rector, alio quodam præter merita suffragante, ad potiorem veniat gradum, non sine detrimento pudoris eo qui pro quolibet petere tentauerit, discessuro.* Hac fiducia spei maioris animatus inferior miles, dignitatum iamdiu expers & præmiorum, hastis feriendo clypeos sonitu adsurgens ingenti, vno propemodum ore dictis fauebat & cœptis. statimque, ne turbandæ dispositioni consultæ tempus saltem breue concederetur, pro actuariis obsecrauere Petulantes & Celtæ, recturi quas placuisset prouincias mitterentur: quo non impetrato, abiere nec offensi nec tristes. Nocte tamen quæ declarationis augustæ præcesserat diem, iunctioribus proximis retulerat Imperator, per quietem aliquem visum vt formari* Genius publicus solet, hæc obiurgando dixisse; *Olim Iuliane vestibulum ædium tuarum obseruo latenter, augere tuam gestiens dignitatem: & aliquoties tamquam repudiatus abscessi. Sed si ne nunc quidem recipior, sententia concordante multorum, ibo dimissus & mæstus. Id tamen retineto imo*

corde, quod tecum diutius non habitabo. Hæc dum per Gallias agerentur intente truculentus rex ille Persarum, incentiuo Antoniniaduentu Craugasii duplicato, ardore obtinendæ Mesopotamiæ flagrans, dum ageret cum exercitu procul Constantius, armis multiplicans & viribus transmisso solenniter Tigride, oppugnandam adoritur Singaram, milite vsuique congruis omnibus, vt existimauere qui regionibus præerant, abunde munitam. Cuius propugnatores viso hoste longissime, clausis ocius portis, ingentibus animis per turres discurrebant; & minas, saxa, tormentaque bellica congerentes; cunctisque præstructis stabant omnes armati, multitudinem parati propellere, si mœnia subire tentasset. Aduentans itaque rex, quum per optimates suos propius admissos, * pacatiore colloquio flectere defensores ad suum non potuisset arbitrium, & diem integrum dedit; & matutinæ lucis exordio, signo per flammeum erecto vexillum, circumuaditur ciuitas a quibusdam vehentibus scalas, aliis componentibus machinas, plerisque obiectu vinearum pluteorumque tectis, iter ad fundamenta parietum quærentibus subuertenda. Contra hæc opidani superstantes propugnaculis celsis, lapidibus eminus telorumque genere omni ad interiora ferocius se proripientes arcebant. & pugnabatur euentu ancipiti diebus aliquot, hinc inde multis amissis & vulneratis. Postremo feruente certaminum mole, & propinquante iam vespera, inter machinas plures admotus aries robustissimus, orbiculatam turrim feriebat ictibus densis; vnde reseratam vrbem obsidio superiore docuimus. Ad quam conuersa plebe, dimicabatur atrocissime: facesque cum tædis ardentibus & malleolis ad exurendum imminens malum vndique conuolabant, nec sagittarum crebritate, nec glande hinc inde cessante. Vicit tamen omne prohibendi commentum acumen arietis, coagmenta fodiens lapidum recens structorum, madoreque etiam tum infirmium. Dumque adhuc ferro certatur & ignibus, turri collapsa quum patuisset iter in vrbem, nudato propugnatoribus loco, quos periculi disiecerat magnitudo, Persarum agmina vndique vlulabili clamore sublato, nullo cohibente, cuncta opidi membra compleuerunt: cæsisq; promiscue paucissimis, residui omnes mandato Saporis viui comprehensi, ad regiones Persidis vltimas sunt asportati. Tuebantur autem hanc ciuitatem legiones duæ; prima Flauia, primaque Parthica, & indigenæ plures, cum auxilio equitum ilico ob repentinum malum inclusorum: qui omnes (vt dixi) vinctis manibus ducebantur, nullo iuuante nostrorum. Nisibin enim sub pellibus agens pars maior exercitus custodiebat, interuallo perquam longo discretam; alioquin numquam labenti Singaræ, vel temporibus priscis quisquam ferre auxilium potuit aquarum penuria cunctis circumiacentibus locis. Et licet ad præsciscendos aduersos subitosq; motus, id munimentum opportune locauit antiquitas; dispendio tamen fuit rei Romanæ, cum defensorum iactura aliquoties interceptum. Exciso itaque opido, rex Nisibin prudenti consilio vitans, (memor nimirum quæ sæpius ibi pertulerat) dextrum latus itineribus petit obliquis, * Bezabden, quam Phœnicham quoque institutores veteres appellarunt, vi vel promissorum dulcedine illectis defensoribus retenturus; munimentum impendio validum in colle mediocriter edito positum, vergensque in margines Tigridis; atque vbi loca suspecta sunt & humilia, duplici muro vallatur: ad cuius tutelam tres legiones sunt deputatæ, secunda Flauia, secundaque Armeniaca, & Parthica itidem secunda, cum sagittariis pluribus Zabdicenis; in quorum solo tunc nobis obtemperantium hoc est municipium positum. Primo igitur impetu cum agmine cataphractorum fulgentium rex ipse sublimior ceteris, castrorũ ambitum circumcursans, prope labra ipsa fossarum venit audentius: petitusque balistarum ictibus certis & sagittarum densitate, opertura armorum in modum testudinis contextorum abscessit innoxius. Ira tamen tum sequestrata, caduceatoribus missis ex more, clausos blandius hortabatur, vt vitæ speique consulturi obsidium deditione soluerent opportuna, reseratisque portis egressi supplices victori gentium semet offerrent. Quibus adire propius ausis defensores mœnium ideo pepercerunt, quod cohærenter sibi iunctos duxerant iisdem notos ingenuos Singaræ captos. Eorum enim miseratione telum nemo contorsit, nec super pace respondit. Deinde datis induciis diei totius & noctis, ante alterius lucis initium Persarum

populus

populus omnis adortus auide vallum, acriterque minans ac fremens, vbi ad ipsa mœnia confidenter accessit, instabat vi magna resistentibus oppidanis. Quare sauciabantur plerique Parthorum, quod pars scalas vehentes, alii opponentes vimineas crates, velut cæci pergebant introrsus; nec nostris innocuis. sagittarum enim nimbi crebrius volitantes, stantes confertius perforabant. Partibusque post solis occasum æqua iactura digressis, appetente postridie luce, ardentius multo quam antea pugnabatur, hinc inde concinentibus tubis: nec minores strages vtrobique visæ sunt, ambobus obstinatissime colluctatis. Verum sequuto die otio communi assensu post ærumnas multiplices attributo, quum magnus terror circumsisteret muros, Persæque paria formidarent, Christianæ legis antistes exire se velle gestibus ostendebat & nutu: acceptaque fide quod redire permitteretur incolumis, vsque ad tentoria regis accessit. vbi data copia dicendi quæ vellet, suadebat placido sermone discedere Persas ad sua; post communes partis vtriusque luctus, formidari etiam maiores affirmans forsitan aducturos. Sed perstabat incassum hæc multaque similia disserendo, efferata vesania regis obstante, non ante castrorum excidium digredi pertinaciter adiurantis. Perstrinxit tamen suspicio quædam episcopum, vana, vt opinor, licet assueratione vulgata multorum; quod clandestino colloquio Saporem docuerat, quæ mœnium appeteret membra, vt fragilia intrinsecus & inualida. Hocque exinde verisimile visum est, quod postea in tuta loca carieque nutantia cum exsultatione magna, velut regentibus penetralium * callidis, contemplabiliter machinæ feriebant hostiles. Et quamquam angusti calles difficiliorem aditum dabant ad muros, aptatique arietes ægre promouebantur, manualium saxorum sagittarumq; metu arcente; nec balistæ tamen cessauere, nec scorpiones; illæ, tela torquentes, hi, lapides crebros, qualique simul ardentes, pice & bitumine illiti: quorum assiduitate per procliue labentium machinæ hęrebant, velut altis radicibus fixæ; easque malleoli & faces iactæ destinarius, exurebant. Sed quum hæc ita essent, caderentque altrinsecus multi, ardebant magis oppugnatores naturali situ & ingenti opere munitum oppidum ante brumale sidus exscindere; rabiem regis non ante sedari credentes. Quocirca nec multa cruoris effusio, nec confixi mortiferis vulneribus plurimi, ceteros ab audacia parili reuocabant. Sed diu cum exitio decernentes, * postremo periculis obiectauere semet abruptis: & agitantes arietes denso saxorum pondere molarium, fomentisque ignium variis ire protinus vetabantur. Verum vnus aries residuis celsior, humectis taurinis opertus exuuiis, ideoque minus casus flãmeos pertimescens aut tela, antegressus omnes, repsit nisibus magnis ad murum: vastoq; acumine coagmenta lapidum fodiens, turrim laxatam euertit. Qua sonitu lapsa ingenti, superstantes quoque repentina ruina deiecti, diffractiq; vel obruti, mortibus interiere diuersis & insperatis: inuentoque tutiore adscensu, armata irruit multitudo. Trepidis deinde superatorum auribus vlulantium vndiq; Persarum intonante fragore, artius prœlium intra muros exarsit hostium nostrorumque ceteris certantib. comminus, quum confertis inter se corporibus, hinc indeque stricto mucrone nulli occurrentiũ parceretur: magna denique mole ancipiti diu exitio renitentes obsessi, postremo plebis immensæ ponderibus effusæ disiecti sunt: & post hæc iratorum hostium gladii, quidquid inueniri poterat concidebãt; abreptique sinibus matrum paruuli, ipsæ quoq; matres trucidabantur, nullo quid ageret respectante. Interea tamen funesta gens rapiendi cupidior, onusta spoliorum genere omni, captiuorumque examẽ maximum ducens, tentoria repetiuit exsultans. Rex tamen gaudio insolenti elatus, diuque desiderio capiendæ * Phœnichæ flagrans, munimenti perquam tempestiui, non ante discessit quam labefactata murorum parte reparata firmissime, alimentisq; affatim conditis, armatos ibi locaret insignes origine bellique artibus claros. Verebatur enim, quod accidit, ne amissionem castrorum ingentium ferentes ægre Romani, ad eadem obsidenda viribus magnis accingerentur. Latius se proinde iactans, additaque spe quidquid aggredi posset adipiscendi, interceptis castellis aliis vilioribus, * Virtam adoriri disposuit, munimentum valde vetustum, vt ædificatum credatur a Macedone Alexandro: in extremo quidem Mesopotamiæ situm, sed muris velut sinuosis circumdatũ & cornutis, instructioneq; varia inaccessum. Quod quũ omni tentaret

arte, nunc pollicitationibus defensores alliciens, nunc pœnas cruciabiles minitans, aliquoties struere aggeres parans, obsidionalesque* mouens machinas, multis acceptis vulneribus quam illatis, omisso vano incepto, tandem abscessit. Hæc eo anno inter Tigrim gesta sunt & Euphratē. Quæ quum frequentibus nuntiis didicisset Constantius, metuens expeditiones Parthicas, hiemē apud Constantinopolim agens, impensiore cura limitem instruebat cum omni apparatu bellorum. Arma quoque & tirocinia cogens, legionesque augens iuuentutis validæ supplementis, quarū statariæ pugnæ per orientales sæpius emicuere procinctus, auxilia super his Scytharū poscebat mercede vel gratia; vt adulto vere profectus e Thraciis, loca suspecta protinus occuparet. Inter quæ Iulianus apud Parisios hibernis locatis, summa cœptorū quorsum euaderet pertimescens, erat anxius; nusquam adsensurum Constantium factis multa voluēdo considerans; apud quem sordebat vt infimus & contemptus. Circumspectis itaque trepidis rerum nouarum exordiis, legatos ad eum mittere statuit gesta docturos; eisq; concinentes literas dedit; quid factum sit, quidue fieri oporteat deinceps, monens apertius & demonstrans. quamquam eum hæc dudū cōperisse opinabatur, relatu Decentii olim reuersi, & cubiculariorum recens de Galliis regressorum, qui ad Cæsarem aliqua portauere solennia. Et quamquam non repugnanter; tamen nec arrogantibus verbis quidquam scripsit, ne videretur subito* declinasse. Erat autem litterarum sensus huiusmodi: *Ego quidem propositi mei fidem, non minus moribus quam fæderum pactis, quoad fuit, vnum semper atque idem sentiens conseruaui, vt effectu multiplici claruit euidenter. Iamque inde vt me creatum Cæsarem pugnarum horrendis fragoribus obiecisti, potestate delata contentus, currentium ex voto prosperitatum nuntiis crebris, vt apparitor fidus, tuas aures impleui; nihil vsquam periculis meis adsignās; quum documentis assiduis constet, diffusis permixtisque passim Germanis, in laboribus me semper visum omnium primum, in refectione postremum. sed bona tua venia dixerim, si quid nouatum est nunc, vt æstimas, in multis bellis & asperis ætatem sine fructu conterens miles, olim* decretum impleuit fremens, secundique impatiens loci rectorem, quum nullas sibi vices a Cæsare diuturni sudoris & victoriarum frequentium rependi posse contemplaretur. Cuius iracundia, nec dignitatum augmenta nec annuum merentis stipendium, id quoque inopinum accessit, quod ad partes orbis Eoi postremas venire iussi, homines adsueti glacialibus terris, separandique liberis & coniugibus, egentes trahebantur & nudi. Vnde solito sæuius efferati, nocte in vnum collecti, palatium obsedere, Augustum Iulianum vocibus magnis appellantes & crebris. Cohorrui, fateor, & secessi: amandatusque dum potui, salutem mussatione quæritabam & latebris. Quumque nullæ darentur induciæ, libero pectoris muro (vt ita dixerim) septus, progressus ante conspectum omnium steti, molliri posse tumultum auctoritate ratus vel sermonibus blandis. Exarsere mirum in modum, eousque prouecti, vt quoniam precibus vincere pertinaciam conabar, instanter mortem contiguis adsultibus intentarent. Victus denique, mecumque ipse contestans, quod alter confosso me forsitan libens declarabitur princeps, assensus sum, vim lenire sperans armatam. Gestorum hic textus est: quem mente quæso accipito placida. Nec actum quidquam secus existimes, vel susurrantes perniciosa malignos admittas, ad compendia sua excitare secessiones principum adsuetos: sed adulatione vitiorum altrice depulsa excellentissimam virtutum omnium aduerte iustitiam: & conditionum æquitatem quam propono, bona fide suscipito; cum animo disputans, hæc Romano statui prodesse, nobisque, qui caritate sanguinis & fortunæ superioris culmine sociamur. Ignosce enim. Quæ cum ratione poscuntur, non tam fieri cupio, quam a te vtilia probari & recta; aude tua præcepta deinde quoque suscepturus, quæ necesse sit fieri. In compendium redigam breue: equos præbebo curules Hispanos, & miscendos gentilibus atque scutariis adolescentes lectos, quosdam cis Rhenum editam barbarorum progeniem, vel certe ex dedititiis qui ad nostra desciscunt. Et hæc adusque exitum vitæ me spondeo non modo grato animo, verum cupido quoque facturum. Præfectos prætorio, æquitate & meritis notos, tua nobis dabit clementia: residuos ordinarios iudices, militiæque moderatores, promouendos arbitrio meo concedi est consentaneum; itidemque stipatores. Stultum enim, quum ante caueri possit ne fiat, ad latus Imperatoris adsciscí quorum mores ignorantur & voluntates. Hoc sane sine vlla dubitatione firmauerim: tirones ad peregrina & longinqua Gallis mittere, diuturna perturbatione casibusque*

busque vexati grauissimis, nec sponte sua poterunt nec coacti; ne consumpta penitus iuuentute adfligantur, præterita recordantes ita desperatione * *pereunt, impendentium. Nec Parthicis gentibus opponenda auxilia hinc acciri conuenit; quum adhuc nec barbarici sint impetus interclusi, & (si dici quod verum est pateris) hæ prouinciæ malis iactatæ continuis, externis indigeant adiumentis & fortibus. Hac hortando (vt æstimo) salutariter scripsi, poscens & rogans. Scio enim, scio (ne quid sublatius dicam cum imperio congruens) quas rerum acerbitates iam conclamatas & perditas* CONCORDIA *vicissim sibi cedentium principum, meliorem reuocauit in statum: quum appareat maiorum exemplo nostrorum, moderatores hæc & similia cogitantes, fortunate beateque viuendi reperire quodammodo viam, & vltimo tempori posteritatique iucundam sui memoriam commendare.*

His litteris iunctas secretiores alias Constantio offerendas clanculo misit, obiurgatorias & mordaces: quarum seriem nec scrutari licuit, nec, si licuisset, proferre decebat in publicum. Ad id munus implendum electi sunt viri graues, Pentadius officiorum magister, & Eutherius cubiculi tunc præpositus; post oblatas litteras relaturi nullo suppresso quæ viderunt, & super ordine futurorum fidenter acturi. Auxerat inter hæc cœptorum inuidiam Florentii fuga præfecti; qui velut præsagiens concitandos motus ob militem, vt sermone tenus iactabatur, accitum, consulto discesserat Viennam; alimentariæ rei gratia diuelli causatus a Cæsare; quẽ sæpe tractatum asperius formidabat. Dein quum comperisset eum ad augustum culmen euectum, exigua ac prope nulla viuendi spe versus in metum, vt longe disiunctus, malis se, quæ suspicabatur, exemit: & necessitudine omni relicta digressus, venit ad Constantium itineribus lentis: vtque se nulli obnoxium culpæ monstraret, Iulianum vt perduellem multis criminibus appetebat. Cuius post abitum bene Iulianus cogitans & prudenter, scirique volens quod præsenti [quoque] pepercisset, caritates eius cum re familiari intacta, publico cursus vsu permisso, ad orientem redire tutius imperauit. Nec minore studio sequuti legati, hæc secum ferentes quæ prædiximus, intentique ad viandum, quum venirent ad *iudices celsiores, oblique tenebantur: morasque per Italiam & Illyricum perpessi diuturnas & graues, tamdem transfretati Bosphorum, itineribusque lentis progressi, apud Cæsaream Cappadociæ etiam tum degentem inuenere Constantium, Mazacam antehac nominatam; opportunam vrbem & celebrem, sub* Argei montis pedibus sitam. Qui intromissi, data potestate offerunt scripta. Hisque recitatis, vltra modum solitæ indignationis excanduit Imperator. *limisque oculis eos adusque metum corruens mortis, egredi iussit, nihil post hæc percontatus vel audire perpessus. Perculsus tamen ardenter contatione stringebatur ambigua, vtrum in Persas an contra Iulianum moueri iuberet acies quibus fidebat: hæsitansque diu perpensis consiliis, flexus est quorumdam sententia vtilia suadentium; & iter orientem versus edixit. Statim tamẽ & legatos absoluit, & Leonam quæstorem suum in Gallias, cum litteris datis ad Iulianum, pergere celeri statuit gradu; nihil nouaturum se adserens suscepisse; sed eum (si saluti suæ proximorumque consulit) tumenti flatu deposito, intra Cæsaris se potestatem continere præcipiens. Vtque id facile formido intentatorum efficeret, velut magnis viribus fretus, in locum Florentii præfectum prætorio Nebridium, tum quæstorem eiusdem Cæsaris, promouerat, & Felicem notarium officiorum magistrum, & quosdam alios. * Gumobarium enim successorem Lupicini, antequam sciretur huiusmodi quidquam, magistrum prouexit armorum. Ingressus itaque Parisios Leonas, susceptus vt honoratus & prudens, postridie principi progresso in campũ cum multitudine armata pariter & plebeia, quam de industria conuocarat, e tribunali vt emineret altius superstanti, scripta iubetur offerre. Replicatoque volumine edicti quod missum est, & legi ab exordio cœpto, quum ventum fuisset ad locum id continentem quod gesta omnia Constantius improbans, Cæsaris potestatem sufficere Iuliano censebat, exclamabat vndique vocum terribilium sonus *Auguste Iuliane, vt prouincialis & miles, & reip. decreuit auctoritas, recreatæ quidem sed adhuc metuentis rediuiuos barbarorum excursus.* Quibus auditis Leonas cũ Iuliani litteris hæc eadem indicantibus reuertit incolumis; solusq; admissus est ad præfecturã Nebridius: id enim Cæsar quoque scribens, ex sententia sua fore aperte prædixit. Magistrũ

enim officiorum iam pridem ipse Anatolium ordinauit, libellis antea respondentē; & quosdam alios, vt sibi vtile videbatur & tutum. Et quoniam, quum hæc ita procederent, timebatur Lupicinus, licet absens, agensque etiam tum apud Britannos, homo superbæ mentis & turgidus; eratque suspicio quod, si hæc trans mare didicisset, nouarum rerum materias excitaret: notarius Bononiam mittitur, obseruaturus sollicite ne quisquam fretum oceani transire permitteretur. Quo vetito, reuersus Lupicinus antequam horum quicquam sciret, nullas ciere potuit turbas. Iulianus tamen, iam celsiore fortuna militisque fiducia lætior, ne intepesceret, neue vt remissus argueretur & deses, legatis ad Constantium missis, in limitem Germaniæ secundæ est egressus: omnique apparatu quem flagitabat instans negotium, communitus,* Obtricensi Mosæ oppido propinquabat. Rheno deinde transmisso, regionē subito peruasit Francorum quos* Atthuarios vocant, inquietorum hominum, licentius etiam tum percursantium extima Galliarum. quos adortus subito nihil metuentes hostile, nimiumque securos, quod scrupоsa viarum difficultate arcente, nullum ad suos pagos introisse meminerant principem, superauit negotio leui: captisq; plurimis & occisis, orantibus aliis qui superfuere, pacem ex arbitrio dedit; hoc prodesse possessoribus finitimis arbitratus. Vnde reuersus pari celeritate per flumen, præsidiaque limitis explorans diligenter & corrigens, adusq; Rauracos venit: locisque recuperatis quæ olim barbari intercepta retinebant vt propria, iisdemque pleniore cura firmatis, per Besantionem Viennam hiematurus abscessit. Hic per Gallias erat ordo gestorum. Quæ dum ita prospere succedunt & caute, Constantius accitū Arsacem Armeniæ regem, summaque liberalitate susceptum, præmonebat & hortabatur vt nobis amicus esse perseueraret & fidus: audiebat enim sæpius eum tentatum a rege Persarum fallaciis, & minis, & dolis, vt Romanorum societate posthabita, suis rationibus* iungeretur. Qui crebro adiurans, animam prius posse amittere quam sententiam, muneratus cum comitibus quos duxerat, rediit ad regnum; nihil ausus temerare postea promissorum, obligatus gratiarum multiplici nexu Constantio: inter quas illud potius excellebat, quod Olympiada Ablabii filiam, præfecti quondam prætorio, ei copulauerat coniugem, spōsam fratris sui Constantis. Quo dimisso a Cappadocia ipse per Melitinam minoris Armeniæ opidum, &* Lacotena & Samosata transmisso Euphrate Edessam venit. Ibique dum agmina vndique conuenientium militum, & rei cibariæ abundantes copias opperitur, diu moratus, post æquinoctium egreditur autumnale, Amidam petens. Cuius quum prope venisset mœnia, fauillis oppleta collustrans, flebat cum gemitu; reputans quales miseranda ciuitas pertulerat clades. Ibi tunc forte Vrsulus præsens, qui ærarium tuebatur, dolore percitus exclamauit, *En quibus animis vrbes a milite defenduntur; cui vt abundare stipendium possit, imperii opēs iam fatiscunt.* Quod dictum ita amarum militaris multitudo postea apud Chalcedona recordata, ad eius exitium consurrexit. Exinde cunctis* conseitus incedens, quum * Bezabden aduentaret, fixis tentoriis, vallo fossarumque altitudine circumsepris, obequitans castrorum ambitum longius, docebatur relatione multorum instaurata esse firmius loca, quę antehac iniuria corruperat vetustatis. Et ne quid omitteret quod ante feruorem certaminum erat necessario præstruendum, viris prudentibus missis conditione posita dupla, cogebat mœnium defensores redire ad suos, alienis sine cruore concessis, aut in dicionem venire Romanam dignitatibus augendos & præmiis. Atque quum illi destinatione natiua reniterentur vt clare nati, periculisque & laboribus, [in] cuncta obsidioni congrua parabantur. Densis itaque ordinibus cū tubarum incitamentis latera opidi cuncta adortus, alacris miles legionibus in testudines varias conglobatis, paulatim tuto progrediens, subruere mœnia conabatur: & quia telorum omne genus in subeuntes effundebatur, nexu clypeorum soluto discessum est, in *receptum canentibus signis. Laxatis deinde ad diem vnum animis, tertia luce curiosius tecti, elatis passim clamoribus adscensus vndique * tentabant. Et licet defensores obtentis ciliciis, ne conspicerentur ab hostibus, latebant intrinsecus, tamen quoties flagitabat necessitas, lacertos fortiter exsertantes, lapidibus subiectos incessebant & telis. Et vimineæ crates quum procederent confidenter, essentque parietibus contiguæ, dolia desuper cadebant, molæ, & columna-

rum fragmenta: quorum ponderibus nimiis obruebantur * pugnatores, hiatuque violento disiectis operimentis cum periculis vltimis euadebant. Decimo itaq; postquam oppugnari cœptum est die, quum spes nostrorum inferior cuncta mœrore compleret, transferri placuerat molem arietis magnam, quam Persæ quondam, Antiochia pulsibus eius excisa, relatam reliquerant apud Carras: quæ subito visa, aptataque faberrime, clausorum bebetauerat mentes adusque deditionis remedia pene prolapsas, ni resumptis viribus opponenda minaci machinæ præparassent. Nec temeritas post hæc cessauerat, nec consilium. Namque dum instrueretur aries vetustus, & dissolutus vt facile veheretur, omni arte omnique virium nixu, & * propugnatorum vi & firmitudine summa defensabantur tormenta. Nihilominus & lapidum crebritas atque fundarum ex vtraque parte plurimos consumebant, & aggerum moles incrementis celeribus consurgebant: acriorque indies adolescebat obsidio, multis nostrorum idcirco cadentibus, quod decernentes sub Imperatoris conspectu spe præmiorum, vt possint facile qui essent agnosci, nudantes galeis capita, sagittariorum hostilium peritia fundebantur. Proin dies & noctes intenti vigiliis, cautiores stantes vtrobique faciebant. Et Persæ aggerum altitudine iam in sublime porrecta, machinæque ingentis horrore perculsi, quam minores quoque sequebãtur, omnes exurere vi maxima nitebantur: & assidue malleolos atque incendiaria tela torquentes, laborabant incassum; ea re quod humectis * scortis & centonibus erant opertæ materiæ plures, aliæ vnctæ * alumine diligenter, vt ignis per eas laberetur innoxius. Verum has admouentes fortitudine magna Romani, licet difficile, defensabant tamen; & cupiditate potiundi opidi, ne promta quidem pericula contemnebant: & contra propugnatores, quum iam discussurus turrim oppositam aries maximus aduentaret, prominentem eius ferream frontem, quæ reuera formam effingit arietis, arte subtili illaqueatam altrinsecus laciniis tetinuere * longis, ne retrogradiẽs resumeret vires, neue ferire muros adsulnibus densis contemplabiliter posset, fundentes quoque feruentissimam picem. Et diu promotæ machinæ stabant, saxa muralia perferentes & tela. Iamque aggeribus cumulatius excitatis, defensores, ni vigilassent, exitium adfore iam sperantes, in audaciam ruere præcipitem: & repentino decursu portis effusi, primosque adorti nostrorum, faces sitellasque ferreas onustas ignibus in arietem magnis viribus iaciebant. Verum post ambiguam prœlii virtutem plurimi * nihil impetrato intra mœnia repelluntur: moxque ex aggeribus quos erexerant Romani, iidem Persæ propugnaculis insistentes, sagittis incessebantur & fundis, telisque igniferis: quæ per tegumenta turrium volitantia, paratis qui restinguerent, plerumque irrita labebantur. Quumque pauciores vtrobique fierent bellatores, & Persæ truderentur ad vltima, ni potior ratio succurrisset, impensiore opera procursus tentabatur ex castris: & eruptione subita multitudinis facta, inter armatos qui portabant ignes, ampliores prioribus ordinari, iaciebant corbes in materias ferreos plenos flammarum, & sarmenta, aliaque ad ignes concipiendos aptissima. Et quia conspectum abstulerant fumi nigerrimæ nubes, classico excitante in pugnã, legiones procinctæ celeri gradu venerunt: & subcrescente paulatim ardore bellandi, quum ventum fuisset ad manus, repente machinæ omnes effusis ignibus vrebantur præter maiorem: quam direptis restibus, quibus e muro iactis implicabatur, virorum fortium acrior nisus ægre semiustam extraxit. At vbi nocturnæ tenebræ finem prœliis attulerunt, non in longum miles quieuit. cibo enim exiguo refectus & somno, rectorum monitu excitus, munitiones longe a muro dimouit, dimicare succinctius parans per sublimes aggestus, qui iam consummati muris altius imminebant, vtque facile * defensores mœnibus pellerentur, in ipsis aggerũ summitatibus binæ sunt locatæ balistæ, quarum metu ne prospicere quidem posse hostium quisquam crederetur. His satis prouisis, prope ipsum crepusculum triplex acies nostrorum instructa, conisque galeatum minacius nutans, scalas vehentibus multis impetum conabatur in muros. Iamque resultantibus armis & tubis, vno parique ardore hinc inde pugnabatur audaci conflictu: Ianusque sese pandente, Romani, quum Persas occultari viderent pauore impositorum aggeribus tormentorũ, pulsabãt turrim ariete; & cũ ligonib. & dolabris & vectib. scalisq; appropinquabãt;

vtrimq; conuolante missilium crebritate. Adflictabant tamen multo vehementius Persas ictus varii balistarum, tamquam per transennam a cliuis structilibus decurrétes vnde fortunas suas sitas in extremo iam cogitantes, destinatam ruebant in mortē. & partiti munera dimicandi inter necessitatis articulos, relictis qui mœnia tuerētur, reserata latenter postica, strictis gladiis valida manus erupit, pone sequentibus aliis qui flammas occulte portabant. Dumque Romani nunc instant cedentibus, nunc vltro incessentes excipiunt, qui vehebant foculos, repentes incurui, prunas vnius aggesti inseruere iuncturis, ramis arborum diuersarum, & iunco, & manipulis constructi cannarum. qui conceptis incendiorum auidis nutrimentis, iam cremabantur, militibus cum intactis tormentis exinde periculose digressis. Vt vero certaminibus finē vespera dedit, partesque discesserunt ad otium breue, Imperator in varia sese consilia diducens & versans, quum excidio Phœnichæ diuinus imminere necessariæ rationes vrgerent, quod munimentum velut insolubile claustrum hostium excursibus erat obiectum, & serum repelleret tempus, certatutis leuiter ibi statuit immorari: alimentis destituendos forsitan cedere existimans Persas. quod secus atque rebatur euenit. Quum enim remissius pugnaretur, humente cœlo vndantes nubes cum tenebris aduenere minacibus: assiduisque imbribus ita immaduerat solum, vt luti glutinosa mollities per eas regiones pinguissimi cæspitis omnia perturbaret: & super his iugi fragore tonitrua fulguraque mentes hominum pauidas perterrebant. Accedebant arcus cælestis conspectus assidui: quæ species vnde ita figurari soleat, exposit inde rebus ostendet. Halitus terræ calidiores, & humoris spiramina conglobata in nubes, exindeque disiecta in aspergines paruas, ac radiorum fusione splendida facta, supinantur volubiliter contra ipsum igneum orbem, irimque conformant: ideoque spatioso curuamine sinuosam: quod in nostro panditur mundo, quem sphæræ dimidiæ parti rationes physicæ superponunt. Cuius species, quantum mortalis oculus cōtuetur, prima lutea visitur, secunda flauescens vel fulua, punicea tertia, quarta purpurea, postrema cæruleo concreta & viridi. Hac autem mixta pulchritudine temperatur ideo, (vt terrenæ existimant mentes) quod prima eius pars *dilutior cernitur, aeri concolor circumfuso: sequens, fulua, id est paulo excitatior quam lutea: punicea tertia, quod solis obnoxia claritudini, receptatione spiritus fulgores eius purissimos e regione deflorat. Quarta ideo purpurat, quod intermicante aspergimum densitate per quas oritur, radiorum splendorem *conspuens, ostendit aspectum flammeo propiorem: qui color quanto magis diffunditur, concedit in cærulum & virentem. Arbitrantur alii tunc iridis formam rebus apparere mundanis, quum altius dilatæ nubi crassæ radii solis infusi, lucem iniecerint liquidam: quæ non repetiens exitum, in se conglobata, nimio splendescit attritu: & proximos quidem albo colores a sole sublimiore decerpit: subuirides vero, a nubis similitudine superiecta; vt in mari solet vsu venire, vbi candidæ sunt vndæ quæ litoribus illiduntur; interiores, sine vlla concretione cæruleæ Et quoniam indicium est permutationis auræ, (vt diximus) a sudo aere nubium concitans globos, aut contra ex concreto immutans in serenam lætitiam cælum: ideo apud poetas legimus sæpe Irim de cælo mitti, quū præsentium rerum fit status mutatio. Suppetunt aliæ multæ opiniones & variæ: quas dinumerare nunc est superuacuum, narratione redire vnde digressa est, festinante. His ac talibus Imperator inter spem metumq; iactabatur, ingrauescente hiemis magnitudine, suspectisque per auios tractus insidiis: inter quæ etiam tumultum exasperati militis verebatur. Super his vrebat eius anxiam mentem, quod velut patefacta ianua diuitis domus, irritus propositi reuerteretur. Quas ob res, omisso vano incepto, hiematurus Antiochiæ redit in Syriam: ærumnosam perpessus æstatem & atrocem, diuque deflendam. Euenerat enim hoc, quasi fatali constellatione ita regente diuersos euentus, vt ipsum Constantium dimicantem cum Persis fortuna semper sequeretur afflictior: vnde vincere saltem per duces optabat: quod aliquoties meminimus contigisse.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER VIGESIMVSPRIMVS.

INTERCLVSO hac bellorum difficili sorte Constantio trans flumē Euphratem, Iulianus agens apud Viennam, formandis in futura consiliis dies impendebat & noctes, quantum opes patiebantur angustæ, altius semet attollens; semperque ambigens vtrum Constantium modis omnibus alliceret in concordiam, an terroris incutiendi gratia lacesseret prior. quæ sollicite reputans, vtrūque formidabat, & amicum cruentum, & in ærumnis ciuilibus sæpe victorem. maximeque Galli fratris exemplum mentem eius anxiam suspendebat, quem inertia mixtæque periuriis fraudes prodidere quorumdam. Erigebat tamen aliquoties animum ad multa & vrgentia, tutissimum ratus inimicum se ex confesso monstrare ei cuius ex præteritis motus coniectabat vt prudens, ni per amicitias fictas insidiis falleretur occultis. * Parui igitur habitis quæ per Leonam Constantius scripserat, nulloque arbitrio eius promotorum suscepto præter Nebridium, quinquennalia Augustus iam edidit; & ambitioso diademate vtebatur, lapidum fulgore distincto: quum inter exordia principatus adsumpta vili corona * circumdaretur xystarchæ similis purpurato. Inter quæ Helenæ coniugis defunctæ suprema misit at Romam, in suburbano viæ Nomentanæ condenda; vbi vxor quoque Galli quondam, soror eius sepulta est Constantina. Accidebat autem, incendebatque eius cupiditatem, pacatis iam Gallis incessere vltro Constantium, coniiciens eum per vaticinandi præsagia multa quæ callebat, & somnia, e vita protinus excessurum. Et quoniam erudito & studioso cognitionum omnium principi, maleuoli prænoscendi futura prauas artes adsignant, aduertendum est breuiter vnde sapienti viro hoc quoque accidere poterit doctrinæ genus haud leue. Elementorum omnium spiritus, vtpote perennium corporum, præsentienti motu semper & vbique vigens, ex his quæ per disciplinas varias adfectamus, participat nobiscum munera diuinandi: & substantiales potestates, ritu diuerso placatæ, velut ex perpetuis fontium venis, vaticina mortalitati suppeditant verba: quibus numen præesse dicitur Themidis: quam ex eo quod fixa fatali lege decreta præscire fas sit in posterum, quæ τεθειμένα sermo Græcus appellat, ita cognominatam, in cubili solioque Iouis, vigoris viuifici, theologi veteres collocarunt. Auguria & auspicia non volucrum arbitrio futura nescientium colliguntur, (nec enim hoc vel insipiens quisquam diceret) sed volatus auium dirigit Deus: vt rostrum sonans, aut præteruolans pinna turbido meatu vel leni, futura præmonstret. Amat enim Benignitas numinis, seu quod merentur homines, seu quod tangitur eorum affectione, his quoque artibus prodere quæ impendent. Extis item pecudum attenti fatidicis, in species conuerti suetis innumeras, accidentia sciunt. Cuius disciplinæ Tages nomine quidam monstrator, (vt fabulantur) in Etruriæ partibus emersisse subito visus e terra. Aperiunt tunc quoque ventura, quum æstuant hominum corda, sed loquuntur diuina. Sol enim (vt aiunt physici) mens mundi, nostras mentes ex sese velut scintillas diffunditans, quum eas incenderit vehementius, futuri conscias reddit. vnde Sibyllæ crebro se dicunt ardere, torrente vi magna flammarum. Multa significant super his crepitus vocum, & occurrentia signa, tonitrua quinetiam, & fulgura, & fulmina; itidemque siderum sulci. Somniorum autem * rata fides & indubitabilis foret, ni ratiocinantes coniectura fallerentur. interdumque (vt Aristoteles affirmat) infixa sunt & stabilia: quum animantis altius quiescentis ocularis * pupilla, neutrobi inclinata, rectissime cernit. Et quia vanities aliquoties plebeia strepit, hæc imperite mussando, *Si esset præsentiendi notitia quædam, cur ille se casurum in bello, vel alius hoc se passurum ignorauit aut illud*: sufficit dici, quod & grammaticus loquutus interdum est barbare, & absurde cecinit musicus, & ignorauit remedium medicus: & non ideo nec grammatica, nec musica, nec medicina subsistit. Vnde præclare

hoc quoque, vt alia, * Tullius; *Signa ostenduntur*, ait, *a diis rerum futurarum: in his si quis errauerit, non deorum natura, sed hominum coniectura peccauit.* Ne igitur extra calcem (quod dicitur) sermo decurrēs lecturo fastidium ferat, ad explicanda prospecta reuertamur. Quum apud Parisios adhuc Cæsar Iulianus quatiens scutum variis motibus exerceretur in campo; * axiculis queis orbis erat compaginatus in vanum excussis, ansa remanserat sola quam retinens valida manu stringebat. Territisque vt omine diro præsentibus cunctis; *Nemo*, inquit, *vereatur: habeo firmiter quod tenebam.* Item quum apud Viennam postea quiesceret sobrius, hora media noctis, imago quædam visa splendidior, hos ei versus heroos modo non vigilanti aperte dixit, eadem sæpius replicando, quibus fretus, nihil asperum sibi superesse existimabat. *Ζεὺς ὅταν ἐς πλατὺ τέρμα μόλῃ κλυτοῦ ὑδροχόοιο, Παρθενικῆς δὲ Κρόνος μοίρῃ βαίνῃ ἐπὶ πέμπτῃ Εἰκοστῇ, βασιλεὺς Κωνστάντιος Ἀσίδος αἴης Τέρμα φίλου βιότου στυγερὸν καὶ ἐπώδυνον ἕξει.* Agebat itaque nihil interim de statu rerum præsentiū mutans, sed animo tranquillo & quieto incidentia cuncta disponens, paulatimque sese corroborans, vt dignitatis augmento virium quoque congruerent incrementa. Vtque omnes nullo impediente ad sui fauorē illiceret, adhærere cultui Christiano fingebat, a quo iam pridem occulte desciuerat, arcanorum participibus paucis aruspicinæ augurisque intentus, & ceteris quæ deorum semper fecere cultores. Et vt hæc interim celarentur, feriarum die quem celebrantes mense Ianuario Christiani Epiphaniam dictitant, progressus in eorum ecclesiam, solenniter numine orato discessit. Dum hæc ita aguntur, propinquante iam vere, nuntio percitus inopino, ad tristitiam versus est & mœrorem. Didicit enim Alemannos a pago Vadomarii exorsos, vnde nihil post ictum fœdus sperabatur incommodum, vastare confines Rhetiis tractus: nihilque sinere intentatum manus prædatorias fusius discurrentes. Quod ne dissimulatum rediuiuas bellorum materias excitaret, Libinonē quemdam comitem cum Celtis & Petulantibus misit hiemantibus secum, negotium vt poscebat ratio correcturum. Qui quum mature prope opidum Sanctionem venisset, longe visus a barbaris, qui iam certamina meditantes sese per valles abdiderant: hortatusque milites, licet numero impares, cupidine tamen pugnandi vehementius irritatos, aggreditur inconsulte Germanos: interque dimicandi exordia ipse concidit omnium primus. Cuius interitu erecta barbarorum fiducia, Romanisque ad ducis vindictam accensis, certamen committitur obstinatum: & vrgente magnitudinis mole disiecti sunt nostri, occisis paucis & vulneratis. Cum hoc Vadomario & Gundomado eius fratre iisdem lege, Constantius (vt iam relatum est) firmauerat pacem. Postquæ mortuo Gundomado, hunc sibi fore existimans fidum, secretorumque taciturnum exsequutorem, fetialem mandauerat, si famæ solius admittenda est fides: scribebatque vt tamquam rupto concordiæ pacto, subinde collimitia sibi vicina vexaret, quo Iulianus id metuens, nusquam a tutela discederet Galliarum. Quibus (vt dignum est credere) obtemperans Vadomarius, hæc & similia perpetrabat, ad * perstringendum fallendumque mitis modis ab ætatis primitiis callens; vt postea quoque ducatum per Phœnicen regens ostendit. Sed re ipsa conuictus abstinuit. Capto enim a stationariis militibus notario, quem miserat ad Constantium, scrutatoque siquid portaret, epistola eius reperta est, in qua præter alia multa id quoque scripserat; *Cæsar tuus disciplinam non habet.* Iulianum autem adsidue per litteras Dominum & Augustum appellabat & Deum. Hæc, vt erant periculosa & dubia, Iulianus in exitiale malum eruptura considerans, in vnum omni cogitatione intenta, vi incautum rapere festinabat, vt securitatem suam prouinciarumque locaret in tuto: & iniit consilium tale. Philagrium notarium, orientis postea comitem, ad eas miserat partes; cuius prudentiæ fidebat, olim sibi compertæ: eique inter multa quæ pro capitu instantium rerum erat acturus, signatā quoque chartulam tradidit; mandauitque ne aperiret vel recitaret, nisi Vadomario viso cis Rhenum. Perrexit Philagrius, vt præceptum est: eoque præsente, & negotiis adstricto diuersis, transgressus Vadomarius flumen, vt nihil in profunda metuens pace; nihilq; secus gestorum simulans scire; viso præposito militum ibi degentium pauca loquutus, ex more vltro semet, vt suspicionis nihil relinqueret abiturus, ad conuiuiū

eius

eius venire promisit; ad quod erat etiam Philagrius inuitatus. Qui statim ingressus, rege conspecto, Imperatoris recordatus est verba: causatusque rem seriam & vrgẽtem, ad diuersorium rediit: scriptisque lectis doctus quid agi conueniret, confestim reuersus discubuit inter ceteros. Finitisque epulis, Vadomarium fortiter apprehensum, rectori militum arcte custodiendum apud signa commisit, textu lecto iussorũ, comitibus eius ad sua redire compulsis; super quibus nihil fuerat imperatum. Exhibitus tamen idem rex ad principis castra, iamque spe veniæ omni præclusa, quum interceptum notarium, & quæ scripserat ad Constantium, comperisset iam publicata, ne conuitio quidem tenus compellatus, missus est ad Hispanias. Id enim studio curabatur ingenti, ne Iuliano discedente a Galliis, immanissimus homo prouinciarum statum ægre compositum licentius conturbaret. Hoc casu elatior Iulianus regis opinione citius intercepti, quem profecturus ad longinqua formidabat, nihil remittentibus curis barbaros adoriri disposuit; quos peremisse Libinonem comitẽ in congressu cum militibus docuimus paucis. Et ne rumor aduentus sui eos ad remotiora traduceret, superato Rheno noctis alto silentio, cum auxiliorum expeditissimis globis, nihil metuentes huiusmodi circumuenit: excitatosque hostilium fragore armorum, dum gladios circumspectant & tela, celeriter inuolauit; & quosdam occidit, orantes alios, prædamque offerentes, dedititios cepit: reliquis qui remansere, pacem precantibus dedit, quietem pollicitis firmam. Quæ dum mentibus aguntur erectis, coniectans quantas intestinæ cladis excitauerat moles, nihilque tam conuenire conatibus subitis quam celeritatem sagaci præuidens mente; professa palam defectione * se tutiorem fore existimauit: incertusque de militum fide, placata ritu secretiore Bellona, classico ad concionem exercitu conuocato, saxeo suggestu insistens, iamque (vt apparebat) fidentior, hæc clarius solito differebat: *Iamdudum tacita deliberatione vos æstimo, magni commilitones, rerum gestarum excitos amplitudine, hoc opperiri consilium, vt euẽtus qui sperantur, perpendi possint & præcaueri. Plus enim audire quam loqui militem decet actibus coalitum gloriosis: nec alium spectatæ æquitatis sentire rectorem, quam eum qui & laudari digne potuerit & probari. Vt igitur quæ proposui abiectis absoluam, aduertite oro beneuole, quæ sermone breui percurram. Arbitrio Dei cælestis vobis inter ipsa iuuentæ rudimenta permixtus, irruptiones Alemannorum assiduas & Francorum, populandique iugem licentiam fregi, & vigore communi Romanis agminibus quoties libet Rhenum peruium feci; contra rumorum fremitus, gentiumq; validarũ violentos excursus stando immobilis; virtutis vestræ nimirum firmamento confisus. Et hæc laborum quos exhausimus, Galliæ spectatrices, post funera multa iacturasque recreatæ diuturnas & graues, posteritati per ætatum examina, commendabunt. At nunc, quum auctoritate vestri iudicii, rerumque necessitate compulsus, ad augustum elatus sum culmen, Deo vobisque fautoribus, si fortuna cœptis adfuerit, altius adsectabo maiora; id præ me ferens, quod exercitui, cuius æquitas armorumque inclaruit magnitudo, & domi moderatus visus sum & tranquillus, & in crebritate bellorum contra conspiratas gentium copias consideratus & cautus. Vt igitur aduersa præueniamus mentium societate iunctissima, sequimini viam, consiliumque salutare, (vt puto) quum integritas rerum intentioni nostræ voluntatique respondeat: & dum maioribus vacant præsidiis regiones Illyricæ, impræpedito cursu tendentes, Daciarum interim fines extimos occupemus; exinde quid agi oporteat bonis successibus instruendi: vtque est mos fidentium ducum, iuramento quæso concordiam spondete mansuram & fidem, operam nauaturo sedulam & solitam ne quid agatur inconsultum & segne, & producturo, si quis exegerit, incorruptam conscientiam meam, quod nihil voluntate præter ea quæ in commune conducunt, aggrediar aut tentabo. Illud sane obtestor & rogo, obseruate ne impetu gliscentis ardoris in priuatorum damna quisquam vestrum exsiliat; id cogitans, quod ita nos illustrarunt hostium innumeræ strages, vt indemnitas prouinciarum & salus, exemplis virtutum peruulgatæ.* Hoc sermone Imperatoris vice alicuius oraculi comprobato, mota est incitatius concio: & rerum cupida nouandarum, vnanimi consensu voces horrendas immani scutorum fragore miscebat; magnum elatumque ducem, &, vt experta est, fortunatum * domatorem gentium appellans & regum. Iussique vniuersi in eius nomen iurare solenniter, gladiis ceruicibus suis admotis, sub exsecrationibus diris verbis iurauere conceptis, omnes

pro eo casus, quoad vitam profuderint, si id necessitas exegerit, perlaturos. quæ sequuti rectores, omnesque principis proximi, fidem simili religione firmarunt. Solus omnium, licet proposito stabili, audacter tamen præfectus repugnauit Nebridius; iurisiurandi nexu contra Constantium nequaquam se constringi posse cōmemorans; cuius beneficiis obligatus erat crebris & multis. Quibus auditis, quum stantes propius milites acriter inflammati, eum appeterent trucidandum, ad genua sua prolapsum Imperator paludamento protexit. Inde reuersus in regiam, quum antegressum eum vidisset, supplicemque iacentem orare, vt leuandi caussa timoris ei porrigeret dexteram: *Et quid*, ait, *præcipuum amicis seruabitur, si tu manum tetigeris meam? Sed hinc quo libet abi securus.* Hocque audito, ille innoxius ad larem suum recessit in Tusciam. His Iulianus, vt poscebat negotii magnitudo, præstructis, expertus quid in rebus tumultuosis anteuersio valeat & prægressus, per tesseram edicto itinere in Pannonias, castris promotis & signis, temere se fortunæ commisit ambiguæ. Replicare nunc conuenit tempora, & narrare summatim quæ, dum aguntur in Galliis antedicta, Constantius hiemans Antiochiæ, domi militiæque perfecit. Inter complures alios bonore conspicuos, adoraturi Imperatorem peregre venientem ordinantur etiam ex tribunis insignibus. Quum igitur a Mesopotamia reuersus Constantius boc exciperetur officio, Amphilochius quidam ex tribuno Paphlago, quem dudum sub Constante militantem discordiarum seuisse caussas inter priores fratres suspiciones contiguæ veritati pulsabant, ausus paulo petulantius stare, vt ipse quoque ad parile obsequium admittendus, agnitus est & prohibitus: strepentibusque multis, & intueri lucem vlterius non debere clamantibus, vt perduellem & obstinatum, Constantius circa hæc lenior solito, *Desinite*, ait, *vrgere hominem, vt existimo, sontem, sed nondum aperte conuictum: & mementote quod siquid admisit huiusmodi, sub obtutibus meis conscientia ipsius sententia punietur, quam latere non poterit*: & ita discessum est. Postridie ludis circensibus idem ex aduerso Imperatoris vbi consueuerat spectans, repentino clamore sublato, quum certamen opinatum emitteretur, diffractis cancellis quibus vna cum pluribus incumbebat, cunctis cum eo in uanum excussis, læsisque leuiter paucis, interna compage disrupta efflasse spiritum repertus est solus. vnde Constantius futurorum quoque præscius exsultabat. Eodem tempore Faustinam nomine sortitus est coniugem, amissa iam pridem Eusebia, (cuius fratres erant Eusebius & Hypatius consulares) corporis morumque pulchritudine pluribus antestante, & in culmine tam celso humana; cuius fauore iustissimo exemptum periculis declaratumque Cæsarem retulimus Iulianum. Habita iisdem diebus etiam Florentii ratio, e Gallia nouitatis metu digressi; & Anatolio recens mortuo præfecto prætorio per Illyricum, ad eius mittitur locum: cumque Tauro itidem præfecto prætorio per Italiam amplissimi suscepit insignia magistratus. Parabantur nihilominus externorum atque ciuilium instrumenta bellorum, & augebatur turmarum equestrium numerus: parique studio supplementa legionibus scripta sunt, indictis per prouincias tirocinus: omnisque ordo & professio vexabatur, * vestem armaque exhibens & tormenta, aurum quinetiam & argentum, multiplicesque rei cibariæ copias, & diuersa genera iumentorum. Et quia Persarum rege ob difficultatem biberni temporis ægre retruso, reserata cæli temperie validior impetus timebatur, ad Transtigritanos reges & satrapas legati cum muneribus missi sunt amplis; udituri cunctos & bortaturi nostra sentirent, nihil fallax tentarent vel fraudulentum: ante omnia tamen Arsaces & Meribanes, Armeniæ & Hiberiæ reges, cultu ambitioso indumentorum emercabantur & multiformibus donis, damna negotiis Romanis illaturi, si rebus etiam dubiis desciuissent ad Persas. Inter tot vrgentia Hermogene defuncto, ad præfecturam promouetur Elpidius, ortus in Paphlagonia, adspectu vilis & lingua, sed simplicioris ingenii, incruentus & mitis: adeo vt quum ei coram innocentem quemdam torquere Constantius præcepisset, æquo animo abrogari sibi potestatem oraret, bæcque potioribus aliis ex sententia principis agenda permitti. Rigore itaque instantium negotiorum anceps Constantius, quid capesseret ambigebat; diu multumque anxius vtrum Iulianū peteret & longinqua, an Parthos repelleret iam transituros, vt minabantur, Euphra-

iem:

tem: hærensquè, tamdem cum ducibus communicato sæpe consilio, in id flexus est vt finito propiore bello, vel certe mollito, nullo post terga relicto quem formidaret, Illyriis perculsis & Italia, vt rebatur, Iulianum inter exordia ipsa cœptorum tamquã * venaticam prædam caperet. hoc enim ad leniendum suorum metum subinde prędicabat. Tamen ne intepescere, aut omisisse belli videretur aliud latus, aduentus sui terrorem vbique dispergens, veritusque ne Africa absente eo perrumperetur, ad omnes casus principibus opportuna, velut finibus orientis egressus, per mare notariũ misit Gaudentium: quem exploratorem actuum Iuliani per Gallias aliquãdiu fuisse, præstrinximus. Hunc enim obsequio celeri cuncta consideratione gemina effice re posse sperabat; quod aduersam partem metuere offensam, & properabat, nactus hanc opportunitatem, commendari Constantio, quem credebat proculdubio fore victorem: nemo enim omnium tunc ab hac constanti sententia discrepabat. Qui quum eo venisset, mandatorum principis memor, per litteras Cretione comite quid ageretur edocto, reliquisque rectoribus, lecto vndique milite fortiore, translatisque ab vtraque Mauritania discursatoribus expeditis, Aquitaniæ & Galliæ obiecta litora tuebatur artissime. Neque id consilium fefellit Constantium. Eo enim superstite nullus aduersorum illas tetigit terras, licet oram Siciliensem a Lilybæo protentam & Pachyno, multitudo seruabat armata, si patuisset facultas, ocius transitura. His pro rerum ratione, vt sibi prodesse existimabat Constantius, aliisque minutis & leuioribus ordinatis, ducum nuntiis docebatur & litteris, Persarum copias in vnum coactas, rege turgido præeunte, iam prope margines tendere Tigridis, incertum quonam erumpere cogitantes. Quibus percitus, vt propius agens futuros possit anteuenire conatus, quamprimum hibernis egressus, accito vndique equitatu, peditumque robore quo fidebat, per Capessanam Euphrate nauali ponte transcurso, Edessam petit vberem commeatibus & munitam; ibi parumper opperiens dum exploratores aut perfugæ motum castrorum hostilium indicarent. Discedens inter hæc Iulianus a Rauracis, peractis quæ docuimus dudum, Sallustium præfectum promotum remisit in Gallias, Germaniano iusso vicem tueri Nebridii. Itidemque Neuitæ magisterium commisit armorum, * Gumoarium proditorem antiquũ timens, quem quum scutarios regeret, latenter prodidisse Veteranionem suum principem audiebat: & Iouio quæsturam, cuius in actibus Magnentii meminimus: & Mamertino largitiones curandas. Et Dagalaiphum præfecit domesticis: aliosque ex arbitrio suo militibus regendis apposuit, quorum merita notat & fidem. Profecturus itaque per Martianas siluas, viasque iunctas Istri fluminis ripis, inter subita vehementer incertus id verebatur, ne contemptus vt comitantibus paucis, multitudinem offenderet repugnantem. Quod ne fieret, consilio sollerti præuidit: & agminibus distributis, per itineta Italiæ nota quosdam properaturos cum Iouino misit & Iouio; alios per mediterranea Rhætiarum, magistro equitum Neuitæ commissos; quo diffusi per varia, opinionem numeri præberent immensi, formidineque cuncta complerent. Id enim & Alexander Magnus, & deinde alii plures, negotio ita poscente, periti fecere ductores. Mandabat tamen egressis, vt tamquam hoste protinus occursuro tutius graderentur, stationesque nocturnas agerent & vigilias, ne improuiso inuaderentur excursu. Quibus ita vt videbatur apte dispositis, more quo tractus perruperat sæpe barbaricos, contextis successibus fidens, porrectius ire pergebat. Quumque ad locum venisset vnde nauigari posse didicit flumen, lembis ascensis, quos opportune fors dederat plurimos, per alueum, quantum fieri potuit, ferebatur occulte; ideo latens, quod toleranter & fortiter nullius cibi indigens mundioris, sed paucis contentus & vilibus, opida forinsecus transibat incaute, imitatus egregium illud Cyri veteris dictum; qui quum delatus ad hospitem, interrogaretur ab eo quid ad conuiuium parari deberet, Panem responderat solum; sperare enim aiebat prope riuum cœnaturum. Fama vero, quæ mille (vt aiunt) linguis rerum * misere exaggerat fidem, per Illyricos omnes celebrior fundebatur, Iulianum strata per Gallias multitudine regum & gentium, numeroso exercitu & successibus tumidum vanis aduentare. Quo rumore perculsus præfectus prætorio Taurus, vt hostem vitans externum mature discessit; vectusque mutatione celeri cursus

publici, transitis Alpibus Iuliis, eodem ictu Florentium iuidem præfectum secum abduxit. Leuibus tamen indiciis super Iuliani motu Lucillianus percitus comes, qui per illas regiones rem curabat ea tempestate castrensem, agens apud Sirmium, milites que congregans quos ex stationibus proprus acciri celeritatis ratio permittebat, venturo resistere cogitabat. Sed ille, vt fax vel incensus mallecolus uolucriter ad destinata festinans, quum venisset Bononiam, a Sirmio milliario nono disparatam & decimo, senescente luna, ideoque obscurante noctis maximam partem, e naui exsiluit improuisus: statimque Dagalaiphum misit cum expeditis ad Lucillianum vocandum, trahendumque si reniteretur. Qui tum etiam quiescens, quum strepitu excitus turbulento vidisset ignotorum hominum se circulo circumseptum, concepto negotio, & imperatorii nominis metu præstrictus, præceptis paruit inuitissimus: sequutusque alienum arbitrium magister equitum paulo ante superbus & ferox, iumentoque impositus repentino, principi vt captiuus offertur ignobilis, oppressam terrore vix colligens mentem. Verum quum primitus visus, adorandæ purpuræ datam sibi copiam aduertisset, recreatus tãdem suique securus, *Incaute*, inquit, *Imperator, & temere cum paucis alienis partibus te commisisti.* Cui amarum Iulianus subridens, *Hæc verba prudentia serua*, inquit, *Constantio: maiestatis enim insigne non vt consiliario tibi, sed vt desinas pauere, porrexi.* Nihil deinde amoto Lucilliano differendum nec agendum segne ratus, vt erat in rebus trepidis audax & confidentior, ciuitatem vt præsumebat deditiam petens, citis passibus incedebat: eumque suburbanis propinquantem amplis nimiumque protentis, militaris & omnis generis turba cum lumine multo, & floribus, votisque faustis, Augustum appellans & Dominum, duxit in regiam. Vbi euentu lætus & omine, firmata spe venturorum quod ad exemplũ vrbium matris & populosæ & celebris, per alias quoque ciuitates vt sidus salutare susciperetur, edicto postridie curuli certamine cũ gaudio plebis, vbi lux excanduit tertia, morarum impatiens, percursis aggeribus publicis, *Succos nemine auso resistere præsidiis occupauit. iisdemque tuendis Neuitam præfecit vt fidum: cuius loci situm nunc conueniet ostendi. Confertæ celsorũ montium summitates Hæmi & Rhodopes, quorum alter ex ipsis Istri marginibus, alter ab Axii fluminis citeriori parte consurgit, in angustias *tumulosis collibus desinentes, per Illyrios interscindunt & Thracas: hinc vicinæ mediterraneis Dacis & Serdicæ, inde Thracias despectantes & Philippopolim, ciuitates amplas & nobiles. & tãquam natura in dicionem Romanam redigendas nationes circũsitas prænoscente, ita figuratæ consulto, inter artos colles quondam hiantes obscurius, ad magnitudinem splendoremque postea *rebus elatis patefactæ sunt & carpentis: aditibusque aliquoties clausis magnorum ducum populorumq; repulere conatus. & pars quæ Illyricum spectat mollius edita, velut incauta subinde superatur. Latus vero e regione oppositum Thraciis, prona humilitate diruptum, hincque & inde fragosis tramitib. impeditum, difficile scanditur etiam nullo vetante. Sub hac altitudine aggerum, vtrobique spatiosa camporum planicies iacet: superior, adusque Iulias Alpes extenta; inferior, ita resupina & panda, vt nullis habitetur obstaculis adusque fretum & Propontidem. His vt in re tali tamque vrgenti compositis, magistro equitum illic relicto, Imperator reuertitur Nessum copiosum opidum, quo inde expedite cuncta disponeret suis vtilitatibus profutura. Vbi Victorem apud Sirmium visum scriptorẽ historicum, exinde venire præceptum, Pannoniæ secundæ consularem præfecit, & honorauit ænea statua, virum sobrietatis gratia multilaudum, multo post vrbi præfectum. Iamq; altius se extollens, & numqnã credens ad concordiam prouocari posse Constantium, orationem acrẽ & inuectiuam, probra quædam in eum explanantẽ & vitia, scripserat ad senatum. Quæ quum Tertullo administrante adhuc præfecturam recitarentur in curia, eminuit nobilitatis cum speciosa fiducia benignitas grata. Exclamatum est enim, in vnum cunctorum sententia congruente, *Auctori tuo reuerentiam rogamus.* Tunc & memoriam Constantini, vt nouatoris turbatorisque priscarum legum & moris antiquitus recepti, vexauit; eum aperte incusans, quod barbaros omnium primus adusque fasces auxerat & trabeas consulares: insulse nimirum & leuiter: qui quum vitare deberet id quod infestius obiurgauit, breui postea

*Mamer-

Mamertinum ad consulatum euexit, nec vita, nec splendore, nec vsu, nec gloria horum cuiusquam similem quibus magistratum detulerat amplissimum Constantinus; contra inconsummatum & subagrestem; & (quod minus erat ferendum) celsa in potestate crudelẽ. Hæc & talia cogitanti sollicitoque super maximis rebus & seriis, nuntius metuendus intimatur & insperatus, ausa indicans quorũdam immania, impeditura cursus eius ardentes, ni vigilanter hæc quoque antequam adolescerent babetasset: quæ breuiter exponentur. Duas legiones Constantiacas, addita vna sagittariorum cohorte, quas inuenerat apud Sirmium, vt suspectæ adhuc fidei, per speciem necessitatum vrgentium misit in Gallias. Quæ pigrius motæ, spatiaque itinerum longa & Germanos hostes truces & assiduos formidantes, nouare quædam moliebantur, auctore & incitatore Nigrino, equitum turmæ tribuno, in Mesopotamia genito: reque digesta per secreta colloquia, & alto roborata silentio, quum Aquileiam peruenissent, vrbem situ & opibus murisque circumdatam validis, eam hostiliter repente clausere, iuuante indigena plebe tumultus horrorem, cui Constantii nomen erat tum etiam amicum. & obseratis aditibus, turribusque armatis & propugnaculis, futuræ concertationi præparabant vtilia, interim soluti & liberi: hocque facinore ita audaci ad fauendum Constantii partibus, vt superstitis, Italicos incolas excitabant. Quibus Iulianus accepus, agens tunc apud Nessum, nihil a tergo timens aduersum, legensque & audiens hanc ciuitatem circumsessam quidem aliquoties, numquam tamen excisam aut deditam; impensiore studio sibi sociare, vel fraude vel diuersis adulationum generibus, antequam maius oriretur aliquid, properabat. Ideoque Iouinum magistrum equitum venientem per Alpes, Noricosque ingressum, ad id quod exarserat quoquo modo corrigendum redire citius imperauit. Et nequid deesset, milites omnes qui comitatum sequebantur aut signa, retineri iussit per idem opidum transeuntes, pro viribus laturos auxilium. Hisque dispositis, ipse haud diu postea cognita morte Constantii, discursis Thraciis Constantinopolim introiit: ac sæpe doctus certius fore id obsidium quam verendum, Immone cum comitibus aliis ad hoc destinato, remouit exinde Iouium, alia quæ potiores flagitabant necessitates, acturum. Ordine itaque scutorum gemino Aquileia circumsepta, concinentibus sententiis ducum conueniens visum est ad deditionem allicere defensores, minacium blandorumque varietate sermonum. & multis vltro citroque dictitatis, in immensum obstinatione gliscente, ex colloquio re infecta disceditur. Et quia nihil præter pugnam iam* exspectabatur, curatis vtrobique cibis somnoque corporibus, aurora iam surgente, concrepante sonitu buccinorum, partes accensæ in clades mutuas, ferocius magis quam consultius datis clamoribus ferebantur. Pluteos igitur præferentes oppugnatores, cratesque densius textas, sensim incedentes & caute, murorum ima suffodere ferramentorum multitudine conabantur, factas plerique vehentes ad mensuram mœnium scalas. Iamque parietibus pene contigui, pars lapidibus volutis in pronum collisi, pars confixi stridentibus iaculis retroque gradientes, auerterunt secum omnes alios, metu similium a proposito pugnandi detortos. Hoc primo congressu erecti in audaciam clausi, adsumpta fiducia meliorum, parui ducebant restantia: mentibusque fundatis & compositis, per opportuna torrentis indefesso labore vigilias & cetera subsidia securitatis implebant. Contra munitores, licet pauore discriminum anxii, pudore tamen ne socordes viderentur & segnes, vbi parum vis procedebat marte aperto tentata, ad instrumenta obsidionalium artium transtulerunt. Et quia nec arietibus admouendis, nec intentandis machinis, vel vt possint forari cuniculi, inueniebatur vsquam habilis, disparatione breui ciuitatem *Natisone amni præterlabente, commentum excogitatum est cum veteribus admirandum. Constructas veloci studio ligneas turres, propugnaculis hostium celsiores, imposuere trigeminis nauibus valide sibi connexis: quibus insistentes armati, vno parique ardore prohibitores dispellere collatis ex propinquo viribus nitebantur: subterque expediti velites e* turrium cauernis egressi, iniectis ponticulis quos ante compaginarant, transgredi festinarunt indiuiso negotio: vt dum vicissim missilibus se petunt & saxis* vtrinque secus alte locati, hi qui transiere per pontes, nullo interpellante, ædificii parte conuulsa, aditus in pe-

netralia* reserarent. Iterum summa cœpti prudentis aliorsum enasit. Quum enim aduentarent iam turres, contortis malleolis madentibus pice, arundine quinetiam, sarmentis, ac vario fomite flammarum incessebantur: quæ quoniam incendio celeri ponderibusque trepide superstantium inclinatæ prociderunt in flumen, armatorum aliqui per earum fastigia intenibant, eminus confixi tormentis. Inter quæ destituti pedites, post naualium sociorum occasum obtriti sunt saxis immanibus, præter paucos, quos morti* licet per impedita suffugia velocitas exemerat pedum. Ad vltimum certamine producto in vesperã, datoq; signo receptui, ex more ambo digressi, diei residuum animis egere disparibus. Munitorum enim mœrores funera lugentiũ propria, prohibitores spe iam superandi inflammabant; licet ipsi quoque paucos gemebant amissos. Properabatur tamen nihilominus: & quantum recreandis viribus quiete & cibo* satis fuit tributo per noctis integræ spatium, reparatur lucis exordio prœlium incitamento tubarum. & quidam elatis super capita scutis, vt pugnaturi leuius, alii vehentes humeris vt antea scalas, feruentique impetu procurrentes, pectora multiformium telorum ictibus exponebant. Alii ferratos portarum obices effringendos adorti, vltro ignibus petebantur, vel saxis muralib. oppetebant. quidã fossas fidentius transire conati, repentinis eorũ adsultibus qui erũpebant clanculo per posticas, ruentes incaute, saucii discedebant. Recursus enim ad mœnia tutior, vallumque antemuranum cæspitibus fultum, insidiantes ab omni discrimine defendebat. Et quamquam prohibitores peritia bellorumque artibus antestarent, quib. nihil prę ter mœnium supererat adiumentũ: collectus tamen ex potioribus numeris miles, diuturnas ferre nequiens moras, suburbana omnia circumibat; diligenter inquirens qua vi vel machinis possit patefactã irrumpere ciuitatem. Quod vbi patrare non poterat magnitudine vetante difficultatũ, obsideri remissius cœpta est: & excubiis stationibusq; relictis, præsidiarii milites vastantes agros propinquos, omnibus congruẽtibus abundabant, raptorum pleraque contubernalibus suis impertientes: vnde largiori potu saginisque admodum distenti marcebant. His relatione communi consortiumque cognitis, Iulianus Constantinopoli etiam tum hibernans, solerti remedio turbatis consuluit rebus: moxq; Agilonẽ magistrum peditum ea tẽpestate probe cognitum miserat, vt viso honoratissimo viro, compertaq; per eũ morte Constantii, solueretur obsidiũ. Inter quæ, ne cessaret Aquileiæ oppugnatio, quũ in reliquis opera consumerentur incassum, placuit resistentes acriter ad deditionem siti cõpelli. & vbi aquarum ductibus intersectis nihilo minus celsiore fiducia repugnarent, flumen laborib. auertitur magnis: quod itidem frustra est factum. Attenuatis enim auidioribus bibendi subsidiis, hi quos temeritas clauserat, contenti putealibus aquis, parce vixerunt. Quæ dum agitantur casibus antedictis, superuenit vt præceptum est Agilo: scutorumq; densitate contectus, prope fidenter accessit: multaq; loquutus & vera, quibus Constantii obitum firmatumq; Iuliani docebat imperiũ, non sine conuiciis reputabatur vt fallax. Nec ei quisquã credidit gesta narranti, antequã pacta salute susceptus ad* pugnaculum solus, fide religiosius reddita, ea quæ docuerat replicaret. His auditis, ex diuturno angore portis reclusis, omnes effusi suscepere læti pacificum ducẽ: seq; purgantes, Nigrinum totius furoris auctorẽ, paucosq; alios obtulerunt, eorũ supplicio crimẽ læsæ maiestatis & vrbis ærumnas expiari poscẽtes. Paucis denique post diebus exploratius spectato negotio, Mamertino tum iudicante præfecto prætorio, Nigrinus, vt acerrimus belli instinctor, exustus est viuus. Romulus vero post eum & Sabostius curiales, conuicti sine respectu periculi studia seuisse discordiarum, pœnali consumpti sunt ferro. Residui oẽs abierunt innoxii, quos in certaminum rabiẽ necessitas egerat, non voluntas. Id enim æquitate pensata statuerat placabilis Imperator & clemens. Et hæc quidem postea gesta sunt. Iulianus vero, agens etiam tum apud Nessum, curis altioribus stringebatur, multa vtrimq; pertimescens: formidabat enim ne clausorum militũ apud Aquileiam repentino adsultu obseratis angustiis Alpium Iuliarum, prouincias & adminicula perderet quæ exinde sperabat indies. Itidemq; opes orientis magnopere verebatur, audiens dispersum per Thracias militem contra vim subitam, cito coactum aduentare* Succorum confinia, comite Marnano ducente: sed tamen congrua instantium sollicitudinum mole ipse

quoque

quoque agitans efficaciter, Illyricum contrahebat exercitum, puluere coalitũ Martio, promptumque in certaminibus bellicoso iungi rectori: nec priuatorum vtilitates in tempore afflagranti despiciens litesque audiens controuersas, maxime municipalium ordinum; ad quorum fauorem propensior, iniuste plures muneribus publicis adnectebat. Ibi Symmachum repertum & Maximum, senatores conspicuos, a nobilitate legatos ad Constantium missos, exinde reuersos honorifice vidit, & potiore posthabito, in locum Tertulli Maximum vrbi præfecit æternæ, ad Rufini Vulcatii gratiam, cuius sororis eum filium norat: hoc administrante, alimentaria res abundauit, & querelæ plebis excitati crebro solitæ cessauerunt. Tunc vt securitatẽ trepidis rebus adferret, & obedientium nutriret fiduciam, Mamertinum præfectũ prætorio per Illyricum, designauit consulem, & Neuitam: qui nuper, vt primum augendæ barbaricæ vilitatis auctorem, immoderate notauerat Constantinum. His ac talibus* inter spem metumque noua negotia commouente, Constantius apud Edessam exploratorum relationibus variis anxius, in rationes ducebatur ancipites, nunc ad concursatorias pugnas militem struens; nunc, si copia patuisset, obsidione gemina Bezabden aggressurus; consultans prudenter ne mox partes petiturus arctoas, improtectum Mesopotamiæ relinqueret latus. Verum consiliorum ambiguum retinebant multiplices moræ, tardante trans Tigridem rege dum moueri permitterent sacra. nam si permeato flumine nullum qui resisteret inuenisset, absque difficultate penetraret Euphratem. alioquin ad ciuilia bella custodiens militem, timebat eum periculis obiectare circummuranis; firmitatem mœnium munimenti defensorumque alacritatem expertus. ne quiesceret tamen, neue contemneretur inertiæ, Arbetionem & Agilonem, equestrisque militiæ ministros, cum agminibus maximis properare coegit; non vt lacesserent Persas in prœlia, sed prætenturis iuncturos citeriores Tigridis ripas, & speculaturos quonam rex eorum erumperet violentus. addebatque monendo sæpius & scribendo, vt simulatque multitudo transire cœpisset hostilis, referrent citius pedem. Dumque conlimitia iussa custodiunt duces, & occulta fallacissimæ gentis obseruantur, agens ipse cum parte validiori exercitus, curabat vrgentia, velut propugnaturus opida quæ tuebatur excursu. Speculatores vero & transfugæ subinde venientes, repugnantia prodebant; iden futurorum incerti, quod apud Persas nemo consiliorum est conscius, præter optimates taciturnos & fidos, apud quos Silentii quoque colitur numen. Accersebatur autem a memoratis ducibus Imperator adsidue, orantibus ferri sibi suppetias. Testabantur enim, se non nisi coactis in vnum viribus cunctis, posse impetum regis ardentissimi sustinere. Quæ dum aguntur ita sollicite, nuntii percrebuere certissimi: quorũ clara fide compertum est Iulianum Italiam & Illyricũ cursu celeri prætergressum, claustra interim occupasse* Succorum accita vndique præstolantem auxilia, vt multitudine stipatus armorum peruaderet Thracias. Quo cognito, mœrore offusus Constantius solatio vno sustentabatur, quod intestinos semper superauerat motus. re tamen magnam difficultatem ad capessendum cõsilium adferente delegit potissimũ, vt vehiculis publicis impositum, paulatim præmitteret militem imminenti casus atrocitati velocius occursurum. Omniumque consensu approbata sententia, pergebant vt præceptum est expediti. Eique hæc disponenti luce postera nuntiatur regem cum omni manu quam duxerat ad propria reuertisse, auspiciis dirimentibus: lenitoque metu, reuocatis omnibus præter eos quos consuetudo præsidio Mesopotamiæ destinarat, reuersus est Hierapolim. Summa itaque cœptorum quorsum euaderet ambigens, quum in vnum exercitus conuenisset, omnes centurias & manipulos & cohortes in concionem vocauit concinentibus tubis: oppletoque multitudinis campo, vt eam ad firmanda promptius adigeret imperanda, tribunali celso sistens stipatoque solito densius, hæc prosequutus est, ad serenitatis speciem fiduciæ vultu formato: *Sollicitus semper, ne quid re leui vel verbo committam inculpatæ parum congruens honestati, vtque cautus nauigandi magister clauos pro fluctuum motu erigens vel inclinans, compellor nunc apud vos, amantissimi viri, confiteri meos errores, quin potius (si dici liceat verum) humanitatem, quam credidi negotiis communibus profuturam. Proinde vt facilius sciri possit quæ sit huius concilii conuocandi materia, accipite quæso æquis auribus*

& secundis. Gallum patruelem [meum] tempore quo confundendis rebus pertinaciter Magnentius inhærebat, quem obruere vestræ virtutes, potestate Cæsaris sublimatum ad orientis præsidium misi. qui quum a iustitia per multa visu relatuque nefaria defecisset, arbitrio punitus est legum. Atque vtinam hoc contenta esset inuidia, turbarum acerrima concitatrix: & angebat nos vna, sed secura doloris præteriti recordatio. At nunc aliud accidit, ausim dicere præteritis mæstius; quod per fortitudinem vobis ingenitam adiumenta cælestia coercebunt. Iulianus, quem dum circumfrementes Illyricum nationes exteras, oppugnatis tuendis præfecimus Gallis, leuium confidentia præliorum, quæ cum Germanis gessit semermibus, vt vecors elatus, adscitis in societatem superbam auxiliaribus paucis, feritate spequé postrema ad perniciosam audaciam promptis, in noxam publicam conspirauit, æquitate calcata parente nutriceque orbis Romani; quam tumentes spiritus tamquam fauillas effecturam deinde, vt* scelestè latorum vltricem, & ipse expertus, & docente antiquitate, facile credo. Quid igitur superest nisi vt turbinibus excitis occurramus, subcrescentis rabiem belli, antequam pubescat validius, celeritatis remediis oppressuri. Nec enim dubium, fauore numinis summi præsente, cuius perenni suffragio damnantur ingrati, ferrum impie præparatum ad eorum interitum esse vertendum, qui non lacessiti, sed aucti beneficiis pluribus, ad insontium pericula surrexerunt. Vt enim mea mens auguratur, iustitiaque rectis consiliis affutura promittit, spondeo quod si ventum fuerit comminus, ita pauore torpescent, vt nec oculorum vestrorum vibratæ lucis ardorem, nec barritus sonum perferant primum.* Omnes post hæc dicta traxerat in sententiam suam: hastasque vibrantes irati, post multa quę beneuole responderant, petebant se duci protinus in rebellem. Qua gratia in lætitiā Imperator versus ex metu, concione mox absoluta, Arbetionem ante alios faustū ad intestina bella sedanda ex anteactis iam sciens, iter suum præire cum lancearis & * mattiariis & cateruis expeditorum præcepit, & cum lætis itidem * Gomoarium venturis in Succorum angustias opponendum; ea re aliis antelatum, quod, vt contemptus in Gallis, erat Iuliano infestus. In hoc rerum aduersarum tumultu hærens eius fortuna iam & subsistens, aduentare casum vitæ difficilem, modo non loquentibus signis aperte monstrabat. Namq; & nocturnis temporibus terrebatur: & nondum penitus mersus in somnum vmbram viderat patris obtulisse pulchrum infantē; eumque susceptum & locatum in gremio suo, excussam sibi proiecisse longius sphæram quam ipse dextera manu gestabat. Id autem permutationem temporum indicabat, licet interpretantes placentia responderent. Posthæc confessus est * coniunctioribus proximis, quod tamquam desolatus secretum aliquid videre desierit, quod interdum adfuisse sibi squalidius æstimabat: & putabatur genius quidā tutelæ salutis appositus, eum reliquisse, mundo citius digressurum. Ferunt enim theologi, in lucē editis hominibus cunctis, salua firmitate fatali, huiusmodi quædam velut actus rectura numina sociari; admodum tamen * paucissimis visa, quos multiplices auxere virtutes. Idque & oracula & auctores docuerunt præclari. inter quos est etiam Menander comicus, apud quem hi senarii duo leguntur: Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ * τῷ γενομένῳ, Ἀπαντός ἐστι μυσταγωγὸς τοῦ βίου. Itidem ex sempiternis Homeri carminibus intelligi datur, non deos cęlestes cum viris fortibus colloquutos, nec adfuisse pugnantibus vel iuuisse; sed familiares genios cum iisdem versatos: quorum adminiculis præcipuis Pythagoras enituisse dicitur & Socrates, Numaque Pompilius, & superior Scipio, & (vt quidam existimant) Marius, & Octauianus, cui Augusti vocabulum delatum est primo, Hermesque ter maximus, & Tyaneus Apollonius atque Plotinus, ausus quædā super hac re differere mystica, alteque monstrare quibus primordiis bi genii animis connexi mortalium, quas tamquam gremiis suis susceptas tuentur, quoad licitū est, docentque maiora, si senserint puras & a colluuione peccandi immaculata corporis societate discretas. Ingressus itaque Antiochiam festinando Constantius, ad motum certaminum ciuilium, vt solebat, auide surrecturus, paratis omnibus exire properabat, immodice renitentibus plurimis murmure tenus: nec enim dissuadere palam audebat quisquam vel vetare. Autumno iam senescente profectus, quum ad suburbanum venisset disiunctum exinde tertio lapide, Hippocephalum nomine, lucente iam die, cadauer hominis interfecti dextra iacens capite auulso conspexit contra occiduum latus extensum: territusque omine, finem parantibus fatis destinatius

ipse

ipse tendebat, venitque Tarsum: vbi leuiore febri contactus, ratusque itinerario motu imminutæ valetudinis excuti posse discrimen, per it per vias difficiles* Mopsuestiam, Ciliciæ vltimam hac pergentibus stationem, sub Tauri montis radicibus positam: egredique sequuto die conatus, vi labente morbi grauitate detentus est: paulatimque vrente calore nimio venas, vt ne tangi quidem corpus eius posset in modum foculi feruens, quum vsus deficeret medelarum, vltimum spirans deflebat exitium: mentisque sensu tum etiam integro, successorem suæ potestatis statuisse dicitur Iulianum. Deinde anhelitu iam pulsatus letali, conticuit: diuque cum anima colluctatus iam discessura, abiit e vita *tertio Nonarum Octobrium, imperii vitæque anno quadragesimo, & mensibus paucis. Post quæ supremis cum gemitu conclamatis, excitisque lamentis & luctu, deliberabant locum obtinentes in aula regia primum, quid agerent, quidue moliri deberent. Paucisque occulte super eligendo Imperatore tentatis, incitante (vt ferebatur) Eusebio, quem noxarum conscientia stimulabat, quũ nouandis rebus imminens obsisteret Iulianus, mittũtur ad eum Theolaiphus & Aligildus, tunc comites, mortem indicantes propinqui, & oraturi vt mora omni depulsa ad obtinendum obtemperare sibi paratum tenderet orientem. Fama tamen rumorque loquebatur, interim Constantium voluntatem ordinasse postremam, in qua Iulianum (vt prædiximus) scripsit heredem. & his quos diligebat, fidei commissa detulit & legata. Vxorem autem prægnantem reliquit: vnde edita posthuma, eiusque nomine appellata, quũ adoleuisset, matrimonii iure copulata est Gratiano. Bonorum igitur vitiorumque eius differentia vere seruata, præcipua prima conuenit expediri. Imperatoriæ auctoritatis cothurnum vbique custodiens, popularitatem elato animo contemnebat & magno: erga tribuendas celsiores dignitates impendio parcus: nihil circa administrationum augmenta præter pauca nouari perpessus: numquam erigens cornua *militaria. nec sub eo dux quisquã cum *clarissimatu prouectus est: erant enim, vt nos quoque meminimus, perfectissimi. Nec occurrebat magistro equitum prouinciæ rector: nec contingi ab eo ciuile negotium permittebat. sed cunctæ castrenses & ordinariæ potestates, vt honorum omnium apicem priscæ reuerentiæ more præfectos semper suspexere prætorianos. In conseruando milite nimium cautus, examinator meritorum nonnumquam scrupulosus. Palatinas dignitates velut ex quodam tribuens perpendiculo: & sub eo nemo celsum aliquid acturus in regia, repentinus adhibitus est vel incognitus: sed qui post decennium officiorum magisterium, vel largitiones, vel simile quidquam esset recturus, apertissime noscebatur. Valdeque raro contigerat vt militarium aliquis ad ciuilia regenda transiret: contraq; non nisi puluere bellico indurati præficiebantur armatis. Doctrinarum diligens adfectator: sed quum a rhetorica per ingenium desereretur obtusum, ad versificandum transgressus, nihil operæpretium fecit. In vita parca & sobria edendi potandique moderatione valetudinem ita retinuit firmam, vt raros colligeret morbos, sed eos non procul a vitæ periculis: id enim euenire corporibus a lasciuia dimotis & luxu, diuturna experimenta & probationes medendi mõstrarunt. Somno contentus exiguo, quum id posceret tempus & ratio: perque spatia ita longissima impendio castus, vt nec mare ministro saltem suspicione tenus posset redargui; quod crimen etiamsi non inuenit malignitas, fingit in summatum licentia potestatum. Equitandi & iaculandi, maximeq; perite dirigendi sagittas, artiumque armaturæ pedestris perquam scientissimus. Quod autem nec extersisse vmquam nares in publico, nec spuisse, nec transtulisse in partem alterutram vultum aliquando visus est, nec pomorum quidquã quoad vixerat, gustauerit, *vt dicta sæpius prætermitto. Dinumeratis carptim bonis quæ scire potuimus, nunc ad explanãda eius vitia veniamus. Quum esset in negotiis aliis principibus mediis comparandus, si adfectatæ dominationis ansam quamdã falsam repetisset aut leuem, hãc sine fine scrutando, fasq; codẽ loco ducens & nefas, Caligulæ & Domitiani & Commodi immanitatẽ facile superabat: quorum æmulatus sæuitiã inter imperandi exordia, cunctos sanguine & genere se contingentes stirpitus interemit. Addebatur miserorum ærumnis, qui rei maiestatis imminutæ vel læsæ deferebantur, acerbitas eius & iracundæ suspiciones in huiusmodi cuncta distentæ. Et siquid tale increpuisset, in quæstiones

acrius exsurgens quam ciuiliter, spectatores apponebat his litibus truces: mortemque longius in puniendis quibusdam, si natura permitteret, conabatur extendi; in huiusmodi controuersiarum partibus etiam Gallieno ferocior. ille enim perduellionum crebris verisque appetitus insidiis, Aureoli, & Posthumi, & Ingenui, & Valentis cognomento Thessalonici, aliorumque plurium, mortem factura crimina aliquoties lenius vindicabat: hic, etiam facta vel dubia adigebat videri certissima, vi tormentorum. Tumque in eiusmodi titulis capitaliter oderat, quum maxime id ageret vt iustus æstimaretur & clemens. Et tamquam ex arida silua volantes scintillæ, flatu leni ventorum adusque discrimina vicorum agrestiũ incohibili cursu perueniunt; ita ille quoque ex minimis caussis malorum congeries excitabat; Marci illius dissimilis principis verecundi; qui quum ad Imperiale culmen in Syria Cassius surrexisset, epistolarum fascem ab eo ad conscios missum perlatore capto sibi oblatũ, illico siguatum exuri præcepit, agens adhuc in Illyrico; ne insidiatoribus cognitis, inuitus quosdam habere posset offensos. Vtque recte sentientes quidam arbitrabantur, virtutis erat potius indicium magnæ, imperio eumdem comitantium sine cruore cessisse, quam vindicasse tam inclementer: vt Tullius quoque docet, crudelitatis increpans Cæsarem in quadam ad Nepotem epistola: *Neque enim quidquam aliud est felicitas,* (inquit) *nisi honestarum rerum prosperitas. vel, vt alio modo definiam, Felicitas est fortuna, adiutrix consiliorum bonorum: quibus qui non vtitur, felix nullo pacto esse potest. Ergo in perditis impiisque consiliis quibus Cæsar vsus erat, nulla potuit esse felicitas: feliciorque, meo iudicio, Camillus exsulans, quam temporibus iisdem Manlius, etiamsi, id quod cupierat, regnare potuisset.* Id Ephesius quoque Heraclitus adserens monet, & ab inertibus & ignauis, euentus variante fortuna, superatos aliquoties viros fuisse præstantes: illud vero eminere inter præcipuas laudes, quum potestas in gradu, velut sub iugum missa nocendi sæuiendique cupiditate & irascendi, in arce victoris animi tropæum erexit gloriosum. Vt autẽ in externis bellis hic princeps fuit saucius & adflictus, ita prospere succedentibus pugnis ciuilibus tumidus, & intestinis vlcerib. reipubl. sanie perfusus horrenda. quo prauo proposito magis quam recto vel vsitato, triumphales arcus ex clade prouinciarum sumptibus magnis erexit in Galliis & Pannoniis, titulis gestorum adfixis, quoad stare poterunt monumenta lecturis. Vxoribus ac spadonum gracilentis vocibus, & palatinis quibusdam, nimium quantum addictus; ad singula eius verba plaudentibus, & quid ille aiat vel neget, vt adsentiri possint, obseruantibus. Augebat etiam amaritudinem temporum flagitatorum rapacitas inexpleta, plus odiorum ei quam pecuniæ conferentium. Hocque multis intolerantius videbatur, quod nec caussam aliquando audiuit, nec prouinciarum indemnitati prospexit, quum multiplicatis tributis & vectigalibus vexarentur. Eratque super his adimere facilis quæ donabat; Christianam religionem absolutam & simplicem anili superstitione confundens: in qua scrutanda perplexius quam componenda grauius, excitauit dissidia plurima; quæ progressa fusius aluit concertatione verborum: vt cateruis antistitum iumentis publicis vltro citroque discurrẽtibus per synodos quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conantur arbitrium, rei vehiculariæ succideret neruos. Figura tali situque membrorum: subniger, luce oculorum edita, cernensque acutum; molli capillo, rasis assidue genis lucentibus ad decorem, * vsq; ad pubem ab ipsis colli confiniis longior, breuissimis cruribus & incuruis; vnde saltu valebat & cursu. Pollinctum igitur corpus defuncti, conditumque in loculis, Iouinianus etiam tum protector domesticus, cum regia prosequi pompa Constantinopolim vsque iussus est, prope necessitudines eius humandum: eique vehiculo insidenti quod portabat reliquias, vt principibus solet, annonæ militaris offerebantur indicia, (vt ipsi nominant) * proba, & animalia publica monstrabantur, & ex vsu crebrescebant: occursusque, & alia similia, eidem Iouiano imperium quidem, sed cassum & vmbratile, vt ministro rerum funebrium, portendebant.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIBER VIGESIMVSSECVNDVS.

DVM hæc in diuersa parte terrarum fortunæ struunt volubiles casus, Iulianus inter multa quę per Illyricum agitabat, exta rimabatur adsidue; auesque suspiciens præscire festinabat accidentium finem: sed responsis ambiguis & obscuris hærebat futurorum incertus. Eique tamdem auspicinæ peritus Aptunculus Gallus orator, promotus rector postea Narbonensis, nuntiauit euentus, inspectu iecoris (vt aiebat ipse) prædoctus, quod operimento duplici viderat tectum. Quumque ille timeret ne cupiditati suæ congruentia fingerentur, atque ideo mœstus, omen multo præsentius ipse conspexit, quod excessum Constantii clare monstrabat. Eodem enim puncto quo idem obierat in Cilicia, lapso milite qui se insessurum equo dextra manu erexit, humique prostrato, exclamauit ilico audientibus multis, cecidisse qui eum ad culmen extulerat celsum. Et quamquam hæc lætifica sciret, velut fixa tamen firmitate consistens, intra terminos Daciæ se continebat; sic quoque plurima pertimescens. Nec enim cautum ducebat coniectur*i*s credere, forsitan in contrarium erupturis. Inter quæ tam suspensa aduenere subito missi ad eum legati, Theolaiphus atq; Aligildus, defunctum Constantium nuntiantes, addentesque quod eum voce suprema successorem suæ fecerit potestatis. Qua re cognita, post exemptos periculorum æstus, & bellicarum sollicitudinum turbas, in immensum elatus, iamque vaticiniis credens, & celeritatem negotiis suis aliquoties profuisse expertus, edixit iter in Thracias: motisque propere signis emensa decliuitate * Succorum, Philippopolim petiit * Eumolpiada veterem, alacri gradu sequentibus quos duxerat cunctis. Aduertebant enim imperiũ quod ereptum ibant cum vltimorum metu discriminum, præter spem ordinario iure concessum. Vtque solet fama nouitates augere, properabat inde sublimior, vt quodam Triptolemi curru, quem ob rapidos circumgressus aeris, serpentibus pinnigeris fabulosa vetustas imponit: perque terras & maria formidatus, nullis obstantibus muris, Heracleam ingressus est * Perinthum. Quo apud Constantinopolim mox comperto, effundebatur ætas omnis & sexus, tamquam demissum aliquem visura de cælo. Exceptus igitur * tertio iduum Decembrium verecundis senatus officiis, & popularium consonis plausibus, stipatusque armatorum & togatorum agminibus, velut acie ducebatur instructa, omnium oculis in eum non modo contuitu destinato, sed cum admiratione magna defixis. Omnienim propius videbatur adultum adhuc iuuenem, exiguo corpore, factis præs[illegible]tem ingentibus, post cruentos exitus regũ & gentium, ab vrbe in vrbem inopina velocitate transgressum, quaqua incederet, accessione * opum & virium flammæ instar cuncta facilius occupasse; principatum denique deferente nutu cælesti, absque vlla publicæ rei suscepisse iactura. Breui deinde Secundo * Salustio promoto præfecto prætorio, summam quæstionum agitandarum, vt fido, commisit, Mamertino & Arbetione, & Agilone atque Neuita adiunctis; itidem Iouino magistro equitum per Illyricum recens prouecto. Qui omnes transgressi Chalcedona, præsentibus Iouianorum Herculianorumque * principiis & tribunis, caussas vehementius æquo bonoque spectauerunt, præter paucas, in quibus veritas reos nocentissimos offerebat. Et Palladium primum ex magistro officiorum in Britannos exterminatũt, suspicione tenus insimulatum quædam in Gallum composuisse apud Constantium, dum sub eodem Cęsare officiorum esset magister. Dein Taurum ex præfecto prætorio, in exsilium egere Vercellum: cuius factum apud iudices iustorum iniustorumq; distinctores videri potuit veniæ plenũ. Quid enim deliquit, si ortum turbinem veritus, ad tutelam principis sui confugit? Et acta super eo gesta nõ sine magno legebantur horrore, quum id voluminis publici contineret exordium: *Consulatu Tauri & Florentii, inducto sub præconibus Tauro.* Ad exitium itidem 1113
tale Pentadius trahebatur: cui id obiectum est, quod a Constantio missus, notis ex-

cepit quæ propinquante pernicie super multis interrogatus responderat Gallus. Sed quum se iuste defenderet, tamdem obiit innoxius. Iniquitate simili Florentius tunc magister officiorum, Nigriniani filius, contrusus est in insulam Dalmatiæ Boas. Alter enim Florentius ex præfecto prætorio consul etiam tum, rerum mutatione subita territus, cum coniuge periculis exemptus diu delituit; nec redire ante mortem potuit Iuliani. capitis crimine tamen damnatus est absens. Pari sorte Euagrius comes rei priuatæ, & Saturninus ex cura palatii, & Cyrinus ex notario, transportati sunt in exsilium. Vrsuli vero necem largitionum comitis, ipsa mihi videtur flesse Iustitia, Imperatorem arguens vt ingratum. Quum enim Cæsar in partes mitteretur occiduas omni tenacitate stringendus, nullaque potestate militi quidquam donandi delata, vt pateret ad motus asperior exercitus, hic idem Vrsulus datis litteris ad eum qui Gallicanos tuebatur thesauros, quidquid posceret Cæsar, proculdubio iusserat dari. Quo exstincto, quum maledictis exsecrationibusque multorum se Iulianus sentiret expositum, impurgabile crimen excusari posse existimans, absque conscientia sua hominem adfirmabat occisum, prætendens quod eum militaris ira deleuit; memor quæ dixerat, vt ante retulimus, quum Amidam vidisset excisam. Ideoque timidus videbatur vel parum intelligens quid conueniret, quum Arberionem semper ambiguum & præturnidum his quæstionibus præfecisset, aliis specie tenus cum principiis legionum præsentibus: quem primum omnium saluti suæ nouerat obiectum, vt decuit victoriarum ciuilium participem futurum. Et quamquam hæc quæ retulimus, eius displicuere fautoribus, sequentia tamen seueritatis recto vigore sunt gesta. Apodemium enim ex agente in rebus, quem in Siluani necem & Galli effrenatius arsisse docuimus, Paulumque notarium cognomento Catenam, cum multorum gemitu nominandum, viuos exustos, qui sperari debuit, oppressit euentus. Eusebium super his, cui erat Constantiani thalami cura commissa, alte spirantem ..dirum, addixere pœnæ letali: quem ab ima sorte adusque iubendum * Imperatori pene elatum, ideoque intolerabilem, humanorum spectatrix Adrastia, aurem (quod dicitur) vellens, monensque vt castigatius viueret, reluctantem, præcipitem tamquam e rupe quadam egit excelsa. Conuersus post hæc princeps ad palatinos omnes omnino qui sunt, quique esse * possunt; non vt philosophus indagandæ veritatis professor. Laudari enim poterat, si saltem moderatos quosdam, licet paucos, retinuisset, moruumq; probitate compertos. Namque fatendum est, pleramque eorum partem vitiorum omnium seminarium fusius aluisse, ita vt remp. inficerent cupiditatibus prauis; plusque exemplis quam peccandi licentia læderent multos. Pasti enim ex his quidam templorū spoliis, & lucra ex omni odorantes occasione, ab egestate infima ad saltum sublati diuitiarū ingentium, nec largiendi nec rapiendi nec absumendi tenuere aliquem modum, aliena inuadere semper adsuefacti. Vnde fluxioris vitæ initia pullularunt & periuria: & nullus existimationis respectus, ●lemensque superbia fidem suam probrosis quæstibus polluebat. Inter quæ * eluuies & gurgites creuere prærupti conuiuiorum, & pro victorialibus epulares triumphi vsusque abundantis serici, & textiles auctæ sunt artes, & culinarum sollicitior cura: & ambitiosa ornatarum domorum exquisita sunt spatia, quorum mensuram si in agris consul Quinnus possedisset, amiserat etiam post dictaturam gloriam paupertatis. Quibus tam maculosis accessere flagitia disciplinæ castrensis, quum miles cantilenas meditaretur pro iubilo molliores: & non saxum erat, vt antehac, armato cubile, sed pluma & flexiles lectuli, & grauiora gladiis pocula. testa enim bibere iam pudebat. Et quærebantur ædes marmoreæ; quum scriptum sit in antiquitatibus, Spartanum militem coercitum acriter, quod procinctus tempore ausus sit videri sub tecto. Adeo autem ferox erat in suos illis temporibus miles & rapax, ignauus vero in hostes & fractus, vt per ambitionem otiumque opibus partis, auri & lapillorum varietates discerneret scientissime, contra quam recens memoria tradidit. Notum est enim, sub Maximiano Cæsare vallo regis Persarum direpto, gregarium quemdam post sacculum Parthicum, in quo erant margaritæ, repertum, proiectis imperitia gemmis, abisse pellis nitore solo contentum. Euenerat iisdem diebus vt ad demendum Imperatoris capillum tonsor venire præceptus introiret quidam ambitiose vestitus. Quo viso, Iulianus

obstupuit:

obstupuit: *Ego (inquit) non rationalem iussi, sed tonsorem acciri.* Interrogatus tamen ille quid haberet ex arte compendii, vicenas diurnas respondit annonas, totidemque pabula iumentorum, (quæ vulgo dictitant capita) & annuum stipendium graue absque fructuosis petitionibus multis. Vnde motus, omnes huiusmodi cum cocis similibusque aliis, eadem accipere pene consuetos, vt parum sibi necessarios, data quo vellent eundi potestate, proiecit. Et quamquam a rudimentis pueritiæ primis inclinatior erat erga numinum cultum, paulatimque adolescens desiderio rei flagrabat multa metuens, tamen agitabat quædam ad id pertinentia, quantum fieri poterat occultissime. Vbi verò abolitis quæ verebatur, adesse sibi liberum tempus faciundi quæ vellet aduertit, sui pectoris patefecit arcana, & * plane absolutis decretis, aperiri templa, arisque hostias admoueri, & reparari deorum statuit cultum. Vtque dispositorum roboraret effectum, dissidentes Christianorum antistites cum plebe discissa in palatium intromissos monebat vt ciuilibus discordiis consopitis, quisque nullo vetante religioni suæ seruiret intrepidus: quod agebat ideo obstinate, vt dissensiones augente licentia, non timeret vnanimantem postea plebem, nullas infestas hominibus bestias vt sunt sibi feralibus * plerisque Christianorum expertus. Sæpeque dictitabat, *Audite me quem Alemanni audierunt & Franci*: imitari putans Marci principis veteris dictum. Sed parum aduertit hoc ab eo nimium discrepare. Ille enim quum Palæstinam transiret Ægyptum petens fœtentium Iudæorum & tumultuantium sæpe tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse; *ô Marcomanni, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis inquietiores inueni.* Per hoc idem tempus rumoribus exciti variis, Ægyptii venere complures, genus hominum controuersum, & adsuetudine perplexius litigandi semper lætissimum, maximeque auidum multiplicatum reposcere, si compulsori quidquam dederit, vt leuari debito possit, vel certe commodius per dilationem inferre quæ flagitantur, aut criminis vitandi formidine, diuites pecuniarum repetundarum interrogare. Hi omnes densati in vnum, principem [ipsum] & præfectos prætorio graculorum more strepentes interpellabant incondite, modo non ante septuagesimum annum extorquentes quæ dedisse se iure vel secus plurimis adfirmabant. Quumque nihil aliud agi permitterent, edicto proposito, vniuersos iussit transire Chalcedona: pollicitus quod ipse quoque protinus veniret, eorum negotia finiturus. Quibus transgressis, mandatum est nauigiorum magistris vltro citroque discurrentium, ne quis transfretare auderet * Ægyptium hocque obseruato cura propensiore, euanuit pertinax calumniandi propositum, & omnes spe præsumpta frustrati redierunt in lares: vnde velut æquitate ipsa dictante, lex est promulgata, qua cauetur nullum interpellari suffragatorem super his quæ eum recte constiterit accepisse.

1114 Allapso itaque calendarum Ianuariûm die, quum Mamertini & Neuitæ nomina suscepissent paginæ consulares, humilior princeps visus est in officio pedibus gradiendo cum honoratis: quod laudabant alii, quidam vt adfectatum & vile carpebant. Dein Mamertino ludos edente circenses, manumittendis ex more inductis per admissionum * proximum, ipse lege agi dixerat, vt solebat: statimque admonitus iurisdictionem eo die ad alterum pertinere, vt erratam obnoxiam Decembris aurorarum & ipse mutauit. Frequentabant inter hæc curiam aggere diuerso, diuersasque occasiones multiplices ingerebant. Et quum die quodam caussa eius spectandi venisse nuntiatus esset ex Asia philosophus Maximus, exsiluit indecore: & qui esset oblitus, effuso cursu a vestibulo longe progressus, exosculatum susceptumque reuerenter secum induxit; per ostentationem intempestiuam nimius captator inanis gloriæ visus, præclarique illius dicti immemor Tulliani, quo tales notando ita relatum est: *Ipsi illi philosophi, etiam in his libris quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt; vt in eo ipso quo prædicationẽ nobilitatemq; despiciunt, prædicari de se ac se nominari velint.* Haud multo deinceps, duo agentes in rebus ex his qui profecti sunt, eum adiere fidentius, promittentes latebras monstrare Florentii, si eis gradus militiæ redderetur quos incessens delatoresque appellans, addebat non esse Imperatorum obliquis flecti indiciis ad retrahendum hominem mortis metu absconditum, qui forte non diu latitare citra spem veniæ permitteretur. Aderat his omnibus Prætextatus præclaræ indolis grauitatisque priscæ senator, ex negotio proprio forte repertus apud Constan-

tinopolim, quem arbitrio suo Achaiæ proconsulari præfecerat potestate. Nec tamen quum corrigendis ciuilibus ita diligenter instaret, omisit castrensia, tectores militibus diu exploratos adponens, vrbes quinetiam per Thracias omnes cum munimentis reparans extimis, curansque sollicite ne arma vel indumenta vel stipendium vel alimenta deessent his quos per supercilia Istri dispersos, excursibusque barbarorum oppositos, agere vigilanter audiebat & fortiter. Quæ quum ita diuideret, nihil segnius agi permittens, suadentibus proximis vt aggrederetur propinquos Gotthos sæpe fallaces & perfidos, hostes quærere se meliores aiebat. Illis enim sufficere mercatores Galatas, per quos vbique sine conditionis discrimine venumdantur. Hæc eum curantem & talia, commēdabat externis nationibus fama, vt fortitudine, sobrietate, rei militaris scientia, virtutumque omnium incrementis excelsum: paulatimque progrediens, ambitum oppleuerat mundi. Proinde timore eius aduentus per finitimos longeque distantes latius explicato, legationes vndique sollicite ad eum concurrebant: hinc Transtigritanis pacem obsecrantibus & Armeniis, inde nationibus Indicis certatim cum donis optimates mittentibus ante tempus abusque Indis & Serindis: ab Australi plaga ad famulandū rei Romanæ semet offerentibus Mauris: ab aquilone & regionibus solis, per quas in mare Phasis accipitur, Bosphoranis aliisque antehac ignotis legationes vehentibus supplices, vt annua complentes solennia intra terrarum genitalium terminos otiose viuere sinerentur. Appositum est (vt existimo) tempus ad has partes nos occasione magni principis deuolutos, super Thraciarum extimis, situque Pontici sinus visa vel * lecta quædam perspicua fide monstrare. Athos in Macedonia mons ille præcelsus, nauibus quondam Medicis peruius; & Caphareus Euboicus scopulus, vbi Nauplius Palamedis pater classem cōcidit Argiuam, licet longo spatio controuersi, a Thessalo mari distinguunt Ægeum: quod paulatim fusius adolescēs, dextra qua late protenditur, per Sporadas est insulosum atque Cycladas, ideo sic appellatas, quod omnes ambiunt Delon patriam deorum insignem: læua Imbrum & Tenedum circumluens, & Lemnum & Thasum, quando perflatur, Lesbo illiditur violentius. Vnde gurgitibus refluis, Apollinis Sminthii templum & Troada perstringit, & Ilium heroicis casibus clarum: efficitq; Melana sinum oppositum zephyro: cuius apud principium Abdera visitur Protagoræ domicilium & Democriti, cruentæque Diomedis Thracii sedes, & conualles per quas Hebrus sibi miscetur, & Maronea ac Ænus; qua diris auspiciis cœpta moxque relicta, ad Ausoniam veterem ductu numinum properauit Æneas. Hinc gracilescens paulatim, & velut naturali quodam commercio ruens in pontum, eiusque partem ad se iungens, in speciem Φ Græcæ litteræ formatur: & Hellesponton a Rhodopa scindens, Cynossema, vbi sepulta creditur Hecuba, & * Cœla prætetlabitur & Seston & Callipolin: contra per Achillis Aiacisque sepulcra Dardanum contingit & Abydon, vnde iunctis pontibus Xerxes maria pedibus peragrauit: deinde Lampsacum Themistocli dono datam a rege Persarum, & Parion quam condidit Iasonis filius * Parius. Vnde semiorbe turgescens altrinsecus, lataque aperiens terrarum diuortia, circumfluis spatiis Propontidos respergit ex eo latere Cyzicum & Dindyma religiosa Matris magnæ delubra; & Apamiam * Ciumque, & Astacum sequuto tempore Nicomediam a rege cognominatam: qua in occasum procedit, Cherronesum pulsat & Ægospotamus, in quo loco lapides casuros ex cælo prædixit Anaxagoras: & Lysimachiam, & ciuitatem quam Hercules conditam Perinthum comitis sui memoriæ dedicauit. Et vt effectæ plenæque Φ litteræ figura seruetur, in meditullio ipso rotunditatis Proconnesus insula est oblonga, & Besbicus. Post cuius summitatem in angustias rursus extenuatum, Europam & Bithyniam intercurrens, per Chalcedona, Chrysopolin & stationes transit obscuras. Nam supercilia eius sinistra * Athytas portus despectat & Selymbria, & Constantinopolis vetus Byzantium, Atticorum colonia, & promontorium Ceras, prælucentem nauibus vehens constructam celsius turrim; quapropter Pharos appellatur · & vetus inde fons * Euripis prægelidus. Hoc modo fractum & participatione maris vtriusque finitum, iamq; mitescens, in æquoream panditur faciem, quantum potest cadere sub aspectum, late diffusum & longe. Omnis autem eius velut insularis circuitus litorea nauigatio, viginti tribus dimensa

millibus

millibus stadiorum, vt Eratosthenes affirmat & Hecatæus & Ptolemæus, aliique huiusmodi cognitionum *scientissimi scitatores, in speciem Scythici arcus neruo coagmentati geographiæ totius adsensione formatur. Et qua sol oceano exsurgit eoo, paludibus clauditur Mæotidos: qua declinat in vesperum, Romanis prouinciis terminatur: vnde suspicit sidus arctoum, homines alit linguis & moribus dispares: latus eius austrinum molli deuexitate subductum. Per hæc amplissima spatia opida sunt dispersa Græcorum: quæ cuncta ætatibus variis præter pauca, Atheniensium coloni condidere Milesii, inter Ionas alios in Asia per Nileum multo ante locati, Codri illius filium, qui se pro patria bello fertur Dorico deuouisse. Extremitates autem arcus vtrimque tenues duo exprimunt Bospori, e regione sibi oppositi, Thracius & *Cimmericus: hac caussa Bospori vocari, quod per eos quondam Inachi filia mutata (vt poetæ loquuntur) in bouem, ad mare Ionium permeauit. Dextrum igitur ad *inflexionem Bospori Thracii excepit Bithynia latus, quam veteres dixere Mygdoniam: in qua Thynia & Mariandena sunt regiones, & Amyci sæuicia Bebryces exempti virtute Pollucis; remotaque statio, in qua volitantes minaciter harpylas Phineus vates horrebat: per quæ litora in sinus oblongos curuata Sangarius & *Psylis, Bizes & Rhebas fluuii funduntur in maria: quibus controuersæ extraneæ sunt Symplegades, gemini scopuli in vertices vndique porrecti diruptos, adsueti priscis seculis obuiam sibi cum horrendo fragore collisis molibus ferri, cedentesque retrorsus acri adsultu ad ea reuerti quæ pulsarant. Per has saxorum dehiscentium concursantiumq; crebritates, si etiam ales interuolasset, nulla celeritate pinnarum eripi poterat quin interiret oppressa. Hi scopuli, quum eos Argo prima omnium nauis Colchos ad direptionem aurei properans velleris, prætersisset innoxia, immobiles turbine circumfracto stetere concorporati; vt eos aliquando fuisse diremptos nulli nunc conspicātium credant, nisi super hoc congruerent omnes priscorum carminum cantus. Post Bithyniæ partem, prouinciæ Pontus & Paphlagonia protenduntur; in quibus Heraclea & Sinope & Polemonion & Amisos amplæ sunt ciuitates, & *Tios & Amastris, omnes ab auspicio, diligentia fundatæ Græcorum, & Cerasus, vnde aduexit huiusmodi poma Lucullus; insulæque arduæ Trapezunta & Pityunta continentes, opida non obscura. Vltra hæc loca Acherusium specus est, quod accolæ μυχοπόντιον appellant; & portus Acone, *fluuii diuersi, Acheron itemque *Archadius, & Iris & *Tebrius, & iuxta Parrhenius, omnes in mare ictu rapido decurrentes. Thermodon his est proximus, ab *Armonio defluens monte, & Themiscyræos interlabens lucos: ad quos Amazonas quondam migrare necessitas subegerat talis. Attritis damnorum adsiduitate finitimis, Amazones veteres quæ eos cruentis populabantur incursibus, altiora spirabant: viresque suas circumspectantes hisque propinqua, sæpius appetebant validiores, raptæ præcipiti cupiditatis ardore. Et perruptis nationibus plurimis, manus Atheniensibus intulerunt; acrique concertatione fusæ ac disiectæ, omnes nudatis equitatus sui lateribus corruere. Harum interitu cognito, residuæ imbelles domi relictæ, extrema perpessæ, vicinitatis repensantis similia funestos impetus declinantes, ad pacatiorem sedem transiere Thermodoontis: quarum progenies longe deinde propagata per numerosam sobolem, manu firmissima ad loca reuerterat genitalia, sequuto tempore populis diuersarum originum formidabilis. Haud procul inde attollitur Carambis placidi collis contra septemtrionem Elicen exsurgens. cuius e regione est Crium etopon Tauricę promontorium, duobus millibus & quingentis stadiis disparatum. Hocque ex loco omnis ora maritima, cuius initium Halys est amnis, velut longitudine lineali directa, nerui efficit speciem, duabus arcus summitatibus complicati. His regionibus Dahæ confines sunt, acerrimi omnium bellatores; & Chalybes, per quos erutum & domitum est primitus ferrum. Post quos terras patentes Byzares obtinent, & *Sapires, & Tibareni, & Mossynœci, & Macrones, & Philyres, populi nulla nobis adsuetudine cogniti: a quibus breui spatio distant virorum monimenta nobilium, [in] quibus Sthenelus est humatus & Idmon & Tiphys: primus, Herculis socius Amazonico bello letaliter vulneratus, alter, augur Argonautarum; tertius, eiusdem nauis cautissimus rector. Prætercursis partibus memoratis, *Aulion antrum est, & fluenta Callichori ex facto cognominati, quod su-

peratis post triennium Indicis nationibus, ad eos tractus Liber reuersus, circa huius ripas virides & opacas orgia pristina reparauit & choros. Trieterica huiusmodi sacra quidam existimant appellari. Post hæc confinia Camaritarum pagi sunt celebres, & Phasis fremibundis cursibus Colchos attingit, Ægyptiorum antiquam sobolem: vbi inter ciuitates alias Phasis est nomine fluuii dictitata, & * Dioscurias nunc vsque nota: cuius auctores Amphitus & * Telchius Spartani traduntur, aurigæ Castoris & Pollucis; a quibus Heniochorum natio est instituta. Paulum ab his secernuntur Achæi; qui bello anteriore quodam apud Troiam consummato, non quum super Helena certaretur, vt auctores prodidere nonnulli, in Pontum reflantibus ventis errore delati, cunctisque hostilibus stabilem domiciliis sedem nusquam reperientes, verticibus montium insedere semper niualium: & horrore cæli districti, victum sibi cum periculis rapto parare adsuefacti sunt: atque eo vltra omnem deinde ferociam sæuierunt. Super Cercetis, qui iisdem annexi sunt, nihil memoratu traditur dignum. Quorum post terga Cimmerici agitant incolæ Bospori; vbi Milesiæ sunt ciuitates, harumq; velut mater omnium Panticapæum: quã prætexit Hypanis fluuius, genuinis intumescens aquis & externis. Interibus hinc extensis, Amazones adusq; Caspiũ mare porrectæ circumcolunt Tanain: qui inter Caucasias oriens rupes, per sinuosos labitur circumflexus; Asiamq, disterminans ab Europa, in stagnis Męoticis delitescit. Huic Rha vicinus est amnis, in cuius superciliis quędam vegetabilis eiusdem nominis gignitur radix, proficiens ad vsus multiplices medelarum. Vltra Tanain panduntur in latitudinem Sauromatæ; per quos amnes fluunt perpetui, * Maraccus & Rhombites & Theophanes & Totordanes. Licet alia quoque distans immanibus interuallis Sauromatarum prætenditur natio, litori iuncta quod Coracem suscipiens fluuium, in ęquor eiectat extremum. Prope palus est Mæotis amplissimi circumgressus: ex cuius vberrimis venis per * Patares angustias vndarum magnitudo prorumpit in Pontum: cuius in dextro latere insulæ sunt * Phanagorus & Hermonassa, studio constructæ Gręcorum. Circa hęc stagna vltima extimaq; plures habitant gentes, sermonum institutorumq; varietate dispariles: * Iaxamatæ & Mæotæ & Iazyges, Rhoxolaniq; & Alani & Melanchlænæ, & cum Gelonis Agathyrsi, apud quos adamantis est copia lapidis; aliiq; vltra latentes, quod sunt omnium penitissimi. Sed Mæoridos lateri lęuo Cherronesus est propinqua, coloniarum plena Gręcarum. Vnde quieti sunt homines & sedati, adhibentes vomeri curam, & prouentibus fructuariis victitantes. A quibus per varia regna diducti itineribus modicis Tauri dissociantur. inter quos immani diritate terribiles Arinchi, & Sinchi & Napæi, intendente sæuitiam licentia diuturna, indidere mari nomen inhospitali; & a contrario per cauillationem pontus Euxinus appellatur; vt euethem Græce dicimus stultum, & noctem euphronen, & furias eumenidas. Diis enim hostiis litantes humanis, & immolantes aduenas Dianæ, quæ apud eos dicitur Orsiloche, cæsorum capita fani parietibus pręfigebant, velut fortium perpetua monumenta facinorum. In hac Taurica, insula Leuce sine habitatoribus vllis Achilli est dedicata. In quam si fuerint quidam forte delati, visis antiquitatis vestigiis temploq; & donariis eidem heroi consecratis, vesperi repetunt naues: aiunt enim non sine discrimine vitæ illic quemquam pernoctare. Ibi & aquæ sunt, & candidæ aues nascuntur halcyonibus similes: super quarum origine & Hellesponriacis prœliis suo tempore disseremus. Sunt autem quædam per Tauricam ciuitates: inter quas eminet Eupatoria & Dandace & Theodosia, & minores aliæ nullis humanis hostiis impiatæ. Hactenus arcus apex protendi existimatur. Eius nunc residua leniter sinuata, subiectaque vrsæ cælesti, adusque læuum Bospori Thracii latus (vt ordo postulat) exsequemur, id admonentes quod quum arcus omnium gentium flexis curuentur hastilibus, Scythici soli vel Parthici circumductis vtrimque introrsus pandis & patulis cornibus effigiem lunæ decrescentis ostendunt medietatem recta & rotunda regula diuidente. Ergo in ipso huius compagis exordio, vbi * Riphęi deficiunt mõtes, habitant Arimaspi iusti homines placiditateq; cogniti, quos amnes Chtonius & Bisula præterfluunt: iuxtaque Massagetæ, Alani & * Sarmatæ, aliique complures obscuri, quorum nec vocabula nobis sunt nota nec mores. Interiectu deinde non mediocri, Carcinites panditur sinus, eiusdemque nominis fluuius, & religiosus

gioſus per eas terras Triuiæ lucus. Dein Boryſthenes a montibus oriens Neurorum, primigenius fontibus copioſus, concurſuque multorum amnium adoleſcens, mari præruptis vndarum verticibus intimatur: cuius in marginibus nemoroſis Boryſthenes eſt ciuitas & Cephaloneſus, & aræ Alexandro Magno Cæſarique Auguſto ſacratæ. Longo exinde interuallo pene eſt inſula, quam incolunt Sindi ignobiles, poſt heriles in Aſia caſus coniugiis potiti dominorum & rebus: quibus ſubiectum gracile litus, Achillêos vocant indigenæ dromon, exercitiis ducis quondam Theſſali memorabilem. Eiq; proxima eſt ciuitas Tyros colonia Phœnicũ; quam præſtringit fluuius Tyras. In medio autem ſpatio arcus, quod prolixæ rotunditatis eſſe prædiximus, quodq; expedito viatori diebus conficitur quindecim, Europæi, ſunt Alani & Coſtobocæ, gentesq; Scytharũ innumeræ, quæ porriguntur aduſque terras ſine cognito fine diſtentas: quarum pars exigua frugibus alitur; reſiduæ omnes, palantes per ſolitudines vaſtas, nec ſtiuam aliquando nec ſementem expertas, ſed ſqualentes & pruinoſas, ferarum tetro ritu veſcuntur: eisque caritates & habitacula vilesque ſupellectiles, plauſtris impoſitæ ſunt corticibus tectis: & quum placuerit, ſine obſtaculo migrant, eadem carpenta quo libuerit conuoluentes. Quum autem ad alium portuoſum ambitum fuerit ventum, qui arcus figuram determinat vltimam, Peuce prominet inſula: quam circumcolunt Troglodytæ & Peucini, minoresq; aliæ gentes, & Iſtros quondam potentiſſima ciuitas, & Tomi, & Apollonia, & Anchialos, & *Odiſſos: aliæ præterea multæ, quas litora continent Thraciarum. Amnis vero Danubius oriens prope Rautacos montes, cõfines limitibus Rhæticis, per latiorem orbem protentus, ac ſexaginta nauigabiles pene recipiens fluuios, ſeptem oſtiis per hoc Scythicum litus erumpit in mare. Quorum primum eſt Peuce inſula ſupra dicta, vt interpretata ſunt vocabula Græco ſermone, ſecundũ Naracuſtoma, tertium *Calonſtoma, quartum Pſeudoſtoma. Nam Boreonſtoma ac deinde Stenoſtoma lõge minora ſunt ceteris: ſeptimum ingens & paluſtri ſpecie nigrum. Omnis autem circumfluo ambitu Pontus, & nebuloſus eſt, & dulcior æquoribus ceteris, & vadoſus: quod concreſcit aer ex humorum ſpiramine ſæpe denſatus, & irruentium vndarum multitudine temperatur, & conſurgit in *breuia dorſuoſa, limum globosque aggerente multitudine circumuenientium fluentorum. Et cõſtat ab vltimis noſtri finibus maris agminatim ad hunc receſſum pariendi gratia petere piſces, vt aquarum ſuauitate ſalubrius fœtum educant, in receptaculis cauis quæ ſunt ibi denſiſſima, ſecuri voracium beluarum: nihil enim in Ponto huiuſmodi aliquando eſt viſum, præter innoxios delphinas & * paruos. Quidquid autem eiusdem Pontici ſinus Aquilone cæditur & pruinis, ita perſtringitur gelu, vt nec amnium curſus ſubteruolui credantur, nec per inſidum & labile ſolum greſſus hominis poſſit vel iumenti firmari; quod vitium numquam mare ſincerum, ſed permixtum aquis amnicis tentat. Prolati *aliquanto longius quam ſperabamus, pergamus ad reliqua. Acceſſerat aliud ad gaudiorum præſentium cumulum, diu quidem ſperatum, ſed dilationum ambage multiplici tractum. Nuntiatum eſt enim per Agilonem & Iouium poſtea quæſtorem, Aquileiæ defenſores longiore obſidii tædio, cognitoque Conſtantii exceſſu, patefactis portis egreſſos, auctores prodidiſſe turbarum: iisdemque vitiis exuſtis (vt ſupra relatum eſt) omnes conceſſionem impetraſſe delictorum & veniam. At proſperis Iulianus elatior, vltra homines iam ſpirabat, periculis expertus adſiduis quod ei vrbem Romanam placide iam regenti, velut mundanam cornucopiam fortuna geſtans propitia, cuncta glorioſa deferebat & proſpera, antegreſſis victoriarum titulis hæc quoque adiiciens, quod dum teneret imperium ſolus, nec motibus internis eſt concitus, nec barbarorum quisquam vltra ſuos exſiluit fines: & populi omnes auiditate ſemper inſectandi præterita, vt damnoſa & noxia, in laudes eius ſtudiis miris accendebantur. Omnibus igitur, quæ res diuerſæ poſcebant & tempora, perpenſa deliberatione diſpoſitis, & militibus orationibus crebris ſtipendioq; cõpetenti ad ea expedienda incitanti promptius animatis, cunctorum fauore ſublimis Antiochiam ire cõtendens, reliquit Conſtantinopolim incrementis maximis fultam: natus enim illic, diligebat eam vt genitalem patriam & colebat. Transgreſſus itaque fretum, prætercurſa Chalcedona & Libyſſa, vbi ſepultus eſt Annibal Pœnus, inde Nicomediam

venit vrbem antehac inclytam, ita magnis retro principum amplificatam impensis, vt ædium multitudine priuatarum & publicarum recte nitescentibus regio quædam vrbis æstimaretur æternæ. Cuius mœnia quum vidisset in fauillas miserabiles *consedisse, angorem animi tacitis fletibus indicans, pigriori gradu pergebat ad regiam; hoc maxime ærumnis [eius] illacrymans, quod ordo squalens occurrit *populi, nimium quantum antehac florentissimus: & agnoscebat quosdam ibidem ab Eusebio educatus episcopo, quem genere longius contingebat. Hic quoque pari modo ad reparanda quæ terræ subuertetat tremor, abunde præstitis plurimis, per Nicæam venit ad Gallogræciæ fines: vnde dextrorsus itinere declinato, Pessinunta conuertit, visurus vetusta Matris magnæ delubra. a quo opido bello Punico secundo, carmine Cumano monente, per Scipionem Nasicam simulacrum translatum est Romam. cuius super aduentu in Italiam, pauca cum aliis huic materiæ congruentibus in actibus Commodi principis digessimus per excessum. quamobrem autem hoc nomine opidum sit appellatum, variant rerum scriptores. Quidam enim figmento deæ cælitus lapso, ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, quod *cadere* nos dicimus, vrbem adseruere cognominatam. Alii memorant Ilum Trois filium Dardaniæ regem, locum sic appellasse. Theopompus non Ilum id egisse, sed Midam affirmat, Phrygiæ quondam potentissimum regem. Venerato igitur numine, hostiisque litato & votis, Ancyram redit: eumque exinde progredientem vlterius multitudo inquietabat, pars violenter erepta reddi sibi *poscens, alii querentes consortiis se curiarum addictos iniuste, nonnulli sine respectu periculi agentes adusque rabiem, vt aduersarios suos læsæ maiestatis criminibus illigarent. Verum ille *iudicibus Cassiis tristior & Lycurgis, caussarum momenta æquo iure perpendens, suum cuique tribuebat, nusquam a vero abductus, acrius in calumniatores exsurgens, quos oderat; multorum huiusmodi petulantem sæpe dementiam adusque discrimen expertus, dum esset adhuc humilis & priuatus: exemplumque patientiæ eius in tali negotio, licet sint alia plurima, id vnum sufficiet poni. Inimicum quidam suum, cum quo discordabat, asperrime *dixisse in maiestatem turbulentius deferebat. Imperatoreque dissimulante, eadem diebus continuis replicans, interrogatus ad vltimum qui esset quem argueret, respondit municipem locupletem. Quo audito, princeps renidens, *Quibus indiciis*, ait, *ad hoc peruenisti?* Et ille, *Purpureum*, inquit, *sibi indumentum ex serico pallio parat*. Iussusque post hæc, vt vilis arduæ rei vilem incusans, abire tacitus & innoxius, nihilominus instabat. Quo tædio Iulianus defatigatus, ad largitionum comitem visum propius, *Iube*, inquit, *periculoso garritori pedum tegmina dari purpurea ad aduersarium perferenda; quem (vt datur intelligi) chlamydem huius coloris memorat sibi consarcinasse: vt sciri possit, sine viribus maximis quid panniuli proficiant leues.* Sed vt hæc laudanda & bonis moderatoribus æmulãda, ita illud amatum & notabile fuit, quod ægre sub eo a curialibus quisquam appetitus, licet priuilegiis & stipendiorum numero & origine penitus alienæ *fortitudine communitus, obtinebat æquissimũ: adeo vt pleriq; territi emercarentur molestias pretiis clandestinis. Itineribus itaq; emensis, quum ad Pylas venisset, (qui locus Cappadocas discernit & Cilicas) osculo susceptum rectorem prouinciæ nomine Celsum, iam inde a studiis cognitũ Atticis, adscitũq; in consessum vehiculi, Tarsum secum induxit. At hinc videre properans Antiochiam, orientis apicem pulchrũ, visus itineribus solitis venit: vrbiq; propinquans, in speciem alicuius numinis votis *excipitur, publicas miratus voces multitudinis magnæ, salutare sidus inluxisse eois partibus adclamantis. Euenerat autem iisdem diebus annuo cursu completo Adonia ritu veteri celebrari, amato Veneris, vt fabulæ fingunt, apri dente ferali deleto; q; in adulto flore sectarum est indicium frugum. Et visum est triste, quod amplam vrbem principum[que] domicilium introeunte Imperatore nunc primum, vlulabiles vndiq; planctus & *lugubres sonitus audiebantur. Hic patientiæ eius & lenitudinis documẽtum leue quidem apparuit, sed mirandum. Thalassium quemdã ex proximo libellorum insidiatorẽ fratris oderat Galli. Quo adorare adesseq; officio inter honoratos prohibito, aduersarii cũ quibus litigabat in foro, postridie turba cõgregata superflua, adito Imperatore, *Thalassius*, clamitabant, *inimicus pietatis tuæ, nostra violenter eripuit*. Et ille hac occasione hominẽ opprimi posse cõiciens, *Agnosco*, respondit, *quẽ dicitis offendisse*

me in-

me iust a[de] caussa: & silere vos interim consentaneum est, dum mihi inimico potiori faciat satis. Mandauitque adsidenti præfecto ne audiretur eorum negotium antequam ipse cum Thalassio rediret in gratiam: quod breui euenit. Ibi hiemans ex sententia, nullis interim voluptatum ponebatur illecebris, quibus abundant Syriæ omnes: verum per speciem quietis iudicialibus caussis intentus, non minus * arduis quam bellicis, distrahebatur multiformibus curis, exquisita docilitate librans quibus modis suum cuique tribueret, iustisque sententiis & improbi modicis coercerentur suppliciis, & innocentes fortunis defenderentur intactis. Et quamquam in disceptando aliquoties erat intempestiuus, quid quisq; iurgantium coleret tempore alieno interrogans, tamen nulla eius * definitio litis a vero dissonans reperitur. nec argui vmquam potuit ob religionem vel quodcumque aliud ab æquitatis recto tramite deuiasse. Iudicium enim hoc est optandum & rectum, vbi per varia negotiorum examina, iustum id est & iniustum: a quo ille ne aberraret, tamquam scopulos cauebat abruptos. Hoc autem ideo adsequi potuit, quod leuitatem agnoscens commotioris ingenii sui, præfectis proximisque permittebat vt fidenter impetus suos aliorsum tendentes, ad quæ decebat monitu oportuno frenarent monstrabatq; subinde, se dolere delictis & gaudere correctione. Quumque eum defensores caussarum, vt conscium rationis perfectæ, plausibus maximis celebrarent, fertur id dixisse permotus, *Gaudebam planeque me efferebam, si ab his laudarer quos & vituperare posse aduerterem, siquid secus factum sit aut dictum.* Sufficiet autem pro multis, quæ clementer egit in litibus cognoscendis, hoc vnum ponere nec abhorrens a proposito nec absurdum. Inducta in iudicium fœmina quędã, quum palatinum aduersarium suum e numero protectorum cinctum pręter spem conspexisset, hoc factum insolens tumultuando querebatur. Et Imperator, *Prosequere,* ait, *mulier, siquid te læsam existimas hic enim sic cinctus est, vt expeditius per lutum incedat: parum nocere tuis partibus potest.* Et æstimabatur per hæc & similia (vt ipse dicebat adsidue) vetus illa Iustitia, quam offensam vitiis hominum Aratus extollit in cælum, imperante eo reuersa ad terras, ni quædam suo ageret, non legum arbitrio, erratisq; aliquoties obnubilaret gloriarum multiplices cursus. Post multa enim, etiam iura quædam correxit in melius ambagibus circumcisis, indicantia liquide quid iuberent fieri vel vetarent. Illud autem inclemẽs obruendum perenni silentio, quod arcebat docere magistros rhetoricos & grammaticos, ritus Christiani cultores. Iisdem diebus Gaudentius ille notarius quem opponendum per Africam missum supra diximus a Constantio, Iulianus quinetiam ex vicario, earumdem partium nimius fautor, retracti sub vinculis morte periere pœnali. Tũc & * Artemius ex duce Ægypti, Alexandrinis vrgentibus atrocium criminum mole, supplicio capitali mulctatus est. Post quem Marcelli ex magistro equitum & peditum filius, vt iniectans imperio manus publica deletus est morte. Romanus quinetiam & Vincentius, scutariorum scholæ primæ secundæque tribuni, agitasse conuicti quædam suis viribus altiora, acti sunt in exsilium. Quumque tempus interstetisset exiguum, Alexandrini Artemii cõperto interitu, quem verebantur ne cũ potestate reuersus, (id enim minatus est) multos læderet vt offensus, iram in Georgium verterunt episcopum, vipereis (vt ita dixerim) morsibus ab eo sæpius appetiti. * Infulio natus, vt ferebatur, apud Epiphaniam Ciliciæ opidum, auctusque in damna complurium, contra vtilitatem suam reique communis, episcopus Alexandriæ est ordinatus, in ciuitate quæ suopte motu & vbi caussæ non suppetunt, seditionibus crebris agitatur & turbulentis, vt oraculorũ quoque loquitur fides. His efferatis hominum mentibus, Georgius quoque ipse graue accesserat incentiuum, apud patulas aures Cõstantii multos exinde incusans, vt eius recalcitrantes imperiis: professionisq; suæ oblitus, quæ nihil nisi iustũ suadet & lene, ad delatorum ausa feralia desciscebat. & inter cetera dicebatur id quoque maligne docuisse Constantium, quod in vrbe prędicta ædificia cuncta solo cohærentia, a cõditore Alexandro magnitudine impensarum publicarũ exstructa, emolimẽtis ærarii proficere debẽt ex iure. ad hæc mala id quoq; addiderat, vnde paulo post trusus est in exitium præceps. Reuersus ex comitatu principis, quum transiret per speciosum Genii templum, multitudine stipatus ex more, flexis ad ędẽ ipsam luminibus, *Quamdiu,* inquit *sepulcrum hoc stabit?* Quo audito velut fulmine multi perculsi, metuentesq; ne

illud quoque tentaret euertere, quidquid poterant, in eius perniciem clandestinis insidiis concitabant. Ecce autem repente perlato lætabili nuntio indicante exstinctum Artemium, plebs omnis elata gaudio insperato, vocibus horrendis infrendens, Georgium petit; raptumque diuersis mulctanti generibus proterens, & conculcans diuaricatis pedibus. Cumque eo Dracontius monetæ præpositus, & Diodorus quidam veluti comes, iniectis per crura funibus simul exanimati sunt: ille, quod aram in moneta quam regebat recens locatam euertit: alter, quod dum ædificandæ præesset ecclesiæ, cirros puerorum licentius detondebat; id quoque ad deorum cultum existimans pertinere. Quo non contenta multitudo immanis, dilaniata cadauera peremptorum camelis imposita vexit ad lacus: iisdemq; subito igne crematis, cineres proiecit in mare, id metuens, vt clamabat, ne collectis supremis, ædes illis exstruerentur vt reliquis, qui deuiare a religione compulsi, pertulere cruciabiles pœnas, adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi, & nunc martyres appellantur. Poterantque miserandi homines ad crudele supplicium ducti, Christianorum adiumento defendi, ni Georgii odio omnes indiscrete flagrassent. Hoc comperto, Imperator ad vindicandum facinus nefandum erectus, iamque expetiturus pœnas a noxiis vltimas, mitigatus est lenientibus proximis. missoque edicto, acri oratione scelus detestabatur admissum, minatus extrema si deinde tentatum fuerit aliquid quod iustitia vetet & leges. Inter hæc expeditionem parans in Persas, quam dudum animi robore conceperat celso, ad vltionem præteritorum vehementer elatus est; sciens & audiens gentem asperrimam per sexaginta ferme annos inussisse orienti cędium & direptionum monumēta sæuissima, ad internecionem exercitibus nostris sæpe deletis. Vrebatur autem bellandi gemino desiderio: primo, quod impatiens otii lituos somniabat & prœlia: dein, quod in ætatis flore primæuo obiectus efferarum gentium armis,* recentibus etiam tum regū precibus & regalium, qui vinci magis posse quam supplices manus tendere credebantur, ornamentis illustriū gloriarū inserere Parthici cognomentū ardebat. Quæ maximis molibus festinari cernentes obtrectatores desides & maligni, vnius corporis permutatione tot cieri turbas intempestiuas indignū & perniciosum esse strepebant, studium omne in differendo procinctu ponentes: & dictitabant his præsentibus, quos audita referre ad Imperatorem posse rebantur, eum, ni sedatius ageret, immodica rerum secūdarum prosperitate, velut luxuriantes vbertate nimia fruges, bonis suis protinus occasurum. Et hæc diu multumque agitantes, frustra virum circūlatrabāt immobilem occultis iniuriis, vt Pygmæi vel Thiodamas agrestis homo* Lindius Herculē. Ille tamen, vt maioris præter ceteros spiritus, nihilo lentius magnitudinem expeditionis secum commentans, in præparandis congruis operam nauabat enixam. Hostiarum tamen sanguine plurimo aras crebritate nimia perfundebat, tauros aliquoties immolando centenos, & innumeros varii pecoris greges,* ouesque candidas terra quæsitas & mari: adeo vt in dies pene singulos milites carnis distentiore sagina victitantes incultius, potusque auiditate corrupti, humeris impositi transeuntium, per plateas ex publicis ædibus, vbi vindicandis potius quā cedendis cōuiuiis indulgebant, ad sua diuersoria portarentur, Petulantes ante omnes & Celtæ, quorum ea tempestate confidentia creuerat vltra modum. Augebantur autem ceremoniarum ritus immodice, cum impensarum amplitudine, antehac inusitata & graui: & quisque, quum impræpedite liceret, scientiam vaticinandi professus, iuxta imperitus & docilis, sine fine vel præstitutis ordinibus, oraculorum permittebatur scitari responsa & extispicia nonnumquam futura pandentia: oscinumq; & auguriorum & omnium fides, si reperiri vsquam posset, adfectata varietate quærebatur. Hæcque dum ita procedunt more pacis, multorum curiosior Iulianus nouam consilii viam ingressus est, venas fatidicas Castalii recludere cogitans fontis: quem obstruxisse Cæsar dicitur Hadrianus mole saxorum ingenti; veritus ne, vt ipse præcinentibus aquis capessendam remp. comperit, etiam alii similia docerentur: ac statim circumhumata corpora statuit exinde transferri eo ritu quo Athenienses insulā purgauerant Delon. Eodem tempore die XI cal. Nouembrium amplissimum Daphnęi Apollinis fanū, qđ Epiphanes Antiochus rex ille condidit iracundus & sæuus, & simulactū in eo Olympiaci Iouis, imitamenti, æquiparans magnitudinē, subita vi flāmarū

exustum

exustum est. Quo tam atroci casu repente consumpto * ad id vsque Imperatorem ira prouexit, vt quæstiones agitari iuberet solito acriores, & maiorem ecclesiam Antiochiæ claudi. Suspicabatur enim id Christianos egisse, stimulatos inuidia, quod idem templum inuiti videbant ambitioso circumdari peristylio. Ferebatur autem, licet rumore leuissimo, hac ex caussa conflagrasse delubrum: quod Asclepiades philosophus, cuius in actibus Magnentii meminimus, quum visendi gratia Iuliani [peregre] ad id suburbanum venisset, deæ Cælestis argenteum breue figmentum quocumque ibat secum solitus afferre, ante pedes statuit simulacri sublime; accensisque cereis ex vsu cessit: vnde medietate noctis emensa, quum nec adesse quisquam potuit nec iuuare, volitantes scintillæ adhæsere materiis vetustissimis; ignesque aridis nutrimentis erecti, omne quidquid contingi potuit, licet ardua discretum celsitudine, cōcremarunt. Eo anno, sidere etiamtum instante brumali, aquarum incessit inopia metuenda, vt & riui cessarent quidam, & fontes antehac aquarum copiosis pulsibus abundantes: sed in integrum postea restituti sunt. Et * quarto nonas Decembres vergente ad vesperam die, reliqua Nicomedia collapsa est terræmotu; indemque Nicææ portio non mediocris. Quæ tametsi mœstitiam sollicito incuterent principi, residua tamen non contemnebat vrgentia, dum pugnandi tempus ei veniret optatum. Inter præcipua tamen & seria illud agere superfluum videbatur, quod nulla probabili ratione susceptæ popularitatis amore, vilitati studebat venalium rerum, quæ nonnumquam secus quam conuenit ordinata, inopiam gignere solet & famem. & Antiochiensi ordine id tunc fieri quum ille iuberet, nō posse aperte monstrante, nusquam a proposito declinabat, Galli similis fratris, licet incruentus. Quocirca in eos deinceps sæuiens, vt obtrectatores & contumaces, volumen composuit inuectiuum, quod Antiochense vel Misopogonem appellauit; probra ciuitatis infensa mente dinumerans, addensque veritati complura: post quæ multa in se facete dicta comperiens, coactus dissimulare pro tēpore, ira sufflabatur interna. Ridebatur enim vt cercops, homo breuis, humeros extentans angustos, & barbam præ se ferens hircinam, grandiaque incedens tamquam Oti frater & Ephialtis, quorum proceritatem Homerus in immensum tollit. Idemq; victimarius pro sacricola dicebatur, ad crebritatem hostiarum alludentibus multis: culpabatur hinc oportune, quum ostentationis gratia vehens licenter pro sacerdotibus sacra, stipatusque mulierculis, lætabatur. Et quamquam his paribusq; de caussis indignaretur, tacens tamē motumq; in animi retinens potestate, solennia celebrabat. Deniq; præstituto feriarū die Casium montem ascendit nemorosum, & tereti ambitu in sublime porrectū; vnde secundis galliciniis videtur primi solis exortus. Quumque Ioui faceret rem diuinam, repente conspexit quemdam humi prostratum, supplici voce vitam precantem & veniam. Interrogantiq; ei qui esset, respōsum est præsidalem esse Theodotum Hierapolitanum: qui profectum a ciuitate sua Constantium inter honoratos deducens, adulando deformiter, tamquam futurum sine dubietate victorem, orabat lacrymas fingens & gemitum, vt Iuliani ad eos mitteret caput perduellis ingrati, specie illa qua Magnentii circumlatum meminerat membrum. Quibus auditis, *Accepi olim*, inquit, *hoc dictum relatione multorum: sed abi securus ad lares, exutus omni metu clementia principis, qui, vt prudens, definiuit inimicorum minuere numerum, augereq; amicorum sponte sua contendit ac libens.* Exin sacrorum perfecto ritu digresso, offeruntur rectoris Ægypti scripta; Apim bouem operosa quæsitum industria, tamen post tempus inueniri potuisse firmantis, quod, vt earum regionum existimant incolæ, faustum, & vbertatem frugum diuersaque indicat bona. Super qua re pauca conueniet expediri. Inter animalia antiquis obseruationibus consecrata, Mneuis & Apis sunt notiora: Mneuis, Soli sacratur, super quo nihil dicitur memorabile: sequens, Lunæ. Est enim Apis bos diuersis genitalium notarum figuris expressus, maximeq; omnium corniculantis lunæ specie latere dextro insignis: qui quum post viuendi spatium præstitutum sacro fonte immersus e vita abierit, (nec enim vltra eum trahere licet ætatem quam secreta librorū præscribit auctoritas mysticorū: nec nisi semel ei in anno bos fœmina inuenta cum *notis certis offertur) alter cum publico quæritur luctu: & si omnibus signis cōsummatus reperiri potuerit, defertur Memphim vrbē præstātē, præsentiaq; numinis Æsculapii

claram. Quumque initiante antistitum numero centum, inductus in thalamum esse cœperit sacer, coniecturis apertis signa rerum futurarum dicitur demonstrare; & adeuntes quosdam indiciis auerti videtur obliquis; vt offerentem cibum aliquando Germanicum Cæsarem, sicut lectum est, auersatus, portenderat paulo post euenruta. Strictim itaque, quoniam tempus videtur hoc flagitare, res Ægyptiacæ tangantur; quarum notitiam in actibus Hadriani & Seueri principum digessimus late, visa pleraque narrantes. Ægyptiam gentem omnium vetustissimam, nisi quod super antiquitate certat cum Scythis, meridiali latere Syrtes maiores & Phycûs promontorium, & Borium, & Garamantes, nationesque variæ claudunt: qua orientem e regione prospicit, Elephantinam & Meroen vrbes Æthiopum, & Catadupos rubrumq; pelagus & Scenitas prætenditur Arabas, quos Saracenos nunc appellamus: septemtrioni opposita, terrarum situ cohærent immenso, vnde exordium Asia Sytiarumque prouinciæ sumunt: a vespera Issiaco disiungitur mari, quod quidam nominauere Parthenium. Pauca itaque super [beniuolo omnium flumine] Nilo (quem Ægyptum Homerus appellat) præstringi conueniet, mox ostendendis aliis quæ sunt in his regionibus admiranda. Origines fontium Nili, vt mihi quidem videri solet, sicut adhuc factum est, posteræ quoque ignorabunt ætates. Verum quoniam fabulantes poetæ variantesque geographi in diuersa latentem notitiam scindunt, opiniones eorum, veritati confines (vt arbitror) expediam paucis. Adfirmant aliqui physicorum in subiectis septemtrioni spatiis, quum hiemes frigidæ cuncta constringunt, magnitudines niuium congelascere: easque postea vi flagrantis sideris resolutas, fluxis humoribus nubes efficere grauidas; quæ in meridianam plagam etesiis flantibus pulsæ expressæque, tepore nimio incrementa vbertim suggerere Nilo creduntur. Ex Æthiopicis imbribus, qui abundantes in tractibus illis per æstus torridos cadere memorãtur, exundationes eius erigi anni temporibus adserunt alii præstitutis. quod vtrumque dissonare videtur a veritate. Imbres enim apud Æthiopas, aut * non vmquam, aut per interualla temporum longa cadere memorantur. Opinio est celebrior alia, quod spirantibus prodromis, perque dies quadraginta & quinque etesiarum cõtinuis flatibus repellentibus eius meatum, velocitate cohibita, superfusis fluctibus intumescit: & reluctante spiritu controuerso adolescens in maius, hinc vi reuerberante ventorum, inde vrgente cursu venarum perennium, progrediens in sublime tegit omnia; & humo suppressa, per supina camporum speciem exhibet maris. Rex autem Iuba Punicorum confisus textu librorum, a monte quodam oriri eum exponit, qui situs in Mauritania despectat oceanum: hisque indiciis hoc proditum ait, quod pisces & herbæ & beluæ similes per eas paludes gignuntur. Æthiopiæ autem partes prætermeans Nilus nominum diuersitate decursa, quæ eum orbem peragranti nationes indidere complures, [æstuans] exundatione diffusima ad cataractas (id est præruptos scopulos) venit, e quibus præcipitans ruit potius quam fluit. vnde olim *accolas vsu aurium fragore assiduo diminuto, necessitas vertere solum ad editiora coegit. Exinde lenius means, per ostia septem, quorum singula perpetuorũ amnium vsum & faciem præbent, nullis per Ægyptum aquis externis adiutus dilatatur. Et præter amnes plurimos ex alueo * deriuatos auctore, eadentesque in suppares eius, septem nauigabiles sunt & vndosi, quibus subiecta vocabula veteres indiderunt, Heracleoticus, Sebenniticus, Bolbiticus, Phatniticus, Mendesius, Taniticus, & Pelusiacus. Oriens autem * vnde dictum est, propellitur a paludibus adusque cataractas, insulasque efficit plures: quarum aliquæ ita porrectis aquis dicuntur extentæ vt singu-
Δ las ægre tertio die relinquat. inter quas duæ sunt claræ, Meroe, & Delta, a triquetræ litteræ forma hoc vocabulo signatius appellata. Quum autem sol per cancri sidus cœperit vehi, augescens adusque transitum eius in libram, diebusque centum sublatius fluens, minuitur postea; & mitigatis ponderibus aquarum, nauibus antea peruius equitabiles campos ostendit. Abunde itaque luxurians, ita est noxius, vt infructuosus, si venerit parcior: gurgitum enim nimietate humectãs diutius terras, culturas moratur agrorum; paruitate autem minatur steriles segetes. Eumque nemo aliquando extolli cubitis altius sexdecim possessor optauit. Et si inciderit moderatius, aliquoties iactæ sementes in loco pinguis cæspitis, cum augmento fere septuagesimo renascun-

renascuntur: solusque fluminum auras nullas inspirat. Exuberat Ægyptus etiam pecudibus multis, inter quas terrestres sunt & aquatiles; aliæque [quæ &] humi & in humoribus viuunt; vnde *amphibia* nominantur. Et in aridis quidem capreoli vescuntur, & *bucali, & bisturnitia nimia deformitate ridicula, aliaque monstra quæ numerare non refert. Inter aquatiles autem bestias crocodilus vbiq; per eos tractus abundat; exitiale quadrupes, malum adsuetum elementis ambobus, lingua carens, maxillam superiorem commouens solam, ordine dentium pectinato, perniciosis morsibus quidquid tetigerit pertinaciter tenens, oua edens fœtus anserini similia: vtque armatus est vnguibus, si haberet etiam pollices, ad euertendas quoque naues sufficeret viribus magnis: (ad cubitorum enim longitudinem decem interdum extentus) noctibus quiescens per vndas, diebus humi *vescitur, confidentia cutis, quam ita validam gerit, vt eius tergo cataphracta vix tormentorum ictibus perforentur. Et sæuientes semper eædem feræ, quasi pacto fœdere quodam castrensi, per septem ceremoniosos dies mitescunt ab omni sæuitia desciscentes, quibus sacerdotes Memphi natales celebrant *Apis. Præter eos autem qui fortuita pereunt morte, alii disrumpuntur suffossis aluis mollibus, certis ferarum dorsualibus crustis, quas delphinis similes nutrit fluuius antedictus: alii exitio intereunt tali. Trochilos auicula breuis, dum escarum minutias captat, circa cubantem volitans blande, *gingiuasque eius irritatus titillando, peruenit adusque ipsam viciniam gutturis. quod factum contuens *hydrus ichneumonis genus, oris aditum penetrat alite præuia patefactum, & populato ventre vitalibus dilancinatis erumpit. Audax tamen crocodilus monstrum fugacibus, vbi audacem senserit, timidissimum: & in terra acutius cernens, per quatuor menses hibernos nullo vesci dicitur cibo. Hippopotami quoque generantur in illis partibus, vltra animalia cuncta ratione carentia sagacissimi; ad speciem equorum bifidas habentes vngulas, caudasque breues: quorum sollertiæ duo ostendere documenta sufficiet. Inter arundines celsas * & squalentes nimia densitate hæc belua cubilibus positis, otium peruigili studio circumspectat; laxataque copia, ad segetes depascendas egreditur. Quumque iam cœperit redire distenta, auersis vestigiis distinguit tramites multos, ne vnius plani itineris lineas insidiatores secuti, repertum sine difficultate confodiant. Item quum auiditate nimia extuberato ventre pigrescit, super calamos recens exsectos femora conuoluit & crura; vt pedibus vulneratis cruor egestus, sagina distentum faciat leuem: & carnes saucias cœno oblinit, quamdiu in cicatrices conueniant plagæ. Has monstruosas antehac raritates in beluis, in ædilitate Scauri vidit Romanus populus primitus; patris illius Scauri, quem defendens Tullius, imperat Sardis vt de familia nobili ipsi quoque cum orbis terrarum auctoritate sentirent: & per ætates exinde plures sæpe huc ducti, nunc inueniri nusquam possunt; vt coniectantes regionum incolæ dicunt, insectantis multitudinis tædio ad Blemmyas migrasse compulsi. Inter Ægyptias alites, quarum varietas nullo comprehendi numero potest, ibis sacra est, & amabilis, & innocua; ideo quod nidulis suis ad cibum suggerens oua serpentum, efficit vt rarescant mortiferæ pestes absumptæ. Occurrunt eædem volucres pinnatis agminibus anguium, qui ex Arabicis emergunt paludibus venena malignantes: eosque, antequam finibus suis excedant, prœliis superatos aeriis vorant: quas aues per rostra edere fœtus accepimus. Serpentes quoque Ægyptus alit innumeras: vltra omnem perniciem sæuientes basiliscos & amphisbænas, & scytalas, & acontias, & dipsadas, & viperas, aliasque complures: quas omnes magnitudine & decore aspis facile supereminens, numquam sponte sua fluenta egreditur Nili. Multa in illis tractibus pretium est operæ maximum legere: e quibus pauca conueniet explicari. Sunt therma lutra quæ *cythrus* indigenæ vocant. Templa vbique molibus magnis exstructa. Pyramides ad miracula septem prouectæ; quarum diuturnas surgendi difficultates scriptor Herodotus docet. vltra omnem omnino altitudinem, quæ *humanis confici potest, erectæ sunt turres, ab imo latissimæ, in summitates acutissimas desinentes: quæ figura apud geometras ideo sic appellatur, quod ad ignis speciem, τοῦ πυρὸς, vt nos dicimus, extenuatur in conum: quarum magnitudo quoniam in celsitudinem nimiam scandens, gracilescit paulatim, vmbras quoque mechanica ratione consumit. Sunt & sy-

mm

ringes, subterranei quidam & flexuosi secessus; quos (vt fertur) periti rituum vetustorum, aduentare diluuiũ præscii, metuentesque ne ceremoniarum obliteraretur memoria, penitus operosis digestos fodinis per loca diuersa struxerunt: & excisis parietibus volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, & animalium species innumeras multas, quas *hieroglyphicas litteras* appellarunt Latinis ignorabiles. Dein Syene; in qua solstitii tempore, quo sol æstiuum *austrinus cursum extendit, recta omnia ambientes radii *excedere ipsis corporibus vmbras non sinunt. Inde si stipitem quisquam fixerit rectum, vel hominem aut arborem viderit stantem, circa lineamentorum ipsas extremitates contemplabitur vmbras absumi: sicut apud Meroen, Æthiopiæ partem æquinoctiali circulo proximam, dicitur euenire, vbi per nonaginta dies vmbræ nostris in contrarium cadunt: vnde *Antiscios* eius incolas vocant. Quæ quoniam miracula multa sunt, opusculi nostri propositum excedentia, ad ingenia celsa reiiciamus, pauca super prouinciis narraturi. Tres prouincias Ægyptus fertur habuisse temporibus priscis, Ægyptum ipsam, & Thebaidem, & Libyam: quibus duas adiecit posteritas, ab Ægypto Augustamnicam, & Pentapolim a Libya sicciore disparatam. Igitur Thebais multas inter vrbes clariores aliis Hermopolim habet & Copton, & Antinoon quam Hadrianus in honorem Antinoi ephebi condidit sui. Hecatompylos enim Thebas nemo non nouit. In Augustamnica Pelusium opidum est nobile; (quod Peleus Achillis pater dicitur condidisse, lustrati deorum monitu iussus in lacu, qui eiusdem ciuitatis alluit mœnia, quum post interfectum fratrem nomine Phocum horrendis furiarũ imaginibus raptaretur) & Casium, vbi Pompeii sepulcrum est Magni; & Ostracine, & Rhinocorura. In Pentapoli Libya Cyrene posita est, vrbs antiqua, sed deserta; quam Spartanus condidit Battus; & Ptolemais, & Arsinoe, *eadem quæ Tauchira: & Darnis, & Berenice, quas Hesperidas appellant: in sicciore vero Libya, Parætonion, & Cherecla, & Neapolis, inter municipia pauca & breuia. Ægyptus ipsa, quæ iam inde vt Romano imperio iuncta *est, regitur a præfectis, exceptis minoribus multis, Athribi, & Oxyryncho, & Thmui, & Memphi maximis vrbibus nitet. Alexandria enim vertex omnium est ciuitatum; quam multa nobilitant, & magnificentia conditoris altissimi, & architecti sollertia Dinocratis, qui quum ampla mœnia fundaret & pulchra, penuria calcis id momẽtum patum repertæ, omnes ambitus liniales farina respersit: quod ciuitatem post [hæc] alimentorum vberi copia circumfluere fortuito *monstrauit indicio. ibi auræ salubriter spirantes, aer tranquillus & clemens: atque vt periculum docuit per varias collectum ætates, nullo pene die incolentes hanc ciuitatem solem serenum non vident. Hoc litus *ne fallacibus & insidiosis accessibus affligeret vt antehac nauigantes discriminibus plurimis, excogitauit in portu Cleopatra turrim excelsam, quæ *Pharos* a loco ipso cognominatur, prælucendi nauibus nocturna suggerens ministeria: quum quondam ex *Parthenio pelago venientes aut Libyco, per *pandas oras & vacuas montium nullas speculas vel collium signa cernentes, harenarum inlisæ glutinosæ mollitiæ, frãgerentur. Hæc eadem regina heptastadium sic ut vix credenda celeritate, ita magnitudine mira construxit, ob caussam notam & necessariam. Insula Pharos, vbi Protea cum phocarum gregibus diuersatum Homerus fabulatur inflatius, a ciuitatis litore mille passibus disparata, Rhodiorum erat obnoxia vectigali. quod quum inde quidam nimium quantum petituri venissent, fœmina callida semper in fraudes, solennium specie feriarum iisdem publicanis secum ad suburbana perductis, opus iusserat irrequietis laboribus consummari; & septem diebus totidem stadia molibus iactis in mare solo propinquanti terræ sunt vindicatæ. Quo cum vehiculo ingressa, errare ait Rhodios, insularum non continentis portorium flagitantes. His accedunt altis *sufflata fastigiis templa. Inter quæ eminet Serapium, quod licet minuatur exilitate verborum, atriis tamen columnariis amplissimis, & spirantibus signorum figmentis, & reliqua operum multitudine ita est exornatum, vt post Capitolium, quo se venerabilis Roma in æternum attollit, nihil orbis terrarum ambitiosius cernat. in quo bibliothecæ fuerunt inæstimabiles: & loquitur monimentorum veterum concinens fides, septingenta voluminum millia, *Ptolemæis regibus vigiliis intẽtis composita, bello Alexandrino, dum diripitur ciuitas sub

dicta-

dictatore Cæsare, conflagrasse. Canopus inde duodecimo disiungitur lapide: quem, vt priscæ memoriæ tradunt, Menelai gubernator sepultus ibi cognominauit: hactenus impendio locus fanis & * diuersoriis lætis exstructus, auris & salutari temperamento perflabilis; ita vt extra mundum nostrum morari se quisquam arbitretur in illis tractibus agens, quum sæpe aprico spiritu immurmurantes audient ventos. Sed Alexandria ipsa non sensim, vt aliæ vrbes, sed inter initia prima aucta per spatiosos ambitus, internisque seditionibus diu aspere fatigata, ad vltimum multis, post annis Aureliano imperium agente, ciuilibus iurgiis ad certamina interneciua prolapsis, dirutisque mœnibus, amisit regionum maximam partem, quæ * Bruchion appellabatur; diuturnum præstantium hominum domicilium. Vnde Aristarchus grammaticæ rei doctrinis excellens, & Herodianus artium minutissimus sciscitator, & Saccas Ammonius Plonni magister, aliique plurimi scriptores multorum in litteris nobilium studiorum: inter quos Chalcenterus emicuit Didymus, multiplicis scientiæ copia memorabilis: qui in illis sex libris, vbi nonnumquam imperfecte Tullium reprehendit, sillographos imitatus scriptores maledicos, iudicia doctarum aurium incusat, vt immania frementem leonem pundulis vocibus vanus catulus longius circumlatrans. Et quamquam veteres cum his quorum memini, floruere complures, tamen ne nunc quidem in eadem vrbe doctrinæ variæ silent. nam & disciplinarum magistri quodammodo spirant, & nudatur ibi geometrico radio quidquid reconditum latet nondumque apud eos penitus exaruit musica, nec harmonia conticuit: & recalet apud quosdā adhuc, licet raros, consideratio mundani motus & siderum; doctique sunt haud numero pauci. super his scientiam callent quæ fatorum vias ostendit. Medicinæ autem, cuius in hac vita nostra, nec parca nec sobria, desiderantur adminicula crebra, ita studia augentur in dies, vt licet opus ipsum redoleat, pro omni tamen experimento sufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem, si Alexandriæ se dixerit eruditum. & hæc quidem hactenus. Sed si intelligendi diuini aditionem multiplicem, & præsensionum originem, mente vegeta quisquam voluerit replicare, per mundum omnem inueniet mathemata huiusmodi ab Ægypto circumlata. Hic primum homines longe ante alios ad varia religionum incunabula (vt dicitur) peruenerunt, & initia prima sacrorum caute tuentur condita * sacris arcanis. Hac instituturus prudentia Pythagoras colens secretius deos, quidquid dixit aut voluit, auctoritatem esse instituit ratam, & femur suum aureum apud Olympiam sæpe monstrabat, & cum aquila colloquens subinde visebatur. Hinc Anaxagoras lapides e cælo lapsuros, & putealem limum contrectans, tremores futuros prædixerat terræ. Et Solon sententiis adiutus Ægypti sacerdotum, latis iusto moderamine legibus, Romano quoque iuri maximum addidit firmamentum. ex his fontibus per sublimia gradiens sermonum amplitudine Iouis æmulus non visa Ægypto militauit sapientia gloriosa. Homines autem Ægyptii plerique subfusculi sunt & atrati, magisque mœstiores, gracilenti & aridi, ad singulos motus excandescentes, controuersi & reposcones acerrimi. Erubescit apud eos si quis non infitiando tributa, plurimas in corpore vibices ostendat: & nulla tormentorum vis inueniri adhuc potuit quæ obduratum vllius pectus latrociniis inuitum elicere potuit vt nomen proprium dicat. Id autem notum est, vt annales veteres monstrant, quod Ægyptus omnis sub amicis erat antea regibus; sed superatis apud Actium bello nauali Antonio & Cleopatra, prouinciæ nomen accepit, ab Octauiano Augusto possessa.* Aridam Libyam supremo Apionis regis consequuti sumus arbitrio: Cyrenas cum residuis ciuitatibus Libyæ Pentapoleos, Ptolemæi liberalitate suscepimus. Euectus longius ad ordinem remeabo cœptorum.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIBER VIGESIMVSTERTIVS.

HÆc eo anno, vt prætereamus negotiorum minutias, agebantur per prouincias. Iulianus vero iam ter consule adscito in collegio
1115 trabeæ Sallustio præfecto per Gallias, quater ipse amplissimum inierat magistratum: & videbatur nouum adiunctum esse Augusto priuatum, quod post Diocletianum & Aristobulum nullus meminerat gestũ. Et licet accidentium varietatem sollicita mente præcipiens, multiplicatos expeditionis apparatus flagranti studio perurgeret; *diligentiæ tamen vbique diffidens, imperiique sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare ambitiosum quõdam apud Hierosolymam templum, quod post multa & interneciua certamina obsidente Vespasiano posteaq; Tito ægre est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis; negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curauerat pro præfectis. Quum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, iuuaretque prouinciæ rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris adsultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum: hocque modo elemento destinatius repellente cessauit inceptum. Iisdem diebus legatos ad se missos ab vrbe æterna, claros natos, meritisque probabilis vitæ compertos, Imperator honoribus diuersis adfecit: & Apronianum Romæ decreuit esse præfectum, Octauianum proconsulem Africæ, Venusto vicariam commisit Hispaniæ: Rufinum Arabium comitem orientis, in locum auunculi sui Iuliani recens defuncti prouexit. Quibus vt conuenerat ordinatis, terrebatur omine quodam (vt docuit exitus) præsentissimo. Felice enim largitionum comite profluuio sanguinis repente exstincto, eumque comite Iuliano sequuto, vulgus publicos contuens titulos, Felicem Iulianum Augustumque pronuntiabat. Præcesserat aliud sæuum. Namq; calendis ipsis Ianuariis adscendente [eo] *gradile Genii templum, e sacerdotum consortio quidam ceteris diuturnior nullo pulsante repente concidit, animamque insperato casu efflauit: quod adstantes, incertum per imperitiam an adulandi cupiditate, memorabant consulum seniori portendi, nimirum Sallustio: sed, vt apparuit, non ætati sed potestati maiori interitum propinquare monstrabatur. Super his alia quoque minora signa subinde quod acciderat ostendebant. Inter ipsa enim exordia procinctus Parthici disponendi nuntiatum est Cõstantinopolim terræ pulsu vibratam: quod horum periti minus lætum esse pronuntiabant aliena peruadere molienti rectori. Ideoque intempestiuo conatu desistere suadebant: ita demum hæc & similia contemni oportere firmantes, quum irruentibus armis externis lex vna sit & perpetua, salutem omni ratione defendere, nihil renitẽte vi moris. Iisdem diebus nuntiatum est ei per litteras, Romæ super hoc bello libros Sibyllæ consultos, vt iusserat, Imperatorem eo anno discedere a limitibus suis aperto prohibuisse responso. Inter hæc tamẽ legationes gentium plurimarum, auxilia pollicentium, liberaliter susceptæ remittebantur, speciosa fiducia principe respondente, nequaquã decere aduentitiis adiumentis rẽ vindicari Romanã; cuius opibus fouere conueniret amicos & socios, si auxilium eos adegerit necessitas implorare. Solum Arsacem monuerat Armeniæ regem, vt collectis copiis validis iubenda opperiretur, quo tenderet, quid deberet vrgere, propere cogniturus. Proinde quum primam consultæ rationes copiam præbuissent, rumore præcurso hostiles occupare properans terras, nondum adulto vere missa per militares numeros expeditionali tessera, cunctos transire iussit Euphratem. Quo compẽrto omnes euolant ex hibernis: transmissoque, vt textus docebat scriptorum, dispersi per stationes varias, aduentum principis exspectabant. Ipse autem Antiochiam egressurus, Heliopoliten quemdam Alexandrum Syriacæ iurisdictioni præfecit, turbulentum & sæuum: dicebatque non illum meruisse, sed Antiochensibus auaris & contumeliosis huiusmodi iudicem conuenire. Quumque eum profecturum deduceret multitudo promiscua,

itum

itum felicem reditumque gloriosum exoptans, oransque vt deinde placabilis esset & lenior, nondum ita quam ex compellationibus & probris conceperat emollita, loquebatur asperius, se eos asserens postea non visurum. Disposuisse enim aiebat, hiemandi gratia per compendiariam viam consummato procinctu, Tarsum Ciliciæ reuersurum; scripsisseque ad Memorium præsidem, vt in eadem vrbe cuncta sibi congrua pararentur: & hoc haud diu postea contigit. Corpus namque eius illuc relatum exsequiarum humili pompa in suburbano sepultum est, vt ipse mandarat. Iamque apricante cœlo, * tertio nonas Martias profectus, Hierapolim solitis itineribus venit: vbi quum intrtiret ciuitatis capacissimæ portas, sinistra porticus subito lapsa, subter tendentes quinquaginta milites, exceptis plurimis vulneratis, tignorum tegularumque pondere magno collisit. Vnde contractis copiis omnibus, Mesopotamiam tam propere signa commouit, vt fama de se nulla præuersa (id enim accuratius obseruarat) improuisus Assyrios occuparet. Denique cum exercitu & Scytharum auxiliis Euphrate nauali ponte transmisso, venit * ad Batnas municipium Osdroenæ: ibique illætabile portentum offendit. Quum enim calonum frequens multitudo ad suscipiendum consuete pabulum prope aceruum palearum stetisset impendio celsum, (hoc enim modo per regiones illas tales species construuntur) rapientibus multis quassata cõgeries inclinata est, parique exinde quinquaginta obruit homines, mole maxima ruinarũ. Mœstus exinde digressus, venit cursu propero Carras, antiquum oppidum, Crassorum & Romani exercitus ærumnis insigne: vnde duæ ducentes Persidem viæ regiæ distinguuntur: læua, per Adiabenam & Tigridem; dextera, per Assyrios & Euphratem. Ibi moratus aliquot dies, dum necessaria parat, & lunæ, quæ religiose per eos colitur tractus, ritu locorum fert sacra, dicitur ante aras nullo arbitrorum admisso, occulte paludamentũ purpureum propinquo suo tradidisse Procopio: mandasseque arripere fidentius principatum, si se interisse didicerit apud Parthos. Hic Iuliani quiescentis animus agitatus insomnus, euenturum triste aliquid præsagiebat. Quocirca & ipse & visorũ interpretes, præsentia contemplantes, diem sequuturum, qui erat quartumdecimum cal. Apriles, obseruari debere pronuntiabant. Verum, vt compertum est postea, eadem nocte palatini Apollinis templum, præfecturam regente Aproniano, in vrbe conflagrauit æterna: vbi ni multiplex iuuisset auxilium, etiam Cumana carmina consumpserat magnitudo flammarum. Postque ita digesta agmina, & commeatus omnis generis * disponendi, procursatorum aduentu anhelantium etiamtum indicatur, equestres hostium turmas vicino limite quodam perrupto auertisse subito prædas. Cuius atrocitate mali perculsus illico, vt ante cogitauerat, triginta millia lectorum militum eidem commisit Procopio, iuncto ad parilem potestatem Sebastiano comite ex duce Ægypti: iisdemque præcepit, vt intra Tigridem interim agerent, vigilanter omnia seruaturi, nequid inopinum ex incauto latere oriretur, qualia multa sæpe * dixerat euenisse: mandabatq; eis vt, si fieri * potius possit, regi sociarentur Arsaci: cumque eo per Corduenam & * Moxoenam Chiliocomo vberi Mediæ tractu, partibusque aliis præstricto cursu vastatis, apud Assyrios adhuc agenti sibi accurrerent, necessitatum articulis adfuturi. His ita ordinatis ipse exitu simulato per Tigrim, quod iter etiam * rebus variis de industria iusserat instrui, flexit dextrorsus: & quieta nocte emensa, mane iumentum quo veheretur ex vsu poposcit: oblatusque ei equus Babylonius nomine, ictu torminis consternatus, dum dolorum impatiens voluitur, auro lapillisque ornamenta distincta conspersit. Quo ostento * lætior clamauit, plaudentibus proximis, Babylona humi procidisse ornamentis omnibus spoliatam: & paulisper detentus, vt omen per hostias litando firmaret, Dauanam venit castra præsidiaria; vnde ortus Belias fluuius funditur in Euphratem. Hic corporibus cibo * accurate refectis, postridie ventum est ad * Callinisum, munimentum robustum, commercandi opimitate gratissimum: vbi ad diem sextum Cal. quo Romæ Matri deorum pompæ celebrantur annales, & carpentum quo vehitur simulacrum, Almonis vndis ablui perhibetur. Sacrorum solennitate prisco more completa, somno per otium capto exsultans pernoctauit & lætus. Luce vero sequuta profectus exinde per supercilia riparum fluuialium, aquis adolescentibus vndique conuenis, cum armigera gradiens manu, in statione quadam sub

pellibus mansit: vbi Saracenorum reguli genibus supplices nixi, oblata* auri corona, tamquam mundi nationumque suarum dominum adorarunt, suscepti gratanter, vt ad furta bellorum adpositi. Dumque hos alloquitur, Xerxis illius potentissimi regis instar classis aduenit, tribuno Constantiano cum comite Lucilliano ductante; quæ latissimum flumen Euphratem artabat: in qua mille erant onerariæ naues ex diuersa trabe contextæ, commeatus abunde ferentes & tela & obsidionales machinas: quinquaginta aliæ bellatrices, totidemque ad compaginandos necessariæ pontes. Reipsa admoneor breuiter, quantum mediocre potest ingenium, hæc instrumentorum genera ignorantibus circumscripta monstrare: & *balistæ* figura docebitur prima. Ferrum inter axiculos duos firmum compaginatur & vastum, in modum regulæ maioris extentum: cuius ex volumine tereti, quod in medio ars polita componit, quadratus eminet stylus* extensius recto canalis angusti meatu cauatus, & hac multiplici chorda neruorum tortilium illigatus: eique cochleæ duæ ligneæ coniunguntur aptissime, quarum prope vnam adsistit artifex contemplabilis, & subtiliter adponit in temonis cauamine sagittam ligneam spiculo maiore conglutinatam: hocque facto hinc inde validi iuuenes versant agiliter rotabilem flexum. quum ad extremitatem neruorum acumen venerit summum, percita interno pulsu a balista ex oculis euolat, interdum nimio ardore scintillans: & euenit sępius vt antequam telum cernatur, dolor letale vulnus agnoscat. *Scorpionis* autem, quem appellant nunc *onagrum*, huiusmodi forma est. Dolantur axes duo quernei vel ilicei, curuanturque mediocriter, vt prominere videantur in gibbas. hique in modum serratoriæ machinæ connectuntur, ex vtroque latere patentius perforati: quos inter per cauernas funes colligantur robusti, cōpagem, ne dissiliat, continentes. Ab hac medietate restium ligneus stylus exsurgens obliquus, & in modum iugalis temonis erectus, ita neruorum modulis implicatur, vt altius tolli possit & inclinari: summitatique eius vnci ferrei copulantur, e quibus pendet stupea vel ferrea funda: cui ligno fulcimentum prosternitur ingens cilicium, paleis confertum minutis, validis nexibus illigatum, & locatum super congestos cæspites vel lateritios aggeres. Nam muro saxeo huiusmodi moles imposita, disiectat quidquid inuenerit subter, concussione violenta, non pondere. Quum igitur ad concertationem ventum fuerit, lapide rotundo fundæ imposito, quaterni altrinsecus iuuenes repagula quibus incorporati sunt funes, explicantes, retrorsus stylum penes vncinum inclinant: itaque demum sublimis adstans magister, claustrum quod totius operis continet vincula, resetat malleo forti percussum. Vnde absolutus ictu volucri stylus, & mollitudine offensus cilicii, saxum contorquet quidquid incurrerit collisurum. Et *Tormentum* quidem appellatur, quod ex eo omnis explicatio torquetur: *Scorpio* autem, quoniam aculeum desuper habet erectus: cui etiam *onagri* vocabulum indidit ætas nouella, ea re quod asini feri quum venatibus agitantur, ita eminus lapides post terga calcittando emittunt, vt perforent pectora sequentium, aut perfractis ossibus capita ipsa displodant. Hinc ad *arietem* veniemus. Eligitur abies vel ornus excelsa, cuius summitas duro ferro concluditur & prolixo, arietis efficiens prominulam speciem; quæ forma huic machinamento vocabulum indidit: & sic suspensa vtrimque transuersis asseribus & ferratis quasi ex lance vinculis trabis alterius continetur: eamque quantum mensuræ ratio patitur, multitudo retro repellens, rursus ad obuia quæque rumpenda protrudit ictibus validissimis, instar adsurgentis & cædentis armati. Qua crebritate velut reciproci fulminis impetu ædificiis scissis in rimas, concidunt structuræ laxatæ murorum. Hoc genere operis, si fuerit exserto vigore discussum, nudato vallo defensoribus, solutisque obsidiis, ciuitates munitissimæ recluduntur. Pro his arietum machinamentis iam crebritate despectis conditur machina scriptoribus historicis nota, quam *helepolin* Græci* cognominamus: cuius opera diuturna Demetrius Antigoni filius Rhodo aliisque vrbibus oppugnatis, Poliorcetes est appellatus. Ædificatur autem hoc modo. Testudo compaginatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisque clauis aptata: & contegitur coriis bubulis virgatumque recenti textura: atque limo asperguntur eius suprema, vt flammeos detractet & missiles casus. Conseruntur autem eius frontalibus trisulcæ cuspides præacutæ, ponderibus ferreis graues,

nes, qualia nobis pictores ostendunt fulmina vel fictores; vt quidquid petierit, aculeis exsertus abrumpat. Hanc ita validam molem, totis & funibus regens numerosis intrinsecus miles, languidiori murorum parti viribus admouet concitis: & nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisis parietibus aditus patefacit ingentes. *Malleoli* autem teli genus, figurantur hac specie. Sagitta est cannea inter spiculum & arundinem multifido ferro coagmẽtata, quæ in muliebris coli formam, quo nentur lintea stamina, concauatur * ventre subtiliter, & plurifariam patens, atq; in alueo ipso ignem cum aliquo suscipit alimento. Et sic emissa lentius arcu inualido, (ictu enim rapidiore exstinguitur) si hæserit vsquam tenaciter, et emar: aquisq; conspersa, acriores excitat æstus incendiorum; nec remedio vllo quam superiacto puluere cõsopitur. Hactenus de instrumentis muralibus, e quibus pauca sunt dicta. Nunc ad rerum ordinem reuertamur. Adscitis Saracenorum auxiliis, quæ animis obtulere promptissimis, tendens Imperator agili gradu * Cercusium, principio mensis Aprilis ingressus est munimentũ tutissimum, & fabre politum: cuius mœnia * Abora & Euphrates ambiunt flumina, velut spatiũ insulare fingẽtes. Quod Diocletianus exiguũ antehac & suspectũ, muris turribusq; circumdedit celsis, quum in ipsis barbarorum confiniis interiores limites ordinaret, ne vagarentur per Syriam Persæ, ita vt paucis ante annis cum magnis prouinciarũ contigerat damnis. Namq; quum Antiochiæ in alto silentio scenicis ludis mimus cum vxore immissus e medio sumpta quędã imitaretur, populo venustate attonito, coniunx, *Nisi somnus est*, inquit, *en Persæ*. Et retortis plebs vniuersa ceruicibus, exaceruantia in se tela declinans, spargitur passim. Ita ciuitate incensa, & obtruncatis pluribus, qui pacis more palabantur effusius, incensisque locis finitimis & vastatis, onusti præda hostes ad sua remearũt innoxii, Mareade viuo exusto, qui eos ad suorum interitum ciuium duxerat incõsulte. Et hæc quidem Gallieni temporibus euenerunt. Iulianus vero dum moratur apud Cercusium, vt per naualem Aboræ pontem exercitus & omnes sequelæ transirent, litteras tristes Sallustii Galliarũ præfecti suscepit, orantis suspendi expeditionẽ in Parthos, obtestantisq; ne ita intempestiue, nondũ pace numinũ exorata, irreuocabile subiret exitium. Posthabito tamen suasore cautissimo, fidentius vltra tendebat, quoniam *nulla vis humana vel virtus meruisse vmquam potuit vt quod præscripsit fatalis ordo, nõ fiat*. Statimq; transgressus, pontem auelli præcepit, ne qua militum ab agminibus propriis reuertendi fiducia remaneret. Pari sorte hic quoque omen illætabile visum est, apparitoris cuiusdam cadauer extentum carnificis manu deleti; quem præfectus Sallustius præsens eare supplicio capitali damnauerat, quod intra præstitutum diem alimentorum augmentum exhibere pollicitus, caussa impediente frustratus est. Sed miserando homine trucidato, postridie aduenit (vt ille promiserat) alia classis abunde vehens annonam. Profecti exinde Zaitam venimus, locum qui olea arbor interpretatur: Hic Gordiani Imperatoris longe conspicuum vidimus tumulum; cuius actus a pueritia prima, exercituumque felicissimos ductus, & insidiosum interitum, digessimus tempore competenti. Vbi quum pro ingenita pietate consecrato principi parentasset, pergeretque ad Duram desertum oppidum, procul militarem cuneum conspicatus stetit immobilis: eique dubitanti quid ferrent, offertur ab eis immanissimi corporis leo, quum aciem peteret, multiplici telorum iactu confossus. Quo omine velut certiore iam spectaculi prosperioris elatus, exsultantius incedebat. Sed incerto fato; fortunæ aliorsum prorupit euentus. Obitus enim regis portendebatur: sed cuius; erat incertũ. Nam & oracula dubia legimus; quæ non nisi casus discreuere postremi: vt fidem vaticinii Delphici, quę post Halyn flumen transmissum, maximum regnum disiecturum prædixerat Crœsum: & aliam, quæ Atheniensibus ad certandum contra Medos oblique destinauerat mare: sortemque his posteriorem, veram quidem; sed non minus ambiguam; *Aio te AEacida Romanos vincere posse*. Herrusci tamen aruspices qui comitabantur, gnari prodigialium rerum, quum illis procinctum hunc sępe arcentibus non crederetur, prolatis libris ritualibus ostendebant signum hoc esse prohibitorium, principiq; aliena, licet iuste, inuadenti cõtrarium. Sed calcabantur philosophis refragantibus, quorum reuerenda tunc erat auctoritas; errantiũ subinde, & in parum cognitis perseuerantium diu. Etenim vt probabile argumentũ ad fidem

implendam scientiæ suæ id prætendebant, quod & Maximiano antehac Cæsari cum Narse Persarum rege iam congressuro, itidem leo & aper ingens trucidati simul oblati sunt, & superata gente discessit incolumis: illo minime cõtemplato, quod aliena petenti portẽdebatur exitium, & Narses primus Armeniam Romano iuri obnoxiam occuparat. Sequuto itidem die, qui erat VII idus April. sole vergẽte iam in occasum, ex parua nubecula subito aere crassato visus adimitur lucis: & post minacẽ tonitruum crebritatem & fulgurum, Iouianus nomine miles de cælo tactus, cum duobus equis concidit, quos potu satiatos a flumine reducebat. Quo viso rursum rerum interpretes accersiti interrogatique, etiam id vetare procinctũ fidentius adfirmabant, fulmen consiliarium esse monstrantes: (ita enim appellantur quæ dissuadent aliquid fieri vel suadent) Ideoque hoc nimis cauendum, quod militem celsi nominis cum bellatoriis iumentis exstinxit: & hoc modo contacta loca, nec intueri nec calcari debere, fulgurales pronuntiant libri. Contra philosophi candorem ignis sacri repente conspecti nihil significare aiebant, sed esse acrioris spiritus cursum ex æthere aliqua via ad inferiora detrusum: aut si exinde prænoscitur aliquid, incrementa claritudinis Imperatori portendi gloriosa cœptanti; quum constet flammas suapte natura nullo obstante ad sublimia conuolare. Peracto igitur, vt ante dictum est, ponte, cunctisque transgressis, Imperator antiquissimum omnium ratus est militem alloqui, sui rectorisque fiducia properantem intrepide. Signo itaque per lituos dato, quum centuriæ omnes & cohortes & manipuli conuenissent, ipse aggere glebali adsistens, coronaque celsarum circumdatus potestatum, talia ore sereno disseruit, fauorabilis studio concordi cunctorum. *Contemplans maximis viribus & alacritate vos vigere, fortissimi milites; concionari disposui, docturus ratione multiplici non nunc primitus, vt maledici mussitant, Romanos penetrasse regna Persidis. Namque, vt Lucullum transeam vel Pompeium, qui per Albanos, & Massagetas, quos* * *Alanos nunc appellamus, hac quoque natione perrupta vidit Caspios lacus; Ventidium nouimus Antonii legatum strages per hos tractus innumeras edidisse. Sed vt a vetustate discedam, hæc quæ tradidit recens memoria*, *replicabo. Traianus, & rursus Seuerus, hinc sunt digressi victores & tropæati: redissetque pari splendore iunior Gordianus, cuius monumentum nunc vidimus** *honorate, apud Resainam superato fugatoque rege Persarum; ni factione Philippi præfecti prætorio, sceleste iuuantibus paucis, in hoc vbi sepultus est loco, vulnere impio cecidisset: nec errauere diu manes eius inulti; quod, velut librante iustitia, omnes qui in eum conspirauere, cruciabilibus interiere suppliciis. Et illos quidem voluntas ad altiora propensior subire impulit facinora memoranda: nos vero miseranda** *recens captarum vrbium, & inultæ cæsorum exercituum vmbræ, & damnorum magnitudines, carorumq; amissiones, ad hæc quæ proposuimus hortantur, vt solemur socios, vt medeamur præteritis, & honorata huius lateris securitate republica, quæ de nobis magnifice loquatur posteritas, relinquamus. adero vbiq; vobis adiumẽto numinis sempiterni Imperator, & antesignanus, & cõturmalis,** *omnibus secundis, vt reor. At si fortuna versabilis in pugna me vsquam fuderit, mihi vero pro Romano orbe memet vouisse sufficiet; vt Curtii Muciique veteres, & clara prosapia Deciorum. Abolenda nobis natio molestissima, cuius in gladiis nondum nostræ propinquitatis exaruit cruor. Plures absumptæ sunt maioribus nostris ætates, vt interirent radicitus quæ vexabant. Deuicta est perplexo & diuturno marte Carthago: sed eam dum inclytus timuit superesse victor, euertit funditus. Numantiam Scipio post multiplices casus obsidionis emensos; Fidenas, ne imperio subcrescerent æmulæ, Roma subuertit: & Faliscos ita oppressit & Veios, vt** *suadere nobis laboret monumẽtorum veterũ fides, vt has ciuitates aliquando valuisse credamus. Hæc vt antiquitatum peritus exposui: superest vt* AVIDITATE RAPIENDI *posthabita, quæ insidiatrix sæpe Romani militis fuit, quisq; agmini cohærens incedat; quum ad necessitatẽ congrediendi fuerit ventũ, signa propria sequuturus; sciens quod si remãserit vsquã, excectis cruribus relinquetur. nihil enim præter dolos & insidias hostium vereor nimium callidorũ. Ad summã polliceor vniuersis, rebus posthæc prospere mitigatis, absq; omni prærogatiua principũ, qui quod dixerint vel cẽsuerint pro potestate auctoritatis iustum esse existimant, rationẽ recte consultorũ vel secus, siquis exegerit, redditurũ. Quocirca erigite iam nunc quæso, erigite animos vestros, multa præsumentes bona, & æquata sorte nobiscũ quidquid occurrerit difficile subituri, & cõtectantes* ÆQVITATI *semper solere iungi victoriã.* Cõclusa oratione ad hunc gratissimũ finẽ, ductoris gloria prœliator miles exsultãs, speq;

in pro-

in prosperum elatior, sublatis altius scutis, nihil periculosum fore vel arduum clamitabat sub Imperatore plus sibi laboris quam gregariis indicente. maxime omnium id numeri Gallicani fremitu lætiore monstrabant, memores aliquoties eo ductante, perque ordines discurrente, cadentes vidisse gentes aliquas, alias supplicantes. Res adegit huc prolapsa, vt in excessu celeri, situm monstrare Persidis, descriptoribus gentium curiose digestum, e quibus ægre vera dixere paucissimi. Quod autem erit paulo prolixior textus, ad scientiam proficiet plenam. Quisquis enim adfectat nimiam breuitatem vbi narrantur incognita, non quid signatius explicet, sed quid debeat præteriri, scrutatur. Hoc regnum quondam exiguum, multisque antea nominibus appellatum, ob caussas quas sæpe retulimus, quum apud Babylona Magnum fata rapuissent Alexandrum, in vocabulum *Parthi* concessit Arsacis, obscure geniti, latronum inter adolescentiæ rudimenta ductoris; verùm paulatim in melius mutato proposito, clarorum contextu factorum aucti sublimius. Qui post multa gloriose & fortiter gesta, superato * Nicatore Seleuco eiusdem Alexandri successore, cui victoriarum crebritas hoc indiderat cognomentum, præsidusque Macedonum pulsis, ipse tranquillius agens, temperator obedientium fuit & arbiter lenis. Denique post finitima cuncta, vi vel æquitatis consideratione vel metu subacta, ciuitatum & castrorū castellorumq; munimentis oppleta Perside, adsuefactaq; timori esse accolis omnibus, quos antea formidabat, ipse medium agens cursum ætatis, placida morte decessit. Certatimque summarum & vulgi sententiis concinentibus, astris (vt ipsi existimant) ritus sui consecratione permixtus est omnium primus. Vnde ad id tempus reges eiusdem gentis prætumidi, appellari se patiuntur Solis fratres & Lunæ: vtque Imperatoribus nostris Augusta nuncupatio amabilis est & optata, ita regibus Parthicis abiectis & ignobilibus antea, incrementa dignitatum felicibus Arsacis auspiciis accessere vel maxima. Quamobrem numinis eum vice venerantur & colunt; eousque propagatis honoribus, vt ad nostri memoriam non, nisi Arsacides sit, quisquam in suscipiendo regno cunctis anteponatur: & in qualibet ciuili concertatione, quæ quotidie apud eos eueniunt, velut sacrilegium quisque caueat, ne dextra sua Arsacidem arma gestantem feriat vel priuatum. Satisque constat hanc gentem regna, populis vi superatis compluribus, dilatasse adusque Propontidem & Thracias: sed alte spirantium ducum superbia, licenter grassantium per longinqua, ærumnis maximis imminutam. Primo per Cyrum; quem Bospori fretum cum multitudine fabulosa transgressum, ad internecionem deleuit Tomyris regina Scytharum, vltrix acerrima filiorum. Deinde quum Darius, posteaq; Xerxes Græciam elementorum vsu mutato aggressi, cunctis pene copiis terra marique consumptis, vix ipsi tutum inuenere discessum: vt bella prætereamus Alexandrina, & testamento nationem omnem in successoris vnius iura translatam. Quibus peractis transcursisque temporibus longis sub consulibus, & deinceps in potestatem Cæsarum redacta republica, nobiscum eæ nationes subinde dimicarunt, paribusq; momentis interdū, aliquoties superatæ, nonnumquam abiere victrices. Nunc locorum situm, quantum ratio sinit, carptim breuiterque absoluam. Hæ regiones in amplitudines diffusæ longas & latas, ex omni latere insulosum & celebre Persicū ambiunt mare: cuius ostia adeo esse perhibentur angusta, vt ex * Harmozonta Carmaniæ promontorio, cōtra oppositū aliud promontorium, quod appellant incolæ Maces, sine impedimento cernatur. Quibus angustiis permeatis, quum latitudo patuerit nimis extensa, nauigatio adusq; vrbem * Teredona porrigitur, vbi post iacturas multiplices pelago miscetur Euphrates: omnisq; sinus dimensione litorea in numerū viginti millium stadiorū, velut spatio detornato finitur: cuius per oras omnes, opidorum est densitas & vicorum, nauiumq; crebri discursus. Ergo permeatis angustiis antedictis, venitur ad * Armeniæ sinum, orienti obiectum: interuallo * Cantichus nomine panditur sinus australis: haud procul inde alius quem vocant * Chalites, occiduo obnoxius sideri. Hinc præstrictis pluribus insulis, e quibus paucæ sunt notæ, Indorum mari iunguntur oceano; qui feruentem solis exortū suscipit omnium primus, ipse quoq; nimium calens. Vtq; geographici styli formarunt, hac specie distinguitur omnis circuitus antedictus. Ab arctoo cardine adusq; Caspias portas, Cadusiis conterminat & Scytharū gentibus multis, & Arimaspis hominibus

luscis & feris: ab occidua plaga contingit Armenios & Niphatem, & in Asia sitos Albanos, mare rubrum, & Scenitas Arabas quos Saracenos posteritas appellauit: Mesopotamiam sub axe meridionali despectat: orienti a fronte contrarius, ad Gangen extenditur flumen; quod Indorum intersecans terras, in pelagus eiectatur australe. Sunt autem in omni Perside hæ regiones maximæ, quas vitaxæ (id est magistri equitum) curant, & reges, & satrapæ: (nam minores plurimas recensere difficile est & superfluum) Assyria, Susiana, Media, Persis, Parthia, Carmania maior, Hyrcania, Margiana, Bactriani, Sogdiani, Sacæ, Scythia vltra Emodẽ montem, Serica, Aria, Paropamisadæ, Drangiana, Arachosia, & Gedrosia. Citra omnes propinqua est nobilis *Assyria* celebritate & magnitudine, & multiformi feracitate ditissima: quæ per populos pagosque amplos diffusa quondam & copiosa, ad vnum concessit vocabulum, & nunc omnis appellatur Assyria: vbi inter baccatum vulgariumque abundantiam frugum bitumen nascitur, prope lacum nomine Sosingiten; cuius alueo Tigris voratus, fluensque subterraneus, percursis spatiis longis emergit. Hic & naphtha gignitur picea, specie glutinosa, similis ipsa quoque bitumini: cui etiam si auicula insederit breuis, præpedito volatu submersa penitus euanescit. Et quum hoc liquoris ardere cœperit genus, nullum inueniet humana mens præter puluerem exstinguendi commentum. In his *pagis hiatus quoque conspicitur terræ, vnde halitus letalis exsurgens, quodcumque animal proxime steterit, odore graui consumit. Quæ lues oriens a profundo quodã puteo, quum os eius excesserit latum, antequam sublimius vagaretur, terras circũsitas inhabitabiles acerbitate fecisset. Cuius simile foramẽ apud Hierapolim Phrygiæ antehac, vt adserunt aliqui, videbatur: vnde emergens itidem noxius spiritus, perseueranti odore, quidquid prope venerat, corrumpebat, absque spadonibus solis: quod qua caussa eueniat, rationibus physicis permittatur. Apud* Asbamei quoq; Iouis templum in Cappadocia, vbi amplissimus ille philosophus Apollonius traditur natus apud opidum Tyana, stagno effluens fons cernitur; qui magnitudine aquarum inflatus seseq; resorbens, numquam extra margines intumescit. Iuxta hunc circuitum *Adiabena* est, Assyria priscis temporibus vocitata, longaq; adsuetudine ad hoc translata vocabulũ, ea re quod inter OEnam & Tigridem sita naugeros fluuios, adiri vado numquã potuit: transire enim *διαβαίνειν* dicimus Græci & veteres quidem hoc arbitrantur. Nos autem didicimus, quod in his terris amnes sunt duo perpetui, quos & transiuimus, Diauas & Adiauas, iuncti naualibus põtibus: ideoq; intelligi *Adiauenam* cognominatam; vt a fluminibus maximis Ægyptus,* Homero auctore, & India; & Euphratensis, antehac Commagena: itidemq; Iberia ex Ibero, nunc Hispania; & a Bęti amne insignis prouincia Bętica. In hac Adiabena Ninus est ciuitas, (quæ olim Persidis regna possederat, nomen Nini potentissimi regis quondam Sęmiramidis mariti declarans) & Ecbatana, & Arbela, & Gaugamela, vbi Darium Alexander post discrimina varia prœliorum incitato marte prostrauit. In omni autem *Assyria* multę sunt vrbes; inter quas Apamia eminet, Mesene cognominata; & Teredon, & Apollonia, & Vologessia, hisq; similes multę. Splendidissimę vero & peruulgatæ hæ solæ sunt tres. Babylon, cuius mœnia bitumine Semiramis struxit; (arcem enim antiquissimus rex condidit Belus) & Ctesiphon, quam Vardanes priscis temporibus instituit, posteaq; rex Pacorus incolarum viribus amplificatam & mœnibus Græco indito nomine, Persidis effecit specimen summum: post hanc Seleucia, ambitiosum opus Nicatoris Seleuci. Qua per duces Veri Cæsaris, vt ante retulimus, expulsata, auulsum sedibus simulacrum * Chomei Apollinis, perlatumq; Romam, in æde Apollinis palatini deorum antistites collocarunt. Fertur autem, quod post direptum hoc idem figmentum, incensa ciuitate, milites fanum scrutantes inuenere foramen angustũ: quo reserato vt pretiosum aliquid inuenirent, ex adyto quodam concluso a Chaldæorũ arcanis labes primordialis exsiluit, quæ insanabilium vi concepta morborũ, eiusdem Veri & Marci Antonini temporibus, ab ipsis Persarũ finibus adusq; Rhenum & Gallias, cuncta contagiis polluebat & mortibus. Hic prope *Chaldæorum* est regio, altrix philosophiæ veteris, vt memorant ipsi; apud quos veridica vaticinãdi fides eluxit. Perfluunt aũt has easdẽ terras potiores ante alios amnes hi quos prędiximus, & *Marsias, & *flumen regiũ, & Euphrates cunctis excellens: qui

tripartitus,

tripartitus, nauigabilis per omnes est riuos; insulasque circumfluens, & arua cultorum industria diligentius rigans, vomeri & gignendis arbustis habilia facit. His tractibus *Susiani* iungontur; apud quos non multa sunt opida, inter alia tamen eminet Susa, sæpe domicilium regum; & Arsiana, & Sela, & * Arecha: cetera, breuia sunt & obscura. Fluuii vero multi per hæc loca discurrunt; quibus præstantior Oates, & Harax & Meseus, per arenosas angustias, quæ a rubro prohibent Caspium mare, æquoream multitudinem inundantes. At in læua, *Media* confinis Hyrcano panditur mari: quam ante regnum Cyri superioris & incrementa Persidos, legimus Asiæ reginam totius, Assyriis domitis: quorum plurimos pagos in Atropatenæ vocabulum permutatos belli iure possedit: pugnatrix natio, & formidanda post Parthos, quibus vincitur solis, regiones inhabitans ad speciem quadratæ figuræ formatas. Harum terrarum incolæ omnes ad latitudinem nimiam extenduntur; eisque maximæ celsitudines imminent montium, quos Zagrum & Orontem & Iasonium vocant. Coroni quoque montis altissimi partem habitantes occiduam, frumentariis agris adfluunt & vinariis, pingui fœcunditate lætissimi, fluminibus fontiumque venis liquidis locupletes. Sunt apud eos prata virentia, fœtus equorum nobilium, quibus (vt scriptores antiqui docent, nosque vidimus) ineuntes prœlia viri, summa vi vehi exsultantes solent, quos Nysæos appellant. * Abundant æque ciuitatibus quibus Media, & vicis in modum opidorum exstructis, & multitudine incolarum. vtque absolute dicatur, vberrimum est habitaculum regum. In his tractibus *Magorum agri* sunt fertiles: super quorum secta studiisque, quoniam huc incidimus, pauca conueniet expediri. Magiam opinionum insignium auctor amplissimus Plato Machagistiam esse verbo mystico docet, diuinorum incorruptissimum cultum. cui scientię seculis priscis multa ex Chaldæorum arcanis Bactrianus addidit Zoroastres: deinde Hystaspes [rex] prudentissimus, Darii pater; qui quum superioris Indiæ secreta fidentius penetraret, ad nemorosam quamdam venerat solitudinem, cuius tranquillis silentiis præcelsa Bracmanorum ingenia potiuntur: eorumque monitu rationes mundani motus & siderum, purosque sacrorum ritus, quantum colligere potuit, eruditus, ex his quæ didicit, aliqua sensibus magorum infudit: quæ illi cum disciplinis præsentiendi futura, per suam quisq; progeniem posteris ætatibus tradunt. Ex eo per secula multa ad præsens, vna eademq; prosapia multitudo creata, deorum cultibus dedicatur. Feruntque etiam, si iustum est credi, ignem cælitus lapsum apud se sempiternis foculis custodiri: cuius portionē exiguam, vt faustam, præisse quondam Asiaticis regibus dicunt. Huius originis apud veteres numerus erat exilis, eiusque mysteriis Persicæ potestates in rebus faciendis diuinis solenniter vtebantur. Eratque piaculum aras adire vel hostiam contrectare, antequam magus conceptis precationibus libamenta diffunderet præcursoria. Verum aucti paulatim, in amplitudinem gentis solidæ concesserunt & nomen: villasq; inhabitantes nulla murorum firmitudine cōmunitas, & legibus suis vti permissi, religionis respectu sunt honorati. Ex hoc magorum semine septem post mortem Cambysis regnum inisse Persidos, antiqui memorant libri, docētes eos Darii factione oppressos, imperitandi initium equino hinnitu sortiti. In hac regione oleum conficitur medicum, quo illitum telum * si emissum lentius laxiore arcu (nam ictu exstinguitur rapido) hæserit vsquam, tenaciter cremat: & si aqua voluerit abluere quisquam, æstus excitat acriores incendiorum; nec remedio vllo quā iactu pulueris consopitur. Paratur autem hoc modo: Oleum vsus communis herba quadam infectum condiunt harum rerum periti, ad diuturnitatem seruantes; & coalescens durant ex materia venæ naturalis, similis oleo crassiori: quæ species gignitur apud Persas, quā (vt diximus) naphtham vocabulo appellauere gentili. Per hæc loca ciuitates dispersæ sunt plures; queis omnibus præstant Zombis, & * Patigra, & Gazaca: inter quas opibus & magnitudine mœnium conspicuæ sunt Heraclia, & Arsacia, & Europos, & Cyropolis, & Ecbatana sub Iasonio mōte in terris sitæ Syromedorū. Amnes has regiones prætereunt multi; quorū maximi sunt Choaspes, & Gyndes, & Amardus, & Charinda, & Cambyses, & * Cyrus; cui magno & spatioso Cyrus ille superior rex amabilis, abolito vetere, id vocabulum dedit, quum ereptū ire regna Scythica destinaret, q; & fortis esset, vt ipse ferebatur, & vias sibi vt ille impetu ingenii molitus, ita

Caspium dilabitur mare. Per tractus meridianos expansa, post hæc confinia, litoribus proxima *Persis* habitatur *antiqua*, minutis frugibus dives & palmite, aquarumque copia iucundissima. Amnes quippe multi per eam in antedictum fluunt sinum: quorum maximi sunt Vatrachites, Rogomanis, & Brisoana, atque Bagrada. Opida vero mediterranea sunt ampliora: (incertum enim qua ratione per oras maritimas nihil condiderunt insigne) inter quæ Persepolis est clara, & Ardea & Orobatis atque Tragonica. Insulæ vero visuntur ibi tres tantum, Tibiana, & Phara, & Alexandria. His propinquant *Parthi*, siti sub aquilone, colentes niuales terras & pruinosas: quorum regiones Choatres fluuius interscindit ceteris abundantior. Et hæc potiora residuis sunt opida: Genonia, Charax, Apamia, Artacana, & Hecatompylos: a cuius finibus per Caspia litora adusque portarum angustias, stadia quadraginta numerantur & mille. Feri sunt illic habitatores pagorum omnium, atque pugnaces: eosq; ita certamina iuuant & bella, vt iudicetur inter alios omnes beatus qui in prœlio fuderit animam. Excedentes enim e vita morte fortuita, conuitiis insectantur vt degeneres & ignauos. Quibus ab orientali australique plaga *Arabes Beati* conterminant, ideo sic appellati, quod frugibus iuxta & fœtibus & palmite, odorumque suauitate multiplici sunt locupletes: magnæque eorum partes rubrum mare a latere dextro contingunt: læua Persico mari collimitant: elementi vtriusque potiri bonis omnibus adsueti. Vbi & stationes & portus tranquilli sunt complures, & emporia densa, & diuersoria regum ambitiosa nimium & decora, aquarumque suapte natura calentium saluberrimi fontes, & riuorum fluminumque multitudo perspicua, sospitalisque cæli temperies: vt recte spectantibus, nihil eis videatur ad felicitatem deesse supremam. Ac licet abundet vrbibus mediterraneis atque maritimis, campisque copiosis & vallibus, has tamen ciuitates habet eximias, Geapolim, & Nascum, & Baraba: itidemque & Nagara, & Mephram, & Taphron, & Dioscuriada. Insulas autem complures habet per vtrumq; proximas mare; quas dinumerare non refert. Insignior tamen aliis Turgana est, in qua Serapidis maximum esse dicitur templum. Post huius terminos ingentes, *Carmania maior* verticibus celsis erigitur, adusque Indicum pertinens mare, fructuariis arboreisque fœtibus culta, sed obscurior Arabum terris multo & minor; fluminibus tamen ipsa quoque non minus abundans, cæspitisque vbere iuxta fœcunda. Amnes autem sunt hic ceteris notiores Sagareus, & Saganis, & Hydriacus. Sunt etiam ciuitates, licet numero paucæ, victu tamen & cultu perquam copiosæ. inter quas nitet Carmanna omnium mater, & *Ortospana, & Alexandria, & Hermupolis. Interius vero pergenti occurrunt *Hircani*; quos eiusdem nominis alluit mare: apud quos glebæ maximæ auro micantes, ruris colendi cura est leuior: sed vescuntur venatibus, quorum varietate immane quantum exuberant. vbi etiam tigridum millia multa cernuntur, feræque bestiæ plures; quæ cuiusmodi solent capi commentis, dudum nos meminimus retulisse. Nec ideo tamen stiuam ignorant, sed seminibus teguntur aliquæ partes, vbi solum est pinguius; nec arbusta desunt in locis habilibus ad plantandum; & maritis mercibus plerique sustentantur. Hic amnes duo peruulgati sunt nominis, Oxus & Maxera: quos vrgente media superantes natatu aliquoties tigres, improuisæ finitima populantur. Habent etiam ciuitates inter municipia minora validas; duas quidem maritimas, Socunda & Saramanna; mediterraneas alias, *Azmornam & Solen, & his nobiliorem Hyrcanam. Contra hanc gentem sub aquilone dicuntur *Abii* versari, genus piissimum, calcare cuncta mortalia consuetum: quos (vt *Homerus fabulosius canit) Iupiter ab Idæis montibus cõtuetur. Sedes vicinas post Hyrcanos sortiti sunt *Margiani*, omnes pene collibus altis vndique circumsepti; ideo a mari discreti. Et quamquam pleraque sunt ibi deserta aquarum penuria, quædam tamen habent opida, sed Iasonion, & Antiochia, & *Nisea, sunt aliis notiora. Proximos his limites possident *Bactriani*, natio antehac bellatrix & potentissima, Persisque semper infesta, antequam circumsitos populos omnes ad dicionem gentilitatemque traherent nominis sui: quam rexere veteribus seculis etiam Arsaci formidabiles reges. Eius pleræque partes, ita vt Margiana, procul a litoribus sunt disparatæ, sed humi gignentium fertiles: & pecus quod illic per campestria loca vescitur & montana, membris est magnis compactum

pactum & validis: vt indicio sunt cameli a Mithridate exinde perducti, & primitus in obsidione Cyzicena Romanis visi. Gentes iisdem Bactrianis obediunt plures, quæ arua plana arant, & ad Italiæ speciem crebris fluminibus inundantur: e quibus Artamis & Zariaspes ante sibi consociati, itidemque Ochus & *Orgomanes iuncti cõuenis aquis, augent immania Oxi fluenta. Sunt & hic ciuitates quas amnes diuersi perstringunt, bis cedentes vt melioribus: *Chatra & Charte, & Alicodra, & Astacia, & Menapila, & Bactra ipsa, (vnde regnum & vocabulum nationis est institutũ) sub imis montium pedibus quos appellant Sogdios. Inter quos amnes duo fluunt nauium capacissimi, Araxates & Dymas; qui per iuga vallesque præcipites in campestrem planitiem decurrentes, Oxiam nomine paludem efficiunt longe lateque diffusam. Hic inter alia opida celebrantur, Alexandria, & Tribatra, & Drepsa metropolis. His contigui sunt *Sacæ*, natio fera, squalentia incolens loca, solo pecore fructuosa; ideo nec ciuitatibus culta: cui Ascanimia mons imminet & Comedus. Præter quorum radices, & vicum quem Lithinon pygon appellant, iter longissimum patet mercatoribus peruium, ad Seras subinde cõmeantibus. Circa defectus & crepidines montium, quos Imauos & Tapurios vocant, *Scythæ* sunt intra Persicos fines, Asianis contermini Sarmatis, Alanorumque latus tangentes extremum. Qui velut agentes quodam secessu coalitique solitudine, per interualla dispersi sunt longa, adsueti victu vili & pauperrino. Et gentes quidem variæ hos incolunt tractus; quas nunc recensere, alio properans, superfluum puto. Illud tamen sciendum, inter has nationes pene ob asperitatem nimiam inaccessas, homines esse quosdam mites & pios, vt *Iaxartæ sunt & Galactophagi; quorum meminit vates Homerus in hoc versu, Γλακτοφάγων Ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων. Inter flumina vero multa quæ per has terras vel potiorib. iungit natura, vel lapsu post trahit in mare, Roemnus celebris est, & Iaxartes, & Talicus. Ciuitates autem non nisi tres solas habere noscuntur, Aspabota, & Cauriana, & Saga. Vltra hæc vtriusque Scythiæ loca, contra orientalem plagam, in orbis speciem consertæ celsorum aggerum summitates ambiunt *Seras*, vbertate regionum & amplitudine circumspectos: ab occidentali latere Scythis adnexos, a Septemtrione & orientali niuosæ solitudini cohærentes: qua meridiem spectant, adusque Indiam porrectos & Gangem. Appellantur autem iidem montes, Aria & Nazauitium, & Asmira, & Emodus, & Opurocarra. Hanc itaque planitiem, vndique prona decliuitate præruptam, terrasque lato situ distentas, duo famosi nominis flumina Oechardes & Banthisis lentiore meatu percurrunt. & dispar est tractuum diuersorum ingenium; hic patulum, alibi molli deuexitate subductum. ideoque satietate frugum, & pecoribus, & arbustis exuberant. Incolunt autem fœcundissimam glebam variæ gentes: e quibus Alitrophagi, & Carambusi, & *Sizyges, & Chardi, aquilonibus obiecti sunt & pruinis. exortum vero solis suspiciunt Rabannæ, & Asmiræ, & Essedones omnium splendidissimi: quibus Atharæ ab occidentali parte cohærent, & Aspatatæ: Betæ vero australi celsitudini montium acclinati, vrbibus licet non multis, magnis tamen celebrantur & opulentis: inter quas maxime Asmira, & Essedon, & Asparata, & Pheræ, nitidæ sunt & notissimæ. Agunt autem ipsi quietius Seres, armorum semper & prœliorum expertes; vtque hominibus sedatis & placidis est otium voluptabile, nulli finitimorum molesti: cæli apud eos iucunda salubrisque temperies, aeris facies munda, leniumq; ventorum commodissimus flatus, & abunde siluæ sublucidæ: a quibus arborum fœtus aquarum asperginibus crebris velut quædam vellera mollientes, ex lanugine & liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt: nentesque subtegmina, conficiunt sericum, ad vsus ante hac nobilium, nunc etiam infimorum sine vlla discretione proficiens. Ipsi præter alios frugalissimi, pacatioris vitæ cultores, vitantes reliquorum mortalium cœtus. Cumque ad coemenda fila vel quædam alia fluuium transierint aduenæ, nulla sermonum vice propositarum rerum pretia solis oculis æstimantur. Et ita sunt abstinentes, vt apud se tradentes *gignentia, nihil ipsi comparent aduectitium. *Ariani* viuunt post Seras, Boreæ obnoxii flatibus: quorum terras amnis vehendis sufficiens nauibus Arias perfluit nomine, faciens lacum ingentem eodem vocabulo dictitatum. Abundat autem hæc eadem Aria opidis: inter

quæ sunt celebres Bitaxa, Orbitana, & Sotera, & Nisibis, & Alexandria; vnde nauigatur ad Caspium mare quingenta stadia numerantur & mille. His locis *Paropamisadæ* sunt proximi, Indos ab oriente, Caucasumque ab occidentali latere prospectantes, ipsi quoque montium defectibus acclinati: quos residuis omnibus maior Ortogordomaris interluit fluuius, a Bactrianis exsurgens. Habent autem etiam ciuitates aliquas, quibus clariores sunt Gazaca, & Naulibis, & * Ortospana, vnde litorea nauigatio adusq; Mediæ fines portis proximos Caspiis, stadiorum sunt duo millia ducenta. Antedictis contigui sunt *Drangiani*, collibus cohærentes, *Arabum* nomine ideo appellati, quod inde exorti; interque alia duobus municipiis exsultantes, Prophthasia & Ariaspe, opulentis & claris. Post quos ex aduerso *Arachosia* visitur, dextrum vergens in latus Indis obiecta: quam ab Indo fluuiorum maximo, vnde regiones cognominatæ sunt, amnis multo minor exsurgens aquarum alluit amplitudine, efficitque paludem Arachotoscrenen appellatam. Hic quoque ciuitates sunt inter alias viles, Alexandria, & Arbaca, & Choaspa. In penitissima parte Persidos, *Gedrosia* est, dextra terminos contingens Indorum, inter minores alios Artabio vberior flumine: vbi montes deficiunt Barbitani; quorum ex pedibus imis emergentes alii fluuii, Indo miscentur, amittentes nomina magnitudine potioris. Ciuitates autem etiam hic sunt. Inter ciuitates præter insulas Sedratyra, & Γυναικῶν λιμὴν meliores residuis æstimantur. Ne igitur oræ maritimæ spatia alluentia Persidis extremitates per minutias demonstrantes, a proposito longius aberremus, id sufficiet dici, quod mare prætentum a Caspiis montibus per Boreum latus adusque memoratas angustias, nouem millium stadiorum: australe vero, ab ostiis Nili fluminis adusque principia Carmanorum, quatuordecim millium stadiorum numero definitur. Per has nationes dissonas & multiplices, hominum quoque diuersitates sunt, vt locorũ. Sed vt generaliter corpora describamus & mores, graciles pene sunt omnes, subnigri vel liuido colore pallentes, caprinis oculis torui, & superciliis in semiorbiũ speciem curuatis iunctisque; non indecoris barbis, capillisque prolixis hirsuti. Omnes tamen promiscue, vel inter epulas festosque dies, gladiis cincti cernuntur. Quem Græcorum veterum morem abiecisse primos Athenienses, Thucydides est auctor amplissimus. Effusius plerique soliti solui in venerem, ægreque contenti multitudine pellicum, puerilium stuprorum expertes, pro opibus quisq; adsciscens matrimonia, plura vel pauca. vnde apud eos per libidines varias caritas dispersa torpescit. Munditias conuiuiorum & luxum, maximeque potandi auiditatem vitantes, vt luem. Nec apud eos extra regales mensas hora est præstituta prandendi, sed venter vnicuique velut solarium est, eoque monente quod inciderit, editur. Nec quisquam post satietatem superfluos sibi ingerit cibos. Immane quantum restricti & cauti. vt inter hostiles hortos gradientes nonnunquam & vineta, nec cupiant aliquid nec contingant, venenorum & secretarum artium metu. Super his, nec stando mingens, nec ad requisita naturę secedens facile visitur Persa: ita obseruantius hæc aliaque pudenda declinat. Adeo autem dissoluti sunt, & artuum laxitate vagoque incessu iactitantes se, vt effœminatos existimes, quum sint acerrimi bellatores; sed magis artifices quam fortes, eminusq; terribiles: abundantes inanibus verbis, insanumque loquentes & ferum, magnidici, graues & tetri, minaces iuxta in aduersis rebus & prosperis, callidi, superbi, crudeles, vitæ necisque potestatem & in seruos & in plebeios vindicantes obscuros. Cutes viuis hominibus detrahunt particulatim vel solidas. Nec ministranti apud eos famulo mensæque adstanti hiscere vel loqui licet, vel spuere: ita * rostratis pellibus labra omnium vinciuntur. Leges apud eos impendio formidatæ. Inter quas diritate exsuperant latæ contra ingratos & desertores; & abominãdæ aliæ, per quas ob noxam vnius omnis propinquitas perit. Ad iudicandum autem vsu rerum spectati destinantur & integri, parum alienis consiliis indigentes: vnde nostram consuetudinem rident, quæ interdum facundos, iurisque publici peritissimos post indoctorum collocat terga. Nam quod supersedere corio damnati ob iniquitatem iudicis iudex alius cogebatur, aut finxit vetustas, aut olim recepta consuetudo cessauit. Militari cultu ac disciplina, præludiisque continuis rei castrensis & armaturæ, quam sæpius formauimus, metuẽdi vel exercitibus maximis, equitatus vir-

tute con-

nite confiſi, vbi deſudat nobilitas omnis & ſplendor. Pedites enim in ſpeciem myrmillonum contecti, iuſſa faciunt vt calones. Sequiturq; ſemper hæc turba tamquam addicta perenni ſeruitio, nec ſtipēdiis aliquando fulta nec donis. Et gentes plurimas præter eas quas abunde perdomuit, ſub iugum hæc natio miſerat; ita audax & ad pulueres Martios erudita, vt bellis ciuilibus externisq; adſidue vexaretur. Indumentis pleriq; eorum ita operiuntur lumine colorum fulgentibus vario, vt licet ſinus lateraq; diſſuta relinquant flatibus agitari ventorum, inter calceos tamen & verticem nihil videatur intectum. Armillis vti monilibusq; aureis, & gemmis, præcipue margaritis, quibus abundant, adſuefacti poſt Indiam victam & Crœſum. Res ſtatuit vt ſuper ortu lapidis huius pauca ſuccinctius explicentur. Apud Indos & Perſas *margaritæ* repetiuntur in teſtis marinis robuſtis & candidis, permixtione roris anni tempore præſtituto conceptæ. Cupientes enim velut coitum quemdam humoris, ex lunari aſpergine capiunt denſius oſcitando. Exindeq; *grauidæ, edunt minutas binas aut ternas, vel *uniones* [ideo] ſic appellatas quod eius *terræ conchulæ ſingulas aliquoties pariunt, ſed maiores. Idque indicium eſt ætheria potius deriuatione quam ſaginis pelagi hos oriri fœtus & veſci, quod guttæ matutini roris iiſdem infuſæ, claros efficiunt lapillos & teretes: veſpertini vero, fluxuoſos contra & rutilos, & maculoſos interdum. Minima autem vel magna pro qualitate hauſtuum, figurantur caſibus variatis. Concuſſæ vero ſæpiſſime metu fulgurum inaneſcunt, aut debilia pariunt, aut certe vitiis defluunt abortiuis. Capturas autem difficiles & periculoſas, & amplitudines pretiorum, illa efficit ratio, quod frequentari ſueta litora propter piſcantium inſidias declinantes, vt quidam coniiciunt, circa deuios ſcopulos, & marinorum canum receptacula deliteſcunt. Quod genus gemmæ etiam in Britannici ſeceſſibus maris gigni legique, licet dignitate diſpari, non ignoramus.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER VIGESIMVSQVARTVS.

POST exploratam alacritatem exercitus, vno pariq; ardore impenetrabilem principem ſuperari non poſſe, vſitato clamore teſtantis, Iulianus ſummæ rei finem imponendum maturius credens, extracta quiete nocturna itinerarium ſonare lituos iubet: præſtructiſq; omnibus quæ difficultates arduæ belli poſcebant, candente iam luce Aſſyrios fines ingreſſus, celſo præter alios ſpiritu obequitans ordinibus, æmulatione ſui cunctos ad officia fortitudinis incendebat. Vtq; ductor vſu & docilitate firmatus, metuens ne per locorum inſolentiam inſidiis caperetur occultis, agminibus incedere quadratis exorſus eſt. Excurſatores quidem quingentos & mille ſenſim præire diſpoſuit; qui cautius gradientes ex vtroq; latere, itidemque a fronte, nequis repentinus irrueret, proſpectabant. Ipſe vero medios pedites regens, quod erat totius roboris firmamentum, dextra legiones aliquas cum Neuita ſupercilia fluminis perſtringere iuſſit Euphratis. Cornu vero læuum cum equitum copiis Arintheo tradidit & *Ormiſdæ, ducendum confertius per plana camporum & mollia. Agmina vero poſtrema Dagalaiphus cogebat & Victor, vltimusque omnium Oſdruenæ dux Secundinus. Deinde vt hoſtibus, ſi erupiſſent vſquam, vel conſpicantibus procul timorem multitudinis maioris incuteret, laxatis cuneis iumenta dilatauit & homines, vt decimo pene lapide poſtremi diſpararentur a ſigniferis primis: quod arte mira ſæpe feciſſe Pyrrhus ille rex dicitur Epirotes, opportunis in locis caſtrametandi, armorumque ſpeciem diffundendi ex induſtria vel attenuandi perquam ſcientiſſimus; vt vbi veniſſet, plures æſtimarentur, aut pauci. Sarcinas vero & calones, & apparitionem imbellem, impedimentorumque genus omne, inter vtrumq; latus instituit procedentium *ordinum, nequa vi ſubita raperentur, vt ſæpe contingit, improtecta. Claſſis autem, licet per flumen ferebatur

adsiduis flexibus tortuosum, nec residere nec præcurrere sinebatur. Emenso itaque itinere bidui, prope ciuitatem venimus Doram, desertã marginibus amnis impositam; in quo loco greges ceruorum plures inuenti sunt. quorum alii confixi missilibus, alii ponderibus elisi remorum, ad satietatem omnes pauerunt: pars maxima, natatu adsueta, veloci alueo penetrato, incohibili cursu euasit ad solitudines notas. Exin itinere dierum quatuor leui peracto, vespera incedẽte, cum expeditis mille impositis nauibus, Lucillianus comes imperitia principis mittitur Anathan munimentum expugnaturus, quod, vt pleraque alia, circumluitur fluentis Euphratis: & nauibus, vt præceptum est, per opportuna dispersis, obsidebatur insula, nebulosa nocte obumbrante impetum clandestinum. Sed postquam venit lux certa, aquatum quidam egressus, visis subito hostibus, vlulabili clamore sublato excitos tumultuosis vocibus propugnatores armauit. Et mox specula quadam altissima explorato situ castrorum, quam ocissime duarum præsidio nauium amnem supermeat Imperator, pone sequentibus nauigiis multis, quæ obsidionales machinas aduehebant. Iamque muris propinquans, quum non absque discriminibus multis consideraret esse certandum, sermone cum leni, tum aspero & minaci hortabatur ad deditionem defensores: qui ad colloquium petito Ormisda, promissis eius & iuramentis illecti, multa sibi de lenitudine Romana spondebant. Denique præ se bouem coronatum agentes, (quod est apud eos susceptæ pacis indicium) descendere suppliciter: & statim omni munimento incenso, Pusæus eius præfectus, dux Ægypti postea, bonore tribunatus adfectus est. Reliqui vero cum caritatibus suis & supellectile, humaniore cultu ad Syriacam ciuitatem Chalcida transmissi sunt. Inter hos miles quidã, quum Maximianus perrupisset quondam Persicos fines, in his locis æger relictus, prima tum etiam lanugine iuuenis, (vt aiebat) vxores sortitus gentis ritu complures, cum numerosa sobole nunc senex incuruus, exsultans proditionisque auctor, ducebatur ad nostra, testibus adfirmans, & præscisse se olim, & prædixisse, quod centenario iam contiguus sepelietur in solo Romano. Post quæ Saraceni procursatores quosdam partis hostium obtulere lætissimo principi, & *iterum ad agenda similia sunt remissi. Acciderat aliud postridie dirum. Ventorum enim turbo exortus, pluresque vertigines concitans, ita confuderat omnia tecta, vt tabernacula multa *conciderent, & supini plerique milites sternerentur vel proni, spiritu stabilitatem vestigiis subuertente. Nec minus eodem die aliud periculosum euenit. Amne enim repente extra margines euagato, mersæ sunt quædam frumentariæ naues, cataractis auulsis, ad diffundendas reprimendasque aquas rigare suetas opere saxeo structis: quod vtrum per insidias an magnitudine acciderit fluentorum, sciri non potuit. Post præruptam incensamque vrbem omnium primam, & captiuos transmissos, certiore iam spe prouectus exercitus ad fiduciam, elatis vocibus in fauores principis consurgebat, adfore sibi etiam deinde cælestem existimans curam: & quia per regiones ignotas de obscuris erat suspectior cura, astus gentis & ludificandi varietas timebatur. Ideo Imperator nunc antesignanus, nunc agminibus cogendis insistens cum expeditis velitibus, ne quid lateret abstrusum, *frutecta squalida vallesque scrutabatur, licentiores militũ per longinqua discursus adfabilitate natiua prohibendo vel minis: hostiles tamen agros omni frugum genere diuites, cum segetibus & tuguriis inflammari permisit, ita demũ quum vsui necessaria abunde sibi quisque collegisset: & hoc modo sauciabatur salus hostium nesciorum. Bellatores enim libenter quæsitis dextris propriis vtebantur, alia virtutis suæ horrea repperisse existimantes, & læti quod vitæ quoque subsidiis adfluentes, alimenta seruabant quæ nauigiis vehebantur. Hic vino grauis quidam temerarius miles, & ad vlteriorem ripam nullo vrgente transgressus, in conspectu nostro ab hostibus captus, occisus est. Quibus tali casu patratis, ad castra peruenimus nomine Thilutha, in medio fluminis sita, locum immenso quodam vertice tumescentem, & potestate naturæ velut manu circumseptum humana: cuius ad deditionem incolæ tentati mollius, (vt decebat) quoniam asperitas edita vim superabat armorum, intempestiuam tunc defectionem esse firmabant: sed hactenus responderunt, quum interiora occupauerint protinus gradientes Romani, se quoque, vtpote regnorum sequelas, victoribus accessuros. Et post hæc prætermeantes

antes in ipsa mœnia, naues nostras cum verecundia quiete spectabant immobiles. Quo transito, quum ad munimentum aliud Achaiachalam nomine venissemus, fluminis circumitione vallatum, arduumque transcensu, confutati pari responso discessimus. Alia postridie castra ob muros inualidos derelicta prætereuntur incensa. Postera vero & insequenti die stadiis ducentis emensis, ventum est ad locum *Bataxmalcha. Vnde amne transito milliario septimo disparata Diacira inuaditur, ciuitas habitatoribus vacua, frumento & salibus nitidis plena: in qua templum alti culminis arci vidimus superpositum. qua incensa cæsisque mulieribus paucis quæ repertæ sunt, traiecto fonte scatente bitumine, Ozogardanam occupauimus oppidum, quod formidine aduenientis exercitus itidem deseruere cultores; in quo principis Traiani tribunal ostentabatur. Hac quoque exusta, biduo ad refectionem corporum dato, prope extremum noctis quæ secundum diem sequuta est, Surena post regem apud Persas promeritæ dignitatis, &*Malechus Podosaces nomine, phylarchus Saracenorum*Assanitarum, famosi nominis latro, omni sæuitia per nostros limites diu grassatus, structis Ormisdæ insidiis, (quem ad speculandum exiturum, incertum vnde præsenserant) ideo sunt tentamento frustrati, quod angusta fluminis interluuies & præalta transiri vado non potuit. Et primo lucis exordio, quum essent hostes iam in contuitu, visi tunc primitus, corusci galeis & horrentes *indutibus rigidis; milites in procinctum impetu veloci tendentes, eos inuolauere fortissime. Et quamuis arcus validis viribus flecterentur, & splendor ferri intermicans Romanorum metum augeret, ira tamen acuente virtutem, clypeorum densitate contecti, ne possint emittere coegerunt. Animatus huiuscemodi primitiis miles, ad vicum Macebracta peruenit, in quo semiruta *muri vestigia videbantur: qui priscis temporibus in spatia longa *protentus, munire ab externis incursibus Assyriam dicebatur. Hinc pars fluminis scinditur largis aquarum agminibus, ducens ad tractus Babylonios interiores, vsui agris futura & ciuitatibus circumiectis: alia, Naarmalcha nomine, quod *_fluuius regum_ interpretatur, Ctesiphonta prætermeat: cuius in exordio turris in modum phari celsior surgit. Hanc peditatus omnis pontibus caute digestis transiuit. Equites vero cum iumentis armati, clementiores gurgites fluminis obliquati transnarunt; *alii multitudine subita petiti telorum hostilium: quos egressi auxiliares ad cursuram leuissimi, fugientiumque ceruicibus insistentes, laniatu auium prostrauerunt. Quo negotio itidem gloriose perfecto, ad ciuitatem *Pyrisaboram ventum est, amplam & populosam, ambitu insulari circumuallatam. Cuius obequitans mœnia Imperator *& situm, obsidium omni cautela cœptabat: quasi sola formidine oppidanos a propugnandi studio submoturus. Quibus per colloquia sæpe tentatis, quum nec promissis quisquam flecteretur nec minis, suscipitur oppugnandi exordium. Et armatorum triplici corona circumdatis muris, die primo adusque noctis initium missilibus certabatur. Tum defensores animo præstantes & viribus per propugnacula ciliciis vndique laxius pansis, quæ telorum impetus cohiberent, obtecti scutis vimine firmissimo textis, & crudorum tergorum densitate vestitis, validissime resistebant, ferrea nimirum facie omni: quia laminę singulis membrorum liniamentis cohærenter aptatæ, fido operimento totam hominis speciem contegebant. Et aliquoties Ormisdæ & indigenæ & regalis colloquia petentes obnixe, propinquantem probris atque conuitiis vt male fidum incessebant & desertorem: ac lenta cauillatione diei maxima parte exempta, tenebrarum silentio primo multiformes admotæ sunt machinæ, cœptaque altitudo complanari fossarum. Quę vixdum ambigua luce defensores *intente contemplati, eo accedente quod angularē turrim ictus forauit arietis violentior, relictis ciuitatis duplicibus muris continentem occupant arcem, asperi montis interrupta planitie superpositam: cuius medietas in sublime consurgens, tereti ambitu Argolici scuti speciem ostendebat; nisi quod a septemtrione id quod rotunditati deerat, in Eupbratis fluēta proiectæ cautes eminentius ruebantur: in qua excellebant *minæ murorū, bitumine & coctilibus laterculis fabricatæ; quo in ædificii genere nihil tutius esse constat. Iamq. ferocior miles peruasa vrbe quam viderat vacuam, aduersus oppidanos ab arce multimoda tela fundentes acri contentione pugnabat. Quum enim iidem prohibitores catapultis nostrorum

vrgerentur atque balistis, ipsi quoq; ex edito arcus* erigebant, fortiter tensos: quibus panda vtrimq; surgentia cornua ita lentius flectebantur, vt nerui digitorum acti pulsibus violentis, arũdines ferratas emitterent; quæ corporibus illisæ contrariis, letaliter figebantur. Dimicabatur nihilominus vtrobiq; saxorũ manualiũ nimbis: & neutrobi inclinato momento, prœlium atrox a lucis ortu ad initium noctis destinatione magna protractũ, pari sorte diremptum est. Proinde die sequuto, quum certaretur asperrime, multiq; funderentur altrinsecus, & æquæ vires gesta librarent, Imperator omnes aleæ casus inter mutuas clades experiri festinãs, cuneatim stipatus, densatisq; clypeis ab ictu sagittarum defensus, veloci saltu comitantibus promptis, prope portã venit hostilem crasso ferro crustatam. Et licet saxis & glande ceterisq; telis cum periculo salutis premeretur, fodicare tamen paratos valuatum latera, vt aditum patefacerent vocibus increpans crebris, non ante discessit quam telorum congerie quæ superiaciebantur, se iam cerneret obruendũ. Euasit cum omnibus tamen, paucis leuius vulneratis, ipse innoxius verecundo rubore* perfusus. Legerat enim Æmilianũ Scipionem, cum historiarum conditore Polybio Megalopolitano Arcade, & triginta millibus, portam Carthaginis impetu simili subfodisse. Sed fides recepta scriptorũ veterum recens factũ defendit. Æmilianus enim testudine lapidea* tectam successerat portam; sub qua tutus & latens, dum moles saxeas detegunt hostes, vrbem nudatam irrupit. Iulianus vero locum patentem ingressus, obumbrata cæli facie fragmẽtis montiũ & missilibus, ægre inde repulsus abscessit. His raptim ac tumultuarie agitatis, quum operositas vinearum & aggerum impeditissima [a] ceteris vrgẽtibus cerneretur, machinam quæ cognominatur helepolis, iussit expeditius fabricari; qua, vt supra docuimus, rex vsus Demetrius, superatis opidis pluribus Poliorcetes appellatus est. Ad hanc molem ingentem, superaturam celsarum turrium minas, prohibitores oculorum acies intentius conferentes, iidemque instantiam obsidentium perpensantes, subito vertuntur ad preces, circumfusi per turres ac mœnium minas: & fidem Romanam pansis manibus protestantes, vitam cum venia postulabãt. Quumque cessasse opera & munitores nihil viderent tentare vlterius, (quod quietis erat indicium certum) copiam sibi dari conferendi sermonis cum Ormisda poscebant. Hocque impetrato Mamersides præsidiorum præfectus, demissus per funem, deductusque ad Imperatorem, vt obsecrauit, vita cum impunitate sibi consortibusque suis firmiter pacta, redire est permissus. Gestisque nuntiatis, plebs omnis vtriusque sexus, ad sententiam suam cunctis acceptis pace fœderata, cum religionum consecrationibus fidis, patefactis egreditur portis; salutarem genium adfulsisse sibi clamitans Cæsarem magnum & lenem. Numerata sunt autem deditiorum duo millia & quingenti. nam cetera multitudo, obsidium ante suspectans, nauigiis paruis permeato amne decessit. In hac arce armorum alimentorumque copia reperta est maxima: vnde necessariis sumptis, reliqua cum loco ipso exussere victores. Postera die quam hæc acta erant, perfertur ad Imperatorem cibos per otium capientem nuntius grauis, Surenam Persicum ducem, procursatorũ partis nostræ tres turmas inopinum aggressum, paucissimos trucidasse: inter quos strato tribuno vnum rapuisse vexillum. Statimque concitus ira immani, cum armigera manu festinatione ipsa tutissimus peruolauit: & grassatoribus fœda consternatione depulsis, residuos duos tribunos* sacramento soluit, vt desides & ignauos. Decem vero milites ex his qui fugerant, exauctoratos capitali addixit supplicio, sequutus veteres leges. Incensa denique vrbe, vt memoratum est, constructo tribunali insistens, actis gratiis* conuocato exercitu cunctos ad paria facienda deinceps hortabatur: & argenteos nummos centenos viritim pollicitus, quum ea* parcitate promissi percitos tumultuare sensisset, ad indignationem plenam grauitatis erectus, *En, inquit, Persæ circumfluentes rerum omnium copiis. Ditare nos poterit opimitas gentis, si vnum spirantibus animis, fortiter fecerimus. Ex immensis opibus egentissima est tamdem, credite, Romana respublica, per eos qui, vt augerent diuitias, docuerunt principes auro quiete a barbaris redempta redire. * Impetitum ærarium est, vrbes exinanitæ, populatæ prouinciæ: mihi nec facultates, nec propinquitas generis suppetit, quamuis ortus sim nobilis, præter pectus omni liberum metu: nec pudebit Imperatorem, cuncta bona in animi cultu ponentem, pro-*

fiteri

*fiteri paupertatem honestam. Nam & Fabricii familiari re pauperes, rexere bella grauissima, gloria locupletes. Hæc nobis cuncta poterunt abundare, si imperterriti, Deo meque, quantum humana ratio patitur, caute ductante, mitius egeritis. Sin resistitis, ad seditionum reuoluti dedecora pristinarum, pergite. Vt Imperatorem decet, ego solus confecto tantorum munerum cursu moriar stando, contempturus animam quam mihi febricula eripiet vna: aut certe discedam. nec enim ita vixi, vt non possim aliquando esse priuatus: præque me fero & *lætor ductores spectatissimos esse nobiscum, perfectos bellicarum omnigenere doctrinarum.* Hac modesta Imperatoris oratione, inter secunda & aspera *meante, miles pro tempore delinitus, adsumpta cum meliorum exspectatione fiducia, regibilem se fore pollicitus & morigerum, cunctorum adspirante consensu, auctoritatem eius sublimitatemque cordis extollebat in cælum: quod quum vere atque ex animo dicitur, solet amor ex crepitu* leui monstrati. Repetitis post hæc tentoriis, pro copia rei præsentis, *victu se recreauit & quiete nocturna. Animabat autem Iulianus exercitum, quum non per caritates, sed per inchoatam negotiorum magnitudinem deieraret adsidue, Sic sub iugum mitteret Persas, Ita quassatum recrearet orbem Romanum: vt Traianus fertur aliquoties iurando dicta consueuisse firmare; *Sic in prouinciarum speciem redactam videam Daciam, Sic pontibus Istrum* aut Euphratem superem,* & similia plurima. Post hæc decursis millibus passuum quatuordecim, ad locum quemdam ventum est, arua aquis abundantibus fœcundantem. Quo itinere nostros ituros Persæ prædocti, sublatis cataractis vndas euagari fusius permiserunt. Itaque humo late stagnante, altero die militi requie data, Imperator ipse progressus, constratis ponticulis multis & vtribus, *subliciisque nauibus, itidem confectis palmarũ trabibus, exercitum non sine difficultate traduxit. In his regionibus agri sunt plures consiti vineis, varioque pomorum genere: vbi oriri arbores adsuetæ palmarum, per spatia ampla adusque Mesenen & mare pertinent magnum, instar ingentium nemorum & quaqua incesserit quisquam, *termites & spadica cernit adsiduas: quorum ex fructu mellis & vini conficitur abundantia: & maritari palmæ ipsæ dicuntur, facileque sexus posse discerni: additur etiam, generare fœminas seminibus *illitas marium: feruntque eas amore mutuo delectari, hocque inde clarere, quod contra se vicissim nutantes, ne turgidis quidem flatibus auertuntur. & si ex more fœmina maris non illita fuerit semine, abortus vitio fœtus amittit intempestiuos. & siqua fœmina cuius arboris amore perculsa sit ignoretur, vnguento ipsius inficitur truncus, & arbor alia naturaliter odoris dulcedinem concipit; hisque indiciis velut coeundi quædam proditur fides. Qua cibi copia satur exercitus, plures prætergressus est insulas; & vbi formidabatur inopia, ibi timor saginæ grauis incessit. Sagittariorum denique hostilium impetu latenter tentatus, neque inultus, prope locum venit vbi pars maior Euphratis in riuos diffinditur multifidos. In hoc tractu ciuitas ob muros humiles ab incolis Iudæis deserta, iratorum manu militum conflagrauit. Quibus actis pergebat vlterius Imperator, placida ope numinis (vt arbitrabatur) erectior. Quumque *Maiozamalcham venisset, vrbem magnam & validis circumdatam mœnibus, tentoriis fixis prouidit sollicite ne castra repentino equitatus Persici turbarentur accursu: cuius fortitudo in locis patentibus immane quantum gentibus est formidata. Et hoc disposito, stipatus velitibus paucis, ipse quoque pedes, ciuitatis situm diligenti inquisitione exploraturus, in perniciosas præcipitatus insidias, ex ipso vitæ discrimine tandem emersit. Namque per latentem opidi portam Persæ decem armati digressi, imaque cliuorum peruadentes poplitibus subsidendo, repentino impetu nostros aggressi sunt. E quibus duo conspectiorem habitu principem gladiis petiere districtis: sed occurrit ictibus erectum latius scutum: quo contectus, magna elataque fiducia vnius lateri ferrum infixit: alterum stipatores multiplicatis ictibus occiderunt. residuis, e quibus vulnerati sunt aliqui, disiectis in fugam, spoliatisque ambobus, reducens incolumes socios cum exuuiis remeauit ad castra, omnium lætitia magna susceptus. Sustulit ab hoste prostrato aureum colli monile Torquatus: fudit confidentissimum Gallum altis propugnatione Valerius postea cognomento Coruinus: hacque gloria posteritati sunt commendati: non inuidemus: accedat hoc quoque monumentis veteribus faci-

nus pulcrum. Conſtratis poſtridie pontibus exercituque * traiecto, & metatis alibi ſalubrius caſtris vallo duplici circumductis, quoniam (vt diximus) timebantur ſolitudines planæ, opidi ſuscepit obſidium; periculoſum fore exiſtimans ſi gradiens prorſus a tergo relinqueret quos timeret. Hæc dum magno molimine comparantur, Surena hoſtium dux, iumenta adortus quæ in lucis palmaribus veſcebantur, a cohortibus noſtris repulſoris cum paucorum exitio habitus fruſtra, diſceſſit: & duarum incolæ ciuitatum, quas amnes amplexi faciunt inſulas, * pars ſui fiducia trepidi ad Cteſiphontis mœnia ſe contulerunt: pars per ſiluarum denſa, alii per paludes vicinas alueis arborum cauatarum inuecti, ad vnicum auxilium & potiſſimum itineris longi, quod ſupererat, dilabuntur, vlteriora petituri terrarum. E quibus reſiſtentes aliquos noſtri milites trucidabant, ipſi quoque lintribus & cymbis per varia diſcurrentes: captiuos alios ſubinde perducebant. Id enim erat librata ratione diſpoſitum, vt dum copiæ pedeſtres muros oppugnant, equeſtres turmæ diuiſæ per globos abigendis inſiſterent prædis. Hocque prouiſo, nullo prouincialium damno miles viſceribus hoſtium paſcebatur. Iamque Imperator muris duplicibus opidum, ordine circumdatum trino ſcutorum, ſpe patrandi incepti maximis viribus oppugnabat. Sed, vt erat neceſſarius appetitus, ita effectu res difficillima. nam acceſſus vndique rupibus anfractu celſiore * diſceſſis, flexuoſisque exceſſibus ob periculum anceps, adeundi copiam denegabat; maxime * quoniam turres crebritate & altitudine formidandæ, montem ſaxeum arcis naturaliter editum æquabant, & procliuis planities flumini imminens propugnaculorum firmitate muniebatur. Accidebat his haud leuius malum, quod lecta manus & copioſa quæ obſidebatur, nullis ad deditionem illecebris flectebatur; ſed tamquam ſuperatura, vel deuota cineribus patriæ, reſiſtebat aduerſis. Iam ægre retentabatur inferens ſe proteruius miles, & pugnam vel æquo campo iuſtoque prœlio poſcens: quumque receptui caneretur, adſiduc animoſis hoſtem vrgendi conatibus vrebatur. Vicit tamen noſtrorum * concilium contentionem virium maximam: diuiſisque operibus, officia quisque diſtributa capeſſit ociſſime. Hinc etenim ardui ſuggeſtus erigebantur, inde foſſarum altitudines alii complanabant: terrarum Ianbula concaua oblongis tramitibus alibi ſtruebantur. Locabant etiam artifices tormenta muralia, in funeſtos ſonitus proruptura. Et cuniculos quidem cum vineis Neuita & Dagalaiphus curabant: ineundis autem conflictibus, & defendendis ab incendio vel eruptionibus machinis, præerat Imperator. Quumque apparatu omni exſcindendæ vrbis labore multiplici conſummato pugna flagitaretur, Victor [nomine] dux reuerſus eſt aduſque Cteſiphonta itineribus exploratis, nulla obſtacula nuntians offendiſſe. Quo efferati gaudio milites omnes, elatique firmioribus animis ad certandum, ſignum opperiebantur armati. Iamq. clangore martio ſonantibus tubis ſtrepebant vtrimque partes: & primi Romani hoſtem vndiq; laminis ferreis in modum tenuis plumæ * contectum, fidentemq; quod tela rigentis ferri lapſibus impacta reſiliebant, crebris procurſationibus & minaci murmure laceſſebãt; nonnumquã compage ſcutorum, qua velut teſtudine infigurabiliũ fornicum operiebantur aptiſſime, adſiduis motibus laxius dehiſcente. Contra Perſæ muris obſtinatius adhærentes, quantum facere nitiq; poterant, claudere & fruſtrari exitiales impetus conabantur. Verum vbi vimineas crates præ ſe ferentes oppugnatores iam mœnia perurgerent, cum ſagittariis funditores, alii quinetiam ſaxa voluentes ingentia, cum facibus & malleolis eos longius propulſabant: tum aptatæ ligneis ſagittis baliſtæ flexu, ſtridore torquebantur, creberrima ſpicula funditantes: & ſcorpiones, quocumque manus perite duxiſſent, rotundos lapides euibrabant. Iterum deinde ac ſæpe geminatis congreſſibus, æſtus in meridiem creſcens, efferueſcente vaporatius ſole, apparatu operum & ſtudio prœliandi intentos cunctos, reuocauerat fatigatos & ſudore perfuſos. Eodem mentis propoſito ſequuto quoque die per varia certaminum genera controuerſæ partes dimicantes inſtanter, æquis manibus & pari fortuna diſcedunt. Verum * in omni diſcrimine armatis proximus princeps, ciuitatis vrgebat excidium, ne circa muros diu excubans, omitteret maiora quæ tentabat. Sed in diſtrictis neceſſitatibus nihil tam leue eſt quod non interdum etiam contra ſperata,

rerum

rerum adferat momenta magnarum. Quum enim ita vt sæpe discessuræ partes leuius concertarent, abusiuo incusso ariete, qui paulo ante erat admotus, sternitur residuis omnibus altior turris latere coctili firmissime structa; cuius ruina muri contiguum latus secum immani fragore protraxit. Ibi tum varietate casuum, obsidentium labor, obsessorumque industria, vicissim facinoribus speciosis inclaruit. Nihil enim asperum, ira & dolore succenso militi videbatur: nihil munitoribus erat pro salute currentibus metuendum aut dirum. Nam quum anceps pugna diutius feruens, sanguine vtrimque multis cædibus fuso, diei finisset occasu, tandem fatigationi consulitur. Dumque hæc luce agerentur ac palam, nuntiatur Imperatori peruigili cura distento, legionarios milites, quibus cuniculorum erant fodinæ mandatæ, cauatis tramitibus subterraneis, sublicisque suspensis, ima penetrasse fundamentorum, iam si ipse disposuerit, euasuros. Quum itaque noctis plerumque processisset, æneatorum occentu signo dato progrediendi, ad pugnam & ad arma concursum est: & cõsulto murorum inuaduntur vtrimque frontes, vt dum propulsarũ pericula defensores vltro citroque discurrunt, nec proxima fodientis audiretur ferri tinnitus, nec quoquam intrinsecus obsistente, cuniculariorum subita manus emergeret. Quibus ita vt conuenerat ordinatis, & occupatis prohibitoribus, patefactisque latebris, euolat* ex superius dictorum numero miles, post quem Magnus tribunus, & Iouianus notarius. quos audax multitudo sequuta, his prius confossis quos in æde per quam in lucem prodierant inuenerunt, suspensis gradibus procedentes, obtruncarunt vigiles omnes, ex vsu moris *gentici iustitiam felicitatemque regis sui canoris vocibus extollentes. Existimabatur Mars ipse (si misceri hominibus numina maiestatis iura permittunt) adfuisse castra Lucanorum inuadenti Luscino. Hocque ideo creditum est, quod in congressu flagranti scalas vehens visus formidandæ vastitatis armatus, postridie quum recenseretur exercitus, præcipuo studio quæsitus, reperiri non potuit: quum se vltro offerret, si miles fuisset, memorabilis conscius facti. sed vt tunc qui esset pulchri facinoris auctor, penitus est ignoratum, ita nunc eniruerunt hi qui fecere fortissime, obsidionalibus coronis donari, & pro concione laudari veterum more. Tamdem nudata reseratis aditibus multis, lapsura inuaditur ciuitas: & sine sexus discrimine vel ætatis, quidquid impetus reperit, potestas iratorum absumpsit. Alii exitii imminentis timore, quum hinc ignis, inde mucrones vrgerent, vltimum flentes, e muris acti sua sponte præcipites, membrisque omnibus infirmati, morte funestiorem vitam paulisper dum cæderentur, egerunt. Extractus autem est viuus cum satellitibus LXXX Nabdates præsidiorum magister: quem oblatum sibi cum aliis seruari iussit intactum serenus Imperator & clemens. Diuisa itaque, perpensis meritis & laboribus, præda, ipse (vt erat paruo contentus) mutum puerum oblatum sibi suscepit gesticularium, multa quæ callebat nutibus venustissimis explicantem, & tribus aureis nummis partæ victoriæ præmium iucundum (vt existimabat) & gratum. Ex virginibus autem quæ speciosæ sunt captæ, vt in Perside, vbi fœminarum pulchritudo excellit, nec contrectare aliquam voluit, nec videre: Alexandrum imitatus & Africanum, qui hæc declinabant, ne frangerentur cupiditate qui se inuictos a laboribus vbique præstiterunt. Inter hæc certamina nostræ partis architectus, cuius nomen non suppetit, post machinam scorpionis forte adsistens, reuerberato lapide quem artifex titubanter aptauerat fundæ, obliso pectore supinatus profudit animam, disiecta compage membrorum, adeo vt ne signa quidem totius corporis noscerentur. Exin profecto Imperatori index nuntiauerat certus, circa muros subuersi opidi fallaces foueas & obscuras (quales in tractibus illis sunt plurimæ) subsedisse manum insidiatricem latenter; vt improuiso inde adorta agminis nostri terga feriret extrema: confestimque ad extrahendam eam missi sunt compertæ fortitudinis pedites. Qui quum neque peruadere foraminum aditus, nec amandatos intus prolicere possent ad decernendum, collectam stipulam & sarmenta specuum faucibus aggesserunt. Vnde fumus angustius penetrans, ideoque spissior, quosdam vitalibus obstructis necauit: alios ignium afflatus *immixtus prodire in perniciem coegit abruptam. Et ita omnibus incendio ferroq; cõsumptis, ad signa repedauit ocius miles. Hoc modo

ciuitas ampla & populosa, virtute roboris excisa Romani, in puluerem concidit & ruinas. Post quæ tam gloriosa transitis pontibus multarum amnium concursu continuatis, ad munimenta gemina venimus, ædificiis cauatis exstructa. Vbi Victorem comitem exercitus præuium, a transitu fluminis regis filius progressus a Ctesiphonte cum optimatibus & multitudine armata prohibere conatus, cateruis sequentium militum visis abscessit. Pergentes itaque protinus ad lucos venimus, agrosque pube variorum seminum lætos: vbi reperta regia Romano more ædificata, quoniam id placuerat, mansit intacta. Erat etiam in hac eadem regione extentum spatium & rotundum, loricæ ambitu circumclausum, destinatas regiis voluptatibus continens feras, ceruicibus iubatis leones, armisque hispidos apros & vrsos (vt sunt Persici) vltra omnem rabiem sæuientes, & alia lecta immania corpora bestiarum: quas omnes diffractis portarum obiicibus, equites nostri venatoriis lanceis & missilium multitudine confoderunt. *Quæ loca pingui situ & cultu: quibus Coche, quam Seleuciam nominant, haud longius disparatur. vbi vallaris opere tumultuario castris, & exercitu omni per aquarum & pabuli opportuna biduo recreato, antegressus cum procursatoribus princeps, & ciuitatem desertam collustrans, facto principe quondam excisam, in qua perpetuus fons stagnum ingens eiectat, in Tigridem defluens, corpora vidit suffixa patibulis multa necessariorum eius quem prodidisse ciuitatem Pyrisaboram retulimus supra. Hic & Nabdates viuus exustus est, quem extractum cum LXXX, latebris expugnatæ docui ciuitatis; eo quod inter exordia obsidii cœpti clam pollicitus prodere, dimicauit acertime; adeptusque veniam insperatam, ad id proruperat insolentiæ, vt Ormisdam laceraret omnibus probris. Ita aliquantrum progressi, tristi percellimur facto. Dum enim tres procursatorum cohortes expeditius cum cuneo Persico decertarent, quem patefactis subito portis profuderat ciuitas, proruptores alii ex contraria fluminis ripa, iumenta nos sequentia, cum pabulatoribus paucis licenter palantibus, intercipiunt & obtruncant. Vnde profectus imperator iratus & frendens, iamque regionibus Ctesiphontis propinquans, celsum castellum offendit & munitissimum: ad quod explorandum ausus accedere, obscurior (vt ipse rebatur) cum paucis obequitatis muros, pauloq; auidius intra iactum telorum repertus, latere non potuit: statimq; diuersorum missilium nube exagitatus oppetisset tormento murali, ni vulnerato armigero qui lateri eius hærebat, ipse scutorum densitate cōtectus, euitato magno discrimine discessisset. Qua caussa concitus, immane munimentum disposuit obsidere, prohibitoribus acriter ad resistendum intentis, quod loco fidebant propemodum inaccesso, quodque rex cum ambitiosis copiis passibus citis incedens propediem adfore credebatur. Iamque vineis & residuis omnibus quæ poscebat obsidium paratis, vigilia secunda præcipiti, quum nox casu tunc lunari splendore nitens, his qui propugnaculis insistebant aperte cuncta monstraret, repēte in vnum pondus coacta multitudo, patefactis subito portis erupit: cohortemque nec opinantem adorta nostrorum, cecidit complures: inter quos etiam tribunus peremptus, periculum propulsare conatus. Quæ dum ita aguntur, pari modo, vt antea, Persæ ex aduersa fluminis ripa partem adorti nostrorum, interfectis quibusdam, viuos cepere nonnullos. & timore, simul quia venisse in maiorem numerum copiæ putabantur hostiles, egere tunc nostri segnius. sed vbi animis in audaciam restitutis armisque raptis inter tumultum, exercitus cantu concitus buccinatū, minaci murmure festinaret, eruptores perterriti, reuerterūt intacti: & Imperator ita grauiter permotus, reliquos ex ea cohorte qui abiecte sustinuerant impetum grassatorum, ad pedestrem compegit militiam; quæ onerosior est, dignitatibus imminutis. Flagrans post hæc ad eruendum castellum, vbi periclitatus est, operam conuertit & curam; nusquam ab antesignanis ipse digrediens; vt inter primos dimicans, militia ad fortiter faciendum esset exemplo, spectator probatorque gestorum. Quo inter discriminum vertices diu multumque versato, varietate munitionum atque telorum & conspiratione pugnatorum, idem castellum incenditur captum. Postque consideratis aspetitatibus antegestarum rerum &*impendentiū, requieuit exercitus labore nimio quassatus, mulus victui congruis adfatim distributis. Vallum tamen

men sudibus densis & fossarum altitudine cautius deinde struebatur; quum a vicina iam Ctesiphonte repentini excursus, & alia formidarentur occulta. Ventum est hinc ad fossile flumen Naarmalcha nomine, quod *amnis regum* interpretatur, tunc aridum. Id antehac Traianus, posteaque Seuerus, egesto solo fodiri in modum canalis amplissimi, studio curauerat summo; vt aquis illuc ab Euphrate transfusis, naues ad Tigridem commigrarent: tutissimumque ad omnia visum est eadem loca purgari, quæ quondam similia Persæ timentes, mole saxorum obruere multorum: hacque valle purgata, auulsis cataractis, vndarum multitudine classis secura stadiis xxx *repulsa, in alueum electa est Tigridis: & contextis illico pontibus, transgressus exercitus iter Cochen versus promouit. Vtque* lassitudini succederet quies opportuna, in agro consedimus opulento, arbustis & vitibus, & cupressorum viriditate lætissimo: cuius in medio diuersorium opacum est & amœnum, gentiles picturas per omnes ædium partes ostendens, regis bestias venatione multiplici trucidantis: nec enim apud eos pingitur vel fingitur aliud præter varias cædes & bella. Proinde cunctis ex sententia terminatis, Augustus altius iam contra difficultates omnes incedens, tantumq; a fortuna sperans nondum adflicta, vt propius temeritatem multa crebro auderet; validiores naues ex his quæ alimenta portabant & machinas, deoneratas octogenis impleuit armatis: retentoque secum classis robore firmiore, quam in tres diuiserat partes, vnam cum Victore comite quiete prima noctis emitti disposuit, vt flumine raptim transmisso ripæ occuparentur hostiles. Quod quum acri metu territi duces concordi precatu fieri prohibere tentarent, neque destinationem flecterent principis, sublato vexillo (vt iussum est) euolant e conspectu quinque subito naues: & quum ripas iam aduentarent, facibus & omni materia qua alitur ignis, petitæ adsiduis iactibus, cum militibus iam conflagrassent, ni veloci rigore pectoris excitus Imperator, signum sibi datum nostros, quod margines iam tenerent, vt mandatum est erexisse proclamans, classem omnem properare citis remigiis adegisset. Quo facto, & naues incolumes sunt receptæ, & residuus miles, quamquam saxis & varietate telorũ ex edito vexaretur, post concertationem acerrimam, præaltas ripas & arduas supergressus, stabat immobilis: Et miratur historia Rhodanũ arma & loricam retinẽte Sertorio transnatatũ; quum eo momẽto turbati quidam milites, veritique ne remanerent post signum erectum, scutis quæ patula sunt & incurua proni firmius adhærentes, eaque licet imperite tegendo, per voraginosum amnem velocitatem comitati sint nauium. Contra hæc Persæ obiecerunt instructas cataphractorum equitum turmas, sic confertas vt laminis aptati corporum flexus splendore præstringerent occursantes obtutus, operimẽtis scorteis equorum multitudine omni defensa: quorum in subsidiis locati manipuli peditum, contecti scutis oblongis & curuis, quæ texta vimine & corus crudis gestant, densius se commouebant. Post hos elephanti gradientiũ collium specie; motuque immanium corporum propinquantibus exitium intentabant, documentis præteritis formidati. Hinc Imperator cateruis peditum firmis medium inter acies spatium secundum Homericam dispositionem præstituit; ne locati priores, cedentesque, deformiter cunctos auerterent secum, aut postsignani pone omnes reiecti centurias, nullo retinente, licentius verterent terga; ipse cum leuis armaturæ auxiliis per prima postremaque discurrens. Ergo vbi vicissim contiguas esse cernerent partes, cristatis galeis corusci Romani, vibrantesque clypeos, velut pedis anapæsti præcinentibus modulis, lenius procedebant: & præpilatis missilibus per procursatores principiis pugnæ tentatis, excita vndique humus rapido turbine portabatur. Et quum vndique solito more conclamaretur, virorumque alacritatem sonantia classica iuuarent, hastis & mucronibus strictis, hinc inde comminus pugnabatur: sagittarum periculo miles erat immunis, quantum interiora festinatius occupabat: Inter quæ Iulianus pulsos fulcire subsidiis, incitareque tardantes, quasi conturmalis strenuus properabat & rector. Laxata itaque acies prima Persarum, leni & inconcito gradu calefactis armis territus gradiens, propinquam vrbem petebat: quam sequebatur miles itidem fessus, in campis torridis adusque diei finem a lucis ortu decernens: eiusque occipitiis pertinacius hærens, omnem cum Tigrane & Su-

rena & *Narse potissimis ducibus, adusque Ctesiphontis muros egit præcipitem, auersorum feriens suras & terga. Perrupissetq; ciuitatis aditus lapsorum agminibus mixtus, ni dux Victor nomine, manibus erectis prohibuisset & vocibus, ipse[&]humerum sagitta præstrictus, & timens ne intra mœnium ambitus rapidus miles incōsulte repertus, nullosque inueniens exitus, multitudinis pondere circumueniretur. Sonent Hectoreas poetæ veteres pugnas, fortitudinem Thessali ducis extollant: longæ loquantur ætates Sophanem & Aminiam & Callimachum, & Cynegirum, Medicorum in Græcia fulmina illa bellorum: non minus illo die quorumdam ex nostris inclaruisse virtutem, omnium confessione monstratur. Post timorem depositum, calcatasq; ruinas hostilium corporū, iusto sanguine miles etiamtum cruentus ad Imperatoris tentoria congregatus, laudes ei perhibebat & gratias, quod vbique ignoratus dux esset an miles magis, tum rem ita prospere gesserat, vt cæsis Persarum plus minusue duobus millibus & quingentis, LXX caderent soli nostrorum: qui appellans plerosq; nominatim, quos stabili mente aliquid clarū fecisse ipse arbiter prospexit, naualibus coronis donauit, ciuicis, & castrēsibus. Abunde ratus post hæc prosperitates similes aduentare, complures hostias Marti parabat vltori. & ex tauris pulcherrimis decem ad hoc perductis, nondum aris admoti voluntate sua nouem procubuere tristissimi: decimus vero, qui diffractis vinculis lapsus, ægre reductus est, mactatus ominosa signa monstrauit. Quibus visis exclamauit indignatus acriter Iulianus, Iouemque testatus est, nulla Marti iam facta facturum: nec* resecrauit celeri morte præreptus. Digesto itaque consilio cum primatibus super Ctesiphontis obsidio, itum est in voluntatem quorumdam, facinus audax & importunū esse noscentium id aggredi: quod & ciuitas situ ipso inexpugnabili defendebatur, & cum metuenda multitudine protinus rex adfore credebatur. Vicit sententia melior. cuius vtilitate princeps sollertissimus adprobata, Arintheum cum manu peditū expedita ad populandas regiones circumsitas misit, armentis lætas & frugibus hostes pari persequuturū industria: quos dispalatos nuper densi tramites & latebræ texere notissimæ. . . . . . . *Sed ille, auidæ semper ad vlteriora cupiditatis, parui habitis vetantium dictis, & increpitis optimatibus quod ob inertiam otiique desiderium amitti suaderent prope iam parta regna Persidis: flumine læua relicto, infaustis ductoribus prævius, mediterraneas vias arripere cito proposuit gradu; & tamquam funesta face Bellonæ subiectis ignibus, exuri cunctas iusserat naues, præter minores duodecim, quas profuturas pangendis pontibus disposuit vehi carpentis: idque putabat vtiliter ordinasse, ne relicta classis vsui hostibus foret, aut certe, vt ab expeditionis primordio factum est, armatorum fere viginti millia in trahendis occuparentur iisdem nauibus & regendis. Dein quum metuens sibi quisque mussaret, monstraretque perspicua veritas, quod repulsus forsitan ariditate vel altitudine montium ad aquas redire non poterit miles, tortique perfugæ aperte faterentur se fefellisse, concursu maximo exstingui iussæ sunt flammæ. Et quoniam ignis auctus immaniter plerasque consumpsit, duodecim tantummodo naues potuerunt intactæ seruari: quæ, vt possint custodiri, discretæ sunt. Hoc casu classe, quum non oporteret abolita, Iulianus consociato fretus exercitu, quum armatorum nulli per diuersa* distinerentur, numero potior ad interiora tendebat, alimenta adfatim opulentis suggerentibus locis. Quo cognito, hostes, vt inedia nos cruciarent, herbas cum adultis segetibus incēderunt: & conflagratione procedere vetiti, statiuis castris, dum flammæ senescerent, nitebamur: insultantesque nobis longius Persæ, nunc de industria se diffundebant, aliquoties consertius resistentes: vt procul conspicantibus viderentur aduenisse iam regis auxilia, ideoque eos æstimaremus erupisse ad audaces excursus & insolita tentamenta. Mœrebat tamen ob hæc Imperator & miles, quod nec contabulandi pontis erat facultas amissis nauibus temere, nec occurri poterat hostis aduentitii motibus; quem adesse *coruscans nitor indicabat armorum, arte pro singulis membris inflexus. Hisque accidebat aliud haud exiguum malum; quod adminicula quæ præstolabamur cum Arsace & nostris ducibus, apparebant ob caussas impedita prædictas. Has ob res vt solaretur anxios milites princeps, captiuos graciles suapte natura, vt omnes pene sunt Persæ, & macie iam confectos,

iussit

iussit in medium duci; nostrosque respiciens, *En*, inquit, *quos martia ista pectora viros existimant, deformes illuuie capellas & tetras, vtque crebri docuerunt euentus, antequam manus conferant, abiectis armis vertentes semet in fugam.* Quibus dictis, remotisque captiuis, super rerum summa consultabatur: & multis vltro citroque dictitatis, quum reuerti debere per loca quę venimus, plebs vociferaretur imprudẽs, resistebat intentius princeps, multis cum eo nequaquam fieri posse monstrantibus, per effusam planitiem pabulo absumpto & frugibus, vicorumque reliquiis exustorum inopia squalentibus vltima: quodque liquentibus iam brumæ pruinis omne immaduerat solum, & *ruptis riparum terminis aucti inhorruere torrentes. *Ergo etiam ad difficultatem accedente negotii, quod per eas terras vapore sideris calescentes, muscarum & culicum multitudine referta sunt omnia, earumque volatu dies & astrorum noctu micantium facies obumbratur: quum nihil humani proficerent sensus, diu fluctuantes & dubii, exstructis aris cæsisque hostiis consulta numinum scitabamur, vtrum nos per Assyriam reuerti censerent, an præter radices montium lenius gradientes, Chiliocomum prope Corduenam sitam ex improuiso vastare: quorum neutrum extis inspectis confore dicebatur. Sedit tamen sententia, vt omni spe meliorum succisa, Corduenam arriperemus: & XVI calend. Iulias promotis iam signis, *progresso iam lucis exordio, fumus vel vis quædam turbinata pulueris apparebat; vt opinari daretur, asinorum esse greges agrestium, quorum multitudo in tractibus est illis innumera, ideo simul incedens, vt constipatione densa feroces leonum frustraretur adsultus. quidam arbitrabantur Sacenæ duces aduentare, iam nostris rumoribus percitos, quod Imperator Ctesiphonta magnis viribus oppugnaret: nonnulli, Persas *nouis motibus incubuisse sitmabant. Ideo inter hæc ita ambigua, nequid aduersum accideret reuocantibus agmina classicis, in valle graminea prope riuum, multiplicato scutorum ordine, in orbiculatam figuram metatis tutius quieuimus castris. nec enim adusque vesperam aere concreto discerni potuit quidnam esset quod his squalidius videbatur.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER VIGESIMVSQVINTVS.

ET hanc quidem noctem nullo siderum fulgore splendentem, vt solet in arctis rebus & dubiis, exegimus, nec sedere quoquã auso, nec flectere in quietem lumina præ timore. Vbi vero primum dies inclaruit, radiantes loricæ *niueis lymbis circumdatæ, ferrei & corusci thoraces longe prospecti, adesse regis copias indicabãt. Hocque viso accensum properantem congredi militem, dirimẽte fluuio breui, prohibuit Imperator: & non procul a vallo ipso inter excursatores nostros & Persicos prœlio acri conserto, Machameus cecidit, ductor vnius agminis nostri. cui propugnaturus Maurus frater, dux postea Phœnices, quum germani trucidasset interfectorem, obuium quemq; perterrens infirmatus & ipse humerum telo, pallescentẽ morte propinqua Machameum extrahere pugna viribus *valuit magnis: & quum satisfecerent vix toleranda æstuum magnitudine crebrisq; cõgressibus partes, ad vltimum hostiles turmæ graui sunt repulsa discussæ. Hinc recedẽtibus nobis longius, Saraceni nostrorum metu peditum repedare compulsi, paulo postea iuncti Persarum multitudine, ocius irruebant, Romana impedimenta rapturi. verum viso Imperatore, ad alas subsidiarias reuerterunt. Qua ex regione profecti, ad Hucumbram nomine villam peruenimus. vbi per biduum omnibus ad vsum congruis, & satietate quæsita frumenti, vltra spem recreati discessimus: & confestim, absq; his quæ tempus vehi permisit, reliqua flammis exusta sunt. Postridie exercitu sedatius procedente, extremos qui eo die forte cogendorum agminum officia sustinebant, nec opinantes Persæ adorti, negotio leui interfecissent, ni proximus equitatus noster

patulas valles late diffusus, tantam molem discriminis vulneratis qui superuenerant repulisset. In hac cecidit pugna Adaces nobilis satrapa, legatus quondam ad Constantium principem missus, ac benigne susceptus cuius exuuiis interfector Iuliano oblatis, remuneratus est, vt *decebat. Eodem die *Tertiacorum equestris numerus a legionibus incusatus est, quod quum ipse hostiũ aduersas irrumperẽt acies, illi paulatim dilapsi, alacritatem pene totius minuissent exercitus. Vnde ad indignationem iustam Imperator erectus, ademptis signis hastisque diffractis, omnes eos qui fugisse arguebantur, inter impedimenta & sarcinas & captiuos agere iter imposuit, ductore eorum qui solus fortiter decertarat, *aliæ turmæ apposito cuius tribunus turpiter prœlium deseruisse conuincebatur. Abiecti sunt autem sacramento etiam alii quatuor, ob flagitium simile vexillationum tribuni. Hoc enim correctionis moderamine leniori, impendentium consideratione difficultarum, contentus est Imperator. Progressi itaque stadia LXX, attenuata rerum omnium copia, herbis frumentisque crematis, ex flammis ipsis captas fruges & pabula, vt quisq; vehere potuit, conseruauit. Hoc etiam loco relicto, quum ad tractum *maranga appellatũ omnis venisset exercitus, prope lucis confinia immensa Persarum apparuit multitudo, cum Merene equestris magistro militiæ, filiisque regis duobus, & optimatibus plurimis. Erant autem omnes cateruæ ferratæ, ita per singula membra densis laminis tectæ, vt iuncturæ rigentes compagibus artuum cõuenirent: humanorumque vultuum simulacra ita capitibus diligenter aptata, vt imbracteatis corporibus solidis, ibi tantum incidentia tela possint hærere qua per cauernas minutas, & orbibus oculorum affixas, parcius visitur, vel per supremitates narium angusti spiritus emittuntur. quorum pars contis dimicatura stabat immobilis, vt retinaculis æreis fixam existimares: iuxtaque sagittarii (cuius artis fiducia ab incunabulis ipsis gens prævaluit maxima) tendebant diuaricatis brachiis flexiles arcus, vt nerui mammas *perstringerent dextera, spicula sinistris manibus cohærerent: summaque peritia digitorum pulsibus argutum sonantes arundines euolabant, vulnera perniciosa portantes. Post hos elephantorum fulgentium formidandam speciem & truculentos hiatus vix mentes pauidæ perferebant: ad quorum stridorem odoremque & insuetum aspectum magis equi terrebantur: quibus insidentes magistri, manubriatos cultros dexteris manibus illigatos gestabant, acceptæ apud Nisibin memores cladis: & si ferociens animal vires exsuperasset regentis, ne reuectum per suos, vt tunc acciderat, collisam sterneret plebẽ, vertebram quæ caput a ceruice disterminat, ictu maximo terebrabant. Exploratum est enim aliquando ab Hasdrubale Annibalis fratre, ita citius vitam huiusmodi adimi beluarum. Quibus non sine magno terrore perspectis, stipatus armatarum cohortium globis cum primatibus fidentissimus Imperator, vt flagitabat maior vis & *trucior, lunari acie, sinuatisque lateribus occursuros hosti manipulos instruebat. Et ne sagittariorum procursus nostrorum cuneos disiectaret, illatis concitatius signis, spiculorum impetum fregit: datoque ad decernendum solenniter signo, densati Romani pedites confertas hostium frontes nisu protruserunt acerrimo. & feruente certaminum mole, clypeorum sonitus & virorum armorumque lugubre sibilantium fragor, nihil perpetiens iam remissum, campos cruore & corporum strage contexit, effusius cadentibus Persis; quibus sæpe languidis in conflictu artius pes pede collatus grauiter obsistebat; pugnare fortiter eminus consuetis, & si inclinatas suorum copias senserint, cedendo in modum imbrium pone versus directis sagittis hostes a persequendi fiducia deterrere. Pulsis igitur pondere magnarum virium Parthis, miles solis cursu flammeo diu lassatus, signo in receptum dato, tentoria *repetit, ad audenda deinceps maiora sublatus. In hoc prœlio Persarum maior (vt dictum est) apparuit strages, nostrorum admodum leuis. Eminuit tamen inter varios certaminum casus Veteranionis mors, viri pugnacis, qui legionem *Ziannorum regebat. Postque triduo induciis destinato, dum suo quisque vulneri medetur vel proximi, commeatibus nos destitutos inedia cruciabat iam non ferenda: & quoniam frugibus exustis & pabulis homines in discrimen vltimum veneram & iumenta, ex eo cibo quem animalia tribunorum vehebant & comitum, imæ quoque militum plebi penitus indigenti

pars distributa est magna. Et Imperatori cui non cupediæ ciborum ex regio more, sed sub columellis tabernaculi parcius cœnaturo, pultis portio parabatur exigua, etiam muneri fastidienda gregario, quidquid ad ministeria* parabatur, per contubernia paupertina sui securus egessit. Ipse autem ad sollicitam suspensamque quietem paulisper protractus, quum somno (vt solebat) depulso, ad æmulationem Cæsaris Iulii quædam sub pellibus scribentis, obscuræ noctis altitudine sententiis cuiusdam Philosophi teneretur: vidit squalidius (vt confessus est proximis) speciem illam genii publici, quam quum ad augustum surgeret culmen, conspexit in Galliis, velata cum [capite] cornu copia per aulæa tristius discedentem. Et quamquam ad momentum hæsit stupore defixus, omni tamen superior metu, ventura decretis cælestibus commendabat: relictoque humi strato cubili, adulta iam excitus nocte, numinibus per sacra depulsoria supplicans, flagrantissimam facem cadenti similem visam, aeris parte sulcata euanuisse existimauit: horroreque perfusus est, ne ita aperte minax Martis apparuerit sidus. Erat autem nitor igneus iste quem διάσσοντας nos appellamus: nec cadens vnquam, nec terram contingens. Corpora enim qui credit cælitus posse labi, profanus merito iudicatur & demens. Fit autem hic habitus modis compluribus; e quibus sufficiet pauca monstrare. Scintillas quidam putant ab æthereo candentes vigore, paruumq; porrectius tendere sufficientes, exstingui, vel certe radiorum flammas iniectas nubibus densis acri scintillare contactu, aut quum lumen aliquod cohæserit nubi. Id enim in stellæ speciem figuratum, decurrit quidem dum viribus ignium sustentatur: amplitudine vero spatiorum exinanitum, in æstum soluitur corpus, ad substantiam migrans cuius attritu incaluit nimio. Confestim itaque ante lucis primitias Etrusci aruspices accersiti, consulti quid astri species portenderet noua, vitandum esse cautissime responderunt, quidquid tunc tentaretur, ex* Tarquitianis libris in titulo De rebus diuinis, id relatum esse demonstrantes, quod face in cælo visa, committi prœlium vel simile quidquam non* oporteat. Quo etiam id inter multa alia spernente, orabant aruspices saltem aliquot horis profectionem differri. Et ne hoc quidem sunt adepti, Imperatore omni vaticinandi scientiæ reluctante: sed exorto iam die, promota sunt castra. Hinc nos egressos, Persæ, quum sæpe afflicti peditum stabilem pugnam horrerent, structis insidiis, occulte comitabantur, altrinsecus viantes cateruas a celsis collibus explorando: vt id suspicans miles adusq; perpetuum diem nec vallum erigeret, nec sudibus se communiret. Dumque teguntur firmiter latera, & exercitus pro locorum situ quadratis quidem sed laxis incedit agminibus, inuasa subito terga pone versus arma cogentium, principi indicatur, etiamtum inermi ad speculanda anteriora progresso. Qua concitus clade, oblitus loricæ, scuto inter tumultum adrepto, properans vltimis ferre suppetias, reuocatur alio motu, qui etiam antesignanos, vnde decesserat, paria perpeti nuntiabat. Quæ dum sine respectu periculi sui redintegrare festinat, ex alia parte cataphractorum Parthicus globus centurias adoritur medias: ac sinistro cornu inclinato acriter superfusus, fœtorem elephantorum stridoremque impatienter tolerantibus nostris, contis & multiplicatis missilibus decernebat. Verum principe volitante inter prima discrimina prœliorum, exsiliuit nostra succinctior armatura; auersorumque Persarum & beluarum suffragines concidebat & dorsa. Quos quum Iulianus cauendi immemor, diffluxisse trepidos elatis vociferando manibus aperte demonstrans, irasque sequentium excitans, *audenter effunderet semet in pugnam, clamabant hinc inde candidati quos disiecerat terror, vt fugientium molem, tamquam ruinam male compositi culminis, declinaret: & incertum subita equestris hasta; cute brachii eius præstricta, costis perfossis hæsit in ima iecoris fibra. Quam dum auellere dextera manu conatur, acuto vtrimque ferro digitorum neruos sensit excisos: & prouolutus iumento, præsentiumque veloci concursu relatus in castra, medicinæ ministeriis fouebatur. Moxque vbi lenito paulisper dolore timere desiit, magno spiritu contra *exitium certans, arma poscebat & equum: vt reuiso prœlio suorum fiduciam repararet, ac videretur, sui securus, alienæ salutis sollicitudine vehementer adstringi: eo vigore, licet in negotio dispari, quo Epaminondas ille dux inclytus, letaliter apud Mantineam saucius & * reuersus ex acie, conquirebat sollicite scutum: quod

quum vidisset propius, lætior vi vulneris interiit; & qui animam intrepidus amittebat, iacturam clypei formidauit. Sed quum vires parum sufficerent voluntati, sanguinisque profluuio vexaretur, mansit immobilis: ideo spe deinceps viuendi absumpta, quod percontando Phrygiam appellari locum vbi ceciderat comperit. Hic enim obiturum se, præscripta audierat sorte. Reducto ad tentoria principe, incredibile dictu est quanto ardore miles ad vindictam ira & dolore feruentior inuolabat, hastas ad scuta concrepans; etiam mori, si tulisset sors, obstinatus. Et quamuis offundebatur oculis altitudo pulueris, & æstus calescens officeret alacritati membrorum, tamen velut exauctoratus, amisso ductore sine parcimonia ruebat in ferrum. Contra animosius Persæ sagittarum volantium crebritate conspectum solis rapiebant, oppositis elephantis: qui tardius gradientes, magnitudine corporum cristatumque horrore pauorem iumentis incutiebant & viris. Concursus itaque armatorum & cadentium gemitus, equorum flatus, tinnitus ferri, procul audiebatur; quamdiu satietate vulnerum partibus fessis, nox diremit certamina iam tenebrosa. Quinquaginta tum Persarum optimates & satrapæ cum plebe maxima ceciderunt, inter has turbas Merene & Nohodare potissimis ducibus interfectis. Obstupescat magniloquentia vetustatis diuersis in locis prœlia XX Marcelli: Siccium Dentatum adiciat ornatum militarium multitudine coronatum: miretur super his Sergium, qui vicies & ter vulneratus est in variis pugnis, vt ferunt; cuius posteritatis vltimus Catilina claras gloriatum adoreas sempiternis maculis obumbrauit. Deformabat tamen tristitia lætiores euentus. Dum enim hæc post discessum ducis vbique aguntur, exercitus cornu dextro defatigato, & Anatolio interfecto, qui tunc erat officiorum magister, Sallustius præfectus actus in exitium præceps, & opera sui apparitoris ereptus, * Phosphorio amisso consiliario, qui ei aderat, casu euasit & fuga: quidamque milites, per multa discrimina occupato castelli vicini præsidio, post diem denique tertium iungi exercitui potuerunt. Quæ dum ita aguntur, Iulianus in tabernaculo iacens, circumstantes alloquutus est demissos & tristes: *Aduenit, o socii, nunc abeundi tempus e vita, impendio tempestiuum, quam reposcenti naturæ, vt debitor bona fidei, redditurus exsulto; non (vt quidam opinantur) adflictus & mærens; philosophorum sententia generali perdoctus quantum corpore sit beatior animus; & contemplans, quoties conditio melior a deteriore secernitur, lætandum esse potius quam dolendum: illud quoque aduertens, quod etiam dii cælestes quibusdam piissimis mortem tamquam summum præmium persoluerunt. Munus autem id mihi delatum optime scio, ne difficultatibus succumberem arduis. neue me proiiciam vmquam aut prosternam, expertus quod dolores omnes vt insultant ignauis, ita persistentibus cedunt. Nec me gestorum pœnitet, aut grauis flagitii recordatio stringit, vel quum in vmbra & angulis * emendarer, vel post principatum susceptum: tamquam a cognatione cælitum defluentem, immaculatum (vt existimo) conseruaui, & ciuilia moderatius regens, & examinatis rationibus bella inferens & repellens tametsi prosperitas simul vtilitasque consultorum non vbique concordent, quoniam cœptorum euentus superæ sibi vindicant potestates. Reputans autem iustis esse finem imperii, obedientium commodum & salutem, ad tranquilliora semper (vt nostis) propensior fui, licentiam omnem actibus meis exterminans, rerum corruptricem & morum, gaudensque nedum sciens, vbicumque velut imperiosa parens consideratis periculis obiecit respubl. steti fundatus, turbines calcare fortuitorum adsuefactus. Nec fateri pudebit, interiturum me ferro dudum didici, fide fatidica præcinente. Ideoque sempiternum veneror numen, quod non clandestinis insidiis, nec longa morborum asperitate, vel delicatorum fine decedo; sed in medio cursu florentium gloriarum, hunc merui clarum e * medio digressum. Aequo enim iudicio iuxta timidus est & ignauus, qui quum non oportet, mori desiderat; & qui refugiat quum sit opportunum. Hactenus loqui, vigore virium labente sufficiat. Super Imperatore vero creando, caute reticeo; ne per imprudentiam dignum prætereum; aut nominatum quem habilem reor, anteposito forsitan alio, in discrimen vltimum trudam: vt alumnus autem reip. frugi, opto bonum post me reperiri rectorem.* Post hæc placide dicta, familiares opes iunctioribus velut supremo distribuens studio, Anatolium quæsiuit officiorum magistrum: quem quum beatum fuisse Sallustius respondisset præfectus, intellexit occisum: acriterque amici casum ingemuit, qui elate ante contem-

ſperat ſuum. Et flentes inter hæc omnes qui aderant, auctoritate etiam tum integra increpabat; humile eſſe, cælo ſideribusque conciliatum lugeri principem, dicens. Quibus ideo iam ſilentibus, ipſe cum Maximo & Priſco philoſophis ſuper animorũ ſublimitate perplexius diſputans, hiante latius ſuffoſſi lateris vulnere, & ſpiritum tumore cohibente venarum, epota gelida aqua, quam petiit medio noctis horrore, vita facilius eſt abſolutus, anno ætatis altero & triceſimo: natus apud Conſtantinopolim, a pueritia vſque parentis obitu deſtitutus Conſtantii; quem poſt fratris Conſtantini exceſſum, inter complures alios turba conſumpſit imperii ſucceſſorem; & Baſilina matre, iam inde a maioribus nobili: vir profecto heroicis connumerandus ingeniis, claritudine rerum & coalita maieſtate conſpicuus. Quum enim ſint, vt ſapientes definiunt, virtutes quatuor præcipuæ, temperantia, prudentia, iuſtitia, fortitudo, eisq; *accedentes extrinſecus aliæ, ſcientia rei militaris, auctoritas, felicitas atq; liberalitas: intento ſtudio coluit omnes vt ſingulas. Et primum ita inuiolata caſtitate enituit, vt poſt amiſſam coniugem, nihil vnquam venereum attingeret: illud aduertens quod apud Platonem legitur, Sophoclem tragœdiarum ſcriptorem ætate grandæuum interrogatum, ecquid adhuc fœminis miſceretur, negantem id adieciſſe, quod gauderet harum rerum amorem vt rabioſum quemdam effugiſſe dominum & crudelem. Item vt hoc propoſitum validius confirmaret, recolebat ſæpe dictum lyrici Bachylidis, quem legebat iucunde, id aſſerentis quod, vt egregius pictor vultum ſpecioſum effingit, ita pudicitia celſius conſurgentem vitam exornat. Quam labem in adulto robore iuuentutis ita caute vitauit, vt ne ſuſpicione quidem tenus libidinis vllius, vel * ſecretioris vitæ miniſtris incuſaretur, vt ſæpe contingit. Hoc autem temperantiæ genus immanis iuuit parcimonia ciborum & ſomni; quibus domi foriſque tenacius vtebatur. Namque in pace eius menſarum tenuitas erat recte noſcentibus admiranda, velut ad pallium mox reuerſuri. Per varios autem procinctus, ſtans interdum, more militiæ, cibum breuem vilemque ſumere viſebatur. Vbi vero exigua dormiendi quiete recreaſſet corpus laboribus induratum, expergefactus explorabat per ſemetipſum vigiliarum vices & ſtationum, poſt hæc ſeria ad *arces confugiens doctrinarum. Et ſi nocturna lumina inter quæ lucubrabat, potuiſſent *voce vlla teſtari, profecto *oſtenderant inter hunc & quoſdam principes multum intereſſe, quem norant voluptatibus ne ad neceſſitatem quidem indulſiſſe naturæ. Dein prudẽtiæ eius indicia fuere vel plurima; e quibus explicari ſufficiet pauca. Armatæ rei ſcientiſſimus, & togatæ ciuilitati admodum ſtudens, tantum ſibi arrogans quantum a contemptu & inſolentia diſtare exiſtimabat: virtute ſenior quam ætate, ſtudioſus cognitionũ omnium. & indeclinabilis aliquoties iudex *cenſor moribus regendis acerrimus, placidus opum contemptor, mortalia cuncta deſpiciens. Poſtremo id prædicabat, Turpe eſſe ſapienti, quum habeat animũ, captare laudes ex corpore. Quibus autem iuſtitiæ inclaruit bonis, multa ſignificant: primo, quod erat pro rerum omnium diſtinctione ſine crudelitate terribilis: deinde quod paucorum diſcrimine vitia cohibebat; tum autem, quod minabatur ferro potius quam vtebatur. Poſtremo, vt multa prætereeam, conſtat eum in apertos aliquos inimicos inſidiatores ſuos, ita conſurrexiſſe mitiſſime, vt pœnarum aſperitatem genuina lenitudine caſtigaret. Fortitudinem certaminum crebritas vſusq; bellorum oſtendit, & patientia frigorum immanium & feruoris quoq;. Corporis munus, a milite; ab Imperatore vero, animi poſcitur. Ipſe trucem hoſtem ictu confecit, audacter congreſſus: ac noſtros cedẽtes, *obiecto pectore ſuo, aliquoties cohibuit ſolus: regnaq; furentiũ Germanorum exſcindens, & in puluere vaporato Perſidis, augebat fiduciam militis dimicans inter primos. Caſtrenſium negotiorum ſcientiam plura declarant & nota, ciuitatum oppugnationes & caſtellorum, inter ipſos diſcriminum vertices acies figura multiformi compoſitæ, ſalubriter & caute caſtra metata, *prætenturæ ſtationesque agrariæ totis rationibus ordinatæ. Auctoritas adeo valuit, vt dilectus artiſſime, dum timetur, ac ſi periculorum ſocius & laborum; & inter concertationes acerrimas animaduerti iuberet in deſides; & Cæſar adhuc ſine ſtipendio regeret militem feris oppoſitum gentibus, vt dudum eſt dictum, alloquutusq; tumentes armatos, diſceſſurũ ad vitam minaretur priuatam, ni tumultuari deſiſterent. Denique

id pro multis nosse sufficiet; exhortatum eum supplici concione militem Gallicanum pruinis adsuetum & Rheno, peragratis spatiis regionum extentis, per tepentem Assyriam adusque confinia traxisse Medorum. Felicitas ita eminuit, vt ipsis quodammodo ceruicibus fortunæ aliquamdiu bonæ gubernatricis euectus, victoriosis cursibus difficultates superaret immensas. Et postquam ex occidua plaga digressus est, quoad fuit in terris, quieuere nationes omnes immobiles, ac si quodam caduceo leniente mundano. Liberalitatis eius testimonia plurima sunt & verissima: inter quæ indicta sunt tributorum admodum leuia, coronarium indultum, remissa debita multa diuturnitate congesta, æquata fisci iurgia cum priuatis, vectigalia ciuitatibus restituta cum fundis, absque his quos velut iure vendidere præteritæ potestates: quodque numquam augendæ pecuniæ cupidus fuit, quam cautius apud dominos seruari existimabat, id aliquoties prædicans, Alexandrum Magnum, vbi haberet thesauros interrogatum, *apud amicos*, beneuole respondisse. Digestis bonis quæ scire potuimus, nunc ad explicanda eius vitia veniamus; licet dicta sunt carptim. Lentioris ingenii: verum hoc instituto rectissimo temperabat, emendari se quum deuiaret a fruge bona, permittens. Linguæ fusioris, & admodum raro silentis: præsagiorum sciscitationi nimiæ deditus: vt æquiparare videretur in hac parte principem Hadrianum: superstitiosus magis quam sacrorum legitimus obseruator: innumeras sine parcimonia pecudes mactans: vt æstimaretur, si reuertisset de Parthis, boues iam defuturos: Marci illius similis Cæsaris, in quem id accepimus dictū; Οἱ λευκοὶ βόες Μάρκῳ τῷ Καίσαρι· Ἂν σὺ νικήσῃς, ἡμεῖς ἀπωλόμεθα. Vulgi plausibus lætus: laudum etiam ex minimis rebus intemperans appetitor; popularitatis cupiditate cum indignis loqui sæpe adfectans. Verumtamen quum hæc essent, æstimari poterat (vt ipse aiebat) vetus illa iustitia, quam offensam vitiis hominum Aratus extollit in cælum, eo imperante redisse rursus ad terras; ni quædam ad arbitrium agens, interdum ostenderet se dissimilem sui. Namque & iura condidit non molesta, absolutæ quædam iubentia fieri vel arcentia, præter pauca. inter quæ erat inclemens, quod docere vetuit magistros rhetoricos & grammaticos Christianos,* ne transirent a numinum cultu. Illud quoque itidem parum ferendum, quod municipalium ordinum cœtibus patiebatur iniuste quosdam adnecti, vel peregrinos, vel ab his consortiis priuilegiis aut origine longe discretos. Figura talis vtique membrorum: Mediocris erat staturæ, capillis, tamquam pexisset, mollibus, hirsuta barba in acutum desinente vestitus; venustate oculorum micantium flagrans, qui mentis eius angustias indicabant; superciliis decoris, & naso rectissimo, ore paulo maiore, labro inferiore* diuiso; opima & incurua ceruice, humeris vastis & latis, ab ipso capite vsque ad vnguium summitates, liniamentorum recta compage, vnde viribus valebat & cursu. Et quoniam eum obtrectatores nouos bellorū tumultus ad perniciem rei communis insimulant concitasse, sciant* docente veritate perspicue, non Iulianum sed Constantium ardores* Parthicos succendisse, quum Metrodori mendaciis auidius acquiescit, (vt dudum retulimus plene) vindictæ siti ad indignationem excitum: vbi nostri capti militares aliquoties numeri, vrbes excisæ, rapta munimenta vel diruta, prouinciæ grauibus impensis exhaustæ, & ad effectum tendentibus minis cuncta petebantur a Persis adusq; Bithynos & litora Propontidis. At in Galliis bellorum tenore gliscente, diffusis per nostra Germanis, iamque Alpibus ad vastandam Italiam perrumpendis, multa & nefanda perpessis hominibus nihil præter lacrymas supererat & terrores: vbi & præteritorum recordatio erat acerba, & exspectatio tristior impendentium. Quæ omnia iuuenis iste, ad occiduam plagam specie Cæsaris missus, regesque pro mancipiis agitans ignobilibus, cuncta pene mira dictu celeritate correxit. Itaque vt orientem pari studio recrearet, adortus est Persas; triumphum exinde relaturus & cognomentum, si consiliis eius & factis illustribus decreta cælestia congruissent. Et quum sciamus experimento adeo quosdam ruere improuidos, vt bella interdum victi, & naufragi repetant maria, & ad difficultates redeant quibus succubuere sæpissime, sunt qui reprehendant paria repetisse principem vbique victorem. Nec fuit post hæc lamentis aut fletibus locus. Corpore enim curato pro copia rerum & temporis, vt vbi olim ipse statuerat, conderetur: principio

lucis sequutæ, quæ erat quintum calend. Iulias, hostibus ex omni latere circumfusis, collecti duces exercitus, aduocatisque legionum principiis & turmarum, super creando principe consultabant. Discissisque studiis turbulentis, Arintheus & Victor, & e palatio Constantii residui, de parte sua quemdam habilem scrutabantur: contra Neuita & Dagalaiphus proceresque Gallorum, virum talem ex commilitio suo quæritabant. Quæ dum ambiguntur, nulla variante sententia, itum est voluntate omnium ad Sallustium. Eoque caussante morbos & senectutem honoratam, aliquis miles aduertens destinatius reluctantem, *Et quid ageretis*, ait, *si id bellum vobis commisisset absens, vt sæpe factum est, Imperator? Nonne posthabitis ceteris, militem instantibus ærumnis eriperetis? Id nunc agite: &, si Mesopotamiam videre licuerit, vtriusque exercitus consociata suffragia legitimum principem declarabunt.* Inter has exiguas ad tantam rem moras, nondum pensatis sententiis, *stimulantibus paucis, vt in rebus extremis est factum sæpe, IOVIANVS eligitur Imperator, *domesticorũ ordinis primus, paternis meritis mediocriter commendabilis. Erat enim Varroniani notissimi comitis filius, haud dudum post depositum militiæ munus ad tranquilliora vitæ digressi. Et confestim indumentis circumdatus principalibus, subitoque productus e tabernaculo, per agmina iam discurrebat proficisci parantia. Et quoniám acies adusque lapidem quartum porrigebatur, antesignani, clamare quosdam Iouianum audientes Augustum, eadem multo magis sonabant: gentilitate enim prope perciti nominis, quod *vna litera discernebat, Iulianum recreatum arbitrati sunt deduci magnis fauoribus, vt solebat. Verum quum incuruus ille visus & longior aduentaret, suspicati quod acciderat, in lacrymas effusi sunt omnes atque luctum. Quod si grauis quidam æquitatis *præuaricator in vltimo rerum spiritu factum criminatur improuide, nauticos idem iustius incusabit, amisso perito nauigãdi magistro, sæuientibus flabris & mari, quod clauos regendæ nauis cuilibet periculi socio commiserunt. His ita cæco quodam iudicio fortunæ peractis, Iouianorum signifer, quos Varronianus rexerat, dudum cum nouo diffidens principe, etiamtum priuato, vt patris eius obtrectator immoderatus, periculum ex inimico metuens iam communia supergresso, discessit ad Persas: ac data dicendi copia quæ sciret, docet Saporem iam propinquantem, exstincto quem verebatur, turbine concitato calonum ad vmbram imperii Iouianum adhuc protectorem adscitum, inertem quemdam & mollem. Hoc ille audito, quod semper trepidis votis expetebat, & inopina prosperitate elatus, multitudine ex regio equitatu adiuncta his qui dimicauere nobiscum, celeri disposuit gradu agminis nostri inuadi terga. Postremumque, dum vltro citroque ordinantur *hostiæ pro Iouiano, extis inspectis pronuntiatum, cum omnia perditurum si intra vallum remansisset, vt cogitabat; superiorem vero fore, profectum. Proinde egredi iam cœptantes adoriuntur nos elephantis præuiis Persæ. Ad quorum fremitum accessumque terribilem equis inter initia turbatis & viris, Iouiani & Herculani occisis beluis paucis, cataphractis equitibus acriter restiterunt. Deinde legiones Iouiorum atque Victorum, laborantibus suis ferentes auxilium, elephantes duos strauerunt cum hostium plebe non parua. Et in læuo prœlio viri periere fortissimi, Iulianus & Macrobius & Maximus legionum tribuni, quæ tunc primas exercitus obtinebant. Hisque sepultis, vt rerum angustiæ permiserunt, prope confinia noctis, quum ad castellum *Sumece nomine citis passibus tenderemus, iacens Anatolii corpus est *agnitum; quod tumultuaria opera terræ mandatum est. Hic & milites sexaginta cum palatinis recepimus; quos in munimentum *Vaccatum confugisse retulimus. Sequuto inde die pro captu locorum aperta in valle castra ponuntur, velut murali ambitu circumclausa præter vnum exitum, eumdemque patentem, vndique in modum mucronum præacutis sudibus fixis. Hocque viso, e saltibus nos hostes diuersitate telorum, ac verbis turpibus incessebant vt perfidos, & lectissimi principis peremptores: audierãt enim, ipsis quoq; referentibus transfugis, rumore iactato incerto, Iulianum telo cecidisse Romano. Ausi denique inter hæc equitum cunei, porta perrupta prætoria, prope ipsum tabernaculum principis aduenire, occisis multis suorum & vulneratis, vi repulsi sunt magna. Egressi exinde, proxima nocte *Charcham occu-

pauimus, locum ideo tutum quod riparum aggeribus humana manu destructis, ne Saraceni deinceps Assyriam persultarent, nostrorum agmina nullus vt ante vexabat. Quumq; his cal Iulii stadiis triginta confectis, ciuitatem nomine *Duram aduentaremus, fatigatis iumentis, vectores eorum nouissimi pedibus incedentes, a Saracena multitudine circumsepti protinus interissent, ni expeditiores turmæ nostrorū opem laborantibus attulissent. Hos autem Saracenos ideo patiebamur infestos, quod salaria muneraque plurima Iuliano ad similitudinem præteriti temporis accipere vetiti, questique apud eum, solum audierant, Imperatorem bellicosum & vigilantem ferrum habere, non aurum. In hoc loco Persarum obstinatione tritum est quatriduum. Nam progredientes nos sequebantur, crebris lacessitionibus retrahentes: quum staremus vt pugnaturi, gradum sensim referentes, moris diuturnis excruciabant. Iamque (vt solent extrema metuentibus etiam ficta placere) fama circumlata, fines haud procul limitum esse nostrorum, exercitus vociferans immodeste, dari sibi copiam transeundi Tigridis flagitabat. Quibus oppositus cum rectoribus Imperator, tumentemque iam canis exortu sideris amnem ostendens, ne se periculosis committerent gurgitibus, exorabat: nandi imperitos esse complures adserens; simulq; adiiciens, hostiles manus hinc inde margines superfusi fluminis occupasse. Sed quum hæc sæpe congeminando refragaretur incassum, milesque conclamans magno contentionis fragore minaretur extrema, *edicit Imperator vt sistatur agmen, & adsueti nare Galli amnem primi omnium penetrarent: vt iis magnitudine fluentorum abreptis, residuorū pertinacia frangeretur; aut, si id perfecissent innocui, transitus fidentior tentaretur. Electique sunt ad id negotium habiles, qui maxima præ ceteris flumina transmeare in regionibus genuinis a prima pueritia sunt instituti: & quum latendi copiam nocturna quies daret, tamquā e transenna simul emissi, spe citius ripas occupauere contrarias: Persarumque conculcatis pluribus & truncatis, quos loca seruare dispositos, securitas placido vinxerat somno, efficacis audaciæ signum elatis manibus contortisque spiculis ostendebant. Hoc longe conspecto, ardens ad transitum miles ea mora tantummodo tenebatur, quod vtribus e cæsorum animalium coriis coagmentare pontem architecti promittebant. Quædum vanis conatibus agitantur, rex Sapor & procul absens, & quum prope venisset, exploratorum perfugarumq; veris vocibus docebatur fortia facta nostrorum, fœdas suorum strages, & elephantes quot numquam rex ante meminerat, interfectos: exercitumque Romanum, continuis laboribus induratum, post casum gloriosi rectoris non saluti suæ, vt memorabat cōsulere, sed vindictæ; difficultatemq; rerum instantium aut victoria summa aut morte memorabili finiturum. Ob quæ reputabat multa & formidanda: diffusum abunde militem per prouinciales leui tessera colligi posse expertus, & sciens populum suum post amissam maximam plebem vltimis terroribus deformatum; simul comperiens, in Mesopotamia relictum haud multo minorem exercitum. Quæ super omnia, hebetarunt eius anxiam mentem vno pariq; natatu quingenti viri transgressi tumidum flumen incolumes, custodibusque confossis reliquos consortes suos ad similem fiduciam concitantes. Hæc inter, quum neque pontes compaginari paterentur vndæ torrentes, & absumptis omnibus quæ *mandi poterant vtilibus, exacto miserabiliter biduo, furebat inedia iraq; percitus miles, [potiusq;] ferro properans quam fame ignauissimo genere mortis absumi. Erat tamen pro nobis æternum Dei cælestis numen: & Persæ præter sperata priores super fundanda pace oratores Surenam & optimatem alium mittunt: animos ipsi quoq; despondentes, quos omnibus pene prœliis pars Romana superior grauius quassabat indies. Conditiones autem ferebant difficiles & perplexas: fingentes, humanorum respectu, reliquias exercitus redire sinere clementissimum regem, quæ iubet, si impleuerit cum primatibus Cæsar. Contra hos cum Sallustio præfecto mittitur Arintheus: & dum deliberatur examinatius quid fieri deberet, dies quatuor sunt euoluti inedia cruciabiles, & omni supplicio tristiores. Quo temporis spatio, antequam hi mitterentur, si abusus princeps paulatim terris hostilibus excessisset, profecto venisset ad præsidia Corduenæ, & vberis regionis & nostræ, ex eo loco in quo hæc agebantur centesimo lapide disparatæ. Petebat autem rex ob-

rex obstinatius (vt ipse aiebat) sua, dudum a Maximiano erepta; vt docebat autem negotium, pro redemptione nostra; quinque regiones Transtigritanas, *Arzanenam & Moxoenam & Zabdicenam, itidemque *Rhehimenam & Corduenam tum castellis quindecim, & Nisibin & Singaram, & castra Maurorum, munimentum perquam opportunum. Et quum pugnari decies expediret, ne horum quidquam dederetur, adulatorum globus instabat timido principi, Procopii metuendū subserens nomen, eumque adfirmans, nisi rediret, cognito Iuliani interitu, cum intacto milite quem regebat, nouas res nullo renitente facile moliturum. Hac perniciosa verborum ille adsiduitate nimia succensus, sine contatione tradidit omnia quæ petebantur; difficile hoc adeptus vt Nisibis & Singâra sine incolis transirent in iura Persarum; a munimentis vero alienandis reuerti ad nostra præsidia [&] Romana permitterentur. Quibus exitiale aliud accessit & impium, ne post hæc ita composita, Arsaci poscenti contra Persas ferretur auxilium, amico nobis semper & fido: quod ratione gemina cogitatum est, vt puniretur homo qui Chiliocomum mandato vastauerat principis, & vt remaneret occasio per quam subinde licenter inuaderetur Armenia. Vnde postea contigit vt viuus caperetur idem Arsaces, & Armeniæ maximum latus Medis conterminans, & Artaxata, inter dissensiones & turbamenta raperent Parthi. Quo ignobili decreto firmato, nequid committeretur per inducias contrarium pactis, obsidatus specie viri celebres altrinsecus dantur; *Neuita & Victor ex parte nostrorum, & Mellobaudes, insignium numerorum tribuni: ex parte vero diuersa Bineses, e numero nobilium optimatum, tresque alii satrapæ non obscuri. Fœderata ita pace annorum triginta, eaque iurisiurandi religionibus consecrata, reuersi itineribus aliis, quoniā loca contigua flumini vt confragosa vitabantur & aspera, potus inopia premebamur & cibi. Et pax specie humanitatis indulta, in perniciem est versa multorum; qui fame adusque spiritum lacerati postremum, ideoque latenter progressi, aut imperiria nandi gurgite fluminis absorbebantur; aut si vndarum vi superata venitent ad ripas, a Saracenis vel Persis, quos (vt diximus) paulo ante exturbauere Germani, cædebantur vt pecora, vel longius amandati sunt venumdandi. Vbi vero transeundi amnis aperte signum dedere buccinæ concrepantes, immane quo quantoque ardore temere rapiendo momenta periculorum, semet quisque reliquis omnibus anteponens, vitare multa & terribilia festinabat: & pars cratibus temere textis iumenta retinentes hinc inde natantia, alii supersidentes vtribus, quidam diuersa in necessitatis abrupto versantes, vndarum occursantium fluctus obliquis meatibus penetrabant. Imperator ipse breuibus lembis, quos post exustam classem docuimus remansisse, cum paucis transuectus, eadem nauigia vltro citroque discurrere statuit, dum omnes conueheremur. Tandemque vniuersi, præter mersos, ad vlteriores venimus margines, fauore superi numinis, discrimine per difficiles casus exstracti. Dum nos pendentium ærumnarum opprimit timor, compertum est procursatorum indicio, Persas pontem iungere procul e nostro conspectu; vt post firmatam pacem & fœdera, sopitis belli turbinibus, incuriosius gradientes ægros, & animalia peterent diu defatigata. Verum quum se proditos aduertissent, a conatu nefario destiterunt. Hac etiam suspicione iam liberi, properantesque itineribus magnis, prope *Hatram venimus, vetus opidum in media solitudine positum, olimque desertum; quod eruendum adorti temporibus variis Traianus & Seuerus principes bellicosi, cum exercitibus pene deleti sunt; vt in eorum actibus has quoque digessimus partes. Vnde cognito per porrectam planitiem adusque lapidem septuagesimum, in regionibus aridis nec aquam inueniri posse præter salsam & fœtidam, nec ad victum aliquid nisi abrotonum & absinthium & dracontion, aliaque herbarum genera tristissima, vasa quæ portabāt, aquis impleta sunt dulcibus: & mactatis camelis iumētisque aliis, alimenta quæsita sunt, licet noxia. Et via sex dierū emensa, quum ne gramina quidem inuenirentur solatia necessitatis extremæ, dux Mesopotamiæ Cassianus, & tribunus Mauricius pridem ob hoc missus, ad Vr nomine Persicum venere castellum, cibos ferentes ex his quos relictus cum Procopio & Sebastiano exercitus parcius victitans conseruarat. Hinc Procopius alter notarius, & *Memorius

militaris tribunus, ad tractus Illyricos mittuntur & Galliarum, nuntiaturi Iuliani mortem, & Iouianum post eius obitum ad culmen augustum euectum. Quibus mandauerat princeps, vt Lucillianum socerum suum, post depositum militiæ munus digressum ad otium, morantemque eo tempore apud Sirmium, oblatis magisterii equitum & peditum codicillis, quos iisdem tradiderat, properare Mediolanum vrgerent, res firmaturum ancipites; &, quod magis metuebatur, si casus quidam noui exsurgerent, opponendum. Quibus secretiores addiderat litteras, Lucillianum itidem monens vt quosdam lectos exploratæ industriæ fideique duceret secum, adminiculis eorum vsurus pro incidentium captu negotiorum. Prudentique consilio Malarichum ex familiaribus negotiis agentem etiamtum in Italia, missis insignibus *Iouino iussit succedere armorum magistro per Gallias; gemina vtilitate præspeculata; vt & dux meriti celsioris, ideoque suspectus, abiret e medio; & homo inferioris spei ad sublimiora prouectus, auctoris sui nutantem adhuc statum studio fundaret ingenti. Iussum est autem ad implenda hæc perrecturis, extollere seriem gestorum in melius, & rumores quaqua irent breues diffundere, concinentes, procinctum Parthicum exitu prospero terminatum: additisque festinando itineri noctibus, prouinciarum militiæque rectoribus insinuare noui principis scripta; omniumque sententiis occultius sciscitatis, remeare velociter cum responsis; vt comperto quid in longinquis agatur, principatus roborandi matura consilia quærantur & cauta. Hos tabellarios fama prægrediens, index tristium casuum velocissime per prouincias volitabat: & gentes, maximeque omnium Nisibenos, acerbo dolore perculsit, quum vrbem Sapori deditam comperissent: cuius iram metuebant & simultates, recolentes quæ assidue pertulerit funera eam sæpius oppugnare conatus. Constabat enim orbem eoum in dicionē potuisse transire Persidis, nisi hæc ciuitas habili situ & mœnium magnitudine restitisset. Miseri tamen licet maiore venturi pauore constringerentur, spe tamen sustentari potuerunt exigua; hac scilicet, quod vel suopte motu, vel exoratus eorum precibus Imperator eodem statu retinebit vrbem, orientis firmissimum claustrum. Dum gestorum seriem vbique rumores diffunditant varii, in exercitu absumptis commeatibus paucis, quos aduectos prædiximus, in corpora sua necessitas erat humana vertenda, ni iumentorum caro cæsorum aliquatenus perdurasset. vnde effectum est vt & armorum pleraque proiicerentur & sarcinarum. Adeo enim atroci tabuimus fame, vt si vsquam modius vnius farinæ fuisset repertus, (quod raro contigerat) aureis decem mutaretur, vt minus. Profecti exinde *Thilsaphata venimus: vbi Sebastianus atque Procopius cum tribunis principiisque militum sibi ad tuendam Mesopotamiam commissorum, vt poscebat solennitas, occurrerunt, & sequebantur benigne suscepti. Post quæ itinere festinato, Nisibi cupide visa, extra vrbem statiua castra posuit princeps: rogatusq; enixe precante multiplici plebe, vt ingressus palatium more succederet principum, pertinaciter reluctatus est; erubescens agente se intra muros, vrbem inexpugnabilem iratis hostibus tradi. Ibi tunc vespera tenebrante, raptus a cœna * Iouianus, primus inter notarios omnes, quem obsidione ciuitatis Maiozamalchæ per cuniculum docuimus euasisse cum aliis, ductusque deuium ad locum, & præceps actus in puteum siccum, obrutus est saxorum multitudine superiecta: hanc profecto ob caussam quod Iuliano perempto, ipse quoque nominatus a paucis vt imperio dignus; nec post creatum Iouianum egit modeste, sed susurrans super negotio quædam audiebatur, inuitabatque ad conuiuia subinde militares. Postridie Bineses vnus ex Persis, quem inter alios excellere diximus, mandata regis complere festinans, promissa flagitabat instanter: & principe permittente Romano ciuitatem ingressus, gentis suæ signum ab arce extulit, commigrationem e patria ciuibus nuntians luctuosam. Et vertere solum extemplo omnes præcepti, manus tendentes orabant, ne imponeretur sibi necessitas abscedendi; ad defendendos penates se solos sufficere sine alimentis publicis adfirmantes & milite; satis confisi ad futuram iustitiam pro genitali sede dimicaturis, vt experti sunt sæpe. Et * sic quidem suppliciter ordo & populus precabatur: sed ventis loquebatur incassum, Imperatore, vt fingebat alia metuens, periurii piacula

declinan-

declinante. Tum Sabinus fortuna & genere inter municipes clarus, ore volubili replicabat, Constantium immani crudescente bellorum materia superatum a Persis interdum; deductumque postremo per fugam cum paucis ad Hibitam stationem intutam, panis frusto vixisse precario ab anu quadam agresti porrecto; nihil tamen ad diem perdidisse supremum: & Iouianum inter exordia principatus prouinciarum muro cessisse, cuius obice iam inde a vetustate innoxiæ permãserunt. Quumq; nihil promoueretur, iurisiurandi religionem principe destinatius prætendente, quum oblatam ei coronam aliquamdiu recusans coactus denique suscepisset, Siluanus quidam caussarum defensor confidentius exclamans, *Ita*, inquit, *Imperator a ciuitatibus residuis coroneris.* Quo verbo exasperatus, intra triduum omnes iussit excedere mœnibus, detestantes rerum præsentium statum. Appositis itaque compulsoribus, mortem, siqui distulerint egredi, minitantibus, mœnia permixta sunt lamentis & luctu, & per omnia ciuitatis membra vna vox cunctorum erat gementium, quum laceraret crines matrona exsul fuganda laribus in quibus nata erat & educata, orbataque mater liberis & coniuge viduata, procul ab eorum manibus pelleretur: & turba flebilis postes penatum amplexa vel limina lacrymabat. Exin variæ complentur viæ, qua quisque poterat dilabentium: properando enim multi furabantur opes proprias quas vehi posse credebant, contempta reliquã supellectili pretiosa & multa: hanc enim relinquebant penuria iumentorum. Tu hoc loco fortuna orbis Romani merito incusaris, quæ difflantibus procellis remp. excussa regimenta periro rei gerendæ ductori, consummando iuueni porrexisti; quem nullis ante actæ vitæ insignibus in huiusmodi negotiis cognitum, nec vituperari est æquum nec laudari. Illud tamen ad medullas vsque bonorum peruenit, quod dum extimescit æmulum potestatis, dumque in animo Gallias & Illyricum versat, quosdam sæpe sublimiora cœptasse, famam aduentus sui præuenire festinans, indignum imperio facinus amictu periurii fugiendi commisit, Nisibi perdita: quæ iam inde a Mithridatici regni temporibus, ne orientis a Persis occuparetur, viribus restitit maximis. Numquam enim ab vrbis ortu inueniri potest, annalibus replicatis, vt arbitror, terrarum partes vllas nostrarum ab Imperatore vel COS. hosti concessas. & ne ob recepta quidem quæ direpta sunt, verum ob amplificata regna, triumphales glorias fuisse delatas. Vnde P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, Fuluio Capua post diuturna certamina superata, & Opimio post diuersos exitus prœliorum, Fregellanis tunc internecíuis hostibus ad deditionem compulsis, *triumphi sunt denegati. Id etiam memoriæ nos veteres docent: in extremis casibus icta cum *ductore fœdera, postquam partes verbis iurauere conceptis, repetitione bellorum illico dissoluta: vt temporibus priscis apud furcas Caudinas sub iugum legionibus missis in Samnio, & [per Albinum in Numidia sceleste pace cogitata, & auctore turpiter pactionis festinatæ] Mancino dedito Numantinis. Proinde extractis ciuibus, & vrbe tradita, missoque tribuno Constantio, qui munimenta præsidiaria cum regionibus Persicis optimatibus adsignaret; cum Iuliani supremis Procopius mittitur, ea (vt superstes ille mandarat) humaturus in suburbio Tarsensi. Qui ad exsequendum profectus, confestim corpore sepulto discessit: nec inueniri vsquam potuit studio quæsitus ingenti; nisi quod multo postea apud Constantinopolim visus est subito purpuratus. His hoc modo peractis discursisq; itineribus, Antiochiam venimus: vbi per continuos dies, velut offenso numine, multa visebantur & dira: quorum euentus fore luctificos, gnari rerum prodigialium præcinebant. Nam & Maximiani statua Cæsaris, locata in vestibulo regiæ, amisit repentè sphæram æream formatam in speciem poli, quam gestabat: & cum horrendo stridore sonuerunt in consistorio trabes: & visa sunt interdiu sidera cometarum: super quorum natura ratiocinantes physici variant. Quidam enim eos hoc nomine ideò existimant appellari, quod per tortos ignes sparguntur crines, in vnum stellis multiplicibus congregatis. Alii eos arbitrantur ex halituícciore terrarum ignescere, paulatim in sublimiora *surgente. Quidam currentes radios solis, densiore nube obiecta digredi ad inferiora prohibitos, splendore infuso corpori crasso, lucem velut stellis distinctam mortali *conspectu monstrare. Sedit quorumdam opinioni, hanc

speciem tunc apparere quum * tracta solito celsius nubes æternorum ignium vicinitate colluceat: vel certe stellas esse quasdam ceteris similes, quarum ortus obitusque quibus sint temporibus præstituti, humanis mentibus ignorari. Plura alia de cometis apud peritos mundanæ rationis sunt lecta: quæ digerere nunc vetat aliorsum oratio properans. Moratum paulisper Antiochiæ principem, curarumque diuersis ponderibus adflictum, exeundi mira cupiditas agitabat. proinde nec iumentis parcens nec militi, flagranti hieme inde profectus, signis (vt dictum est) vetantibus plurimis, Tarsum vrbem Ciliciæ nobilem introiit; cuius originem docuimus supra. Exindeque egredi nimium properans, exornari sepulcrum statuit Iuliani, in pomœrio situm itineris quod ad Tauri montis angustias ducit: cuius suprema & cineres, siquid tunc iuste consuleret, non Cydnus videre deberet, quamuis gratissimus amnis & liquidus: sed ad perpetuandam gloriam recte factorum præterlaberetur Tiberis intersecans vrbem æternam, diuorumque veterum monumenta perstringens. *Inde Tarso profectus extentis itineribus, venit opidum Cappadociæ Tyana: vbi ei reuersi Procopius notarius & Memorius tribunus occurrunt, gestorumque aperiunt textum; hinc (vt ordo poscebat) exorsi, quod Lucillianus Mediolanum ingressus cum Seniaucho & Valentiniano tribunis, quos duxerat secum, cognito quod Malatichus recusauit suscipere magisterium, effuso cursu petierat Remos: & tamquam in alto gentis silentio, extra calcem (vt dicitur) procurrebat; & intempestiue, parum etiam tum firmatis omnibus, ex Acturio ratiociniis scrutandis incubuit. Qui fraudum conscius & noxarum, ad militaria signa confugit: finxitque, Iuliano superstite, in res nouas quemdam medium surrexisse. Cuius fallaciis turbo militaris acerrime concitus, Lucillianum & Seniauchum occidit. Valentinianum enim, paulo postea principem, trepidum & quo confugeret ambigentem, Primitiuus hospes tutius amandarat. His ita tristibus lætum aliud addebatur, missos a Iouiano milites aduentare, quos * capita scholarum ordo castrensis appellat, nuntiantes æquo animo Iouiani imperium amplecti exercitum Gallicanum. Quibus compertis, Valentiniano qui cum his redierat, regenda scutariorum secunda committitur schola; & Vitalianus consortio domesticorum iungitur, Herulorum e numero miles; qui multo postea auctus comitis dignitate, male rem per Illyricum gessit. Confestimque mittitur in Gallias Arintheus, ferens litteras ad Iouinum, vt constanter ageret suum obtinens locum: eique mandatum est vt animaduerteretur in concitorem tumultus, auctoresque seditionis ad comitatum vincti transmitterentur. Post quæ vt videbatur expedite disposita, apud * Aspuna Galatiæ municipium breue, Gallicani milites visi principi: ingressiq; consistorium, post audita gratanter quæ pertulerant, munerati redire iubentur ad signa. Et quum introisset Ancyram Imperator, paratis ad pompam pro tempore necessariis, consu-
1116 latum iniit, adhibito in societatem trabeæ Varroniano filio suo admodum paruulo: cuius vagitus, pertinaciter reluctans ne in curuli sella veheretur ex more, id quod mox accidit portendebat. Hinc quoque Iouianum celeri gradu præscriptus vitæ finiendæ dies exegit. Quum enim venisset Dadastanam, qui locus Bithyniam distinguit & Galatas, exanimatus inuentus est nocte: super cuius obitu dubitationes emersere complures. Fertur enim recente calce cubiculi illiti ferre odorem noxium nequiuisse; vel extuberato capite periisse succensione prunarum immensa; aut certe ex colluuione ciborum auida cruditate distentus. Decessit autem anno tricesimo ætatis & tertio. Quumq; huic & Æmiliano Scipioni vitę exitus similis euenisset, super neutrius morte quæstionem comperimus agitatam. Incedebat autem motu corporis graui, vultu lætissimo, oculis cæsiis, vasta proceritate & ardua, adeo vt diu nullum indumentū regium ad mensuram eius aptum inueniretur: & æmulari malebat Constantium, agens seria quædam aliquoties post meridiem · iocatiq; palam cum proximis adsuetus. Christianæ legis idem studiosus, & nonnumquā honorificus, mediocriter eruditus, magisq; beneuolus, & perpensius, vt apparebat ex paucis quos promouerat, iudices electurus: edax tamen & vino venerique indulgens: quæ vitia imperiali verecundia forsitan correxisset. Dicebatur autem Varronianus pater eius monitu cuiusdam somnii dudum præscisse quod euenit: idq; duobus

amicis

amicis commisisse fidissimis, illo adiecto quod ipsi quoque deferretur trabea consularis. Sed impetrato vno, adipisci non potuit aliud. Audita enim filii celsiore fortuna, antequam eum videret, fatali præuentus est morte. Et quia huic nomini amplissimum magistratum protendi, per quietem prædictum est seni, Varronianus nepos eius, infans etiam tum, cum Iouiano patre declaratus est, vt supra retulimus, consul.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIBER VIGESIMVSSEXTVS.

DICTIS impensiore cura rerum ordinibus adusque memoriæ cōfinia propioris, conuenerat iam referre a notioribus pedem, vt & pericula declinentur veritatis sæpe contigua, & examinatores cōtexendi operis deinde non perferamus intempestiuos, strepētes vt læsos, si præteritum sit quod loquutus est Imperator in cœna, vel omissum quam ob caussam gregarii milites coerciti sunt apud signa; & quod non decuerat in descriptione multiplici regionum super exiguis silere castellis; quodque cunctorum nomina qui ad vrbani *prætoris officium conuenere, non sunt expressa; & similia plurima præceptis historiæ dissonantia, discurrere per negotiorum celsitudines adsuetæ, non humilium minutias indagare caussarum: quas si scitari voluerit quispiam, indiuidua illa corpuscula volitantia per inane, atomos, (vt nos appellamus) numerari posse sperabit. Hæc quidam veterum formidantes, cognitiones actuum variorum stylis vberibus explicatas, non edidere superstites; vt in quadam ad Cornelium Nepotem epistola Tullius quoque testis reuerendus adfirmat. Proinde inscitia vulgari contempta, ad residua narranda pergamus. Hac volubilium casuum diritate exitu luctuoso finita obituque, interuallato breui tempore, principis corpore curato defuncti, missoque Constantinopolim vt inter Augustorum reliquias conderetur, progresso Nicæam versus exercitu, quæ in Bithynia mater est vrbium, potestatum ciuilium militiæque rectores magnitudine curarum adstricti communium, interque eos quidam spe vana sufflati, moderatorem quæritabant diu exploratum & grauem: & rumore tenus obscuris paucorum susurris nomen perstringebatur Equitii, scholæ primæ scutariorum etiam tum tribuni. Qui quum potiorum auctoritate displicuisset, vt asper & subagrestis; translata est suffragatio leuis in Ianuarium Iouiani adfinem, curantem *summitatem necessitatum castrensium per Illyricum. Quo itidem spreto, quia procul iacebar, vt aptus ad id quod quærebatur atque conueniens. VALENTINIANVS, nulla discordante sententia, numinis adspiratione cælestis electus est, agens scholā scutariorum secundam, relictusque apud Ancyram, postea sequuturus, vt ordinatū est. Et quia nullo renitente hoc e rep. videbatur, missis qui eum venire ocius admonerent, diebus decem nullus imperii tenuit gubernacula: quod tunc euenisse, extis Romæ inspectis aruspex dixerat Marcus. Inter hæc tamen, nequid nauaretur contrarium placitis, neue armatorum mobilitas sæpe versabilis ad præsentium quemdā inclinaret arbitrium, attente prouidebat Equitius, & cum eo Leo, adhuc sub Dagalapho magistro equitum rationes numerorum militarium tractans, exitialis postea magister officiorum, exercitus vniuersi iudicium, quantum facere niti que poterant, vt Pannonii fautoresque principis designati, formantes. Qui quum venisset accitus, implendique negotii *præsagus, vt subodorari dabatur, vel somniorum adsiduitate, nec videri die secundo nec prodire in medium voluit, bissextū vitans Februarii mensis tunc illucescens, quod aliquoties rei Romanæ fuisse cognorat infaustum: cuius notitiam certam designabo. Spatium anni vertentis id esse periti mundani motus & siderum definiunt veteres, (inter quos *Meton & Eudæmon & Hipparchus & Archimedes excellunt) quum sol perenni rerum sublimium lege polo percurso signifero, quem Zodiacum sermo Græcus appellat, trecentis & sexaginta quinque diebus

emensis & noctibus, ad eumdem redierit cardinem: vt verbo tenus, si a secunda particula elatus arietis, ad eam dimensione redierit terminata. Sed anni interuallum verissimum memoratis diebus & horis sex adusque meridiem concluditur plenam: annique sequentis erit post horam sextam initium, porrectum ad vesperam. tertius, a prima vigilia sumens exordium, ad horam noctis extenditur sextam. Quartus, a *media noctis vsque ad claram trahitur lucem. Ne igitur hæc computatio variantibus annorum principiis, & quodam post horam sextam diei, alio post sextam excursu nocturnam, scientiam omnem squalida diuisione confundat, & autumnalis mensis inueniatur quandoque vernalis, placuit senas illas horas, quæ quadriennio viginti colliguntur atque quatuor, in vnius diei noctisq; adiectæ transire mensuram. Hocq; alte considerato, eruditis concinentibus multis, effectum est vt ad vnum distinctumque exitum conuersio cursus anni reuoluta, nec vaga sit nec incerta, nulloque errore deinceps obumbrata ratio cælestis appareat, & menses tempora retineant præstituta. Hæc, nondum extentis fusius regnis, diu ignorauere Romani; perq; secula multa obscuris difficultatibus implicati, tunc magis errorum profunda caligine fluctuabant quum in sacerdotes potestatem transtulissent intercalandi, qui libenter gratificantes publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium suum detrahebant tempora vel augebant. Hocq; excepto emerserunt alia plurima quæ fallebant; quorum meminisse nũc superuacuum puto. Quibus abolitis, Octauianus Augustus Græcos sequutus, hanc inconstantiam correcta turbatione composuit, spatiis duodecim mensium & sex horarum magna deliberatione collectis: perque duodecim siderum domicilia sol discurrens motibus sempiternis, anni totius interualla cõcludit. Quam rationem bissexti probatam, etiam victura cum seculis Roma adiumento numinis diuini fundauit. Proinde pergamus ad reliqua. Elapso die patũ apto ad inchoandã rerum magnitudinem, vt quidam existimant, propinquãte iam vespera, monitu præfecti Sallustii sub exitii denuntiatione statutum est prompta cõsensione cunctorum, ne potioris quisquam auctoritatis, vel suspectus altiora conari, procederet postridie mane. Quumque multorum tædio, quos votorum inanitas cruciabat, tamdem finita nocte lux aduenisset, in vnũ quæsito milite omni, progressus Valentinianus in campum, permissusque tribunal adscendere celsius structum, comitiorum specie & voluntate præsentium secundissima, vt vir serius, rector pronũtiatur imperii. Mox principali habitu circumdatus & corona, Augustusque nũcupatus cum laudibus amplis, quas nouitatis potuit excogitare dulcedo, præmeditata dicere iam parabat. Eoque vt expeditius loqueretur brachium exsertante ob murmuratio grauis exoritur, concrepantibus centuriis & manipulis, cohortiumque omnium plebe, vrgentium destinate confestim Imperatorem alterum declarari. Quod licet nonnulli existimarunt paucis corruptis ad gratiam fieri despectorum, ex eo tamen id frustra creditum videbatur, quod non emercati, sed consoni totius multitudinis paria volentis, clamores audiebantur, documento recenti fragilitatẽ pertimescentis sublimium fortunatũ. Deinde ex susurris immaniter strepentis exercitus cieri tumultus violentior apparebat; & confidentia militis erumpentis interdum ad perniciosa facinora, timebatur. Quod Valentinianus magis præ cunctis ne fieret extimescẽs, elata prospere dextera, vt princeps fiducia plenius, ausus increpare quosdã vt seditiosos & pertinaces, cogitata nullis interpellantibus absoluebat: *Exsulto prouinciarum fortissimi defensores, & præ me fero, semperque laturus sum, nec speranti, nec adpetenti moderamina orbis Rom mihi, vt potissimo omnium, vestras detulisse virtutes. Quod erat igitur in manu positum vestra, nondum electo imperii formatore, vtiliter & gloriose complestis, adscito in honorum verticem eo quem ab ineunte adolescentia ad hanc vsque ætatis maturitatem splendide integreque vixisse experiundo cognostis. Proinde pacatis auribus accipite quæso simplicioribus verbis quod conducere arbitror in cõmune. Adhiberi oportere in omnes casus socia potestate collegã, contemplatione poscente multiplici nec ambigo nec repugno, curarum acernos & mutationes varias accidentium ipse quoq; vt homo formidans. Sed studendũ est* CONCORDIÆ *viribus totis, per quam res quoq; minimæ cõualescunt. Quod impetrabitur facile, si patientia vestra cum æquitate cõsentiens, id mihi quod mearum est partium concesserit libens. Dabit enim (vt spero) fortuna consiliorum adiutrix bonorum, quantum efficere & consequi possum, diligẽter scrutanti tem-*

peramen-

*peramentum. Vt enim sapientes definiunt, non modo in imperio; vbi pericula maxima sunt & creberrima, verumetiam in priuatis quotidianisque rationibus, alienum ad amicitiam, quum iudicauerit quisquam prudens, adiungere sibi debebit; non, quum adiunxerit, iudicare. Hæc cum lætiorum spe polliceor: vos firmitatem factorum retinentes & fidem, dum hiberna patitur quies, animorum reparate vigorem atque membrarum, ob nuncupationem augustam * debita protinus accepturi.* Finita oratione, quam auctoritas erexerat inopina, flexit Imperator in suam sententiam vniuersos; consiliique eius viam sequuti qui paulo ante flagrantissimis vocibus aliud postulabant, circumseptum aquilis & vexillis, agminibusque diuersorum ordinum ambitiose stipatum, iamque terribilem, duxerunt in regiam. Dum hæc in oriente volubiles fatorum explicant sortes, Apronianus regens vrbem æternam, iudex integer & seuerus, inter curarum præcipua quibus hæc præfectura sæpe sollicitatur, id primum opera curabat enixa, vt veneficos, qui tunc ratescebant [capi] capros, postque agitatas quæstiones nocuisse quibusdam aperte confutatos, indicans consciis morte mulctaret; atque ita paucorũ discrimine reliquos, siqui laterent, formidine parium exturbaret. Hæc egisse ideo efficaciter fertur, quod Iuliani promotus arbitrio, agens etiam tum per Syrias, in itinere vnũ amiserat oculum; suspicatusque artibus se nefariis adpetitum, iusto quidem sed inusitato dolore, hæc & alia magna quæritabat industria. Vnde quibusdam atrox visus est, in amphitheatrali curriculo vndarum coeunte aliquoties plebe, caussas dispiciens criminum maximorum. Denique post huiusmodi vindicata complura, Hilarium aurigam conuictum atq; confessum, vixdum pubescentem filium suum venefico tradidisse docendum secretiora quędã legibus interdicta, vt nullo conscio adminiculis iuuaretur internis, capitali animaduersione damnauit: qui, laxius retinente carnifice, subito lapsus confugit ad ritus Christiani sacrarium; extractusq; exinde, ilico abscissa ceruice consumptus est. Verum hæc similiaque tum etiam vt coercenda mox cauebãtur; & nulli vel admodũ pauci, in his versati flagitiis, vigori publico insultarunt: sed tempore sequuto; longæua impunitas nutriuit immania, vsq; eo grassante licentia, vt imitatus Hilarium quidã senator, seruumq; suum modo non per syngrapham arcanis piacularibus inducendum, commisisse doctori malarum artium confutatus, supplicium redimeret opima mercede, vt crebrior fama vulgarat. isque ipse hoc genere quo iactatum est absolutus, quum vitæ pudere deberet & culpæ, non abolendæ incubuit maculæ, sed tamquam inter multos probrosos solus vacuus ab omni delicto, equo phalerato insidens discurrensque per silices, multa post se vnicus trahit agmina seruulorum, per nouum quoddam insigne curiosius spectari affectans: vt Duillium accepimus veterem, post gloriosa illa naualis rei certamina, id sibi sumpsisse, vt tibicine lenius præcinente rediret ad sua post cœnam. Sub hoc tamen Aproniano ita iugiter copia necessariorum exuberauit, vt nulla saltem leuia murmura super inopia victui congruentium orirentur; quod assidue Romæ contingit. At in Bithynia Valentinianus princeps (vt prædiximus) declaratus, dato in perendinum diem signo proficiscendi, conuocatis primoribus, quasi tota consilia* quam sibi placentia sequuturus, percontabatur quemnam ad imperii consortium oporteret adsumi. Silentibusq; cunctis, Dagalaiphus tunc equestris militiæ rector, respondit fidentius; *Si tuos* (inquit) *amas Imperator optime, habes fratrem: si rempublicam, quære quem vestias.* Quo dicto asperatus ille, sed tacitus, & occultans quæ cogitabat, Nicomediam itineribus citis ingressus, cal. Martiis Valentem fratrẽ stabulo suo cum tribunatus dignitate præfecit. Indeque quum venisset Cõstantinopolim, multa secum ipse diuoluens, & magnitudini vrgenti negotiorum iam sese parare considerans, nihil morandũ ratus, calendis Aprilis productum eumdem VALENTEM in suburbanum, vniuersorum sententiis concinentibus (nec enim audebat quisquam refragari) Augustum pronuntiauit: decoreq; imperatorii cultus ornatũ, & tempora diademate redimitũ, in eodem vehiculo secum reduxit; participem quidem legitimum potestatis, sed in modum apparitoris morigerum; vt progrediens aperiet textus. Quibus ita nullo interturbante perfectis, constricti rapidis febribus Imperatores ambo diu, spe viuendi firmata, vt erant inquirendis rebus grauiores quam componendis, suspectas morborum caussas inuestigãdas acerrime Vrsatio officiorum magistro Dalmatæ crudo,

& Iuuentin * Sisciano quæstori tunc, commiserunt: vt loquebatur pertinax rumor, inuidiam cientes Iuliani memoriæ principis, amicisque eius, tamquam clandestinis præstigiis læsi. Sed hoc euanuit facile, ne verbo quidem tenus insidiarũ indicio vllo reperto. Hoc tempore, velut per vniuersum orbem Romanum bellicum canentibus buccinis, excitæ gentes sæuissimæ limites sibi proximos persultabãt. Gallias Rhętiasq; simul Alemanni populabantur, Sarmatæ Pannonias & Quadi: Picti Saxones, & Scoti, & * Attacotti, Britannos ærumnis vexauere continuis: Austoriani Mauricęque aliæ gentes, Africam solito acrius incursabant: Thracias diripiebant prædatorii globi Gotthorum: Persarum rex manus Armeniis iniectabat: eos ad suam dicionem ex integro vocare vi nimia properans, sed iniuste; caussando quod post Iouiani excessum, cum quo fœdus firmarat & pacem, nihil obstare debebat quo minus ea recuperaret quæ ante ad maiores suos pertinuisse monstrabat. Acta igitur tranquillius hieme, concordissimi principes, vnus nuncupatione prælatus, alter honore specie tenus adiunctus, percursis Thraciis Nessum aduenerunt: vbi in suburbano, quod appellatum Mediana a ciuitate tertio lapide disparatur, quasi mox separandi, partiti sunt comites. Et Valentiniano quidem, cuius arbitrio res gerebatur, * Iouinus euenit, dudum promotus a Iuliano per Gallias magister armorum; & Dagalaiphus, quem * militiæ rectorem prouexerat Iouianus: in orientem vero sequuturus Valentem, ordinatus est Victor, ipse quoque iudicio principis antedicti prouectus; cui iunctus est Arintheus. Lupicinus enim pridem a Iouiano pari modo promotus magister equitum, partes tuebatur Eoas. Tunc & Equitius Illyriciano præponitur exercitui, nondũ magister, sed comes: & Serenianus olim sacramẽto digressus, recinctus est vt Pannonius, sociatusque Valenti, domesticorum præfuit scholæ. Quibus ita digestis, & militares partiti numeri: & post hæc quũ ambo fratres Sirmium introissent, diuiso palatin, vt potiori placuerat, Valentinianus Mediolanum, Constantinopolim Valens discessit. Et orientem quidem regebat potestate præfecti Sallustius: Italiam vero cum Africa & Illyrico Mamertinus, & Gallias prouincias Germanus. Agentes igitur in memoratis vrbibus principes, sumpserunt primitus trabeas consulares; omnisque
1117 hic annus dispendiis grauibus rem Romanam adflixit. Alemanni enim perrupere Germaniæ limites; hac ex caussa solito infestius moti. Quum legatis eorum missis ad comitatum, certa & præstituta ex more munera præberi deberent, minora & viliora sunt attributa: quæ illi suscepta, furenter agentes, vt indignissima proiecere: tractatique asperius ab Vrsatio tunc magistro officiorum iracundo quodam & sæuo, regressi, factumque exaggerantes, vt contumeliose despectas, gentes immanissimas concitarunt. Et circa id tempus, aut non multo posterius, in oriente Procopius in res surrexerat nouas. Quæ prope calend. Nouembris venturo Valentiniano Parisios, eodemque nuntiata sunt die. Et Alemannis quidem occursurum Dagalaiphum pergere mature præcepit: qui vastatis propinquioribus locis, longius discesserant incruenti. Super appetitu vero Procopii antequam adolesceret reprimendo, curis diducebatur ambiguis, ea potissimum ratione sollicitus, quod ignorabat vtrum Valente superstite an exstincto memoratum imperium adfectarat. Equitius enim, relatione Antonii tribuni accepta, regentis in Dacia mediterranea militem, qui nihil præter negotium ipsum auditum obscure significabat; ipse quoque, nondum liquida fide comperta, simplicibus verbis principem gestorum conscium fecit. His cognitis Valentinianus eodem Equitio aucto magisterii dignitate, repedare ad Illyricum destinabat, ne persultatis Thraciis perduellis iam formidatus inuaderet hostili excursu Pannonias. Documento enim recenti impendio terrebatur, reputans paulo antea Iulianũ, * contempto Imperatore bellorum ciuilium vbique victore, nec speratum ante nec expectatum ab vrbe in vrbem incredibili velocitate transisse. Verum ardens ad redeundum eius impetus molliebatur consiliis proximorum, suadentium & orantium ne interneciua minantibus barbaris exponeret Gallias, neue hac caussatione prouincias desereret egentes adminiculis eius: iisque legationes vrbium accessere nobilium, precantes ne in rebus duris & dubiis impropugnatas eas relinqueret, quas præsens eripere poterit discriminibus maximis, metu ambitiosi nominis sui Germanis incusso. Tamdem denique vtilitate rei perpensius cogitata, in multorum senten-

tias

tias flexus, replicabat aliquoties hostem suum fratrisque solus esse Procopium; Alemannos vero, totius orbis Romani: statuitque nusquam interim extra confinia mouere Gallorum, adusque Remos progressus: solliciusque super Africa, ne repente perrumperetur, Vulterium postea cos. tunc notarium, ad eamdem tuendam ire disposuit; & * Masaucionem domesticum protectorem; ea consideratione, quod ibi sub patre Cretione comite quondam educatus, suspecta nouerat loca: hisque scutarium adiunxit Gaudentium, olim sibi cognitũ & fidelem. Quia igitur vno eodemque tempore vtrobiq; turbines exarsere mœstissimi, competenti loco singula digeremus; nunc partem in oriente gestorũ, deinde bella barbarica narraturi: quoniam pleraq; & occidentali, & in Eoo orbe iisdem mensibus sunt actitata; ne, dum ex loco subinde saltuatim redire festinamus in locum, omnia confundentes squaliditate maxima rerum ordinem implicemus. Insigni genere Procopius in Cilicia natus & educatus, ea consideratione qua propinquitate Iulianum postea principẽ contingebat, a primo gradu eluxit: & vt vita moribusque castigatior, (licet occultus erat & taciturnus) notarius diu perspicaciter militans & tribunus, iamque summatibus proximus, post Constantii obitum in rerum conuersione velut Imperatoris cognatus altius anhelabat, admixtus consortio comitum: & apparebat eum, si vmquam potuisset, fore quietis publicæ turbatorem. Hunc Iulianus Persidem ingrediens, consociato pari potestatis iure Sebastiano, in Mesopotamia cum manu militum reliquerat valida: mandaratque, vt susurrauit obscurior fama, (nemo enim dicti auctor exstitit verus) pro cognitorum ageret textu; & si subsidia rei Romanæ languisse sensisset, Imperatorem ipse se prouideret ocius nuncupari. Qui iniuncta ciuiliter agens & caute, Iuliani letaliter vulnerati funus, [&] ad regenda communia compertis Iouianum euectum; falsoque rumore disperso, inter obeuntis anhelitus animæ eumdem Iulianum mandasse, placere sibi Procopio clauos summæ rei gerendæ committi, veritus ne hac ex caussa indemnatus occideretur, e medio se cõspectu differuit, maxime post Iouiani territus necem, notariorum omnium primi: quem Iuliano perempto veluti dignum imperio paucis militibus nominatum, nouaque exinde cœptare suspectum, cruciabiliter didicerat interfectum. & quia se quæri industria didicerat magna, vitans grauioris inuidiæ pondus, ad abdita longiusque remota discessit. Quumque a Iouiano exploratius indagari latibula sua sentiret, & formæ vitæ iam fuisset pertæsum; (quippe a celsiore statu deiectus ad inferiora, etiam edendi penuria in locis squalentibus stringebatur, hominumque egebat colloquiis) postremæ necessitatis impulsu, deuiis itineribus ad Chalcedonium agrum peruenit. vbi, quoniam illud firmius visum est receptaculum, apud fidissimum amicorum delitescebat, Strategium quemdam ex palatino milite senatorem; Constantinopolim, quantum fieri poterat, clanculo sæpe intermeans; vt indicio eiusdem Strategii patuit, postquam sæpius in factionis conscios est inquisitũ. Ritu itaq; sollertissimi cuiusdam speculatoris, ignotus vultu ob squalorem & maciem, rumusculos colligebat tunc crebrescentes (vt sunt acerba semper instantia) incusantium multorũ Valentem, quasi cupiditate aliena rapiendi succensum. cuius diritati adiectum erat incentiuum exitiale socer Petronius, ex præposito Martensium militum promotus repentino saltu patricius, animo deformis & habitu. Qui ad nudandos sine discretione cunctos immaniter flagrans, *innocentes pariter & sontes post exquisita tormenta *quadruplicibus nexibus vinciebat, debita iam inde a temporibus principis Aureliani perscrutans, & impendio mœrens si quemquam absoluisset indemnem. Cuius morum intolerantiæ hęc quoque pernicies accedebat, quod quum ditaretur luctibus alienis, erat inexorabilis & crudelis, & in rabido corde rudissimus, nec reddendæ nec accipiendæ rationis vmquam capax: inuisior Cleandro, quem agentem sub Imperatore Commodo præfecturam, sublata vecordia diuersas legimus vexasse fortunas: & onerosior Plautiano, qui præfectus itidem sub Seuero, vltra mortale tumens cuncta confuderat, ni gladio perisset vltore. Hæc lacrymosa quæ incitante Petronio sub Valente clausere multas paupertinas & nobiles domos, impendentiumque spes atrocior, prouincialium & militum paria gementium sensibus imis hærebant: & votis, licet obscuris & tacitis, permutatio status præsentis ope numinis summi concordi gemitu poscebatur. Quæ

Procopius latenter accipiens, arbitratusque vbi felicius acciderit fatum, negotio leui ad apicem summæ potestatis adsumi, subsidebat vt prædatrix bestia, viso quod capi poterat protinus eruptura. Cui hæc quæ maturabat ardenti, fors hanc materiam dedit impendio tempestiuam. Consumpta hieme, festinans ad Syriam Valens, iam-[que] fines Bithynorum ingressus, docetur relationibus ducum, gentem Gotthorum ea tempestate intactam, *eamdemque sæuissime conspirantem in vnum, ad peruadenda parari collimitia Thraciarum. Hocque cognito, vt impræpedito ipse pergeret quo tendebat, sufficiens equitum adiumentum & peditum mitti iussit ad loca, in quibus barbarici timebantur excursus. Dimoto itaque longius principe, Procopius ærumnis diuturnis attritus, vel atrocem mortem clementiorem ratus malis quibus adflictabatur, aleam periculorum omnium iecit abrupte. extremaque iam perpeti nequaquam timens, præeunte perdita ratione, facinus adoritur audacissimum. Diuitenses Tungricanosque iuniores, ad procinctum vrgentem per Thracias inter alios celerate dispositos, & Constantinopoli moraturos solenniter biduum, per quosdam ex iisdem numeris notos sollicitare properans, quia cum omnibus loqui periculosum erat & arduum, fidem paucorum elegit: qui pellecti *per spem præmiorum ingentium, sub consecratione iurisiurandi promisere se quæ vellet cuncta facturos; fauorem quoque polliciti contutmalium, inter quos ipsi potiorem locum obtinebant in suadendo, stipendiis excellentes & meritis. Vtque condictum, & vbi excanduit radiis dies, idem Procopius diductus in cogitationes varias, *Anastasianas balneas petit, a sorore Cōstantini cognominatas, vbi locata nouerat signa: doctusque per arcanorum conscios, omnes in eius studium consensisse societate coita nocturna, fide salutis data libenter admissus, constipatione vendibiliū militum cum honore quidem, sed in modū tenebatur obsessi; qui, vt prætoriani quondam post Pertinacis necem, licitantem imperii *præmia Iulianum susceperant, ipsi quoq; Procopium infausti dominatus exordia molientem, attenti ad omne compendium defenderunt. Stetit itaq; subtabidus, (excitum putares ab inferis) nusquam reperto paludamento, tunica auro distincta, vt regius minister, indutus, a calce ad pubem in *pædagogiani pueri speciem purpureis opertus tegminibus pedum: hastatusque purpureum itidem pannulum læua manu gestabat: vt in theatrali scena simulacrum quoddam insigne per aulæum vel mimicam cauillationem subito putares emersum. Ad hoc igitur dehonestamentum honorum omnium ludibriose sublatus, & ancillari adulatione beneficii alloquutus auctores, opesque pollicitus amplas & dignitates ob principatus primitias, processit in publicum multitudine stipatus armorum, signisq; sublatis erectius ire pergebat, circumclausus horrendo fragore scutorum lugubre concrepantium: quæ, metuentes ne a celsioribus tectis saxis vel tegularum fragmentis conflictarentur, densius ipsis galearum cristis aptabant. *Huic timidius incedenti, nec resistebat populus, nec fauebat: accendebatur tamen insita plerisque vulgarium nouitatis repentina iucunditate; ea re potius incitante quod Petronium (vt prædiximus) diuitias violenter augentem, omnes eadem mente detestabantur, qui sepulta iam dudum negotia & rediuiuas *tabulas debitorum in diuersos ordines excitabat. Quum itaque tribunal idem adscendisset Procopius, & cunctis stupore defixis timeretur silentium triste, procliuiorem viam ad mortem (vt sperabat) existimans aduenisse, per artus tremore diffuso implicatior ad loquendum, diu tacitus stetit. pauca tamen interrupta & moribūda voce dicere iam exorsus, quibus stirpis propinquitatem imperatoriæ prætendebat, leni paucorum suffragio pretio illectorum, deinde tumultuariis succlamationibus plebis Imperator appellatus, incondite petit curiam raptim: vbi nullo clarissimorum, sed ignobili paucitate inuenta, palatium pessimo pede festinatis passibus introiit. Mirantur quidam profecto irrisione digna principia, incaute cœpta & temere, ad ingemiscendas erupisse reip. clades, ignari forsitan exemplorum, id accidisse primitus arbitrantes. Sic Adramytenus Andriscus degener quidam infimæ sortis, adusque Pseudophilippi nomē *euectus, bellis Macedonicis tertium addidit graue. Sic Antiochiæ Macrino Imperatore agente, ab Emesa Heliogabalus exiuit Antoninus. Ita inopino impetu Maximini Alexāder cum Mammæa matre confossus est. In Africa superior Gordianus in imperium raptus,

aduen-

āduentantium periculorum angoribus implicatus, vitam laqueo spiritu intercluso profudit. Igitur cupediarum vilium mercatores, & qui intra regiam apparebant aut parere desierant, quique cœtu militarium nexi ad pacatiora iam vitæ discesserant, ad insolita casus ambigua partim inuiti, alii volentes adsciscebantur: nonnulli omnia tutiora præsentibus rati, a ciuitate occulte dilapsi, Imperatoris castra petiuere itineribus festinatis. Hos omnes Sophronius viuacissimo cursu prægressus, tunc notarius, præfectus postea Constantinopoleos, Valentem a Cæsarea Cappadocum iam profecturū, vt vaporatis æstibus Ciliciæ iam lenitis ad Antiochiæ percurreret sedes, textu narrato gestorum: spe dubia (vt in talibus) percitum & stupentem, auertit Galatiam, res adhuc trepidas arrepturum. Qui dum itineribus properat magnis, attentissima cura Procopius in dies agitabat noctes, subditiuos quosdam ostentans, qui astu ria confidenti, partim ab oriente, alii e Galliis se venisse, & Valentinianum obisse fingentes cuncta patere nouo & fauorabili principi memorabant. Et quia res nouæ petulanter arreptæ, celeritate muniri solent interdum, nequid formidandum omitteretur, *confestim Nebridius in locum Sallustii præfectus prętorio factione Petronii recens promotus, & Cæsarius Constantinopolitanæ vrbis præfectus, in vincula compinguntur: & iubetur ciuitatem curare solita potestate *Phronemius, esseque magister officiorum Euphrasius, ambo Galli institutis bonarum artium spectatissimi: & administratio negotiorum castrensium Gomoario & Agiloni reuocatis in sacramentum committitur inconsulte, vt docuit rerum exitus proditor. Quia igitur Iulius comes per Thracias copiis militaribus præsidens, oppressurus rebelles, si comperisset conata, ex propinquis stationibus timebatur, commentum excogitatum est validum. & quasi iussu Valentis, seria super barbaricis motibus tractaturus, Nebridii litteris adhuc clausi violenter expressis accitus Constantinopolim, strictius tenebatur. Hacq; callida fraude bellatrices Thraciæ gentes sine cruore acquisitæ, adminicula ausis tumultuariis maxima compararunt. Post quæ ita euentu *lætiore completa, *Araxius ex ambita regia prætorio præfectus accessit, velut Agilone genero suffragante: aliique plures ad aulæ varios actus & administrandas prouincias sunt admissi, quidam inuiti, alii vltro semet offerentes cum præmiis. Vtque in certaminibus intestinis vsu venire contingit, emergebant ex vulgari fæce nonnulli desperatione consilusq; ductantibus cæcis: contraque quidam orti splendide, a culminibus summis adusq; mortes & exsilia corruebant. Vbi per hæc & similia factio firmiter videbatur esse cōposita, restabat vt abundans cogeretur militum manus: & impetratum est facile, id quod in publicis turbamentis aliquoties ausa ingentia vel iustis exorsa primordiis impediuit. Transeuntes ad expeditionem per Thracias concitatæ equitum peditumq; turmæ, blandeq; acceptæ & liberaliter quum essent, omnesque in vnum sitæ, iamq; exercitus species appareret, promissis vberrimis inhiantes, sub exsecrationibus diris in verba iurauere Procopii, hanc polliciti pertinaciam, quod eum suis armis defensabunt. Inuenta est enim occasio ad alliciendos eos perquam opportuna: quod Constantii filiam paruulā, cuius recordatio colebatur, sinu ipse circumferens, necessitudinē prætendebat, & Iuliani. Adeptusq; est aliud tempori congruum, quod Faustina matre puellę casu pręsente quodam, acceperat habitus insignia principalis. Adiungit his aliud veloci diligentia maturādum: & electi quidā stoliditate præcipites ad capessendū Illyricum missi sunt, nullo præter petulantiam adiumento confisi, aureos scilicet nummos effigiatos in vultū noui principis, aliaq; ad illecebras aptantes: quos correptos Equitius per eas regiones militū rector, exstinxit genere diuerso pœnarum. Pariaq; deinde metuens, obstruxit tres aditus angustissimos, per quos prouinciæ tēdantur arctoæ; vnum, per ripensem Daciam, alterum, per Succos notissimū; tertium, per Macedonas, quem appellant ἀκόντισμα. Hacq; cautela vana persuasione rapiendi Illyrici destitutus, vsurpator indebitæ potestatis magna perdidit instrumenta bellorū. Dum hæc ita aguntur, atrocitate nuntii Valens perculsus, iamque reuertens per Gallogræciam, auditis apud Constantinopolim gestis, diffidenter incedebat & trepide: ac repentino pauore vias prouidendi turbante, eousque desponderat animum vt augustos amictus abiicere tamquam grauem sarcinam cogitaret. Fecissetq; profecto, ni vetantibus proximis detractus a deformi proposito, firmatusq; meliorum sententiis,

agmina duo præire iussisset, quibus nomina sunt Iouii atque Victores: castra perduellium *irruptura. His iam propinquantibus ipse Procopius a Nicæa regressus, quo nuper aduenerat, cum Diuitensibus desertorumque plebe promiscua quam dictum fere sex spatio congregarat, Mygdum accelerauit: qui locus Sangario adluitur flumine. Vbi quum legiones iam pugnaturæ congrederentur, inter reciprocantes missilia, quasi procursatione hostem lacessens, solus prorupit in medium. & secundioris ductu fortunæ, ex contraria acie velut agnitum quemdam Vitalianum, quem si norat ambigitur, Latine salute data blande produxit. Eumque porrecta dextra suauiatus, omnibus hinc inde attonitis: *En, inquit, cana Romanorum exercituum fides, & religionibus firmis iuramenta constricta. Placet, fortissimi viri, pro ignotis tot suorum consurrexisse mucrones; vtque Pannonius degener, labefactans cuncta & proterens, imperio, quod ne votis quidem concipere ausus est vmquam, potiatur, ingemiscere nos vestris nostrisque vulneribus. Quin potius sequimini culminis summi prosapiam, non vt rapiat aliena, sed in integrum maiestatis auitæ restituatur, arma iustissima commouentem.* Hac sermonis placiditate molliti omnes qui acriter venerant pugnaturi, signorum apicibus aquilisque summissis, desciuere libentes ad eum: & pro terrifico fremitu, quem barbari dicunt barritum, nuncupatum Imperatorem stipatumque, de more consentientes in vnum, reduxerunt ad castra, testati more militiæ Iouem, inuictum Procopium fore. Huic perduellium prosperitati lætior accessit. Rumitalca enim tribunus in societatem Procopianorū adscitus, & suscepta cura palatii, digesto mature consilio permixtoque cum militibus, mari ad Drepanum antea nunc Helenopolim, venit: exindeque Nicęam spe celerius occupauit. Ad quam obsidendam cum huiusmodi pugnarum perito Vadomario misso ex duce & rege Alemānorum, Valens Nicomediam pergit. Exinde [que] profectus, oppugnationi Chalcedonis magnis viribus insistebat: cuius e muris probra in eum iaciebantur, & iniuriose compellabatur vt sabaiarius. est autem Sabaia, ex hordeo vel frumento in liquorem conuersus paupertinus in Illyrico potus. Fessus denique inopia commeatuum, & obstinatione nimia defensorum, discedere iam parabat: quum inter hæc clausi apud Nicæam, patefactis subito portis egressi, munitorum magna parte prostrata, ductore fidentissimo Rumitalca properabant ardentes, circumuenturi Valentem a tergo, nondum a Chalcedonos suburbano digressum. Et patrassent conata, ni rumore quodam præuerso, imminens exitium ille perdoctus, instantem vestigiis hostem per Sunonensem lacum & fluminis Galli sinuosos anfractus propere discedendo frustra sequentem lusisset. & hoc casu Bithynia quoque in Procopii dicionem redacta est. Vnde quum Ancyram Valens citis itineribus reuertisset, comperissetque Lupicinum ad orientem cum cateruis aduentare non contemnendis, spe prosperorum erectior, Arintheum lectissimum ducem occursurum hostibus misit. Qui vbi Dadastanam tetigit, in qua statione perisse diximus Iouianum, Hyperechium sibi oppositum repente vidit cum copiis, antehac recte gastrensis apparitorem, id est ventris ministrum & gutturis: cui vt amico Procopius auxilia ductanda commisit. Et dedignatus hominem superare certamine despicabilem, auctoritatis & celsi fiducia corporis, ipsis hostibus iussit suum vincire rectorem. atque ita turmatum antesignanus vmbrarilis, comprensus suorum manibus. Quæ dum hoc modo procedunt, Venustus quidam largitionum apparitor sub Valente, multo ante Nicomediam missus vt aurum susceptum stipendii nomine militibus per orientem diffusis vitium tribueret, hac tristitia cognita, alterum peruidens tempus, Cyzicum cum his quæ susceperat se citius cōtulit: vbi forte Serenianus repertus domesticorum tunc comes, missus ad thesauros tuendos, vrbē inexsuperabili mœnium ambitu monumentis quoque veteribus cognitam, fretus tumultuario præsidio custodiebat: ad quam expugnādam Procopius, vt possessa Bithynia sibi etiam Hellespontum iungeret, validam destinauerat manum. Morabantur autem effectum sagittis & glandibus ceterisque iaculis obsidentium sæpe globi *confusi, & propugnatorum sollertia claustrum per catenam ferream valde robustam oti portus insertam; quæ, ne rostratæ irruerent naues hostiles, erat altrinsecus colligata. Hanc post varios militum labores & ducum, fatigatorum acerrimis prœliis, Aliso quidā tribunus abscidit, exercitiis bellorum prudens, hoc modo: Coniunctis tribus nauigiis, testudinem hac

specie

ſpecie ſuperſtruxit. Denſatis cohærentes ſupra capita ſcutis, primis tranſtris inſtabant armati, alii poſt hos ſemet curuantes humilius, tertiis gradatim inclinatis ſummiſſe; ita vt nouiſſimi ſuffraginibus inſidentes, formam ædificii fornicati monſtrarent. Quod machinæ genus contra murales pugnas ideo figuratur hac ſpecie, vt miſſilium ictus atque ſaxorum, per decurſus cadentes, labiles inſtar imbrium euaneſcant. Itaque coniectu telorum Aliſo pauliſper defenſus, ingenti corporis robore, ſuppoſito ſtipite eamdem catenam fortius bipenni confindens ita conſtegit, vt diſiecta patefaceret aditum latum. hocq; exitu ciuitas hoſtili impetu patuit improtecta. Qua cauſſa exſtincto poſtea proteruiæ totius auctore, quum in factionis participes ſæuiretur, hic idem tribunus contemplatione facinoris clari vitam cum militia retinens, diu poſt in Iſauria oppetiit vaſtatoria manu confoſſus. Hoc marte Cyzico reſerata, Procopius ad eam propere feſtinauit: veniaque vniuerſis qui repugnauere donatis, Serenianum ſolum iniectis vinculis iuſſit duci Nicæam, ſeruandum artiſſime. Statimque Hormiſdæ maturo iuueni, Hormiſdæ regalis illius filio, poteſtatem proconſulis detulit, & ciuilia more veterum & bella recturo. Qui agens pro moribus lenius, a militibus quos per deuia Phrygiæ miſerat Valens, ſubito corripiendus incurſu, tanto vigore euaſit, vt adſcenſa naui nuſquam ad caſus pateret ancipites; ſequentemque ac pene captam vxorem, ſagittarum nube diffuſa defenſam auerteret ſecum, matronam opulentam & nobilem; cuius verecundia & deſtinatio glorioſa, abruptus poſtea diſcriminibus maritum exemit. Ea victoria vltra homines Procopius ſeſe efferens, & ignorans quod quiuis beatus verſa rota fortunæ ante veſperum poteſt eſſe miſerrimus, Arbetionis domum, cui antea tanquam eadem ſibi ſentiens parcebat vt propriæ, iuſſit *exinaniri, ob illos caſus inæſtimabiles plenam; ideo indignatus quod venire ad eum accitus aliquoties diſtulit, cauſſatus incommoda ſenectutis & morbi. Et licet hac ex cauſſa præſumptor momentum pertimeſceret graue, tamen quum obſiſtente nullo ſe in orientales prouincias effundere libenti cunctorum adſenſione iam licentius poſſet, auidus nouitatem quamdam viſere, tædio aſperioris imperii quo tunc tenebantur: erga alliciendas quaſdam ciuitates Aſiæ, legendoſq; eruendi peritos auri, vt ſibi profuturos prœliis quæ magna expectabat & crebra, ſegnius commoratus, in modum acuti mucronis obtuſus eſt: vt quondam Peſcennius Niger ad ſubueniendum ſpei rerum extremæ a populo Romano ſæpe accitus, dum diu *cunctatur in Syrias irruere, ſuperatus in ſinu *Iſſico (qui eſt in Cilicia, vbi Darium Alexander fudit) fugatusq; in ſuburbano quodam Antiochiæ gregarii manu militis interiit. Hæc adulta hieme Valentiniano & Valente coss. agebantur.

Tranſlato vero in Gratianum adhuc *priuatum & Dagalaiphum ampliſſimo magiſtratu, aperto iam vere ſuſcitatis viribus, Valens iuncto ſibi Lupicino cum robuſtis auxiliis Peſſinunta ſigna propere tulit, Phrygiæ quondam, nunc Galatiæ opidum. 1118
Quo præſidiis ocius communito, nequid inopinum per eos emergeret tractus, præter radices Olympi montis excelſi tramiteſque fragoſos ire tendebat ad Lyciam, oſcitantem Gomoarium adgreſſurus. Cui pertinaci cõſpiratione multorum hac *maxima conſideratione reſiſtebatur, quod hoſtis eius, vt ante relatum eſt, Conſtantii filiam paruulam cum matre Fauſtina & in agminibus & quum *propinquæ acies ſtarent, lectica circumferens ſecum, vt pro imperiali germine, cui ſe quoque iunctum addebat, pugnarent audentius, iras militum accendebat: ſicut aliquando dimicaturi Macedones cum Illyriis, regem adhuc infantem in cunis locauere poſt aciem; cuius metu, ne traheretur captiuus, aduerſos fortius oppreſſerunt. Contra has calliditatis argutias ſagaci opitulatione nutanti negotio conſuluit Imperator: & Arbetionem ex conſule agentem iamdudum in otio, ad ſe venire hortatus eſt, vt Conſtantiani ducis verecundia truces animi lenirentur. Neque ſecus euenit. Nam quum omnibus prouectior natu & dignitate ſublimior, caniciem reuerendam oſtenderet, multis ad perfidiam inclinatis, publicum graſſatorem Procopium, milites vero ſequutos eius errorem, filios & laborum participes priſtinorum appellans, orabat vt ſe ac ſi parentem magis ſequerentur feliciſſimis ductibus cognitum, quam profligato morem gererent nebuloni, deſtituendo iam & caſuro. Quibus cognitis Gomoarius quum eluſis hoſtib. vnde venerat, redire poſſet

innoxius, ad castra Imperatoris oportunitate interualli proximi captiui colore trahitur, velut accursu multitudinis visæ subito circumseptus. Qua successus alacritate Valens castra promouit ad Phrygiam: & prope * Nacoliam collatis manibus, partium dux in ancipiti * Agilonem excursu prodidit repentino: eumque sequuti complures iam pila quatientes & gladios, ad Imperatorem transeunt cum vexillis scuta peruersa gestantes; quod defectionis signum est apertissimum. Hoc præter spem omnium viso, Procopius salutis intercluso * suffugio, versus in pedes, circumiectorum nemorum secreta & montium petebat, Florentio sequente & Barchalba tribuno; quem per sæuissima bella iam inde a Constantii temporibus notum, necessitas in crimen traxerat, non voluntas. Maiore itaque noctis parte consumpta, quum a vespertino ortu luna prælucens in diem metum augeret, vndique facultate euadendi exempta, consiliorum inops Procopius, vt in arduis necessitatibus solet, cum fortuna expostulabat luctuosa & graui: mersusque multiformibus curis, subito a comitibus suis arctius vinctus, relato iam die ductus ad castra, Imperatori offertur reticens atque defixus: statimque abscissa ceruice, discordiarum ciuilium gliscentes turbines sepeliuit, ad veteris Perpennæ exemplum: qui post Sertorium inter epulas obtruncatum dominatione paulisper potitus, e * frutectis sub quibus latebat extractus, oblatusque Pompeio, eius iussu est interfectus. Parique indignationis impetu Florentius & Barchalba qui eum duxerunt, confestim non pensata ratione, sunt interfecti. Nam si principem legitimum prodidissent, vel ipsa iustitia iure cæsos pronuntiaret: si rebellem & oppugnatorem internæ quietis, vt ferebatur, amplas eis memorabilis facti oportuerat deferri mercedes. Excessit autem vita Procopius anno quadragesimo, amplius mensibus decem; corpore non indecoro, nec mediocris staturæ, subcuruus, humumque intuendo semper incedens; perque morum tristium latebras illius similis Crassi, quem in vita semel risisse Lucillius adfirmat & Tullius: &, quod est mirandum, quoad vixerat, incruentus. Iisdem fere diebus protector Marcellus eiusdem cognatus, agens apud Nicæam præsidium, proditione militũ & interitu Procopii cognito, Serenianum intra palatium clausum medio noctis horrore incautum adortus occidit. Cuius mors saluti plurimis fuit: nam si victoriæ superfuisset, incultis moribus homo & nocendi acerbitate conflagrans, Valentique ob similitudinem morum & genitalis patriæ vicinitatem acceptus, occultas voluntates principis introspiciens ad crudelitatem propensioris, multas innocentium edidisset strages. Quo interfecto idem Marcellus occupata celeri cursu Chalcedone, concrepantibus paucis quos vilitas & desperatio trudebat in scelus, vmbram principatus funesti capessit, gemina ratione fallente; quod & Gothorum tria millia regibus iam lenitis ad auxilium erant missa Procopio Constantianam prætendenti necessitudinem, quæ ad societatem suam parua mercede traduci posse existimabat; quodque gesta in Illyrico etiam tum latebant. Inter quæ tam trepida speculationibus fidis Equitius doctus conuersam molem belli totius in Asiam, digressus per Succos Philippopolim clausam præsidiis hostium, * Eumolpiadam veterem, reserare magna vi conabatur; vrbem admodum oportunam, & impedituram eius * aduentus, si ponè relicta adiumenta Valenti laturus (nondum enim apud Nacoliam gesta compererat) festinare ad Æminontum cogeretur. Verum paulo postea cognita leui præsumptione Marcelli, milites missi sunt audaces & prompti, qui eum raptum vt deditum noxæ mancipium in custodiam compegerunt. vnde * postridie productus, lateribus fulcatis acerrime, pariaque perpessis consortibus, interiit; hoc fauorabilis solum, quod abstulit Serenianum e medio, crudeletu vt Phalarim, illi & illi fidum ad doctrinatum diritatem, [quam] caussis inanibus prætexebat. Exstirpatis occasu ducis funeribus belli, sæuitum est in multos acrius quam errata flagitauerant vel delicta: maximeque in Philippopoleos defensores, qui vrbem seque ipsos non nisi capite viso Procopii, quod ad Gallias portabatur, ægerrime dediderunt. Ad gratiam tamen precantium coerciti sunt aliqui lenius: inter quos eminebat Araxius, in ipso rerum exustarum ardore adeptus ambitu præfecturam, & Agilone intercedente genero supplicio insulari mulctatus, breue post tempus euasit. Euphrasius vero itemque Phronemius missi ad occiduas partes, arbitrio obiecti sunt Valentiniani: & absoluto Euphrasio

Phrone-

Phronemius Cherrhonesum deportatur, inclementius in eodem punitus negotio, ea re quod diuo Iuliano fuit acceptus: cuius memorandis virtutibus ambo fratres principes obtrectabant, nec similes eius nec suppares. His accedebant alia grauiora, & multo magis quam in prœliis formidanda. Carnifex enim & vnci & cruentæ quæstiones, sine discrimine vllo ætatum & dignitatum, per fortunas omnes & ordines grassabantur, & pacis obtentu vitium detestandum agitabatur, infaustam victoriam exsecrantibus vniuersis, interneciuo bello quouis grauiorem. Nam inter arma & lituos conditionis æquatio leuiora facit pericula: & Martiæ virtutis potestas aut id quod ausum occupat, aut inopinata mors si acciderit, nullum ignominiæ continet sensum, finemque secum viuendi simul & dolendi perducit: vbi vero consiliis impiis iura quidem prætenduntur & leges, & Catonianæ vel *Cassianæ sententiæ fuco perliti resident iudices, agitur autem quod agitur ad voluntatem prætumidæ potestatis, & ex eius libidine vitæ incidentium necisque momenta pensantur, ibi capitalis vertitur pernicies & abrupta. Nam vt quisq; ea tempestate ob quamlibet valuerat caussam, regiæ prope accedens & aliena rapiendi auiditate exustus, licet aperte insontem arcessens, vt familiaris suscipiebatur & fidus, ditandus casibus alienis. Imperator enim promptior ad nocendum, criminantibus patens, & funereas delationes adsciscens, per suppliciorum diuersitates effrenatius exsultauit; sententiæ illius Tullianæ ignarus, docentis, infelices esse eos qui omnia sibi licere existimarunt. Hæc implacabilitas caussæ quidem pussimæ, sed *victoriam fœdantis, innocentes tortoribus exposuit multos, vel sub eculeo *caput incuruos aut ictu carnificis torui substrauit: quibus, si pateretur natura, vel denas animas profundere præstabat in pugna, quam lateribus fodicatis omni culpa immunes fortunis gementibus vniuersis, quasi læsæ maiestatis luere pœnas, dilaniatis ante corporibus, quod omni est tristius morte. Exinquum superata luctibus ferocia deflagrasset, proscriptiones & exsilia, & quæ leuiora quibusdam videntur, quamquam sint aspera, viri pertulere summates: & vt ditaretur alius, genere nobilis & forte meritis locupletior, actus patrimonio præceps, trususque in exsilium, consumebatur angore, aut stipe precaria victitabat: nec modus vllus exitialibus malis impositus, quamdiu principem & proximos opum satietas cepit & cædis. Hoc nouatore adhuc superstite, cuius actus multiplices docuimus & interitum, diem duodecimum calend. Augustas, COS. Valentiniano primum cum fratre, horrendi tremores per omnem orbis ambitũ grassati sunt subito; quales nec fabulę, nec veridicæ nobis antiquitates exponunt. Paulo enim post lucis exortũ, densitate prçuia fulgurũ acrius vibratorũ, tremefacta concutitur omnis terreni stabilitas ponderis, mareque dispulsum retro fluctibus euolutis abscessit; vt retecta voragine profundorum, species natantium multiformes limo cernerentur hærentes, valliumq; vastitates & montium tunc, vt opinari dabatur, suspicerent radios solis, quos primigenia rerum sub immensis gurgitibus amandauit. Multis igitur nauibus velut arida humo connexis, & licenter per exiguas vndarum reliquias palantibus plurimis, vt pisces manibus colligerent & similia, marini *fluctus, velut grauati repulsam, versa vice consurgunt, perq; vada feruentia insulis & continentis terræ porrectis spatiis violẽter illisi, innumera quædam in ciuitatibus, & vbi reperta sunt ædificia, complanarunt. Proinde vt elementorum furente discordia, inuoluta facies mundi, miraculorum species ostendebat. Relapsa enim æquorum magnitudo quum minime speraretur, millia multa necauit hominum & submersit: recurrentiumque æstuum incitata vertigine, quædam naues postquam humentis substantiæ consenuit tumor, pessumdatæ visæ sunt, exanimataque naufragiis corpora supina iacebant aut prona. Ingentes aliæ naues extrusæ rapidis flatibus, culminibus *insidere tectorum, vt Alexandriæ contigit: & ad secundum lapidem fere procul a litore contortæ sunt aliquæ, vt Laconicam prope Methonen, opidum nos transeundo, prospeximus diuturna carie fatiscentem.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIBER VIGESIMVSSEPTIMVS.

DVM per Eoum orbem hæc quæ narrauimus, diuersi rerum expediunt casus, Alemanni post ærumnosas iacturas & vulnera, quæ congressi sæpe Iuliano * Cæsari pertulerant, viribus tandem resumptis, licet imparibus pristinis, ob caussam expositam supra, Gallicanos limites formidati iam persultabant. Statimque post cal. Ianuarii, quum per glaciales tractus hiemis rigidum inhorresceret sidus, cuneatim egressa multitudo licentius vagabatur. Horum portioni primæ, Carietto tunc per vtramq; Germaniam comes, occursurus cum milite egreditur ad bella ineunda promptissimo, adscito in societatem laboris Seueriano, itidem comite, inualido & longæuo; qui apud Calidona Diuitensibus præsidebat & Tungricanis. Proinde consertius agmine in vnum coacto, ponteque breuioris aquæ firma celeritate transmisso, visos eminus barbaros Romani sagittis aliisque leuibus iaculis incessebant; quæ illi reciprocis iactibus valide contorquebant. Vbi vero turmæ congressæ strictis conflixere mucronibus, nostrorum acies impetu hostium acriore concussa, nec resistendi nec faciendi fortiter copiam reperit, cunctis metu compulsis in fugam, quum Seuerianum vidissent equo deturbatum, missilique telo * per os fixum. Ipse denique Carietto, dum cedentes obiectu corporis & vocis iurgatorio sono audentius * retinet, pudendumq; diluere dedecus fiducia diu standi conatur, oppetiit telo letali confixus. Post cuius interitum, Erulorum Batauorumque vexillum direptum, quod insultando tripudiantes barbari crebro sublatum altius ostendebãt, post certamina receptum est magna. Qua clade cum vltimo mœrore comperta, correcturus huiusmodi gesta Dagalaiphus a Parisiis mittitur. Eoq; diu cunctante, caussanteque diffusos per varia barbaros semet adoriri non posse, accitoque paulo post vt cum Gratiano etiam tum priuato susciperet insignia consulatus, Iouinus equitum magister accingitur: & instructus paratusque, cautissime obseruans vtrumque sui agminis latus, venit prope locum Scarpona: vbi inopinus maiorem barbarorum plebem, antequam armaretur, temporis breui puncto præuentam ad internecionem exstinxit. Exsultantes innoxii prœlii gloria milites ad alterius globi perniciem ducẽs, sensimque incedens rector eximius, speculatione didicit fida, direptis propius villis vastatoriam manum quiescere prope flumen: iamque aduentans, abditusq; in valle densitate arbustorum obscura, videbat lauantes alios, quosdam comas rutilantes ex more, potantesque nonnullos. Et nactus horam impendio tempestiuam, signo repente per lituos dato, latrocinalia castra perrupit: contraque Germani nihil præter inefficaces minas iactanter sonantes & fremitum, nec expedire arma dispersa, nec componere aciem, nec resurgere in vires permittebantur vrgente instanter victore. Quocirca forati pilis & gladiis cecidere complures, absque his quos versos in pedes texere flexuosi tramites & angusti. Hoc prospero rerum effectu, quem virtus peregerat & fortuna, aucta fiducia Iouinus militem ducens, diligenti speculatione præmissa in tertium cuneum qui restabat, propere castra commouit. Et maturato itinere omnem prope Catelaunos inuenit ad congrediendum promptissimum: & vallo oportune metato, suisque pro temporis copia cibo recreatis & somno, primo auroræ exortu in aperta planitie composuit aciem dilatatam arte sollerti; vt spatiis amplioribus occupatis, æquiparare Romani hostium multitudinem apparerent, inferiores numero licet, viribus pares. Signo igitur per buccinas dato, quũ pede collato res agi cœpisset insueta vexillorũ splendentium facie, territi stetere Germani. Quibus hebetatis parumper reparatisque confestim, adusque diei extremum concertatione protenta, validius imminens miles fructum rei bene gestæ sine dispendio quæsisset, ni Balchobaudes armaturarum tribunus, magniloquentia socordi coalitus, propinquãte iam vespera cessisset incondite. Quem si sequutæ residuæ cohortes abiissent, ad tristes exitus eousque negotium venerat, vt nec acta nuntiaturus quisquam posset

superesse

superesse nostrorum. Sed resistens animorũ acri robore miles, ita lacertis eminuit vt hostiũ quatuor millib. sauciis, sex altera interficeret millia; ipse vero nõ amplius ducẽtis amitteret, ducẽtis tantũmodo vulneratis. Noctis itaq; aduentu prœlio iam dirẽpto, refectisque viribus fessis, prope confinia lucis ductor egregius, in agminis quadrati figuram producto exercitu, quum compensset occultantibus tenebris barbaros lapsos, securus insidiarum, per aperta camporum sequebatur & mollia, calcando femineces constratos, quos vulneribus frigorum asperitate contractis dolorum absumpserat magnitudo. Exin progressus vlterius, reuertens vbi nullum repererat, didicit regem hostilium agminum, cum paucis captum ab hastatis, quos ipse per iter aliud miserat ad diripienda tentoria Alemannica, suffixum patibulo. Ideoque iratus in tribunum animaduertere statuit, ausum hoc inconsulta potestate superiore fecisse: eumque damnasset, ni militari impetu commissum facinus atrox documentis euidẽtibus constitisset. Et post hæc redeunti Parisios post claritudinem recte gestorum Imperator lætus occurrit: eumque postea consulem designauit, illo videlicet ad gaudii cumulum accedente quod iisdem diebus Procopii susceperat caput a Valente transmissum. Præter hæc, alia multa narratu minus digna conserta sunt prœlia, per tractus varios Galliarum: quæ superfluum est explicare, quoniam neque operæpretium aliquod eorum habuere prouentus, nec historiam producere per minutias ignobiles decet. Hoc tempore vel paulo ante, noua portenti species per annonariam apparuit Tusciam: idque quorsum euaderet, prodigialium rerum periti penitus ignorarunt. In opido enim Pistoriensi prope horam diei tertiam spectantibus multis, asinus tribunali adscenso, audiebatur destinatius rugiẽs: & stupefactis omnibus qui aderant, quique didicerant referentibus aliis, nulloq; coniectante ventura, postea quod portendebatur euenit. Terentius enim humili genere in vrbe natus & pistor, ad vicem præmii, quia peculatus reum detulerat officium ex præfecto, hanc eamdem prouinciam correctoris administrauerat potestate: eaque* confidentia deinceps inquietius agitans, multa in nauiculariorum negotio falso admisisse cõuictus, vt ferebatur, periit carnificis manu, regente Claudio Romam. Multo tamen ante quam hoc cõtingeret, Symmachus Aproniano successit, inter præcipua nominandus exempla doctrinarum atque modestiæ: quo instante, vrbs sacratissima otio copiisque abundantius solito fruebãtur: & ambitioso ponte exsultabat atque firmissimo, quem condidit ipse & magna ciuiũ lætitia dedicauit, ingratorum, vt res docuit apertissima: qui consumptis aliquot annis, domum eius in Transtiberino tractu pulcherrimam incẽderunt, ea re perciti quod vilis quidam plebeius * finxerat illum dixisse, sine indice vllo vel teste, * libentius se vino proprio calcarias exstincturũ, quam id venditurum pretiis quibus sperabatur. Aduenit post hunc vrbis moderator Lampadius ex præfecto prætorio, homo indignanter admodum sustinens si, etiam quũ spueret, non laudaretur, vt id quoque prudenter præter alios faciens, sed nonnumquam seuerus & frugi. Hic quum magnificos prætor ederet ludos & vberrime largiretur, plebis nequiens tolerare tumultum, indignis multa donari sæpe vrgentis, vt liberalem se & multitudinis ostenderet contemptorem, accitos a Vaticano quosdã egentes opibus ditauerat magnis. Vanitatis autem eius exemplum, ne latius euagemur, hoc vnum sufficiet poni: leue quidem, sed cauendum iudicibus. Per omnia enim ciuitatis membra quæ diuersorum principum exornarunt impensæ, nomen proprium inscribebat, non vt veterum instaurator, sed conditor. Quo vitio laborasse Traianus dicitur princeps: vnde eum herbam * parietinam iocando cognominarunt. Hic præfectus exagitatus est motibus crebris: vno omnium maximo, quũ collecta plebs infima, domum eius prope Constantinianum lauacrum iniectis facibus incenderat & malleolis, ni vicinorum & familiarium veloci cõcursu a summis tectorũ culminibus petita saxis & tegulis abscessisset. Eaque vi territus ipse, fremituque crebrescentis seditionis in maius, secessit ad * Miluium pontem; quem struxisse superior dicitur Scaurus; * ad lenimenta ibidem tumultus opperiens, quem caussa concitauerat grauis. AEdificia erigere exoriens noua, vel vetusta quædam instaurans, non ex titulis solitis parari iubebat impensas: & si ferrum quærebatur aut plumbum aut æs, aut quidquam simile, apparitores immittebantur; qui velut emen

tes, diuersas raperent species, nulla pretia persoluendo: vnde accensorum iracundiam pauperum, crebra deflentium damna, ægre potuit celeri vitare digressu. Aduenit successor eius ex* quæsitore palaoi* Viuentius, integer & prudens, Pannonius; cuius administratio quieta fuit & placida, copia rerum omnium fluēs. Et hunc quoque discordantis populi seditiones terruere cruentæ: quæ tale negotium excitauere. Damasus & Vrsicinus, supra humanum modum ad rapiendam episcopalem sedem ardentes, scissis studiis asperrime conflictabantur, adusque mortis vulnerumq; discrimina adiumentis vtriusque progressis. quæ nec corrigere sufficiens Viuentius nec mollire, vi magna coactus secessit in suburbanū: & in cōcertatione superauerat Damasus, parte quæ ei fauebat instante. Constatque in basilica Sicinini, vbi ritus Christiani est conuenticulum, vno die centum triginta septem reperta cadauera peremptorum: efferatamq; diu plebem ægre postea delinitam. Neq; ego abnuo, ostētationem rerum considerans vrbanarum, huius rei cupidos, ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum iurgari debere, quum id adepti, futuri sunt ita securi vt ditentur oblationibus matronarum, procedantq; vehiculis insidentes circumspecte vestiti, epulas curantes profusas; adeo vt eorum conuiuia regales superēt mensas. qui esse poterant beati reuera, si magnitudine vrbis despecta, quā vitiis opponunt, ad imitationem antistitum quorūdam prouincialium viuerent: quos tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum & supercilia humū spectantia, perpetuo numini verisque eius cultoribus vt puros commendant & verecundos. Hactenus deuiasse sufficiet: nunc ad rerum ordines reuertamur.

Dum aguntur antedicta per Gallias & Italiam, noui per Thracias exciti sunt procinctus. Valens enim, vt consulto placuerat fratri, cuius regebatur arbitrio, arma concussit in Gotthos ratione iusta permotus; quod auxilia misere Procopio ciuilia bella cœptanti. Ergo conuenit pauca super horum origine & regionum situ transcurrere per breuem excessum. Erat Thraciarum descriptio facilis, si veteres concinerent styli: quorum obscura varietas quoniam opus veritatem professum non iuuat, sufficiet ea quæ vidisse meminimus expedire. Has terras immensa quondam camporum placiditate aggerumque altitudine fuisse porrectas, Homeri perennis auctoritas docet, aquilonem & zephyrum ventos exinde flare fingentis. Quod aut fabulosum est; aut tractus antehac diffusi latissime destinatique nationibus feris, cuncti Thraciarum vocabulo censebantur. Et partem earum habitauere *Scordisci*, longe nunc ab iisdem prouinciis disparati: sæui quondam & truces, vt antiquitas docet, hostiis captiuorum Bellonæ litantes & Marti; humanumque sanguinem in ossibus capitum* humanis bibentes auidius. Quorum asperitate post multiplices pugnarum ærumnas sæpe res Romana vexata, postremo omnem amisit exercitum cum rectore. Sed vt nunc cernimus, eadem loca formata in cornuti sideris modum, effingunt theatri faciem speciosam. Cuius in summitate occidentali, montibus præruptis densatæ *Succorum* patescunt angustiæ, Thracias dirimentes & Daciam. Partem vero sinistram arctois obnoxiam stellis, *Hæmimontanæ celsitudines* claudunt, & Hister, qua Romanum cæspitem lambit vrbibus multis & castris contiguus & castellis. Per dextrum quod australe est latus, scopuli tenduntur Rhodopes: vnde Eoum iubar exsurgit, finitur in fretum: cui vndosius ab Euxino ponto labenti, pergenóque fluctibus reciprocis ad AEgæum, discidium panditur terrarum angustum. Ex angulo tamen orientali Macedonicis iungitur collimitiis per artas præcipitesque vias, quæ cognominantur Acontisma; cui proxima Arethusa conuallis & statio, in qua visitur Euripidis sepulcrum tragœdiarum sublimitate conspicui: & Stagira, vbi Aristotelem (vt Tullius ait) fundentem aureum flumen, natum accepimus. Hæc quoque priscis temporibus loca barbari tenuere; morum sermonumque varietate dissimiles. E quibus præter alios vt immaniter efferati memorantur *Odrysæ*, ita humanum fundere sanguinem adsueti, vt quum hostium copia non daretur, ipsi inter epulas post cibi satietatem & potus, suis velut alienis corporibus imprimerent ferrum. Verum aucta rep. dum consulare vigeret imperium, has gentes antehac semper indomitas vagantesque sine cultu vel legibus, Marcus Didius ingenti destinatione pressit, Drusus intra fines continuit proprios, Minucius prope a-

amnem

amnem Hebrum, a celsis Odrysarum montibus fluentem, superatos prœlio strauit: post quos residui ab Appio Claudio proconsule sunt infesta concertatione deleti. Opida enim in Bosporo sita & Propontide, classes obtinuere Romanæ. Aduenit post hos imperator Lucullus, qui cum audacissima gente *Bessorum* conflixit omnium primus: eodemque impetu *Hæmimontanos* acriter resistentes oppressit. Quo imminente, Thraciæ oẽs in dicionem veterum transiuere nostrorum. Hocq; modo post procinctus ancipites, reipubl. sex prouinciæ sunt quæsitæ. Inter quas prima, quæ ex fronte Illyris est confinis, *Thracia* speciali nomine appellatur: quã Philippopolis Eumolpias vetus & Berœa amplæ ciuitates exornant. Post hanc *Hæmimontus* Hadrianopolim habet, quæ dicebatur Vscudama, & Anchialon, ciuitates magnas. Dein * *Mysia*, vbi Marcianopolis est, a sorore Traiani principis ita cognominata; & Dorostorus & Nicopolis & Odyssus. Iuxtaq; *Scythia*, in qua celebriora sunt opida Dionysopolis, & Tomi, & * Calatis. *Europa* omnium vltima, præter municipia vrbibus nitet duabus, Apris & Perintho, quam Heracleam posteritas dixit. *Rhodopa* huic annexa, Maximianopolim habet & Maroneam & AEnum, post quam conditam & relictã, AEneas Italiam auspiciorũ prosperitate perpetua post diuturnos occupauit errores. Constat aũt, vt vulgauere rumores adsidui, oẽs pene agrestes, qui per regiones prædictas montium circumcolunt altitudines, salubritate virium & prærogatiua quadã vitæ longius propagandæ nos anteire: idq; inde contingere arbitrantur, quod colluuione ciborum abstinent calidis; & perenni viriditate roris aspergininibus gelidis corpora constringente, auræ purioris dulcedine potiuntur, radiosq; solis suapte natura vitales, primi omniũ sentiunt, nullis adhuc maculis rerũ humanarum infectos. His ita digestis pedem referamus ad cœpta. Procopio superato in Phrygia, internarumq; dissensionũ materia consopita, Victor magister equitũ ad Gotthos est missus, cogniturus aperte quam ob caussam gens amica Romanis, fœderibusq; ingenuæ pacis obstricta, armorũ dederat adminicula bellũ principib. legitimis inferenti. Qui vt factũ prima defensione purgarent, litteras eiusdem obtulere Procopii, vt generis * Constantiani propinquo imperiũ sibi debitum sumpsisse cõmemorantis; veniaque dignum adserentes errorem. Quibus eodem referente Victore compertis, Valens paruipẽdens excusationem vanissimam, in eos signa commouit, motus aduentantis iã præscios: & pubescente vere, quæsito in vnum exercitu, prope Daphnen nomine munimentum est castrametatus: ponteque contabulato, supra nauium foros flumen transgressus est Histrum, resistentibus nullis. Iamque sublatus fiducia, quum vltro citroque discurrens nullum inueniret quem superare posset vel terrere, (omnes enim formidine perciti militis cum apparatu ambitioso propinquantis, montes petiuere Serrorum, arduos & inaccessos nisi perquam gnaris) ne æstate omni consumpta sine vllo remearet effectu, Arintheo magistro peditum misso cum prædatoriis globis, familiarum rapuit partem; quæ antequam ad dirupta venirent & flexuosa, capi potuerunt, per plana camporum errantes. Hocque tantum quod * fors dederat impetrato, rediit cum suis innoxius, nec illato graui vulnere nec accepto. Anno sequuto ingredi terras hostiles pari alacritate conatus, fusius Danubii gurgitibus vagatis impeditus, mansit immobilis, prope Carporum vicum statiuis castris vsq; ad autumnum locatis emensum. Vnde, quia nihil agi potuit, dirimente magnitudine fluentorum, Marcianopolim ad hiberna discessit. Simili pertinacia tertio quoque anno per Nouidunum nauibus ad transmittendum amnem connexis perrupto barbarico, continuatis itineribus longius agentes * Grutungos, bellicosam gentem, adgressus est: postque leuiora certamina Athanaricum ea tempestate iudicem potentissimum, ausum resistere cum manu quam sibi crediderit abundare, extremorum metu coegit in fugam: ipseque cum omnibus suis Marcianopolim rediuit ad hiemem agendam, vt in illis tractibus habilem. Aderant post diuersos triennii casus finiendi belli materiæ tempestiuæ. Prima, quod ex principis diuturna permansione, metus augebatur hostilis. Dein, quod commerciis vetitis vltima necessariorum inopia barbari stringebantur: adeo vt legatos supplices sæpe mittentes, venialem poscerent pacem. Quibus Imperator rudis quidem, verum spectator adhuc æquissimus rerum, antequam adulationum perniciosis illecebris captus rem-

publ. funeribus perpetuo deflendis adfligeret, in commune consultans, pacem dare oportere decreuit: emisitque vicissim Victorem & Arintheum, qui tunc equestrem militiam agerent. Qui quum propositis conditionibus adsentiri Gotthos docuissent litteris veris, præstituitur componendæ paci conueniens locus. Et quoniam asserebat Athanaricus sub timenda exsecratione iurisiurandi, se esse obstrictũ mandatisque prohibitum patris ne solum aliquando calcaret Romanorum, & adigi non poterat, indecorumque erat & vile ad eum Imperatorem transire: recte noscentibus placuit, nauibus remigio directis in medium flumen, quæ vehebant cum armigeris principem, gentisque iudicem, inde cum suis fœderari, vt statutum est, pacem. Hocque composito & acceptis obsidibus, Valens Constantinopolim rediit; vbi postea Athanaricus proximorum factione genitalibus terris expulsus, fatali sorte decessit, & ambitiosis exsequiis ritu sepultus est nostro. Inter hæc Valentiniano magnitudine quassato morborum, agitanteq; extrema, conuiuio occultiore Gallorum qui aderant in commilitio principis, ad imperium Rusticus Iulianus tunc magister memoriæ poscebatur, quasi adflatu quodã furoris, bestiarũ more humani sanguinis auidus, vt ostenderat quũ proconsulari potestate regeret Africam: in præfectura enim vrbana, quam adhuc administrans exstinctus est, tempus anceps metuens tyrannidis, cuius arbitrio tamquã inter dignorum inopiã ad id adscẽderat culmen, lenis videri cogebatur & mollior. Contra hos nitebantur aliqui studiis altiorib. in fauorem Seueri magistri tunc peditum, vt apti ad hoc impetrandum: qui licet asper esset & formidatus, tolerabilior tamen fuit, & modis omnibus præferendus antedicto. Sed quum hæc cogitantur incassum, Imperator remediis multiplicibus recreatus, vixque se mortis periculo contemplans extractum, Gratianum filium suũ adulto iam proximum insignibus principatus ornare meditabatur: & parans omnibus, militeque firmato vt animis id acciperet promptis, quum Gratianus venisset, progressus in campum, tribunal adscendit: splendoreque nobilium circumdatus potestatum, dextera puerum adprehensum productumq; in medium, oratione cõcionaria destinatũ Imperatorem exercitui * commendabat: *Auctum erga me vestri fauoris indiciũ hunc loci principalis circumferens habitũ, quo potior aliis iudicatus sum multis & claris, consiliorum sociis votorumque auspicibus vobis, pietatis officiis adgrediar tempestiuis, prospera Deo spondente: cuius sempiternis auxiliis stabit Romana res inconcussa. Accipite igitur quæso placidis mentibus viri fortissimi desideriũ nostrum; id reputantes, quod hæc quæ fieri caritatis sanciunt iura, non tantum transire volumus per conscientiam vestram, verum & probata firmari, vt congrua nobis & profutura. Gratianum hunc meum adultum, quẽ diu versatum inter liberos vestros* commune diligitis pignus, vndique muniendæ tranquillitatis publicæ caussa, in augustum sumere commilitium paro; si propitia cælestis numinis vestræque maiestatis voluntas parentis amorem iuuerit præeuntem, non rigido cultu ab incunabulis ipsis vt nos educatum, nec tolerantia rerum coalitum asperarum, nec capacem adhuc Martii pulueris, vt videtis; sed familiæ suæ laudibus maiorumque factis præstantibus concinentem, paucioribus iniuriæ metu, vt dicitur, protinus surrepturum. Vt enim mihi videri solet, mores eius & appetitus licet nondum maturos sæpe pensanti ineunte adolescentia, quoniam humanitate & studiis disciplinarum sollertium expolitus librabit suffragiis puris merita recte secusue factorum, faciet vt sciant se boni intellegi; in pulchra facinora procursabit signis militaribus & aquilis adhæsurus; solem niuesque & pruinas & sitim perferet & vigilias; castris, si necessitas adegerit, aliquotiens propugnabit; salutem pro periculorum sociis obiectabit: &, quod pietatis summũ primumq; munus est, remp. vt domũ paternam diligere poterit & auitam.* Nondũ finita oratione, dictis eũ adsensu læto auditis, pro suo quisque loco animo læto milites alius aliũ anteire festinans, tãquã vtilitatis & gaudiorũ participes, GRATIANVM declararunt Augustum, classicorũ amplissimo sono blandum fragorem miscentes armorum. Quo viso, maiore fiducia Valentinianus exsultans, corona indumentisque supremæ fortunæ ornatum filium osculatus, iamq; fulgore conspicuum, alloquitur aduertentem quæ dicebat: *En* (inquit) *habes mi Gratiane amictus, vt sperauimus omnes, augustos, meo commilitonumque nostrorum arbitrio delatos ominibus faustis. Accingere igitur pro rerum vrgentium pondere vt patris & patrui collega, & adsuesce impauidus penetrare cum agminibus peditum gelu per-*

peruios Histrum & Rhenum; armatis tuis proximus stare; sanguinem spiritumque considerate pro his impendere quos regis; nihil alienum putare quod ad Romani imperii pertinet latus. Hæc pro tempore præcepisse sufficiat; cetera monere non desinam. Nunc reliquum vos estis rerum maxime defensores: quos rogo & obtestor, vt ad crescentem Imperatorem fidei vestræ commissum seruetis adfectione fundata. His dictis solennitate omni firmatis Eupraxius Cæsariensis Maurus, magister ea tempestate memoriæ, primus omnium exclamauit, *Familia Gratiani hoc meretur*: statimque promotus quæstor, multa & prudentibus æmulanda bonæ fiduciæ reliquit exempla, nusquam a statu naturæ discedens intrepidæ, sed constans semper legumque similis, quas omnibus vna eadẽque voce loqui, in multiplicibus aduertimus caussis: qui tunc magis in suscepta parte iustitiæ permanebat, quum eum recta monentem exagitaret minax Imperator & nimius. Consurrectum est post hæc in laudes maioris principis & nouelli, maximeque pueri; quem oculorum flagrantior lux commendabat, vultusque & reliqui corporis iucundissimus nitor, & egregia pectoris indoles: quæ Imperatorem implesset, cum veterum lectissimis comparandum, si per fata proximosque licuisset, & qui virtutem eius etiam tum instabilem adnubilabant actibus prauis. In hoc tamen negotio Valentinianus morem institutum antiquitus supergressus, non Cæsares sed Augustos germanum nuncupauit & filium; beniuole satis. Nec enim quisquam antehac adsciuit sibi pari potestate collegam, præter principem Marcum, qui Verum adoptiuum fratrem absq; diminutione aliqua maiestatis imperatoriæ socium fecit. His ex sententia rectorum & militum ordinatis, vix dies intercessere pauci, quum Mamertinum præfectum prætorio ab vrbe regressum, quo quædam perrexerat correcturus, Auitianus ex vicario peculatus detulerat reum. Cui ideo Vulcatius successit Rufinus, omni ex parte perfectus, & velut apicem senectutis honoratæ prætendens; sed lucrandi opportunas occasiones occultationis spe numquam prætermittens. Qui nactus copiam principis, Orfitum ex præfecto vrbis solutum exsilio, patrimonii redintegrata iactura remitti fecit in lares. Et quamquam Valentinianus homo propalam ferus, inter imperitandi exordia, vt asperitatis opinionem molliret, impetus truces retinere nonnumquam in potestate animi nitebatur, serpens tamen vitium & dilatum aliquamdiu licentius erupit ad perniciem plurimorum, quod auxit ira acerbius efferuescens. Hanc enim esse vlcus animi diuturnum, interdumq; perpetuum, prudentes definiunt, nasci ex mentis mollicie consuetum; id adserentes argumento probabili, quod iracundiores sunt incolumibus languidi, & fœminæ maribus, & iuuenibus senes, & felicibus ærumnosi. Eminuit tamen per id tempus inter alias humilium neces mors Dioclis ex comite largitionum Illyrici, quem ob delicta leuia flammis iussit exuri; & Diodori ex agente in rebus, triumque appatitorũ potestatis vicariæ per Italiam, ob id vexatorum atrociter, quod apud eum questus est comes, Diodorum quidem aduersus se *ciuiliter implorasse iuris auxilium, officiales vero iussu iudicis ausos monere proficiscentem vt responderet ex lege. Quorum memoriam apud Mediolanum colentes nunc vsque Christiani, locum vbi sepulti sunt, *Ad innocentes* appellant. Dein quum in negotio Maxentii cuiusdam Pannonii ab exsequutione a iudice recte maturari præcepta, trium opidorum ordines mactari iussisset, interpellauit Eupraxius tunc quæstor; & *Parcius*, inquit, *agito piissime principum: hos enim quos interfici tamquam noxios iubes, vt martyras, id est diuinitati acceptos, colit religio Christiana.* Cuius salutarem fiduciã præfectus imitatus Florentius, quum in re quadam venia digna audisset, eum percitũ ira iussisse ternos per ordines vrbium interfici plurimarum, *Et quid agetur*, ait, *si opidum aliquod curiales non haberet tantos? Inter reliqua id quoque suspendi debet, vt quum habuerint occidantur.* Ad hanc inclementiam illud quoque accedebat, dictu dirum & factu, quod si quis eum adisset iudiciũ potentis inimici declinans aliũque sibi postulans dari, hoc non impetrato, ad eũdem quem metuebat, licet multa prætenderet iusta, remittebatur. Itemque aliud audiebatur horrendum, quod vbi debitorum aliquem egestate obstrictum nihil reddere posse dicebatur, interfici debere pronuntiabat. Hæc autem & similia licenter ideo altiore fastu quidam principes agunt, quod amicis emendandi secus cogitata vel gesta copiam negant, inimicos loqui terrent amplitudine potestatis.

Nulla vacat * quæstio prauitatum apud eos qui quod volunt, maximas putant esse virtutes. Profectus itaque ab Ambianis Treuerosque festinans, nuntio percellitur graui, qui Britannias indicabat barbarica conspiratione ad vltimam vexatas inopiam; Nectaridiumque comitem maritimi tractus occisum, & Bulchobaudem ducem hostilibus insidiis circumuentum. Quibus magno cum horrore compertis, Seuerum etiam tum domesticorum comitem misit, si * fors casum dedisset optatum, correcturum * secius gesta: quo paulo postea reuocato, Iouinus eadem loca profectus, * Prouentusidem celeri gradu præmisit, adminicula petiturus exercitus validi. id enim instantes necessitates flagitare firmabant. Posttemo ob multa & metuenda quæ super eadem insula rumores adsidui perferebant, electus Theodosius illuc properare disponitur, officiis martiis felicissime cognitus: adscitaque animosa legionum & cohortium pube, tendebat præeunte fiducia speciosa. Et quoniam quum Constantis principis actus componerem, motus adolescentis & senescentis oceani tractumque Britanniæ pro captu virium explanaui, ad ea quæ digesta sunt semel, reuolui superfluum duxi; vt Vlyxes Homericus apud Phæacas ob difficultatem nimiam replicare formidat. Illud tamen sufficiet dici, quod eo tempore Picti in duas gentes diuisi, Dicalidonas & Vecturiones, itidemque Attacotti bellicosa hominum natio, & Scotti, per diuersa vagantes multa populabantur. Gallicanos vero tractus Franci & Saxones iisdem confines, quo quisque erumpere potuit terra vel mari, prædis acerbis incendiisque & captiuorum funeribus hominum violabāt. Ad hæc prohibenda, si copiam dedisset fortuna prosperior, orbis extrema dux efficacissimus petens, quum venisset ad Bononiæ litus, quod a spatio controuerso terrarum angustiis reciproci distinguitur maris, attolli horrendis æstibus adsueti, rursusque sine vlla nauigantium noxa in speciem complanari camporū; exinde transmeato lenius freto, defertur * Rutupias stationem ex aduerso tranquillam. Vnde quum consequuti Bataui venissent & Heruli, Iouiique & Victores fidentes viribus numeri, egressus tendensque ad * Lundonium vetus opidum, quod Augustam posteritas appellauit: diuisis plurifariam globis, adortus est vagantes hostium vastatorias manus, graues onere sarcinarum. Et propere fusis qui vinctos homines agebant & pecora, prædam excussit, quam tributarii perdidere miserrimi. Denique restituta omni, præter partem exiguam impensam militibus fessis, mersam difficultatibus suis antehac ciuitatem, sed subito qua salus sperari potuit recreatam, in ouantis speciem lætissimus introiit. Vbi ad audenda maiora prospero successu elatus, tutaque scrutando consilia, futuri morabatur ambiguus; diffusam variarum gentium plebem & ferocientem immaniter, non nisi per dolos occultiores & improuisos excursus superari posse, captiuorum confessionibus & transfugarum indiciis doctus. Denique edictis propositis impunitateque promissa, desertores ad procinctum vocabat, & multos [alios] per diuersa libero commeatu dispersos. Quo monitu vt redierepleriique, incentiuo percitus, retentusque anxiis curis, Ciuilem nomine recturum Britannias pro præfectis, ad se poposcerat mitti, virum acrioris ingenii, sed iusti tenacem & recti: itidemque Dulcitium, ducem scientia rei militaris insignem. Hæc in Britanniis agebantur. Africam vero iam inde ab exordio Valentiniani imperii exurebat barbarica rabies, per procursus audentiores & crebris cædibus & rapinis intenta. Quam rem militaris augebat socordia, & aliena inuadendi cupiditas, maximeque Romani nomine comitis. Qui venturi prouidus, transferendæque in alios inuidiæ artifex, sæuitia morum multis erat exosus; hac præcipue caussa, quod superare hostes in vastandis prouinciis festinabat, affinitate Remigii tunc magistri officiorum confisus: quo praua & contraria referente, princeps (vt præ se ferebat ipse) cautissimus, lacrymosa dispendia diutius ignorauit Afrorum. Gestorum autem per eas regiones seriem plenam, & Ruricii præsidis legatorumque mortem, & cetera luctuosa, quum adegerit ratio, diligentius explicabo. Et quoniam adest liber locus dicendi, quæ sentimus aperte loquamur. Hunc Imperatorem omnium primum in maius militares fastus ad damna rerum auxisse communium, dignitates opesque eorum sublimius exigentem; & (quod erat publice priuatimque dolendum) indeflexa sæuitia punientem gregariorum errata, parcentem potioribus, qui tam-

quam

quam peccatis indulta licentia, ad labes delictorum immanium consurgebant: qui ex eo anhelantes, ex nutu suo indistanter putant omnium pendere fortunas. Horum flatus & pondera inuentores iuris antiqui mollientes, etiam insontes quosdam aliquotiens suppliciis aboleri censuere letalibus. Quod sæpe contingit, quum ob multitudinis crimina nonnulli sortis iniquitate plectuntur innoxii: id enim nonnunquam ad priuatorum pertinuit caussas. At in Isauria globatim per vicina digressi prædones, opida villasque vberes libera populatione vexantes, magnitudine iacturarum Pamphyliam adflictabant & Cilicias. Quos quum nullis atcentibus interneciue cuncta disperdere Asiæ vicarius ea tempestate * Musonius aduertisset, Athenis Atticis antehac magister rhetoricus, deploratis nouissimis rebus luxuque adiumento militari marcente, adhibitis semiermibus paucis, quos *diocmitas appellant, vnum grassatorum cuneum, si patuisset facultas, adoriri conatus, per angustum quemdam transiens deuexitatis anfractum, ad ineuitabiles venit insidias: & ibi cum his confossus est quos ducebat. Tali successu latrones prætumidos, palantesque per varia confidentius, interfectis aliquibus ad latebrosa * montium saxa quæ incolunt, excitæ tamdem copiæ contruserunt: vbi cum eis nec quiescendi nec inueniendi ad victum vtilia, copia laxaretur, præter inducias pacem sibi tribui poposcerunt, Germanicopolitanis auctoribus, quorum apud eos vt signiferæ manus semper valuere sententiæ: obsidibusque datis, vt imperatum est, immobiles diu mansere, nihil audentes hostile. Hæc inter Prætextatus præfecturam vrbis sublimius curans, per integritatis multiplices actus & probitatis, quibus ab adolescentię rudimentis inclaruit, adeptus est id quod raro contingit, vt quum timeretur, amorem nō perderet ciuium, * minus firmari solitum erga iudices formidatos. Cuius auctoritate iustisque veritatis suffragiis tumultu lenito, quem Christianorum iurgia concitarant, pulsoq; Vrsicino, alta quies pari iam proposito ciuium Romanorum aptissima adolescebat, gloria *clari rectoris plura & vtilia disponentis. Nam & * Mæniana sustulit omnia, fabricari Romæ priscis quoque vetita legibus; & discreuit priuatorum parietes ab ædibus sacris, iisdem inuerecunde connexos: ponderaque per regiones instituit vniuersas, quum auiditati multorum ex libidine trutinas componentium occurri nequiret. In examinandis vero litibus ante alios id impetrauit quod laudando Brutum Tullius refert, vt, quum nihil ad gratiam faceret, omnia tamen grata viderentur quæ *faciebat. Sub idem fere tempus Valentiniano ad expeditionem caute (vt rebatur) profecto, Alemannus regalis Rando nomine, diu præstruens quod cogitabat, Magontiacum præsidiis vacuam cum expeditis ad latrocinandum latenter irrepsit. Et quoniam casu Christiani ritus inuenit celebrari solennitatem, impræpedite cuiusquemodi fortunæ virilem & muliebrem sexū cum supellectile nō parua indefensum abduxit. Paruo inde post interuallo inopina rei Romanæ spes lætiorum adfulsit. Quum enim * Vithicabius rex Vadomarii filius, specie quidem molliculus & morbosus, sed audax & fortis, ardores in nos sæpe succenderet bellicos, opera nauatur impensior vt qualibet concideret strage: & quia attentatus aliquoties nullo genere potuit superari vel prodi, fraude citerioris vitæ ministri, studio sollicitante nostrorum, occubuit. Cuius post necem, aliquatenus hostiles torpuere discursus: interfector tamen præ metu pœnarum quas verebatur, si patuisset negotium, ad Romanum solum se celeri transtulit gradu. Parabatur post hæc lentioribus curis & per copias multiformes in Alemannos expeditio, solitis grauior, destinatius id publica tutela poscente: quia reparabilis gentis motus timebantur infidi, milite nihilominus accenso: cui ob suspectos eorum mores, nunc * infirmorum & supplicum, paulo post vltima minitantium, nullæ quiescendi dabantur induciæ. Contracta igitur vndique mole maxima cateruarum armis & subsidiis rei cibariæ diligenter instructa, accitoque Sebastiano comite cum Illyricis & Italicis numeris quos regebat, anni tempore iam recente Valentinianus cum Gratiano Rhenum transgressus, indiuisis agminibus quadratis ipse medius incedebat, Iouino & Seuero magistris rei castrensis altrinsecus ordinum latera seruantibus, ne repentino inuaderentur adsultu. Protinusque inde ductantibus itinerum callidis, exploratis accessibus per regiones longo itu porrectas, sensim gradiens miles irritatior ad pugnandum, velut

repertis barbaris minaciter infrendebat. Et quoniam aliquot diebus emensis nullus potuit qui resisteret inueniri, cuncta satorum & tectorum quæ visebantur, iniecta cohortium manu vorax flamma vastabat, præter alimenta quæ colligi dubius rerũ euentus adigebat & custodiri. Post hæc leniore gressu princeps vlterius tendens, quum prope locum venisset cui Solicinio nomen est, velut quodam obice stetit, doctus procursantium relatione verissima barbaros longe conspectos qui nullam ad salutem tuendam viam superesse cernentes, nisi se celeri defendissent occursu, locorum gnaritate confisi, vnum spirantibus animis montem occupauere præcelsum, per confragosos colles vndique præruptum & inuium absq; septemtrionali latere, vnde facilem habet deuexitatem & mollem. Signis ilico fixis ex more quum vndiq; ad arma conclamaretur, imperio principis & ductorum stetit regibilis miles, vexillũ opperiens extollendum; quod erat opportune subeũdæ indicium pugnę. Ergo quia spatium deliberandi aut exiguum dabatur aut nullum, hinc impatientia militis perterrente, inde horrenda circumsonantibus Alemannis, id consilium ratio celeritatis admisit, vt arctoam montium partem, quam clementer diximus esse procliuem, Sebastianus cum suis occuparet, fugientes Germanos, si fors ita tulisset, leui negotio confossurus. quod haud placuit maturato. Gratianoque apud signa Iouianorum retro detento, cuius ætas erat etiam tum prœliorum impatiens & laborum, Valentinianus, vt dux cunctator & tutus, centurias & manipulos capite intecto consalutans, (nullo potentium in conscientiam arcani adhibito, remota multitudine stipatorum) speculatum radices aggerum auolauit cum paucis, quorum industriam norat & fidem: prædicans (vt erat sui arrogans æstimator) inueniri posse aliã viam ducentem ad arduos cliuos, præter eam quã inspexere procursatores. Per ignota itaq; & palustres vligines deuius tendens, insidiatricis manus locatæ per *abrupta subito oppetiisset adcursu, ni necessitatis adiumento postremo per labilem limum incitato iumento digressus legionum se gremiis immersisset, post abruptum periculum, cui adeo proximus fuit, vt galeam eius cubicularius ferens auro lapillisque distinctam, cum ipso tegmine penitus interiret, nec postea viuus reperiretur aut interfectus. Proinde quiete reficiendis corporibus data, signoque erecto, quod solet ad pugnã hortari, tubarum minacium accendente clangore, fidentissimo impetu acies moras prompte ante alios præiere duo iuuenes lecti in principiis adeundi discriminis, Saluius & Lupicinus; scutarius vnus, alter e schola gentilium; fragore terribili concitantes: hastasque crispando quum ad rupium obiecta venissent: trudentibusque Alemannis euadere ad celsiora conarentur, aduenit huc omne pondus armorum. Iis deniq; antesignanis per hirta dumis & aspera magno virium nisu in editas sublimitates erepsit. Acri igitur partiũ spiritu conflictus cuspidibus tentatur infestis: & hinc arte belli doctior miles, inde licet feroces, sed incauti barbari, dexteris coiere collatis: quos latius sese pandens exercitus infusis vtrimque cornibus adflictabat, per fremitus territos & equorum hinnitus & tubas. Nihilominus tamen ipsi adsumpta fiducia restiterunt: æquataque parumper prœliorum sorte, haud parua mole certatum est, dum turmarum funeribus in vtris res gerebatur. Disiecti denique Romanorum ardore metuque turbati, miscentur vltimis primi: dumque in pedes versi discedunt, *verutis hostilibus forabantur & pilis. Postremo dum anheli currunt & fessi, pandebant sequentibus poplites & suras & dorsa. Stratis deniq; multis, lapsorũ partem Sebastianus, cũ subsidiali manu locatus post montiũ terga, trucidauit, ex incauto latere circumuentam: dispersi ceteri siluarum se latebris amandarunt. In hac dimicatione nostri quoq; oppetiere non contemnendi. inter quos Valerianus fuit domesticorum omnium primus; * & natus spado quidam scutarius, *exercitus ita bellator, vt Sicinio veteri compararetur & Sergio. Hisq; tali casuum diuersitate peractis, milites ad hiberna, Imperatores Treueros reuerterunt. Per hæc tempora Vulcatio Rufino absoluto vita dum * administrat, ad regendam præfecturam prætorianam ab vrbe Probus accitus; claritudine generis & potentia & opum amplitudine cognitus orbi Romano, per quem vniuersum pene patrimonia sparsa possedit; iuste an secus, non iudicioli est nostri. Hunc quasi gemina quædam (vt poetæ fingũt) fortuna præpetibus pennis vehens, nunc beneficum ostendebat & amicos al-

tius erigentem, aliquotiens insidiatorem dirum & per cruentas noxium simultates: Et licet potuit quoad vixit ingentia largiendo & interpellando potestates adsiduas: erat tamen interdum timidus ad audaces, contra timidos celsior: vt videretur, quũ sibi fideret, de cothurno strepere tragico; & vbi paueret, omni humilior socco. atque vt natantiũ genus elemẽto suo expulsum, haud ita diu spirat in terris, ita ille marcebat absque præfecturis; quas obiurgia* familiarum ingentium capessere cogebatur, numquam innocentium per cupiditates immensas, vtque multa perpetrarent impune, dominum suum mergentium in rempubl. Namque fatendum est; numquam illa magnanimitate coalitus clienti vel seruo agere quidquam iussit illicitum. Sed si eorum quemquam crimen vllum compererat admisisse, vel ipsa repugnante iustitia, non explotato negotio, sine respectu boni honestique defendebat. Quod vitium reprehendens pronuntiat Cicero, *Quid enim interest inter suasorem facti & probatorem? Aut quid refert vtrum voluerim fieri, an gaudeam factum?* Suspiciosus tamẽ & minutus suopte ingenio fuit, & subamarum arridens, blandiensq; interdũ vt noceat: (id autem perspicuum est in eiusmodi moribus malum, tum maxime quum celari posse existimatur) ita implacabilis &* diruptus vt, si lædere quemquam instituisset, nec exotari posset, nec ad ignoscendum erroribus inclinari: ideoque aures eius non erant, sed pluribus videbantur obstructæ. in summis diuitiarum & dignitatum culminibus anxius & sollicitus, ideoque semper leuibus morbis adflictus. Hæc per occidentales plagas rerum series fuere gestarum. Rex vero Persidis longæuus ille Sapor, & ab ipsis imperitandi exordiis dulcedini rapinarũ addictus, post imperatoris Iuliani excessum, & pudendæ pacis icta fœdera, cum suis paulisper nobis visus amicus, calcata fide sub Iouiano pactorum, iniectabat Armeniæ manũ, vt eam velut placitorum abolita firmitate, dicioni iungeret suæ. Et primo per artes fallendo diuersas, nationem omnem renitentem dispendiis leuibus adflictabat, sollicitans quosdã optimatũ & satrapas, alios excursibus occupans improuisis. Dein per exquisitas periuriisque mixtas illecebras captum regem ipsum Arsacem, adhibitum quem conuiuium, iussit ad latentem trahi posticam: cumque effossis oculis vinctum catenis argenteis (quod apud eos honoratis vanum suppliciorum æstimatur esse solatium) exterminauit ad castellum Agabana nomine: vbi discruciatus cecidit ferro pœnali. Deinde, nequid intemeratum perfidia præteriret, * Sautomace pulso quem auctoritas Romana præfecit Hiberiæ, Aspacuræ cuidam potestatem * huiusmodi detulit, gentis diademate addito, vt arbitrio se monstraret insultare nostrorum. Quibus ita studio nefando perfectis, Cylaci spadoni & Artabani, quos olim susceperat perfugas, commisit Armeniam: (horum alter, ante gentis præfectus, magister fuisse dicebatur armorum) iisdemque mandarat vt Artogerassam intensiore cura exscinderent, opidum muris & viribus validum, quod thesauros & vxorem cum filio Arsacis tuebatur. Inire, vt statutum est, obsidium duces: & quoniam munimentum positum in asperitate montana, rigente tunc cælo niuibus & pruinis, adiri non poterat, eunuchus Cylaces aptusque ad muliebria palpamenta, Artabane adscito prope mœnia ipsa, fide non amittendæ salutis accepta, propere venit: & cum socio ad interiora susceptus vt postulauit, suadebat * minacem defensoribus & reginæ motum Saporis inclementissimi omnium lenire deditione veloci. Multis post hæc vltro citroque dictitatis, eiulanteque muliere truces mariti fortunas, proditionis acerrimi compulsores in misericordiam flexi mutauere consilium: & spe potiorum erecti secretis colloquiis ordinarunt, hora præstituta nocturna reclusis subito portis validam manum erumpere, vallumque hostile cædibus aggredi repentinis: vt lateant id tentantes, polliciti se proditiuros. Quibus religione firmatis egressi, biduumque ad deliberandum quid capessere debeant sibi concedi clausos petisse adseuerantes, in desidiam obsessores traduxerunt: & vigiliis quibus ob securitatem altiore stertitur somno, ciuitatis aditu reserato iuuentus exsiluit velox: passibusque insonis expeditis mucronibus repentes, quum castra nihil metuentium inuasissent, iacentes multos nullis resistentibus trucidarunt. Hæc inopina defectio necesque insperatæ Persarum, inter nos & Saporem discordiarum excitauere caussas immanes: illo etiam accedente quod Arsacis filium Param, suadente matre, cum paucis e muni-

mento digreſſum ſuſceptumq;, Imperator Valens apud Neocæſaream morari præcepit, vrbē Polemoniaci ponti notiſſimā, liberali victu curandū & cultu. Qua humanitate Cylaces & Artabanes illecti, miſſis oratoribus a Valente auxilium, eumdemq; Param regem ſibi tribui popoſcerunt. Sed pro tempore adiumentis negatis, per Terentium ducem Para reducitur in Armeniam, recturus interim ſine vllis inſignibus gentem: quod ratione iuſta eſt obſeruatum, ne fracti fœderis nos argueremur & pacis. Hoc comperto textu geſtorum, Sapor vltra hominem efferatus, *concitus maioribus curis Armenias aperta prędatione vaſtabar. Cuius aduentu territus Para, itidemque Cylaces & Artabanes, nulla circumſpectantes auxilia, celſorum montiū petiuere* ſeceſſus, limites noſtros diſterminantes & Lazicam: vbi per ſiluarum profunda & flexuoſos colles menſibus quinque deliteſcentes, regis multiformes luſere conatus. Qui operam teri fruſtra contemplans ſidere flagrante brumali, pomiferis exuſtis arboribus, caſtelliſque munitis & caſtris quæ ceperat ſuperata [vel prodita,] cum omni pondere multitudinis Artogeraſſam circumſeptam & poſt varios certaminum caſus laſſatis defenſoribus patefactam, incendit; Arſacis vxorem erutam inde cum theſauris abduxit. Quas ob cauſſas ad eas regiones Arintheus cum exercitu mittitur comes, ſuppetias laturus Armeniis, ſi eos exagitare procinctu gemino tentauerint Perſæ. Inter quæ Sapor, immenſum quantum aſtutus, & quum ſibi conduceret, humilis aut elatus, ſocietatis futuræ ſpecie Param vt incurioſum ſui, per latentes nuntios increpabat, quod maieſtatis regiæ velamento Cylaci ſeruiret & Artabani. quos ille præceps blanditiatum illecebris interfecit; capitaque cæſorum ad Saporem vt ei morigerus miſit. Hac clade late diffuſa Armenia omnis periſſet, ni propugnatoris Arinthei aduentu territi Perſæ eam incurſare denuo diſtuliſſent; hoc ſolo contenti quod ad Imperatorem miſere legatos, petentes nationem eamdem, vt ſibi & Iouiano placuerat, non defendi. Quibus repudiatis, Sauromaces pulſus, vt ante diximus, Hiberiæ regno, cum duodecim legionibus & Terentio remittitur: & eum amni Cyro iam proximum * Aſpacuras orauit vt ſocia poteſtate conſobrini regnarent; cauſatus ideo ſe nec cedere nec ad partes poſſe tranſire Romanas, quod * Vltus eius filius obſidis lege tenebatur adhuc apud Perſas. Quæ Imperator doctus, vt concitandas ex hoc quoque negotio turbas conſilio prudentiaq; molliret, diuiſioni adquieuit Hiberiæ: vt eam medius dirimeter Cyrus, & Sauromaces Armeniis finitima retineret & Lazis, Aſpacuras Albaniæ Perſiſque contigua. His percitus Sapor, pactis exclamans indigna, quod contra fœderum textum iuuarentur Armeniæ, & euanuerit legatio quam ſuper hoc miſerat corrigendo, quodque ſe non adſentiente nec conſcio diuidi placuit Hiberiæ regnum, velut obſerans amicitiæ foribus, vicinarum gentium auxilia conquirebat, ſuumque parabat exercitum; vt ſerenata cæli tempeſtate, ſubuerteret omnia quæ ex re ſua ſtruxere Romani.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER VIGESIMVSOCTAVVS.

DVM apud Perſas (vt ſupra narrauimus) perfidia regis motus agitat inſperatos, & in Eois tractibus bella rediuiua conſurgunt, anno ſextodecimo & eo diutius poſt Nepotiani exitium, ſæuiens per vrbem æternam vrebat cuncta Bellona, ex primordiis minimis ad clades excita luctuoſas: quas obliteraſſet vtinam iuge ſilentium, ne forte paria quandoque tententur, plus exemplis generalibus nocitura quam delictis. Ac licet ab hoc textu cruento geſtorum exquiſite narrando, iuſtus me retraheret metus multa reputantem & varia; tamen præſentis temporis modeſtia fretus, carptim, vt quæque memoria digna ſunt, explanabo. Nec pigebit quid ex his quæ apud veteres acciderint, timuerim, docere ſuccincte. Bello Medico primo quum diripuiſſent Aſiam Perſæ, obſidentes

ſidentes

ſidentes militum molibus magnis, minanteſque defenſoribus cruciabiles neces, iniocere clauſis neceſſitatem; vt omnes magnitudine malorum adflicti, peremptis caritatibus propriis, proiectoque in ignem mobili cenſu, arſuros ſe certatim congererent in communem pereuntis patriæ rogum. Hoc argumentum paulo poſtea digeſtum, tumore tragico Phrynicbus in theatrum induxerat Athenarum: paulisperque iucunde auditus, quũ cothurnarius ſtylus procederet lacrymoſus, indignatione damnatus eſt populi, arbitrati, non conſolandi gratia, ſed probroſe monendi quæ pertulerat amabilis ciuitas nullis auctorum adminiculis fulta, hos quoq; dolores ſcenicis adnumeraſſe fabulis inſolenter: Miletumque relegatus eſt. erat enim Athenienſium colonia Miletus, deducta inter Ionas alios per Nileum filium Codri, qui fertur pro patria bello ſe Dorico deuouiſſe. Sed ad propoſita veniamus. Maximinus regens quondam Romæ vicariam præfecturam, apud Sopianas Valeriæ opidum obſcuriſſime natus eſt; patre *tabulario præſidialis officii, orto a poſteritate Carporum; quos antiquis excitos ſedibus Diocletianus tranſtulit in Pannoniam. Is poſt mediocre ſtudium liberalium diſciplinarum, defenſionemq; cauſſarum ignobilem, & adminiſtratas Corſicam itidemque Sardiniam, rexit deinde Tuſciam. Vnde morato in itinere diutius ſucceſſore, progreſſus ad curandam vrbis annonam, etiam prouinciæ moderamina retinebat. Egitque conſideratione triplici inter exordia cautius: primo, quod recalebant in auribus eius parentis effata, quid auguratales alites vel cantus monerent oſcinum adprime callentis, *adusque ſublimia regimenta, ſed periturum ferro pœnali. dein, quod nactus hominem Sardum, quem ipſe poſtea per doloſas fallacias interemit, vt circumtulit rumor, eliciendi animulas noxias & præſagia ſollicitare laruarum perquam gnarum; dum ſupereſſet, ille timens ne proderetur, tractabilis erat & mollior. poſtremo, quod tamquam ſubterraneus ſerpens per humiliora reptando, nondum maiores funerum excitare poterat cauſſas. Principium autem vnde latius ſe funditabat, emerſit ex negotio tali. Chiln ex vicario, & coniux eius Maxima nomine, queſti apud Olybrium ea tempeſtate vrbi præfectum, vitamque ſuam venenis petitam adſeuerantes, impetrarunt vt hi quos ſuſpectati ſunt, ilico rapti cõpingerentur in vincula; organarius Sericus, & Asbolius palæſtrita, & aruſpex Campenſis. Verum negotio tepeſcente propter diuturnam morborum aſperitatem qua tenebatur Olybrius, moræ impatientes hi qui rem detulerunt, libello petiuerunt oblato vt examinandum iurgium præfecto mandaretur annonæ: idque ſtudio celeritatis conceſſum eſt. Accepta igitur nocendi materia Maximinus effudit genuinam ferociam, pectori crudo adfixam: vt ſæpe faciunt amphitheatrales feræ, diffractis tamdem ſolutæ *poſticis. Quumque multiformiter quaſi in proludiis negotium ſpectaretur, & quidam ſulcatis lateribus nominaſſent nobiles aliquos, tamquam vſos artificibus lædendi per clientes, aliosque humiles, *notans reos & indices, ſupra plantam (vt dicitur) euagatus tartareus cognitor, relatione maligna docuit principem, non niſi ſuppliciis acrioribus pernicioſa facinora ſcrutari poſſe vel vindicari quæ Romæ perpetrauere complures. His ille cognitis efferatus, vt erat acer vitiorum inimicus magis quã ſeuerus, vno proloquio in huiusmodi cauſſas, quas arroganti propoſito maieſtatis imminutæ miſcebat, * omnes quos iuris priſci iuſtitia diuorumq; arbitria quæſtionibus exemere cruentis, ſi poſtulaſſet negotium, ſtatuit tormentis adfligi. Vtque congeminata poteſtas erectaque ſublatius, altiores cõſarcinaret ærumnas, Maximino Romæ agere diſpoſito pro præfectis, ſociauit ad hæc cognoſcenda quæ in multorum pericula ſtruebãtur, Leonem Notarium, poſtea officiorũ magiſtrum, buſtuarium quẽdam latronem Pannonium, efflantem ferino rictu crudelitatem, etiam ipſum nihilo minus humani ſanguinis auidiſſimum. Auxit obſtinatum Maximini ingenium ad lædendum, aduentus collegæ ſimilis, & litterarum cum ampla dignitate dulcedo. Ideoque pedes huc & illuc exſultando contorquens, ſaltare, non incedere videbatur, dum ſtudebat ituet altaria celſius gradientes (vt quidam memorant) imitari Brachmanas. Iamque lituis cladium concrepantibus, internarum rerum atrocitate torpentibus cunctis, præter multa cruda & immitia, quorum nec diuerſitas comprehendi nec numerus poteſt, mors Marini cauſſarum defenſoris eminuit: quem vt auſum Hi-

spanillæ cuiusdam artibus prauis adfectasse coniugium, *transeunter indiciorum fide discussa, supplicio letali damnauit. Et quoniam existimo forsitan aliquos hæc lecturos exquisite scrutando notare, strepentes id actum esse prius, non illud, aut ea quæ viderint prætermissa: hactenus faciendum est satis, quod non omnia narratu sunt digna quæ per squalidas transiere personas: nec, si fieri fuisset necesse, instructiones vel ex ipsis tabulariis suppeterent, publicis tot calentibus malis, & nouo furore sine retinaculis imis summa miscente; quum iustitium esse, quod timebatur, non iudicium aperte constaret. Tūc Cethegus senator adulterii reus delatus, ceruice periit abscissa; & Alypius nobilis adulescens ob leuem relegatus errorem; aliique humiles publica morte oppetiuerunt in quorum miseriis velut sui quisq; discriminis imaginem cernens, tortorem & vincula somniabat, & diuersoria tenebrarum. Eodem tempore etiam Hymetii præclaræ indolis viri negotium est actitatum: cuius hunc nouimus esse textum. Quum Africam pro consule regeret, Carthaginiensibus victus inopia iam lassatis, ex horreis Romano populo destinatis frumentum dedit: pauloque postea quum prouenisset segetum copia, integre sine vlla restituit mora. Verum quoniam denis modiis singulis solidis indigentibus venumdatis, emerat ipse tricenos, integrum compendium ad principis ærarium misit. Ideoque Valentinianus per nundinationē suspicatus *parum quam oportuerat missum, eum bonorum parte mulctauit. Ad cuius cladem exaggerandam, id quoque iisdem diebus acciderat non minus exitiale. Amantius aruspex ea tempestate præ ceteris notus, occultiore indicio proditus, quod ob parua quædam implenda, ad sacrificandum ab eodem esset adscitus Hymetio, inductusque in iudicium, quamquam incuruus sub eculeo staret, pertinaci negabat instantia. Quo infitiante, secretioribus chartis ab eius domo prolatis, commonitorium repertum est manu *scriptum Hymetii, petentis vt obsecrata ritu sacrorum solennium numina erga se Imperatoris deliniret; cuius extima parte quædam inuectiua legebatur in principem, vt auarum & truculentum. Hæc Valentinianus relatione indicum doctus, asperius interpretantium facta, rigore nimio in negotium iussit inquiri. Et quia Frontinus consiliarius antedicti, minister fuisse conceptæ precationis arguebatur, concisus virgis atque confessus, ablegatus est in exsilium ad Britannos: Amantius vero damnatus postea rerum capitalium, interiit. Post hanc gestorum seriem Hymetius ad opidum ductus Ocriculum, audiendus ab Ampelio vrbi præfecto & Maximino vicario, confestimque perdendus vt apparebat, data sibi copia rectius Imperatoris præsidium appellauit; nominisque eius perfugio tectus, seruabatur incolumis. Super hoc princeps cōsultus senatui negotium dedit. Qui quum rem liberata iustitia comperisset, eumque ad Boas Dalmatiæ locum exterminasset, ægre Imperatoris iracundiam tulit; percitii vehementer quod hominem addictum (vt ipse proposuerat) morti, clementiori sententia didicerat plexum. Ob hæc & huiusmodi multa quæ cernebantur in paucis, omnibus timeri sunt cœpta. Et ne tot malis dissimulatis paulatimque serpentibus aceruí crescerent ærumnarum, nobilitatis decreto legati mittuntur: Prætextatus ex vrbi præfecto, & ex vicario Venustus, & ex consulari Mineruius; oraturi ne delictis supplicia sint grādiora, *neue senator quisquam inusitate & illicito more tormentis exponeretur. Qui quum intromissi in consistorium hęc referrent, negantem Valentinianum se id statuisse, & calumnias perpeti clamitantem, moderate redarguit quæstor Eupraxius. Hac libertate emendatum est crudele cœptum, supergressum omnia diritatis exempla. Circa hos dies Lollianus primæ lanuginis adulescens Lāpadii filius ex præfecto, exploratius caussam Maximino spectante, conuictus codicem noxiarum artiū nondū per ætatem firmato consilio descripsisse, exsulque mittendus, vt sperabatur, patris impulsu prouocauit ad principem. Et iussus ad eius comitatum duci, de fumo (vt aiunt) in flammam, traditus Phalangio Bæticæ consulati, cecidit *funesta carnificis manu. Super his etiā Taratius Bassus, postea vrbi præfectus, & frater eius Camenius, & Marcianus quidā & Eusaphius, oēs clarissimi, arcessiti in crimen, quod eiusdem conscii venificii aurigam fouere dicebātur Auchenium, documentis etiātum ambiguis, suffragante absoluti sunt Victorino, vt dispersus prodidit rumor: qui erat amicus Maximino iūctissimus. Nec minus fœminæ quoq; calamitatū partici-

pes

pes fuere similium. Nam ex hoc quoque sexu peremptæ sunt originis altæ complures, adulteriorũ flagitiis obnoxiæ vel stuprorũ. Inter quas notiores fuere Claritas & Flauiana: quarum altera quũ duceretur ad mortẽ, indumento quo vestita erat abrepto, ne velamen quidem secreto membrorum sufficiens retinere permissa est. ideoq; carnifex nefas admisisse conuictus immane, viuus exustus est. Pasius quin etiã & Cornelius senatores ambo, venenorum *artibus se polluisse conuicti, eodẽ pronuntiante Maximino sunt interfecti. Pari sorte etiam procurator monetæ exstinctus est. Sericum enim & Asbolium supradictos, quoniã quum hortaretur passim nominare quos vellent, adiecta religione firmarat, nullũ igni vel ferro se puniri iussurum, plumbi validis ictibus interemit. Et post hæc flammis Campẽsem aruspicem dedit, in negotio eius nullo sacramento constrictus. Oportunum est, vt arbitror, explanare nunc caussam quę ad exitium præcipitem Aginatium impulit, iam inde a priscis maioribus nobilem, vt loquuta est pertinacior fama: nec enim super hoc vlla documẽtorum rata est fides. Anhelans flatu superbo Maximinus etiam tum præfectus annonæ, nactusque audaciæ incitamenta non leuia, tendebat adusq; Probi contemptũ, viri summatum omnium maximi, iureque præfecturæ prætorianæ regentis prouincias. Quod Aginatius indignissime ferens, dolensque in examinandis caussis Maximinum ab Olybrio sibi prælatum, quum esset ipse vicarius Romę, familiari sermone docuit Probum occulte, facile vanum hominem recalcitrantem sublimibus meritis posse opprimi, si ille id fieri censuisset. Has litteras, vt quidam adseuerabant, Probus ad Maximinum, erudiriorem iam in sceleribus, commendatumq; principi pertimescens, nullo conscio præter baiulum misit. Hisq; recitatis ita homo ferus exarsit, vt machinas omnes in Aginatium deinde commoueret, velut serpens vulnere noti cuiusdam adtritus. Accessit his alia potior insidiarum materia, quæ eumdem Aginatiũ obruit. Victoritium enim defunctum insimulabat, vt Maximini actus, dum superesset, venditantem: cuius ex testamento legata ipse sumpserat non aspernanda. Pariq; petulantia Anepsiæ quoque eius vxori lites minabatur & iurgia. Quæ hæc metuens, vt Maximini etiam muniretur auxilio, finxit maritum in voluntate quam condiderat nuper, argenti tria millia pondo eidem reliquisse. Qui auiditate nimia flagrans, (nec enim hoc quoque vitio caruit) petit hereditatis medietatem. Verum & hoc vt parum sufficienti nequaquam contentus, aliud commentus est (vt arbitrabatur) honestũ & tutum: & ne amitteret ansam sibi oblatam lucrandi vberis patrimonii, Victorini priuignam Anepsiæ filiam petit filio coniugem: idque adsentiente muliere prompte firmatum est. Per hæc & alia simili mœrore deflenda, quæ decolorabant speciem vrbis æternę grassabatur per strages multiplices fortunarum homo cum gemitu nominandus, vltra forenses terminos semet extentans. Namque & resticulam de fenestra prætorii quadam remota dicitur semper habuisse suspensam, cuius summitas quamdam velut *tamusam colligaret, nullis quidem indiciis fulta, sed nocitura insontibus multis: & Mucianum Barbarumque apparitores aliquotiens discretim trudi iubebat ad fallendum aptissimos. Hi tamquam eiulando casus, quibus se simulabãt oppressos, iudicis exaggerando crudelitatem, remedium nullum aliud reis ad obtinendam vitam superesse eadem replicando sępe adseuerabant; ni criminibus magnis petissent nobiles viros; quibus ad sui societatem adnexis, facile eos absolui posse firmabant Ob quæ impia, vilitate vltra adposita iam pergente, manus vinculis sunt artatæ complurium, ortuque nobiles inculti videbantur & anxii. Nec eorum culpam quisquam debuit, quum salutantes humum pene curuatis contingentibus membris, persæpe clamantem audirent spiritus ferini latronem, nullum se inuito reperiri posse insontem. Quæ verba effectui propere iuncta, terruissent profecto Numæ Pompilii similes & Catonem. Prorsus enim sic agebatur vt nec in alienis malis quorumdam exarescerent lacrymæ: quod in variis & confragosis actibus vitæ plerumque contingit. A iure tamen iustitiaque crebro discedens ferreus cognitor, erat vno quasi præcipuo tolerabilis. Interdum enim exoratus parcebat aliquibus: quod prope vitium esse in hoc loco legitur apud Tullium. Nam si implacabiles iracundiæ sunt, summa est acerbitas: sin autem exorabiles, summa * leuitas: quæ tamen, vt in malis, acerbitati anteponenda est. Post hæc *progresso Leone, acceptoque suc-

cessore, ad principis comitatum Maximinus accitus, auctusque præfectura prætoriana, nihilo lenior fuit, etiam longius nocens, vt basilisci serpentes. In id tempus, aut non multo prius, scopæ florere sunt visæ quibus nobilitatis curia mundabatur. idque portendebat extollendos quosdam despicatissimæ sortis ad gradus potestatũ excelsos. Et quamlibet tempestiuum est ad ordinem redire cœptorum, tamen nihil impedituri temporum cursus immorabimur paucis, quæ per iniquitatem curantiũ vicariam præfecturam in vrbe contra quam oportuerat gesta sunt, quæ ad nutum Maximini & voluntatem iisdem ministris velut apparitoribus gerebantur. Post hunc venit Vrsicinus ad mitiora propensior: qui quoniam cautus esse voluit & ciuilis, retulerat Esaiam cum aliis ob commissum adulterium in Rufinam detentis, Marcellum maritum eius ex agente in rebus reum imminutę maiestatis deferre conatis: ideoque vt cunctator contemptus, & ad hæc fortiter exsequenda parum conueniẽs, e vicaria potestate discessit. Huic successit Hemonensis Simplicius, Maximini cõsiliarius ex grammatico, post administratam, nec erectus nec tumidus, sed obliquo adspectu terribilis: qui compositis ad modestiam verbis, acerba meditabatur in multos. Et primo Rufinam cum vniuersis auctoribus adulterii commissi vel consciis interfecit, super quibus Vrsicinum retulisse prædiximus: alias deinde complures, nullo noxiorum discrimine vel insontium. In cruento enim certamine cum Maximino velut antepilano suo contendens, superare enim in succidendis familiarum nobilium neruis studebat, Busirim veterem & Antæum imitatus & Phalarim; vt taurus solus deesse videretur Agrigentinus. His in hunc modum ac talibus exactis, Hesychia quædam matrona, ob intentatũ crimen in domo apparitoris, cui custodienda est tradita, multa pertimescens & sæua, fulcro plumeo vultu contracto incubuit; & animam occluso narium spiramento effudit. Adiunctum est his aliud haud mitius malũ. Eumenius enim & Abienus ambo ex cœtu amplissimo, infamati sub Maximino in Fausianam fœminã non obscurã, post Victorini obitum, quo iuuante vixere securius, Simplicii aduentu perterrefacti, non secus volentis magna cum minis, ad secreta receptacula se contulerunt. Sed Fausiana damnata inter reos recepti vocatique edictis, semet abstrusius amandarũt. quorũ Abienus apud Anepsiã diu delitescebat. Sed (vt solent insperati casus adgrauare miserabiles clades.) Apaudulus nomine seruus Anepsiæ, verberatæ coniugis dolore perculsus, negotium ad Simplicium detulit nocte progressus: missiq; apparitores indicatos e latebris abstraxerunt. Et Abienus quidẽ exaggerato crimine stupri quod intulisse dicebatur Anepsię, morte mulctatus est: mulier vero, vt continẽdæ vitæ spẽ firmã dilato posset habere supplicio, adpetitam se nefariis artibus vim in domo Aginatii perpessam adseuerauit. Hæc vt gesta sunt, mugitus ad principẽ Simplicius reddidit: agensq; ibi Maximinus, infestus ob caussam quã supra docuimus Aginatio, simultate vna cũ potestate in maius accensa, orauit impense vt rescriberetur eũ occidi: & impetrauit facile malesanus incitator & potens: metuensq; grauioris inuidiæ pondus, ne pronuntiante Simplicio & cõsiliario suo & amico periret homo patriciæ stirpis, retinuit apud se paulisper imperiale præceptum; hærens & ambigens quẽnam potissimũ exsequutorem atrocis rei fidũ inueniret & efficacẽ. Tandemq;, vt solent pares facile congregari cum paribus, Doryphorianus quidam repertus est Gallus, audax adusq; insaniam: cui hanc operã implere breui pollicito, deferri prouidit vicariã, & cõmonitoriũ cũ Augusti litteris tradidit. instruens hominem sæuum quidẽ sed rudẽ, qua celeritate Aginatium sine vllo deleret obstaculo, dilatione qualibet inuenta forsitan euasurum. Festinauit vt mandatum est Doryphorianus magnis itineribus Romã, & inter salutandi initia magna quæritabat industria qua vi senatorẽ perspicui generis interficeret, iuuantibus * nonnullis. Cognitoq; cum iampridẽ repertum in villa propria, vultu diro ipse tamquam caput sontiũ Anepsiam per horrorem tenebrarum audire disposuit: quo tẽpore hebetari solent obstrictæ terroribus mentes, vt inter innumera multa Aiax quoq; Homericus docet, optans perire potius luce quã pati formidinis augmenta nocturnæ. Et quoniã iudex, quin immo prædo nefandus, ad id solũ quod promisit intẽtus, cũcta extollebat in maius, iusso Aginatio flatui, agmina fecit introire carnificum: catenisque sonantib. triste, mãcipia squalore diuturno marcẽtia in domini caput adusq; vltimum

cinum lacerabat exitium: quod in stupri quæstione fieri vetuere clemẽtissimæ leges. Denique quum iam contigua morti tormenta ancillæ voces expressissent obliquas, indicii fide per eam plene discussa, Aginatium ad supplicium duci pronuntiatũ abrupte. nec auditus, quum magnis clamoribus appellaret nomina principũ, sublimis raptus occiditur: pari sententia Anepsia interfecta. Hæc agitante quũ adesset, perq; emissarios quũ procul ageret Maximinus, funera deplorauit vrbs æterna. Sed accelerarunt vltrices diræ cæsorum. Namq;, vt postea tempestiue dicetur, & idẽ Maximinus sub Gratiano intoleranter se efferens, damnatorio iugulatus est ferro: & Simplicius in Illyrico trucidatus: & Doryphorianum pronuntiatum capitis reum trusumque in carcere Tulliano, matris consilio princeps exinde rapuit: reuersumque ad lares in Galliis per cruciatus oppressit immensos. Sed iam vnde huc fleximus reuertamur. Is vrbanarum rerum status, vt ita dixerim, fuit. At Valentinianus magna animo concipiens & vtilia, Rhenum omnem a Rhętiarum exordio adusq; fretalem Oceanum, magnis molibus communiebat, castra extollens altius & castella turresq; adsiduas per habiles locos & opportunos, qua Galliarum extenditur longitudo, nõnumquã etiã vltra flumen ædificiis positis subradens barbaros fines. Deniq; quũ reputaret munimentũ celsum & tutũ, quod ipse a primis fundarat auspiciis, præterlabente Nicro nomine fluuio, paulatim subuerti posse vndarum pulsu immani, meatũ ipsum aliorsum vertere cogitauit: & quæsitis artificibus peritis aquariæ rei, copiosaque militis manu, arduum est opus adgressus. Permultos enim dies cõpaginatæ formæ e roboribus coniectæque in alueum, fixis refixisq; aliquotiens prope ingentibus stylis, fluctibus erectis * confundebantur, auulsæque vi gurgitis interrumpebantur. Vicit tamen Imperatoris vehementior cura & morigeri militis labor, mento tenus, dũ * operaretur, sæpe demersi. Tãdemq; non sine quorumdã discrimine, castra prę sidiaria inquietudine errantis ingentis amnis exempta, nunc valida sunt. Ac talib. lætus exsultansq;, pro anni & temporis statu dilapsos cõducens, reipublicę curã habuit, vt officio principis congruebat. Ratusq; aptissimum ad id quod deliberabat implẽdum, trans Rhenum in monte Piri (qui barbaricus locus est) munimentum exstruere disposuit raptim. vtque celeritas effectum negotii faceret tutũ, per Syagriũ, tunc notarium, postea prefectum & consulem, Aratorem monuit ducem, vt dum vndiq; * actum esset silentiũ, id arripere conaretur. Transiit cum notario dux, vt iussum est, statim: ponereq; per militem quem duxit, fundamenta exorsus, Hermogenẽ susceperat successorem. Eodemq; puncto quidã optimates Alemanni venere obsides Imperatoris; quos lege fœderis mansuræque diutius pacis haud aspernanda pignora tenebamus. qui flexis poplitibus supplicabant ne Romani securitatis improuidi, quorum fortunam sempiterna fides cœlo contiguam fecit, prauo deciperentur errore, pactisq; calcatis rem adorirentur indignam. Verum hæc & similia loquentes incassum, quũ nec audirentur nec aliquid mite referri sentirent, filiorum flentes exitium discesserunt. Iisdemq; digressis, ex abdito collis propinqui barbaricus prosiluit globus, optimatibus danda responsa (vt intelligi dabatur) opperiens: aggressique milites seminudos, humum etiam tum gestantes, expediti agiliter gladiis obtruncabant. inter quos etiam duces ambo sunt cæsi. nec indicaturus gesta superfuit quisquam prę ter Syagrium: qui deletis omnibus ad comitatum reuersus, iran sententia principis sacramento exutus abiit ad lares; com meruisse sæuo iudicatus arbitrio quod euaserit solus. Hæc inter, per Gallias latrociniorum rabies sæua scatebat in perniciem multorum, obseruans celebres vias, fundensque indubitanter quidquid inciderat fructus. Denique præter complures alios quos absumpserunt insidiæ tales, Constantianus tribunus stabuli, impetu est clandestino exceptus, moxque interfectus, Valentiniani adfinis, Cerealis & Iustinæ germanus. At procul, tamquam horum similes, agitantibus furiis per omne latus Mararocupretu grassatores acerrimi vagabantur, vici huius nominis incolæ in Syria prope Apamiam positi, nimium quantum numero & exquisitis fallaciis abundantes: ideoque formidati, quod mercatorum militumque * honoratorum specie sine vllo discrimine domos & villas & opida peruadebant: nec quisquam aduentum eorum cauere poterat inopinum, non destinata sed varia petentium & longinqua, & quoquo ventus duxerat irrumpentium.

Quam ob caussam præ ceteris hostibus Saxones timentur, vt repentini. Et quamlibet coniuratis multorum opes attribuerentur, tamen œstro concepti furoris exagitati, cædes dedere luctificas, sanguinis nihilo minus auidi quam prædarum. Sed ne per minutias gesta narrando, operis impediam cursum, id vnum sufficiet eorum exitiale poni commercium. Quæsitus in vnum impiorum hominum globus, imitatus rationalis officium ipsumque iudicem, vespertinis tenebris lugubre clamante præcone ciuitatem ingressi, ambitiosam domum cuiusdam primatis, vt proscripti iussiq; interfici, cum gladiis obsederunt: raptaque supellectili pretiosa, quia subito perculsi familiares hebetatis sensibus non defenderant dominum, cæsis pluribus ante reuolutam lucem gressu discessere veloci. Verum quum exuuiis repleti multorum, parandi dulcedine nihil prætermitterent, intercepti imperiali motu oppressi interiere omnes ad vnum: eorumque soboles parua etiam tum, ne ad parentum exempla subcresceret, pari sorte deleta est, laresque euersi, quos ambitiose luctuosis aliorum dispendiis exstruxerant. Et hæc quidem textu processere narrato. Theodosius vero dux nominis inclyti, *animo vigore collecto ab Augusta profectus, quam veteres appellauere Lundinium, cum milite industria comparato sollerti, versis turbatisque Britannorum fortunis opem maximam tulit, opportuna vbique ad insidiandum barbaris præueniens loca, nihilque gregariis imperans cuius non ipse primitias alacri capesseret mente. Hocq; genere quum strenui militis munia & præclari ducis curas expleret, fusis variis gentibus & fugatis, quas insolentia *nutriente securitate adgredi Romanas res inflammabat, in integrum restituit ciuitates & castra, multiplicibus quidem damnis adfectas, quiete temporis longi fundata. Euenerat autem eodem hæc agente facinus dirum, erupturum in periculum graue, ni inter ipsa conatus principia fuisset exstinctum. Valentinianus quidam in Valeria Pānonia, superbi spiritus homo, Maximini illius exitialis vicarii postea præfecti coniugis frater, ob graue crimen actus in Britannias exsul, quietis impatiens malefica bestia, ad res perniciosas consurgebat & nouas in Theodosium, tumore quodam; quem solū resistere posse nefandis cogitationibus aduertebat. Multa tamen clam palamq; circumspiciens, crescente flatu cupiditatis immensæ, exsules sollicitabat & milites, pro temporis captu ausorum illecebras pollicendo mercedes. Iamq; propinquante tentatorum effectu, doctus hæc vnde conuenerat dux alacrior ad audendū, & corde celso ad vindictam compertorum erectus, Valentinum quidem cum paucis arta societate iunctissimis, letali pœna plectendos Dulcitio dediderat duci: militari vero scientia qua superabat præsentes, futura coniiciens, de coniuratis quæstiones agitari prohibuit; ne formidine sparsa per multos, reuiuiscerent prouinciarum turbines compositi. Hinc ad corrigenda plura conuersus & necessaria, periculo penitus dempto, quum aperte constaret nulla eius cœpta propitiam deseruisse fortunam, instaurabat vrbes & præsidiana (vt diximus) castra, limitesque vigiliis tuebatur & prætenturis: recuperatamque prouinciam quæ in dicionem concesserat hostium, ita reddiderat statui pristino, vt eodem referente & rectorem haberet legitimum, & Valentia deinde vocaretur arbitrio principis.* Arcanos, genus hominum a veteribus institutū, super quibus aliqua in actibus Constantis retulimus, paulatim prolapsos in vitia, a stationibus suis remouit, aperte conuictos, acceptorum promissorumque magnitudine præmiorum allectos, quæ apud nos agebantur, aliquotiens barbaris prodidisse. Id enim illis erat officium, vt vltro citroque per longa spatia discurrentes, vicinarum gentium strepitus nostris ducibus intimarent. Ita spectatissime antedictis rebus aliisque administratis similibus, ad comitatum accitus tripudiantesque relinquens prouincias, vt Furius Camillus vel Cursor Papirius, victoriis crebris & salutaribus erat insignis. Et fauore omnium adusque fretum deductus, leni vento transgressus, venit ad commilitium principis. Cumq; gaudio susceptus & laudibus, in locum Valentis Iouini successit, qui equorum copias tuebatur. Diu multumque a negotiis digressus vrbanis, adigente cumulo fons gestorum, ad ea strictim exsequenda regrediar, exorsus ab Olybrii præfectura tranquilla nimis & leni. qui numquam ab humanitatis statu deiectus, sollicitus erat & anxius ne quod vsquam factum eius asperum inueniretur aut dictum: calumniarum acerrimus insectator, fisci lucra

vnde

vn de poterat circumcidens, iustorumque distinctor & arbiter * plenus, in subiectis admodum temperatus. Sed obnubilabat hæc omnia vitium, parum quidem nocens [rei cõmuni,] sed in alto iudice maculosum, quod citeriorem vitã pene omnem vergentem in luxum, per argumenta scenica amoresque peregerat, nec vetitos nec incestos. Post hunc vrbem rexit Ampelius, cupidus ipse quoque voluptatum, Antiochiæ genitus, ex magistro officiorum ad proconsulatũ geminum, indeq; multo postea ad præfecturæ culmen euectus; lætus alias & ad populi fauorem adipiscendũ aptissimus, nonnũquam tamen rigidus, atq; vtinã in proposito perseuerans. Correxisset enim ex parte, licet exigua, irritamenta gulæ & ganeas tetras, ni flexus in molliora, amisisset gloriam diu victuram. Namque statuerat ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, neue aquam vulgarium calefaceret quisquam, vel * vsque ad præstitutum diei spatium lixæ coctam proponerent carnem, vel honestus quidam mandens videretur in publico. Quæ probra aliaque his maiora, dissimulatione iugi neglecta, ita effrenatius exarserunt, vt nec Epimenides ille Cretensis, si fabularum ritu ab inferis excitatus redisset ad nostra, solus purgare sufficeret Romam. Tanta plerosque labes insanabilium flagitiorum oppressit. Et primũ nobilitatis, vt aliquotiens pro locorum copia fecimus, dein plebis digeremus errata, incidentia veloci constringentes excessu. Prænominum claritudine conspicui quidam, vt putant, in immensum semet extollunt, quum Reburri & * Flabunii & Pagonii Gerionesque appellentur ac Dalii, cum Tarraciis & Perrasiis, aliisque ita decens sonantibus originum insignibus multis. Nonnullos fulgentes sericis indumentis, vt ducendos ad mortem, vel (vt sine diritate ominis loquamur) prægresso exercitu arma cogentes, manipulatim concitato fragore sequitur multitudo seruorum. Tales, vbi comitantibus singulos quinquaginta ministris, tholos intrauerint balnearum, vbiubi sunt minaciter clamantes, si apparuisse subito ignotam compererint meretricem, aut oppidanæ quondam prostibulum plebis, vel meritorii corporis veterem lupam, certatim concurrunt; palpantesque aduenam deformitate magna blanditiarum ita extollunt vt Semiramin Parthi, vel Cleopatrã AEgyptus, aut Artemisiam Cares, vel Zenobiam Palmyreni. Et hæc admittunt hi quorum apud maiores censoria nota adflictus est senator, ausus, dum adhuc non deceret, præsente communi filia coniugem osculari. Ex his quidam quum salutari pectoribus oppositis cœperunt, osculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua suauianda vel manus; id illis sufficere ad beate viuendum existimantes; & abundare omni humanitatis cultu peregrinum, cuius forte etiam gratia sunt obligati, interrogatum quibus thermis vtatur aut aquis, aut ad quam successerit domum. Et quum ita graues sint & cultores virtutum, vt putant, si venturos vndelibet equos aut aurigas quemdam didicerint nuntiasse, ita imminent & percunctantur, vt Tyndaridas fratres eorum suspexere maiores, quum priscis illis victoriis indicatis gaudio cuncta complessent. Horum domus otiosi quidam garruli frequentant, variis adsentandi figmentis, ad singula * altioris fortunæ verba laudantes, parasitorum in comœdiis . . . etas adfectando. Vt enim illi sufflant milites gloriosos, obsidiones vrbium & pugnas & milia hostium iisdem vt heroicis æmulis adsignantes; ita hi quoque columnarum constructiones alta fronte suspensas mirando, atque parietes lapidum circumspectis coloribus nitidos, vltra mortalitatem nobiles viros extollunt. Poscuntur etiam in conuiuiis aliquotiens trutinæ, vt adposi pisces & volucres ponderentur & glires. Quorum magnitudo sæpius delicata non sine tædio præsentium, vt antehac inusitata laudatur adsidue: maxime quum hæc eadem numerantes notarii prope triginta adsistant cum thecis & pugillaribus tabulis: vt deesse solus magister ludi litterarii * videretur. Quidam detestantes vt venena doctrinas, Iuuenalem & Marium Maximum curatiore studio legunt, nulla volumina præter hæc in profundo otio contrectantes: quam ob caussam, non iudicioli est nostri: quum multa & varia pro amplitudine gloriarum & generum lectitare deberent, audientes destinatum pœnæ Socratem coniectumque in carcerem, rogasse quemdam scite lyrici carmen Stesichori modulantem, vt doceretur id agere dum liceret: interroganteque musico, quid ei poterit hoc prodesse

morituro poſtridie, reſpondiſſe, vt aliquid ſciens amplius e vita diſcedat. Ita autem pauci ſunt inter eos ſeueri vindices delictorum, vt ſi aquam calidam tardius attulerit ſeruus, trecentis adfligi verberibus iubeatur: ſi hominem ſponte occiderit propria, inſtantibus plurimis vt damnetur, vnus dominus hactenus exclamat, *Quid faciat mancoſus & nequam?* * Ciuilitatis aūt hoc apud eos eſt nunc, quod expedit peregrinos iure interficere, quibus libet, quamquam rogatis ad conuiuiū, excuſare. Defectum enim patrimonij ſe perpeti ſenator exiſtimat, ſi is defuerit quem aliquoties libratis ſententiis inuitauerit ſemel. Pars eorum ſi agros viſuri proceſſerunt longius, aut alienis laborib. venaturi, Alexandri magni itinera ſe putant æquiparaſſe vel Cęſaris: aut ſi a lacu Auerni lembis inuecti ſunt pictis Puteolos vel Caietam, maxime quum id vaporato audeant tempore: vbi ſi inter aurata flabella laciniis ſericis * inſiderint muſcæ, vel per foramen vmbraculi penſilis radiolus irruperit ſolis, queruntur quod non ſunt apud Cimmerios nati. Dein quum a Siluani lauacto vel Mammææ aquis ventitant ſoſpitalibus, vt quiſquam eorum egreſſus tenuiſſimis ſe terſerit linteis, ſolitis * preſſoris veſtes luce nitentes arbitra diligēter explorat, quæ vna portantur ſufficientes * ad iuuandos homines vndecim: tandemque electis aliquot inuolutus, receptis anulis, quos, ne violentur humoribus, famulo tradiderat, digitis vt metatis abit. * Quidam ex his, licet rari, aleatorum vocabulum declinantes, ideoq; ſe cupientes appellari teſſerarios: inter quos tantum differt quantū inter fures & latrones. Hoc tamen fatendum eſt, quod quum omnes amicitiæ Romæ repeſcant, aleariæ ſolæ quaſi glorioſis quæſitæ ſudoribus, ſociales ſunt, & adfectu nimio firmitate plena connexæ. Vnde quidam ex his gregibus inueniuntur ita concordes, vt quis illos eſſe exiſtimet fratres. Ideoque videre licet ignobilem, artis teſſerariæ callentem arcana, vt Catonem Porcium ob repulſam pręturæ nec ſuſpectam antea nec ſperatam, incedere grauitate compoſita mœſtiorem, quod ei in maiore conuiuio vel conſeſſu proconſularis quidam eſt antelatus. Subſident aliqui curioſos homines, ſenes aut iuuenes, orbos vel cælibes, aut etiam vxores habentes & liberos, (nec enim in hoc titulo diſcrimen aliquod obſeruatur) ad voluntates condendas alliciētes eos technis miris: qui quum ſupremis iudiciis ordinatis, quæ habebant reliquerint his quibus morem gerendo teſtati ſunt, ilico pereunt. Alius, cum dignitate licet, ceruice tumida gradiens, notos antea obliquato contuetur adſpectu; vt poſt captas Syracuſas exiſtimes reuerti M. Marcellum. Multi apud eos negant eſſe ſuperas poteſtates in cælo: nec in publico prodeunt, nec prandent, nec lauari arbitrantur ſe cautius poſſe, antequam ephemeride ſcrupuloſe ſciſcitata didicerint, vbi ſit verbi gratia ſignum Mercurii, vel quotam cancri ſideris partem polum diſcurrens obtineat luna. Alius ſi creditorem ſuum flagitare moleſtius aduerterit debitum, ad aurigam confugit audentem omnia prælicenter; eumque vt veneficum curat vrgerī. vnde nonniſi reddita cautione, diſpendioque adflictus graui, diſcedit. Et additur huic; debitorē voluntariū includit vt proprium, nec ante eius profectionē abſoluit. Parte alia vxor, (vt prouerbium loquitur vetus) eamdem incudem diu noctuque tundendo, maritum teſtari compellit: hocque idem vt faciat vxor, vrget maritus inſtanter: & periti iuris altrinſecus adſciſcuntur, vnus in cubiculo, alter eius æmulus in triclinio, repugnantia tractaturi: iiſdemque ſubſeruntur genitalium extorum interpretes controuerſi; hinc præfecturas profuſius largientes & ſepulturas diuitum matronarum; inde ad exſequias virorum fœminas inuitantes, neceſſaria parari oportere innuentes. * Nec in rebus humanis quidquam bonum norunt niſi quod fructuoſum. Sic amicos tamquam pecudes eos potiſſimum diligunt, ex quibus ſe ſperant maximum fructum eſſe capturos. Quumque mutuum illi quid petunt, * ſoccos & Mitiones videbis & Lacheras: quum adiguntur vt reddant, ita cothurnatos & turgidos vt Heraclidas illos Creſphontem & Temenum putes. Hactenus de ſenatu: nunc ad otioſam plebem veniamus & deſidem: in qua nitent & nominibus cultis quidam calceorum expertes, Cimeſſores, Statarii, Semicupæ & Serapini, & Cicimbricus cum Gluturino & Trulla, & Lucanicus cum Pordaca & Salſula, ſimileſque innumeri. Hi omne quod viuunt, vino & teſſeris impendunt, & luſtris, & voluptatibus, & ſpectaculis: eiſque templum & habitaculum & con-

& concio & spes omnis, circus est maximus. Et videre licet per fora & compita & plateas & conuenticula circulos multos collectos in se controuersis iurgiis ferri, aliis aliud, vt fit, defendentibus. Inter quos hi qui ad satietatem vixerunt, potiores auctoritate longæua, per lanos & fora clamitant sæpe, rempublicam stare non posse, si futura concertatione quem quisque vindicat, carceribus non exsiluerit princeps, *& circumflexerit metam. Exoptato die equestrium ludorum inlucescente, nondum solis puro iubare, fusius omnes festinant præcipites; vt velocitate currus ipsos anteeant certaturos. Super quorum euentu discissis votorum studiis, anxii plurimi agunt peruigiles noctes. Vnde si ad theatralem ventum fuerit vilitatem, artifices scenarii per sibilos exploduntur, si qui sibi ære humiliorem non conciliauerit plebē. Cui si defuerit strepitus, ad imitationem Tauricæ gentis peregrinos vociferantur pelli debere, (quorum subsidiis semper nisi sunt ac steterunt) & tetris vocibus & absurdis; quæ longe abhorrent a studiis & voluntate veteris illius plebis, cuius multa facete dicta memoria loquitur & venusta. Id enim nunc repertum est pro sonitu laudum impensiore, per applicatos homines ad loquendum, vt in omni spectaculo, *exodiario, venatori, aurigæ, & histrionum generi omni, & iudicibus *celsis itidemque minoribus: necnon etiam matronis clametur adsidue, *Per te ille discat*: quid autem debeat disci, nemo sufficit explanare. In his plerique distentioribus saginis addicti, præeunte nidoris indagine acutisque vocibus fœminarum, a gallicinis ipsis, in modum *pauonum inanitate clangentium, humum summis pedum vnguibus contingentes aulis adsistunt, digitos prærodentes dum patinæ deferuescunt: alii nauseam horridæ carnis, dum excoquitur intentius, despectantes: vt discissarum pecudum exta rimari cum anatomicis Democritum putes, docentem quibus modis posteritas mederi doloribus possit internis. Sit satis interim hæc digessisse super rebus vrbanis: nunc redeamus ad cetera quæ per prouincias agitauere multiplices casus.

5 Erupit Augustis* ter coss. Saxonum multitudo & oceani difficultatibus permeatis, Romanum limitem gradu petebat intento, sæpe nostrorum funeribus pasta. Cuius eruptionis primæ procellam Nannenus sustinuit comes regionibus iisdem adpositus, diuturno bellorum labore compertus. Sed tunc ad mortem destinatæ plebi congressus, quum milites quosdam ruisse & se vulneratum imparem fore certaminibus aduerteret crebris, docto Imperatore quid agi deberet, id est adeptus vt peditum magister Seuerus opitulatum rebus dubiis adueniret. Qui ducens militem rei sufficientem, quum venisset ad loca, discriminatis ordinibus barbaros ante colluctationem adeo terruit & turbauit, vt nec controuersas opponerent manus, sed signorum aquilarumque fulgore præstricti, venialem poscerent pacem. Diuque variatis consiliis, quum id reipubl. conducere videretur, pactis induciis, & datis ex conditione proposita iuuenibus multis habilibus ad militiam, discedere permissi sunt Saxones sine impedimento vnde venerant reuersuri. Quibus omni iam formidine vacuis reditumque parantibus, occulte pedites missi insidias in abdita quadam valle struxerunt, vnde prætereuntes adgredi negotio poterant leui. Sed longe secus accidit quam sperabatur. Sonitu enim aduentantium perciti exsiluere quidam intempestiue: visique subito, dum se firmare festinant, vlulantibus lugubre barbaris vertuntur in pedes. Stetere tamen mox conglobati: extremaque forte vires, licet non integras, suggerente, confligere cogebantur: multaque cæde perculsi concidissent nullo relicto, ni cataphractorum equitum cuneus, ad inferendum periculum transeuntibus barbaris ex alio latere prope diuortium itineris pari modo locatus, clamore percitus tristi agiliter subuenisset. Exin concursum infestius: firmatisque pectoribus hinc inde incumbentes Romani, clausos hostes eductis gladiis obtruncabant: nec quisquam eorum genitales reuisere potuit lares, ne vno quidem cædibus concorporalium superesse permisso. Ac licet iustus quidam arbiter rerum incusabit perfidum & deforme, pensato tamen negotio non feret indigne, manum latronum exitialem tandem copia data captam. Post hæc ita prospere consummata, Valentinianus versando sententias multiformes, anxia sollicitudine stringebatur: reputans multa & circumspiciens quibus commentis Alemannorum & Macriani regis frangeret fastus,

sine fine vel modo rem Romanã inrequietis motibus confundentes. Immanis enim natio, iam inde ab incunabulis primis varietate casuũ imminuta, ita sæpius adolescit, vt fuisse longis seculis æstimetur intacta. Seditque consilia alia post alia Imperatori probanti, Burgundios in eorum excitari perniciem, bellicosos & turbæ immensæ viribus adfluentes, ideoque metuendos finitimis vniuersis. Scribebatque frequenter ad eorum reges per taciturnos quosdam & fidos, vt iisdem tempore præstituto superuenirent; pollicitus ipse quoque, transito cum agminibus Romanis Rheno, occurrere pauidis, pondus armorum vitantibus insperatum. Gratanter ratione gemina principis acceptæ sunt litteræ: prima, quod iam inde temporibus priscis, sobolem se esse Romanam Burgundii sciunt: dein, quod salinarum finiumque caussa Alemannis sæpe turgabant, *cateruas misere lectissimas; quæ antequam miles congregaretur in vnum, adusq; ripas Rheni progressæ, Imperatore ad exstruenda munimenta districto, terrori nostris fuere vel maximo. Igitur paulisper morati, quum neque Valentinianus, vt spoponderat, die prædicto venisset, nec promissorum aliquid aduerterent factum, ad comitatum misere legatos, poscentes adminicula sibi dari redituris ad sua, ne nuda hostibus exponerent terga. Quod vbi negari per ambages sentirent, & moras necti, exinde discesserunt indignati. Hocque comperto reges, vt ludibrio habiti sæuientes, captiuis omnibus interfectis genitales repetunt terras. Apud hos generali nomine rex appellatur Hendinos; & ritu veteri potestate depositа remouetur, si sub eo fortuna titubauerit belli, vel segetum copiam negauerit terra: quemadmodum solent AEgyptii casus eiusmodi adsignare rectoribus. Nam sacerdos apud Burgundios omnium maximus vocatur Sinistus: & est perpetuus, obnoxius discriminibus nullis vt reges. Per hanc occasionem impendio tempestiuam, Alemannos gentis antedictæ metu dispersos aggressus per Rhętias Theodosius ea tempestate magister equitum, pluribus cæsis quoscumque cepit, ad Italiam iussu principis misit: vbi fertilibus *agris acceptis iam tributarii circumcolunt Padum. Hinc tamquam in orbem migrantes alium, ad Tripoleos Africanæ prouinciæ veniamus ærumnas, quas (vt arbitror) Iustitia quoque ipsa defleuit: quæ vnde instar exarsere flammarum, textus aperiet absolutus. Austuriani his contermini partibus barbari, in discursus semper expediti veloces, viuereque adsueti rapinis & cædibus, paulisper pacati, in genuinos turbines reuoluti sunt; hanc caussam prætendentes vt fetiam. Stachao quidam nomine, popularis eorum, nostra peragrando licentius, agebat quædam vetita legibus: inter quæ illud potius eminebat, quod prouinciam omni fallaciarum via prodere conabatur, vt indicia docuere verissima: quocirca supplicio flammarum absumptus est. Huius necem vlcisci, vt propinqui damnatique iniuste, caussantes, ferarum similes rabie concitarum exsiluere sedibus suis, Iouiano etiamtum imperante: veritique prope Leptim accedere, ciuitatem muris & populo validam, suburbano eius vberrimo insidere per triduum. Mactatisque agrestibus, quos inopinus hebetauerat pauor, vel confugere coegerat ad speluncas, incensa supellectili multa, quæ vehi non poterat, aucti rapinis reuerterunt ingentibus, trahentes captiuũ Siluam quoque casu in agro inuentum, ordinis sui primatem. Hac subita clade Leptitani perterriti, ante incrementa malorum quæ intentabat barbaricus rumor, præsidium implorauere Romani comitis per Africam recens prouecti. Qui quum venisset militares copias ducẽs, ferreque opem rebus rogaretur adflictis, nonnisi abundanti commeatu adgesto, & camelorum quatuor milibus apparatis, castra firmabat esse moturũ. Hoc responso miserandis ciuibus stupefactis, atque negantibus sufficere se posse post vastationes & incendia enormib. instrumentis remedia quærere damnorũ immanium, dissimulanter diebus ibi quadraginta cõsumptis, nullo tentato idem discesserat comes. Qua spe Tripolitani frustrati, formidantesque extrema, adlapso legitimo die concilii, quod apud eos est annuum, Seuerum & Flaccianum creauere legatos, Victoriarum aurea simulacra Valẽtiniano ob imperii primitias oblaturos; *vtque lacrymosas prouinciæ ruinas docerent intrepide. Quibus compertis Romanus, misso equite velocissimo, magistrum officiorum petit Remigium, affinem suum vel rapinarum participem, vt prouideret Imperatoris arbitrio cognitionẽ huius negotii vicario sibi deferri. Venerunt in comitatum legati: aditoq;

principe

principe, verbis quæ perpessi sunt ostenderunt: obtulerunt decreta, textum continentia rei totius. Quibus lectis, quum neque relationi officiorum magistri fauentis Romani flagitiis, nec contraria referentibus crederetur, promissa disceptatio plena, dilata est eo more quo solent inter potiorum occupationes ludi potestatis excelsæ. Quum remedia quædam a commilitio principis exspectantur, suspensis Tripolitanis diuque anxiis, rursus globi superuenere barbarici, fiducia sublati prætentorum: Leptitanoq; agro & *OEensi internecitia populatione transcursis, expleti prædarũ aceruis ingentibus abscesserunt, occisis decurionibus multis: inter quos *Rusticanus sacerdotalis, & Nicasius enitebat ædilis. Hæc autem eruptio ideo arceri non potuit, quod ad legatorum preces negotiorum quoque militarium cura præsidi delata Runcio, mox translata est ad Romanum. Etiam recens inflictæ cladis nuntius, missus ad Gallias, excitauit acrius principem. Ideoq; tribunus & notarius Palladius mittitur: vt & militi disperso per Africam præberet stipendium debitũ; & gesta per Tripolim fide cõgrua scrutaretur Inter tales tamẽ consulendi moras exspectandi:q; responsa, Austuriani successu gemino insolentes, vt rapaces alites aduolarunt, irritamento sanguinis atrocius efferatæ: cunctisque, nisi quos fuga discriminibus eximeret, interemptis, prædas quas antehac reliquerant auexerũt, arboribus exsectis & vitibus. Tunc Mychon quidam nobilis oppidanus & potens, captus in suburbano, lapsusq; antequam vinciretur, quia pedibus æger euadere penitus vetabatur, in puteum aquis vacuum sese coniecit. Vnde costa diffracta leuatus a barbaris, ductusq; prope portas, cõiugis miseratione redẽptus est: & ad pinnas muri fune sublatus, post biduum interiit. Vnde elati in pertinaciam sæuissimi grassatores, ipsa pulsauere mœnia Leptitana, funestis plangoribus resonantia fœminarum: quas nunquam antea hostiliter clausas pauor exanimabat insolitus. Obsessaque vrbe per octo continuos dies, quum quidam oppugnatores sine vllo vulnerarentur effectu, redierunt ad propria tristiores. Ob quæ super salute dubii ciues, vltimaque tentantes, profectis ante legatis nondum reuersis, Iouinum mittunt atque Pancratium, quæ viderint, quæque ipsi perpessi sint, Imperatorem fida relatione docturos. Qui Seuerum apud Carthaginem inuentum & Flaccianum, superiores illos legatos, percontando quid egerint, cognouerunt eos audiri a vicario iussos & comite E quibus Seuerus ilico periit vexatus acerbitate morborum. Nihilominus tamẽ properarunt ad comitatum magnis itineribus antedicti. Ingresso post hæc Palladio Africam, Romanus quas ob res venerat ante *præstructus, vt securitatem suam in tuto locaret, numerorum principis per quosdam secretorum mandauerat conscios, vt ei tanquam potenti & palatii summatibus proximo, stipendii quod pertulerat præstarent maximam partem. Et ita est factum. Confestimque ille ditatus perrexit ad Leptim: vtque ad veritatis perueniret indaginem, Erechthium & Aristomenem facundos municipes & insignes, libere suas ciuiumque & finitimorum retexentes ærumnas, ad loca vastata secum eduxit. Quibus aperte cuncta monstrantibus, luctuosis prouinciæ cineribus visis reuertit: Romanumque vt desidem increpitans, relaturum se cuncta verissime quæ viderat minabatur ad principem. Atque ille ira percitus & dolore, se quoque mox referre firmauit, quod missus vt notarius incorruptus donatiuum militis omne in quæstus auerterit proprios: qua gratia, flagitiorum arbitra conscientia, cum Romano deinde Palladius concordabat: reuersusque ad comitatum, arte mendaciorum impia Valentinianum fefellerat, Tripolitanos frustra queri commemorans. Ideoque rursus ad Africam cum Iouino postremo omnium legatorum remittitur, (Pancratius enim decesserat apud Treueros) vt cum vicario ipse merita legationis quoque secundæ spectaret. Præter hæc linguas Erechthii & Aristomenis præcidi iusserat Imperator; quos inuidiosa quædam loquutos idem Palladius intimarat. Sequutus vt statutum est vicarium notarius, venit ad Tripolim Hocque comperto Romanus domesticum suum illuc velociter misit, & Cæcilium consiliarium in ea prouincia genitum: per quos, incertum pretio an fallaciis circumuenti, municipes omnes grauabant Iouinum, destinatius adserentes nihil eorum mandasse quæ docuerat principem: eo vsque iniquitate grassante, vt ipse quoque Iouinus ad salutis suæ discrimen confiteretur se Imperatori mentitum. Quibus per Palladium

regressum cognitis, Valentinianus ad acerbitatem procliuior, Iouinum quidem, vt auctorem, Cælestium vero Concordiumque & Lucium, vt falsi conscios & participes, puniri supplicio capitali præcepit: Ruricium autem præsidem, vt mendacem, morte multari: hoc quoque accedente, quod in relatione eius verba quædam, vt visum est, immodica legebantur. Ac Ruricius quidem apud Sitifim cæsus; reliqui apud Vticam sententia vicarii Crescentis addicti. Flaccianus tamen ante legatorum interitum, quum a vicario audiretur & comite, constanter saluti suæ propugnans, acclamationibus iratorum militum impetuque cum conuitiis pene confossus est, obiicientium ideo Tripolitanos non potuisse defendi, quod ipsi ad expeditionales vsus præbere necessaria detrectarunt: & ob hæc trusus in carcerem, dum consultus super eo quid conueniret agi decerneret Imperaror, sollicitatis (vt dabatur opinari) custodibus, in vrbem Romam abierat profugus, ibique delitescens, fatali lege decessit. Hoc memorando fine externis domesticisque cladibus vexata conticuit Tripolis non indefensa: *quia vigilauit Iustitiæ oculus sempiternus*, vltricesque legatorum & præsidis diræ. Diu enim postea huiusmodi casus emersit. Solutus sacramento Palladius, destitutusque fastu quo tumebat, discessit ad otium: & quum Theodosius ductor exercituum ille magnificus, oppressurus Firmum perniciosa cœptantem venisset in Africam, & præscripti Romani rem mobilem, vt iussum est, scrutaretur, inter chartas eius inuenta est & Meterii cuiusdam epistola, id continens: *Domino patrono Romano Meterius*: & in fine post multa nihil ad rem pertinentia; *Salutat te Palladius protectitius: qui non aliam ob caussam dicit se esse protectum, nisi quod in caussa Tripolitanorum apud aures sacras mentitus est.* His litteris ad comitatum missis & lectis, Valentiniani iussu Meterius raptus, suam esse confitetur epistolam. Ideoque Palladius exhiberi præceptus, cogitans quas criminum coxerit moles, in * statione primis tenebris obseruata custodum absentia, qui festo die Christiani ritus in ecclesia pernoctabant, innodato gutture laquei nexibus interiit. Hoc fortunæ secundioris indicio plene comperto, deletoque tristium concitore turbarum, exsiluerunt Erechthius & Aristomenes e latebris: qui quum sibi iussas abscidi linguas didicissent, vt prodigas, ad longe remota declinarunt & abdita. Doctoque super nefanda fraude Gratiano Imperatore fidentius, (Valentinianus enim obierat) ad Hesperium proconsulem & Flauianum vicarium audiendi sunt missi: quorum æquitas auctoritate *nixa iustissima, torto Cæcilio, aperta confessione cognouit ipsum suasisse ciuibus grauate ntmētiendo legatos. Hæc acta sequuta est relatio gestorum, pandens plenissimam fidem: ad quam nihil responsum est. Et nequid cothurni terribilis fabulæ relinqueret intentatum, hoc quoque post depositum accessit aulæum. Romanus ad comitatum profectus, secum Cæcilium duxit, cognitores accusatorum vt inclinatos in prouinciæ partem. Isque Merabaudis fauore susceptus, necessario sibi plures petierat exhiberi. Qui quum Mediolanum venissent, frustraque se tractos obsimulatis documentis probabilibus ostendissent, absoluti redierunt ad lares. Valentiniano tamen superstite, post superiora quę narrauimus, Remigius quoq; digressus ad otium, laqueo vitam elisit, vt congruo docebimus loco.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER VIGESIMVSNONVS.

EXACTA hieme rex Persarum gentis Sapor, pugnarum fiducia pristinarum immaniter adrogans, suppleto numero suorum abundeque firmato, erupturos in nostra cataphractos & sagittarios & conductam misit plebem. Contra has copias *Traianus comes & Vadomarius ex rege Alemannorum, cum agminibus pertexere peruahdis; hoc obseruare principis iussu adpositi, vt arcerent potius quam lacesserent Persas. Qui quum venissent Vagabanta legionibus nobilem locum, rapidos turmarum procursus hostilium in se

ruentium acriter exceperunt inniti; operaque consulta retro cedentes, ne ferro violarent aduersorum quemquam primi, & iudicarentur discissi fœderis rei, vltima trudente necessitate congressi sunt: confossisque multis, discessere victores. Inter moras tamen vtrimque secus tentatis aliquotiens leuibus prœliis, varioque finitis euentu, pactis induciis ex consensu, æstateque consumpta, partium discessere ductores etiam tum discordes. Et rex quidem Parthus, hiemem Ctesiphonte acturus rediit ad sedes; & Antiochiam Imperator Romanus ingressus. Qui dum ibi moratur, securus interim hostium externorum, intestinis pene perierat fraudibus, vt aperiet series dilata gestorum. Procopius quidem inquies homo, turbarum cupiditati semper addictus, Anatolium detulerat & Spudasium palatinos, exigi quæ de ærario interceperant iussos, insidiari comiti Fortunatiano, molesto illi flagitatori. Qui a nimia asperitate confestim ad insanum percitus modum, pro potestatis auctoritate quam regebat, Palladium quemdam obscurissime natum, vt veneficum a memoratis conductum, & Heliodorum fatorum per genituras interpretem, adigendos prodere quæ scirent, prætorianæ iudicio tradidit præfecturæ. Quumque ad facti vel tentati quæstionem acrius veniretur, exclamat Palladius confidenter, leuia hæc esse de quibus agitur, & prætereunda: alia se, si licuerit dicere, monstraturum meruenda & potiora: quæ ingenti molimine iam præstructa, nisi prospectum fuerit, vniuersa confundent. Iussusque docere fidenter quæ norat, rudentem explicuit immensum; adfirmans Fidustium præsidalem, & cum Irenæo Pergamium, nomen imperaturi post Valentem detestandis præsagiis didicisse secretim. Et correptus Fidustius ilico, (namque aderat forte) occulteque inductus, viso indice, nulla infitiatione obumbrare iam publicata conatus, rei totius calamitosum aperit textum; absolute confessus, se cum Hilario patricio, vaticinandi peritos, quorum Hilarius militauerat in palatio, de imperio consuluisse futuro: motasque secretis artibus sortes, & nuncupationem principis optimi, & ipsis consultoribus luctuosos exitus prædixisse. Atque cunctantibus quisnam ea tempestate omnibus vigore animi antestaret, visus est aliis excellere Theodorus, secundum inter notarios adeptus iam gradum. Et erat reuera ita vt opinati sunt. Namque antiquitus claro genere in Galliis natus, & liberaliter educatus a primis pueritiæ rudimentis, modestia, prudentia, humanitate, gratia, litteris ornatissimus, semper officio locoque quem retinebat, superior videbatur, altis humilibusque iuxta acceptus: solusque pene omnium erat, cuius linguam non infrenem, sed dispicientem quæ loqueretur, nullius claudebat periculi metus. His addebat idem Fidustius, excarnificatus iam ad interitum, omnia quæ prædixit, se indicante Theodorum per * Euserium didicisse, virum præstabili scientia litterarum abundeque honoratum: Asiam quippe paulo ante rexerat pro præfectis. Quo in custodia condito, gestorumque volumine Imperatori recitato de more, prodigiosa feritas in modum ardentissimæ facis fusius vagabatur, elata turpi adulatione multorum, maximeque omnium præfecti prætorio tunc Modesti. Qui dum formidine successoris agitaretur, indies obumbratis blanditiarum concinnitatibus cauillando Valentem, subrusticum hominem sibi varie commulcebat: horridula eius verba & rudia flosculos Tullianos appellans, & ad extollendam eius vaniciem, sidera quoque, si iussisset, exhiberi posse promittens. Igitur & Theodorus a Constantinopoli, quam ex negotio familiari petierat, rapi celeri iubetur effectu. Et dum ille reducitur, ex præiudiciis variis quæ diebus exercebantur & noctibus, plures a disiunctissimis regionibus trahebantur, dignitatibus & nobilitate conspicui. Quumque nec carceres publici iam distenti, inclusorum iam cateruas, nec priuata domicilia sustinerent, constipatione vaporata confertas, quoniam vinculis maxima pars eorum attinebatur, & suam & proximi cuiusque vicem omnes horrebant. Aduenit aliquando tamen ipse quoque Theodorus, præmortuus & attatus: quo in deuia parte territorii abscondito, patatis omnibus quæ indagines futuræ poscebant, internarum * cladum litui iam sonabant. Et quia fallere non minus videtur qui gesta præterit sciens, quam ille qui numquam facta fingit: non abnuimus (neque enim ambigitur) salutem Valentis & antea sæpius per occultas coitiones, & tunc in extrema demersam, ferrumque ad iugulum eius prope adactum a militaribus fato reluctante depulsum: quem lacrymosis in Thracia discri-

minibus destinarat. Namque & in nemoroso quodam inter Antiochiam & Seleuciam loco, leni quiete post mediem consopitus, a Sallustio tunc scutario, & sæpe alias appetitus insidiantib. multis, vitæ terminis a primigenio ortu adscriptis ausa immania frenantibus, euadebat: vt sub principibus Commodo & Seuero nonnumquã accidebat: quorum summa vi salus crebro oppugnabatur; adeo vt post intestina pericula multa & varia, alter in amphitheatrali cauea, quum adfuturus spectaculis introiret, a Quintiano senatore inlicitæ cupidinis homine ad debilitatẽ pene pugione vulneraretur: alter inopinabili impetu tempore ætatis extremo a Saturnino centurione, consilio Plautiani præfecti in cubiculo iacens confoderetur, ni tulisset suppetias filius adolescens. Quocirca etiam Valens erat venia dignus, vitam quam ereptum ire perfidi properabant, omni cautela defendens. Sed inexpiabile illud erat quod regaliter turgidus, pari eodemque iure, nihil inter se distantibus meritis, nocentes innocentesque maligna insectatione volucriter perurgebat: vt dum adhuc dubitaretur de crimine, Imperatore non dubitante de pœna, damnatos se quidam prius discerent quam suspectos. Adolescebat autem obstinatum eius propositum, admouente stimulos auaritia & sua & eorum qui tunc in regia versabantur, nouos hiatus aperientium. Et si qua humanitatis fuisset mentio, rara, banc appellantium tarditatem: qui cruentis adulationibus institutum hominis mortem in acie linguæ portantis, ad partem pessimam deprauantes, omnia turbine intempestiuo perflabant, euersum ire funditus domus opulentissimas festinantes. Erat enim expositus accessui insidiantium & reclusus, vitio gemino perniciose implicitus, quod intoleranter irascebatur tũc magis quum eum puderet irasci; & quæ facilitate priuati opertis susurris audierat, an vera essent excutere tumore principis supersidens, pro veris accipiebat & certis. Inde factum est vt clementiæ specie penatibus multi protruderentur insontes, præceps in exsilium acti: quorum in ærario bona coacta & ipse ad quæstus proprios redigebat; vt damnati cibo precario victitarent, angustiis formidandæ paupertatis adtriti: cuius metu vel in mare nos ire præcipites, suadet Theognis poeta vetus & prudens. Quæ etiamsi recta fuisse concesserit quisquam, erat tamen ipsa nimietas odiosa. Vnde animaduersum est recte hoc definitum; *Nullam esse crudeliorem sententiam ea quæ est, quum parcere videtur, asperior.* Igitur cum præfecto prætorio summatibus quæsitis in vnum, quibus cognitiones commissæ sunt, intenduntur eculei, expediuntur pondera plumbea cum fidiculis & verberibus. Resultabant omnia truculentæ vocis horroribus, inter catenarum sonitus. *Tene, Claude,* Comprime, Abde*, ministris officiorum tristiũ clamitantibus. Et quoniam addici post cruciabiles pœnas vidimus multos, vt in tenebrosis reb. confusione cuncta miscente, summatim, quia nos penitissima gestorum memoria fugit, quæ recolere possumus, expeditius absoluemus. Primo introuocatu post interrogatiunculas leues Pergamius, a Palladio (vt dictum est) proditus quædam imprecationibus præscisse nefariis, sicut erat impendio eloquentior & in verba periculosa proiectus, inter ambigẽtes iudices quid prius quæri debeat quidue posterius, dicere audacter exorsus, multa hominum millia quasi consciorum sine fine strependo fundebat, modo non ab extremo Atlante magnorum criminum arguendos poscens aliquos exhiberi. Quo, vt cõsarcinante nimis ardua, morte multato, aliisque gregatim post illum occisis, ad ipsius Theodori caussam, quasi ad Olympici certaminis puluerem peruenitur. Eodem die inter complura alia hoc quoque euenerat triste, quod Salla thesaurorum paulo ante per Thracias comes, quum de vinculis educitur audiendus, & calceo inserit pedem, quasi ruina incidentis immensi terroris repente perculsus, animam inter retinentiũ manus efflauit. Constituto itaque iudicio, & cognitoribus præscripta ostentantibus legum, sed ex voluntate dominantis moderantibus momẽta caussarum, horror peruaserat vniuersos. Totus enim deuius ab æquitate dilapsus, iamque eruditior ad lædendum, in modum harenariæ feræ, si admotus quisquam fabricæ diffugisset, ad vltimam rabiem sæuiebat. Inducti itaque Patricius & Hilarius, ordinemque replicare iussi gestorũ, quum inter exordia variarẽt, fodicatis lateribus illato tripode quo vtebantur, adacti ad summas angustias, aperiunt negotii fidẽ, ab ipsis exordiis replicatã. Et prior Hilarius, *Cõstruximus*, inquit, *magnifici iudices, ad cortinæ similitudinẽ Delphicæ*

daris

diris auſpiciis de laureis virgulis infauſtam hanc menſulam quam videtis: & imprecationibus carminum ſecretorum choragisque multis ac diuturnis ritualiter conſecratam mouimus tandem. Mouendi autem quoties ſuper rebus arcanis conſulebatur, erat inſtitutio talis. Conlocabatur in medio domus emaculatæ odoribus Arabicis, vndique lance rotunda pure ſuperpoſita, ex diuerſis metallicis materiis fabrefacta: cuius in ambitu rotunditatis extremo elementorum vigintiquatuor ſcriptiles formæ inciſæ perite, * diſiungebantur ſpatiis examinate dimenſis. Has linteis quidam indumentis amictus, calceatusque itidem linteis ſoccis, torulo capite circumflexo, verbenas felicis arboris geſtans, litato conceptis carminibus numine præſcitionum auctore, cærimoniali ſcientia ſuperſiſtit cortinulas, penſilem anulum librans aptum ex carpathio filo perquam leui, myſticis diſciplinis initiatum: qui per interualla diſtincta retinentibus ſingulis litteris incidens ſaltuatim, heroos efficit verſus interrogationibus conſonos, ad numeros & modos plene concluſos: quales leguntur Pythici, vel ex oraculis editi Branchidarum. Ibi tum quærentibus nobis, qui præſenti ſuccedet imperio, quoniam omni parte expolitus fore memorabatur, adſiliens anulus * duas perſtrinxerat ſyllabas: & cum adiectione litteræ poſtrema, exclamauit præſentium quidam, Theodorum præſcribente fatali neceſſitate portendi. nec vltra ſuper negotio eſt exploratum. Satis enim apud nos conſtabat hunc eſſe qui poſcebatur. Quumque totius rei notitiam ita ſignate ſub oculis iudicum ſubieciſſet, adiecit beniuole, id Theodorum penitus ignorare. Poſt hæc interrogati, an ex fide ſortium quas agitabant, ea præſcierint quæ ſuſtinerent, verſus illos notiſſimos ediderunt, clare pronuntiantes capitalem eis hanc operam ſcrutandi ſublimiora cito futuram: nihilominus tamen ipſi quoque cum cognitoribus principi cædes incendiaque flagitantes furias imminere: quorum tres ponere ſufficit vltimos: Οὐ μὰν ἀτίμητόν γε σὸν ἔσσεται αἷμα, καὶ αὐτοῖς Τισιφόνη βαρύμηνις * ἐφοπλίσσει κακὸν οἶτον, Αὐτίκα ἐν πεδίοισι Μίμαντος χαιομένοις ἄρ. Quibus lectis vnguibus male multati ſeparantur exanimes. Poſtea vt cogitati ſceleris officina pateret aperte, honoratorum inducitur globus, vertices ipſos continens rerum. Quumq; nihil præter ſe quiſq; cernens, ruinam ſuam impelleret ſuper alium, permiſſo quæſitorum cœptans dicere Theodorus, primo in pacem venialem proſtratus: dein coactius reſpondere compulſus, oſtendit ſe cognita per Euſerium, ne ad Imperatorem referret, vt conatus eſt aliquoties, ab eo prohibitum, adſerente non appetitu regni occupandi inlicito, ſed ratione quadam indeclinabilis fati, id quod ſperabatur, vltro venturum. Deinde hęc eadem Euſerio ſub cruenta quæſtione confeſſo, confutabant Theodorum litteræ ſuæ, per ambages obliquas ad Hilarium ſcriptæ: quibus ſpe iam firma concepta ex vatibus, de re non cunctabatur, ſed tempus patrandæ cupidinis quæritabat. Quibus poſt hæc cognita ſequeſtratis, Eutropius Aſiam proconſulari tunc obtinens poteſtate, vt factionis conſcius arceſſitus in crimen, abſceſſit innocuus, Paſiphilo eximente philoſopho: qui vt eum mēdacio * iniuſto peruerteret crudeliter tortus, de ſtatu robuſtæ mentis non potuit deturbari. His acceſſit philoſophus Simonides, adoleſcens ille quidem, verum noſtra memoria ſeueriſſimus. Qui quum audiſſe negotium per Fiduſtium deferretur, & cauſſam non ex veritate ſed ex vnius nutu penſari ſenſiſſet, didiciſſe ſe dixit prædicta, & commiſſa pro firmitate animi tacuiſſe. Quîs omnibus perſpicaciter inquiſitis, Imperator cognitorum conſultationi reſpondens, ſub vno proloquio cunctos iubet occidi: & vix ſine animorum horrore funeſtum ſpectaculum multitudine innumera cōtuente, & onerante queſtibus cœlum, (namque ſingulorum mala, omnium eſſe communia credebantur) ducti vniuerſi flebiliter iugulantur præter Simonidem, quem ſolum ſæuus ille ſententiæ lator, efferatus ob conſtantiam grauem, iuſſerat flammis exuri: qui vitam vt dominam fugitans rabidam, ridens ſubitas momentorum ruinas, immobilis conflagrauit; Peregrinum illum imitatus Protea cognomine, philoſophum clarum; qui quum mundo digredi ſtatuiſſet, Olympiæ quinquennali certamine ſub Græciæ conſpectu totius adſcenſo rogo quem ipſe conſtruxit, flammis abſumptus eſt. Et poſt hunc diebus ſequutis omnium fere ordinum multitudo, quam nominatim recenſere

est arduum, in plagas calumniarum coniecta percussorum dexteras fatigauit, tormentis & plumbo & verberibus ante debilitata: sumptumque est de quibusdam sine spiramento vel mora supplicium, dum quæritur an sumi deberet: & vt pecudum vbique trucidatio cernebatur. Deinde congesti innumeri codices, & acerui voluminum multi, sub conspectu iudicum concremati sunt, ex domibus eruti variis vt illiciti; ad leniendam cæsorum inuidiam; quum essent plerique liberalium disciplinarum indices variarum & iuris. Neque ita multo post Maximus ille philosophus, vir ingenti nomine doctrinarum, cuius ex vberrimis sermonibus ad scientiam copiosus Iulianus exstitit Imperator, oraculi supradicti versus audisse insimulatus; seque compertisse adsensus, sed reticenda professionis consideratione non effudisse, verum vltro prædixisse consultores ipsos suppliciis pœnalibus perituros; Ephesum ad genuinam patriam ductus ibique truncatus, sensit docente periculo postremo, quæsitoris iniquitatem omnibus esse criminibus grauiorem. Constrictus etiam Diogenes laqueis impiæ falsitatis, vir nobili prosapia editus, ingenio, facundia forensi, suauitateque præstans, dudum Bithyniæ rector, vt opimum patrimonium eius diriperetur, capitali est pœna adfectus. Ecce autem Alypius quoque ex vicario Britanniarum, placiditatis homo iucundæ, post otiosam & repositam vitam, quoniam hucusque iniustitia tetenderat manus, in squalore maximo volutatus, vt veneficii reus citatus est cum Hierocle filio adolescente indolis bonæ, vrgente Diogene quodam & vili & solo: omnique laniena excruciato, vt verba placentia principi vel potius arcessitori loqueretur: quo, quum pœnis non sufficerent membra, viuo exusto, ipse quoque Alypius post multationem bonorum exsulare præceptus, filium miserabiliter ductum ad mortem casu quodam prospero reuocatum recepit. Per id omne tempus Palladius ille coagulum omnium ærumnarum, quem captum a Fortunatiano docuimus primum, ipsa sortis infimitate ad omnia præceps, clades alias super alias cumulando, lacrymis vniuersa perfuderat luctuosis. Nactus enim copiam nominandi sine fortunatum distantia quos voluisset, vt artibus interdictis imbutos, ita vt ferarum occulta vestigia doctus obseruare venator, multos intra casses lugubres includebat, quosdam veneficiorum notitia pollutos, alios vt appentoribus imminuendæ conscios maiestatis. Et ne vel coniugibus maritorum vacaret miserias flere, immittebantur confestim qui signatis domibus inter scrutinia supellectilis pœnis addicti, incantamenta quædam anilia vel ludibriosa subderent amatoria, ad insontium perniciem concinnata. quibus in iudicio recitatis, vbi non lex, non religio, non æquitas veritatem a mendaciis dirimebat, indefensi, bonis ablatis, nullo contacti delicto, promiscue iuuenes aliique membris omnibus capti ad supplicium sellis gestatoriis ducebantur. Inde factum est per orientales prouincias, vt omnes metu similium exurerent libraria omnia: tantus vniuersos inuaserat terror. Namque, vt expressius loquar, omnes ea tempestate velut in Cimmeriis tenebris reptabamus, paria conuiuis Siculi Dionysii pauitantes; qui quum epulis omni tristioribus fame saginarentur, ex summis domorum laquearis in quibus discumbebant, setis nexos equinis & occipitiis incumbentes gladios perhorrebant. Tunc & Bassianus, procerum genere natus, notarius, militans inter primos, quasi prænoscere altiora conatus, licet ipse de qualitate partus vxoris consuluisse firmaret, ambitioso necessitudinum studio quibus tegebatur, morte ereptus, patrimonio opimo exutus est. Inter fragores tot ruinarum Heliodorus tartareus ille malorum omnium cum Palladio fabricator, mathematicus, vt memorat vulgus, colloquiis ex aula regia præpignoratus abstrusis, iam funebres aculeos excitabat; omni humanitatis inuitamento ad prodenda quæ sciret vel fingeret lacessitus. Nam & sollicitius cibo mundissimo fouebatur, & ad largiendum pellicibus merebat æs conlaticium graue: & incedebat passim elate os circumferens vultuosum, omnibus formidatus; ea fiducia sublatior, quod ad lupanar, quod sicut ipse voluit liberius seruabatur, cubiculariis officiis præpositus, adsidue propalam ventitabat, elogia parentis publici * perferens, futura pluribus luctuosa. Perq; eum vt forensium caussarum patronum, quid in primis orationis partibus collocaret, vt proficere possit facilius Valens, quibusue figurarum commentis splen-

tis splen-

tis splendida loca adtentare debeat, præmonebatur. Et quoniam longum est quæ cruciarius ille conflauit, hoc vnum edisseram, quamquam præcipiti confidentia, patriciatus columina ipsa pulsauit. Qui ex clandestinis (vt dictum est) regiorum confabulationibus immaniter adrogans, & ipsa vilitate ad facinus omne venalis, egregium illud par consulum Eusebium & Hypatium germanos fratres, Constantii principis quondam adfines, ad cupiditatem altioris fortunæ erectos, & consuluisse & agitasse quædam super imperio detulit: addens itineri ad mendacium ficte constructo, quod Eusebio etiam principalia indumenta parata sint. Quibus haustis auenter, fremebundus & minax cui nihil licere debuerat, quia omnia sibi licere etiam iniusta existimabat, intermisse ab extremis regionum interuallis exhibitis omnibus, quos solutus legibus accusator perduci debere profunda securitate mandarat, suscipi quæstionem criminose præcepit. Quumque nodosis coartationibus, æquitate diu iactata nixis, adseueratione perditi nebulonis durante, nullam confessionem exprimere tormenta grauia potuissent, ablegatosque ab omni huiusmodi conscientia veritas ipsa viros ostenderet claros, calumniator quidem ita vt antea honorabiliter colebatur: illi vero exsilio & pecuniariis adflicti dispendiis, paulo postea reddita sibi mulcta sunt reuocati, dignitatibus integris & splendore. Nec tamen post hæc tam pœnitenda repressius actum est vel pudenter, non reputante alta nimium potestate, quod recte institutis ne cum inimicorum quidem incommodis in delicta conuenit ruere voluntaria: nihilque sit tam iniquum quam ad ardua imperii supercilia, etiam acerbitatem naturæ adiungi. Sed Heliodoro incertum morbo an aliqua excogitata vi mortuo, (nolim dicere, vtinam nec ipsa res loqueretur) funus eius per vespillones elatum pullati præcedere honorati complures, inter quos & fratres visi sunt consulares. Ibi tunc rectoris imperii caries, tota stoliditatis apertius est profanata: qui quum abstinere inconsolabili malo rogaretur, obnixe inflexibilis mansit: vt videretur aures occlusisse ceris, quasi scopulos Sireneos transgressurus. Superatus tamen precibus destinatis, tandē nudatis capitibus infaustam bustuarii libitinam adusque sepulcrum incedentes pedibus, quosdam etiam complicatis articulis, præire mandauit. Horret animus reminisci * quo iustitio humiliati tot rerum apices visebantur, & præcipue consulares, post scipiones & trabeas & fastorum monumenta mundana. Inter quos omnes adolescentia & virtutum pulchritudine commendabilis noster Hypatius præminebat, vir quieti placidique consilii, honestatem lenium morum velut ad perpendiculum librans: qui & maiorum claritudini gloriæ fuit, & ipse posteritatem mirandis actibus præfecturæ geminæ decorauit. Accesserat hoc quoque eodem tempore ad Valentis ceteras laudes, quod quum in aliis ita sæuiret infeste, vt pœnarum motas ægre ferret finiri cum morte, Pollentianum tribunum malitia quemdam exsuperantem, iisdem diebus conuictum confessumque quod exsecto viuæ mulieris ventre atque intempestiuo partu exstracto, infernis manibus excitis de permutatione imperii consulere ausus est, familiaritatis eius intuitu, ordine omni mussante, abire iussit inlæsum, salutem & inuidendas opes & militiæ statum integrum retenturum. O præclara informatio doctrinarum, munere cælesti indulta felicibus, quæ vel vitiosas naturas sæpe excoluisti, quanta in illa caligine temporum correxisses, si Valenti scite per te licuisset, *nihil aliud esse imperium (vt sapientes definiunt) nisi curam salutis alienæ. bonique esse moderatoris, restringere potestatem, resistere cupiditati omnium rerum & implacabilibus iracundiis: nosseque (vt Cæsar dictator aiebat) miserum esse instrumentum senectuti recordationem crudelitatis: ideoque de vita & spiritu hominis, qui pars mundi est & animantium numerum complet, laturum sententiam diu multumque cunctari oportere; nec præcipiti studio, vbi irreuocabile factum est, agitari:* vt exemplum est illud antiquitati admodum notum. * Apud proconsulem Asiæ Dolabellam Smyrnæa materfamilias filium proprium & maritum venenis necasse confessa, quod filium ex priore viro ab eis occisum competisset, & comperendinata, quum consilium ad quod ex more dilata est, anceps quid inter vltionem & scelus statui debeat hæsitaret, ad Areopagitas missa est, Athenienses iudices tristiores; quorū æquitas deorum quoque iurgia dicitur distinxisse. Hi caussa cognita, centesimo post anno cum accusatore

mulierem adesse insserunt; ne aut absoluerent veneficam, aut vltrix necessitudinum puniretur. Ita numquam tardum existimatur quod est omnium vltimum. Post commissa iniquitatibus variis antedicta, & impressas fœdæ corporibus liberis quæ superuixerant, notas, *inconniuens Iustitiæ oculus, arbiter & vindex perpetuus rerum, vigilauit adtente.* Namque cæsorum vltrices diræ, perpetium numeratione querelarum iustissima commouente, Bellonæ accenderant faces: vt fides oraculi firmaretur, quod *nihil impune prædixerat perpetrari. Dum hæc quæ supra digesta sunt, Antiochię Parthico fragore cessante per intestinas dilarātur ærumnas, cœtus furiarū horrificus post inconuolutos multiplices casus ab eadem vrbe digressus, ceruicibus Asiæ totius insedit hoc modo. Festinus quidam Tridentinus vltimi sanguinis & innoti, in nexum germanitatis a Maximino dilectus vt sodalis & conrogatus, decernētibus fatis ad orientem transgressus est. ibique administrata Syria magisterioq; memoriæ peracto, bona lenitudinis & reuerentiæ reliquit exempla. vnde regere Asiam proconsulari potestate exorsus, velificatione tranquilla (vt aiunt) ferebatur ad gloriam. Audiens autem Maximinum optimo cuiq; exitialē, obtrectabat subinde actibus eius, vt perniciosis & fœdis. Sed quum impie peremptorum exequiis suffragantibus ad præfecturam venisse hominem competisset immeritum, exarsit ad agenda sperandaq; similia: & histrionis ritu mutata repente persona, studio nocendi concepto, incedebat oculis intentis ac rigidis, præfecturam autumans adfore propediem, si ipse quoq; se contaminasset insontiū pœnis. Et quamquā sint multa & varia quæ (vt leuius interpretemur) egit asperrime, pauca tamen dici sufficiet, quæ sunt nota ac peruulgata, ad æmulationem eorum commissa quæ facta sunt Romæ. Ratio enim eadem est ibi recte secusue gestorum, etiamsi magnitudo desit dissimilis rerū. Philosophum quemdam Cœranium, haud exilis meriti virum, ea caussa tormentorū immanitate mulcū occidit, quod ad coniugem suam familiariter scribens, id sermone addiderat Græco, σὺ δ' ἐγώ, καὶ στέφε τὴν πύλην: quod dici prouerbialiter solet, vt audiens altius aliquid agendum agnoscat. Anum quamdam simplicem, interuallaris febribus mederi leni carmine consuetam, occidit vt noxiam, postquam filiam suam ipso conscio curauit accita. In chartis cuiusdam municipis clari, scrutari ex negotio iussis, genitura Valentis cuiusdā inuenta est: repellensq; calumnias is cuius intererat, quum obiectaretur ei quamobrem constellationē principis collegisset, fratrem suum fuisse Valentem, dudumq; obiisse documentorum plena fide monstrare pollicitus, inexspectato veritatis indicio laniatus, lacer trucidatus est. Visus adolescens in balneis admouere marmori manus vtriusque digitos alternatim & pectori, septemq; vocales litteras numerasse; ad stomachi remedium prodesse id arbitratus: in iudiciū tractus, percussus est gladio post tormenta. His & mihi vertenti stylum in Gallias confunditur ordo seriesq; gestorū, inter multa & sæua Maximinum reperiens iam præfectum: qui potestate late diffusa, sæuum Imperatori accesserat incentiuum, maiestati fortunæ miscenti licentiam grauem. Quisquis igitur dicta considerat, perpēdat etiam cetera quæ tacentur, veniam daturus vt prudens, si non cuncta complectimur quæ consiliorum prauitas crimina in maius exaggerando commisit. Adolescente enim acerbitate rationum inimica rectarū, trux suopte ingenio Valentinianus, post eiusdem Maximini aduentū nec meliora monente vllo nec retentante, per asperos actus velut æstu quodam fluctuum ferebatur & procellarum; adeo vt irascentis sæpe vox & vultus & incessus mutaretur & color. Quam rem indicia varia testantur & certa; e quibus pauca sufficiet poni. Adultus quidam ex his quos *pædagogianos appellant, ad obseruandam venaticiam prędam Spartanum canem retinere dispositus, ante prædictum tempus absoluit, adsultu eius euadere conantis appetitus & morsu: ideoq; necatus ad exitium fustibus, eadem humatus est die. Præpositum fabricę oblato thorace polito faberrime, præmiumq; ideo exspectantem, ea re præcepit occidi quod pondus paulo minus habuit species ferrea quam ille formarat. Constantianus *strator, paucos militares equos ex his ausus mutare, ad quos probandos missus erat in Sardiniam, eodem iubente lapidum ictibus oppetiit crebris. Athanasius fauorabilis tunc auriga, suspectus ei vulgari leuitate, vt viuus incendi iuberetur siquid tentasset huiusmodi, cuius non multo postea beneficiis vsum ferebatur, nulla delata voluptatum

luptamm artifici venia, ignibus aboleri præceptus est. Africanus caussarũ in vrbe defensor adsiduus, post administraram prouinciam ad regendã aliam adspirauit. Cuius suffragatori magistro equitũ Theodosio id petenti, subagresti verbo responderat; *Abi* (inquit) *comes; & muta ei caput, qui sibi mutari prouinciam cupit.* Et hoc elogio periit homo disertus, ad potiora festinans vt multi. Claudium & Sallustium ex Iouianorum numero adusque tribunatus dignitates progressos, accusabat quidam vilitate ipsa despectus, quod quum imperium Procopius adfectasset, aliqua pro eo loquuti sunt bona. quumque nihil quæstiones reperirent, adsidue mandare magistris equitum auditoribus princeps, vt agerent Claudium in exsilium, & Sallustium pronuntiarent capitis reum, pollicitus quod eum reuocabit ad suppliciũ raptum. Hocque ita vt statutum est obseruato, nec Sallustius morte exemptus est, nec Claudius nisi post eiusdem Valentiniani obitum deportationis mœstitia liberatus. . . . . quum illi sæpissime torquerentur. Replicatis igitur quæstionibus densé, & quibusdam vi nimia tormentorum absumptis, ne vestigia quidem vlla delatorum reperta sunt criminum. In hoc negotio protectores ad exhibendas missi personas, dicuntur fustibus præter solitum * vsi. Horrescit animus omnia recensere, simulque reformidat, ne professo * quæsisse videatur in vitia principis alias commodissimi. Illud ramen nec præteriri est æquum nec sileri, quod quum duas haberet vrsas sæuas hominum ambestrices, Micam auream & Innocentiam, cura agebat enixa vt earum caueas prope cubiculum suum locaret, custodesque adderet fidos, visuros sollicite ne * quo ea superarum debetur luctificus calor. Innocentiam denique, post multas quas eius laniatu cadauerum viderat sepulturas, vt bene meritam in siluas abire dimisit innoxiam. *Et hæc quidem morum eius & propositi cruenti sunt documenta verissima: sollertis vero circa rempublicam, nusquam digredientis . . . . e speculis siquis hostium se commouisset desuper visus obruebatur. Agitabatur autem inter multiplices curas id omnium primum & potissimum, vt Macrianum regem auctum inter mutationes crebras successionum, iamque in nostros adultis viribus exsurgentem, vi superstitem raperet vel insidiis, vt multo ante Vadomarium Iulianus. & prævisum negotium poscebat & tempus. Cognitoque transfugarum indiciis, vbi comprehendi nihil opperiens poterit antedictus, tacite quantum concessit facultas, ne qui conserendo officeret ponti, iunxit nauibus Rhenum. Et antegressus contra Mattiacas aquas primus Seuerus, qui pedestrem curabat exercitum, perpensa militum paucitate territus stetit; timens ne resistere nequiens, irruenti opprimeretur hostilium agminum mole. & quia suspicabatur venalia ducentes mancipia scurras, casu illic repertos, id quod viderent excursu celeri nuntiare, cunctos mercibus direptis occidit. Aduentu itaque plurium copiarum animati iudices, castrisque ad tempus breuissimum fixis; quia nec sarcinale iumentum quisquam nec tabernaculum habuit præter principem, cui tapetes suffecerant pro tentorio, paulumper ob tenebras morati nocturnas, exsiliente luna procincti pergebant vlterius, itinerum gnari . . . . tempore iaceat, extento strepitu suorum est impeditus: quibus adsidue mandans vt incendiis & rapinis abstinerent, impetrare non potuit. Ignium enim crepitu dissonisque clamoribus satellites exciti, idque quod acciderat suspicati, carpento veloci impositum regem angusto aditu circumfractis collibus abdiderunt. Hac Valentinianus gloria defraudatus, nec sua culpa nec ducum, sed intemperantia militis, quæ dispendiis grauibus sæpe rem Romanam adflixit, adusque * quinquagesimum lapidem terris hostilibus inflammatis, rediit Treueros mœstus. Vbi tamquam leo ob ceruum amissum vel capream morsus vacuos concrepans, dum hostium disiecta frangeret timor, in Macriani locum Bucinobantibus, quæ contra Mogontiacum gens est Alemanna, regem Fraomarium ordinauit: quem paulo postea, quoniam recens excursus eumdẽ penitus vastauerat pagum, in Britanniam translatum potestate tribuni Alemannorum præfecerat numero, multitudine viribusque ea tempestate florenti. Bitheridum vero & Hortarium nationis eiusdẽ primates, item regere milites iussit. E quibus Hortarius proditus opera Florentii Mogontiaci ducis, contra remp. quædam ad Macrianum scripsisse barbarosq; optima-

tes, veritate tormentis expressa conflagrauit flamma pœnali. Ab hinc inter . . . proxima hæc narratione disseri continua placuit, ne, dum negotiis longe discretis & locis alia subseruntur, cognitio multiplex necessario confundatur. Nubel, velut regulus per nationes Mauricas potentissimus, vita digrediens, & legitimos & natos e concubinis reliquit filios: e quibus Zamma comiti nomine Romano acceptus, latenter a fratre Firmo peremptus, discordias excitauit & bella. Eius enim necem vlcisci impensiore studio properans comes, ad insidiatoris perniciem multa ciebat & formidanda. Vtque rumores distulerunt adsidui, nauabatur opera diligens in palatio, Romani quidem relationes, multa & aspera congerentes in Firmum, libenter suscipi recitarique principi, in earum fauorem concinentibus multis; ea vero quæ contra Firmus salutis tuendæ gratia docebat crebro per suos, accepta diutius occultari, Remigio tunc officiorum magistro, adfine amicoque Romani, inter potiores Imperatoris necessitates hæc velut minima & superflua nonnisi opportunæ legi posse adseuerante. Quæ quum ad obruendam defensionem suam agitari aduerteret Maurus, vltimorum metu iam trepidans, ne amandatis quæ prætendebat, vt perniciosus & contumax condemnatus occideretur, ab imperii dicione desciuit, & adiumenta . . . tium ad vastand . . hostis implacabilis incrementis virium adolesceret, ad abolendum cum comitatensi auxilio militis pauci Theodosius magister equitum mittitur: cuius virtutes vt *impetrabiles ea tempestate præ ceteris nitebant, Domitii Corbulonis & *Lusii veterum simillimi: quorum prior sub Nerone, alter Traiano rem gerente Romanam, pluribus inclaruere fortibus factis. Proinde ab Arelate secundis egressus auspiciis, emensoque mari cum classe quam ductabat, nullo de se rumore prægresso defertur ad Sitifensis Mauritaniæ litus, quod appellant accolæ *Igilgitanum. Ibique inuentum casu Romanum leniter adloquutus, misit ad vigilias ordinandas & prætenturas, parum super his quæ verebatur increpitum. Quo ad Cæsariensem digresso, Gildonem Firmi fratrem & Maximum misit correcturos Vincentium, qui curans Romani vicem, inciuilitatis eius erat particeps & furtorum. Recepto itaque tardius milite, quem amplitudo morabatur maris, Sitifim properans, Romanum cum domesticis custodiendum *protectoribus committi mandauit: agensque in opido, sollicitudine diducebatur ancipiti, multa cum animo versans qua via quibusue commentis per exustas caloribus terras pruinis adsuetum duceret militem; vel hostem caperet discursatorem & repentinum, insidiisque potius clamdestinis quam prœliorum stabilitate confisum. Quod vbi firmo leui rumore, dein apertis est indiciis cognitum, spectatissimi ducis aduentu præstrictus, veniam confessionis præteritorum missis oratoribus poscebat & scriptis, docentibus eum non sponte sua ad id erupisse quod norat scelestum, sed iniquitate grassante licentius, vt monstrare pollicebatur. Quibus lectis paceque obsidibus acceptis promissa, dux ad recensendas legiones quæ Africam tuebantur, ire pergebat ad Pancharianam stationem, quo conuenire præceptæ sunt. Ibi magnificis verbis atque prudentibus spe cunctorum erecta, reuersus Sitifim, conciliato indigena milite cum eo quem ipse perduxerat, ægre perpetiens moras, ad procinctus ire ocius festinabat. Inter residua autem multa & clara, id amorem eius auxerat in immensum, quod a prouincialibus commeatum exercitui prohibuit dari, messes & condita hostium virtutis nostrorum horrea esse fiducia memorans speciosa. His ita cum lætitia possessorum dispositis, ad Tubusuptum progressus, opidum Ferrato contiguum monti, legationem secundam Firmi repudiauit; quæ obsides, vt ante statutum est, non duxerat secum. Vnde omnibus pro loco & tempore cautius exploratis, concito gradu Tyndensium gentem & Masinissensium petit, leuibus armis instructas, quas Mascizel & Dius fratres Firmi, ductabant. Quumque essent hostes iam in contuitu membris omnibus celeres, post missilia hinc inde crebrius iacta, committitur certamen aspertimum: interq; gemitus, mortes, & vulnera, audiebatur barbarorum vlulabilis fletus captorum & cæsorum: pugnaq; dirempta plures agri populati sunt & incensi. Inter quos clades eminuere fundi Petrensis, excisi radicitus, quem Salmaces dominus Firmi frater, in modum vrbis exstruxit. Hoc successu victor elatus, mira velocitate

titate Lamforctense opidum occupauit, inter gentes positum antedictas. Vbi abunde rei cibariæ copiam condi effecit: vt si pergens interius alimentorum offendisset penuriam, iuberet e propinquo conuectari. Quæ dum ita procedunt, Mascizel reparatis viribus nationum confinium adminicula ductans, conserta manu cum nostris, fusis e parte suorum pluribus, ipse equi pernicitate ægre discrimine mortis exemptus est. Fessus ærumnis gemini prœlii Firmus, imoq; æstuans corde, nequid vltimæ rationis omitteret, Christiani ritus antistites oraturos pacē cum obsidibus misit. Qui quoniam suscepti lenius, polliciti que victui congrua militibus, vt præceptū est, læta retulere responsa, præmissis muneribus Maurus ipse fidentius ad Romanum perrexerat ducem, equo insidens apto ad ancipites casus. Quumq; prope venisset, fulgore signorum & terribili vultu Theodosii præstrictus, iumento desiliit: curuataque ceruice humi pene adfixus, temeritatem suam flebiliter incusabat, pacem obsecrando cum venia: susceptusque cum osculo, quoniam id reipublicæ conducebat, bonæ spei iam plenus, sufficientia præbuit alimenta: & quibusdam propinquis suis ad obsidum vicem relictis, abscessit captiuos, vt spoponderat, redditurus, quos primis turbarum exordiis rapuit: biduoque post, Icosium opidum, (cuius supra docuimus conditores) militaria signa, & coronam sacerdotalem cum ceteris quæ interceperat, nihil cunctatus restituit, vt præceptum est. Exinde quum discursis itineribus magnis Tipasam noster dux introiret, legatis Mazicum, qui se consociauerant Firmo, suppliciter obsecrantibus veniam, animo elato respondit se in eos, vt perfidos, arma protinus commoturum. Quibus imminentis periculi metu defixis, reuertique iussis ad sua, Cæsaream ire tendebat, vrbem opulentam quondam & nobilem; cuius itidem originem in Africæ situ digessimus plene. Eamque ingressus, quum omnem pene incendiis late dispersis vidisset exustam, botridasq; canicie silices, primam & secundam legionem ad tempus ibi locari disposuit: vt fauillarum egerentes aceruos, agitarent ibi præsidium, ne repentino barbarorum impetu vastaretur. Quæ quum rumores veri distulissent prouinciæ rectores tribunusq; Vincentius e latibulis quibus se commiserant egressi, tandem intrepidi ad ducem ocius peruenerunt. Quibus ille gratanter visis atque susceptis, agensque etiam apud Cæsaream, fide rerum diligentius explorata, comperit Firmum per speciem fauentis & supplicis tectiore consilio id moliri, vt nihil hostile metuentem exercitum in modum tempestatis subitæ conturbaret. Quamobrem conuersus hinc venit ad municipium Sugabarritanum, Transcellensi monti adcliue: vbi inuentos equites quartæ sagittariorum cohortis, quæ ad rebellem defecerat, vt contentum se supplicio leniori monstraret, omnes contrusit ad infimum militiæ gradum: eosque, & Constantianorum peditum partem, Tigauias venire iusserat cum tribunis: e quibus vnus torquem pro diademate capiti imposuit Firmi. Dumque hæc aguntur, reuerterunt Gildo & Maximus, Bellen e principibus Mazicum & Fericium gentis præfectum ducentes, qui factionem iuuerant quietis publicæ turbatoris. . . . . producerent vinctos. Quo ita vt statutum est facto, lucis primo exortu ipse egressus, quum inuenisset eos in exercitu circumseptos, *Quid de istis nefariis*, inquit, *proditoribus fieri oportere contubernales deuoti censetis?* Sequutusque adclamationem rogantium, sanguine vindicari eos qui inter Constantianos merebant, prisco more militibus dedit occidendos: sagittariorum vero primoribus manus incidit; residuos supplicio capitali multauit; ad æmulationem Curionis acerrimi illius ducis, qui Dardanorum ferociam in modum Lernææ serpentis aliquotiens renascentem, hoc genere pœnarum exstinxit. Sed obtrectatores maliuoli, vetus factum laudantes, hoc vt dirum vituperant & asperrimum; Dardanos hostes memorantes interneciuos, & iuste quæ sustinuere perpessos, hos vero subsignanos milites debuisse lenius corrigi, ad vnum prolapsos errorem: quos scientes forsitan admonemus, hanc cohortem & facto & exemplo aduersam. Antedictos Bellen & Fericium, quos duxerat Gildo, tribunumque sagittariorum Curandium, ea re iussit occidi quod nec ipse vmquam cum hostibus congredi voluit, nec suos vt pugnarent hortari. Agebat autem hæc Tullianum illud aduertens, quod *salutaris rigor vincit inanem speciem clementiæ.* Exin profectus, fundū nomine* Gaionatis, muro circumdatū valido re-

ceptaculum Maurorum rutissimũ, arietibus admotis euertit: & cæsis omnibus incolis mœnibusq; complanatis, ad Tingitanum castellũ progressus, per Ancoratũ montem Mazicas in vnum collectos inuasit, iam tela reciprocantes volitantia grandinis ritu. Et quum esset vtrimque discursum, agmina viris armisque incitata nostrorum non perferentes Mazices, licet bellicosum genus & durum, diuersis stragibus implicati, fœdo diffluxere terrore: ruentesque in fugam cæsi sunt, absque his qui reperta copia discedendi, supplici prece veniam quam dari tempus flagitauerat, impetrarunt, Suggena eorum ductore . . . Romano successerat in Sitifensem Mauritaniam ire disposito ad agitanda præsidia; ne prouincia peruaderetur, ipse præteritis elatior casibus gentem petit Musonum: quam conscientia rapinarum & cædum, actibus congregauerat Firmi, vt sperabatur maiora mox adepturi. Progressusque aliquantum, iuxta Addense municipium competit, dissonas cultu & sermonum varietate nationes plurimas, vnum spirantibus animis, immanium exordia cõcitare bellorum, adigente hortanteque maxima spe præmiorum sorore Firmi nomine Cyria: quæ abundans diuitiis, & destinatione fœminea, nisibus magnis instituit iuuare germanum. Quocirca Theodosius veritus ne marti sese committeret impari, congressusque multitudini immensæ cum paucis (tria enim armatorum milia ductabat atque quingentos) amitteret vniuersos, inter pudorem cedendi pugnãdiq; ardorem gradiens retro paulatim trudente pondere plebis abscessit. Hocque euentu barbari nimium quantum . . . & ad internicionem perdiderat cunctos, ni gentium turbulenta concussio, procul Mazicum visis auxiliis, quos anteibant quidam Romani, arbitrata in se impetum agminum ferri complurium, versa in pedes aperuisset nostris exitus antehac interseptos. Exinde quum milites ducens incolumes Theodosius ad fundum venisset nomine Mazucanum, exustis desertoribus paucis, aliisque ad sagittariorum exemplum, quibus manus ademptæ sunt, contruncatis, Tipatam mense Februario venit. Vbi diutius agens, vt antiquus ille Cunctator pro negotio consultabat, commentis potius & prudentia quam periculosis congressibus, hostem pugnacem & impenetrabilem iactu telorum, si fors copiam dederit, oppressurus. Mittebat tamen adsidue suadendi quosdam peritos ad gentes circumsitas, Baiuras, *Cantaurianos, Auastomates, Casaues, Dauaresque, & finitimos alios, nunc timore nunc *promissis eos ad societatem alliciens, veniamque petulantiæ interdum promittendo; per ambages & moras hostem frangentem suos impetus oppressurus, vt quondam Pompeius Mithridatem. Qua caussa declinans perniciem proximam Firmus, licet præsidiorum magnitudine communitus, relicta plebe quam coegerat, magna mercede, quoniam latendi copiam nocturna quies dedit, Capratiẽses mõtes longe remotos penetrauit, & diruptis rupibus inaccessos. Cuius abitu clamdestino multitudo dispersa, sine rectore particulatim diffluens, inuadendi eius castra nostris copiam dedit. Hisq; direptis, & interfectis qui resistebãt, vel in deditionem acceptis, regionum maxima parte vastata, gentibus per quas transibat dux consultissimus adposuit fidei compertæ præfectos. Hac inopina sequendi confidentia territus perduellis, seruis comitantibus paucis, digressu celeri consulturus saluti, ne quo præpediretur obstaculo, abiecit pretiosarum sarcinas specierum, quas auexerat secum. Vxorem namque fessam labore continuo & per ancipiti . . . . Theodosius nulliq; *parcens, mundiore victu stipendioque milite recreato, Caprariensibus Abbanisque eorum vicinis prœlio leui sublatis, ad municipium properauit * ense: verisque nuntiis doctus, barbaros occupasse iam tumulos per anfracta vndique spatia in sublime porrectos, nullique peruios nisi indigenis locorum perquam gnaris, repedando dedit hostibus facultatem per inducias, licet breues, Æthiopum iuxta agentium adminiculis augeri vel maximis. Qui cateruatis copiis fremituque minaci sine sui respectu ruentes in pugnam, auerterunt eum inæstimabilium turmarum specie dira perterrefactum: statimque redintegratis animis commeatus vehens abunde reuertit: & conglobatis suis scutaque in formidabilem mouentibus gestum, controuersas iisdem opposuit manus. Quamquam igitur immite quiddam barbaricis concrepantibus armis manipuli furentium imminebant, ipsi quoque parmas genibus illidentes; tamen vt pugnator

ille cau-

ille cautus & prudens miles, paucitate diffisus, audacter agmine quadrato incedens, ad ciuitatem nomine Contensem flexit iter intrepidum, [vbi timens] nostros Firmus, vt in munimento abstruso locarat suos & celso: cunctisque receptis, in proditores satellitesque memorati animaduertit acriter, vt solebat. Hoc ei magni numinis adiumento gerenti prosperrime, verus indicat explorator, confugisse ad Isaflensium populum Firmum. Ad quem reposcendum vna cum fratre Mazuca ceterisque necessitudinibus illuc ingressus, quum adipisci non posset, genti bellum indixit: & prœlio atroci commisso, ferocientibus barbaris vltra modum aciem in rotundo habitu figuratam opponit. Adeoque Isaflenses pondere cateruarum ingentium inclinati sunt, vt plurimi caderent, & ipse Firmus ferox & sæpe in suam perniciem præceps, equo auferretur in fugam, per saxa & rupes discurrere citius adsueto; Mazuca vero frater eius caperetur letaliter saucius. qui Cæsaream mitti dispositus, vbi sæua iusserat monumenta facinorum pessimorum, dilatato vulneris hiatu decessit. Caput tamen eius auulsum residuo corpore, cum magno visentium gaudio vrbi inlatum est antedictæ. Post hæc Isaflensium gentem, quæ obstitit, superatam dux nobilis incommodis multis, vt æquitas poscebat, adflixit. Ibi Euasium potentem municipem, Florumque eius filium & quosdam alios, per secretiora consilia temeratorem quietis iuuisse confutatos aperte, flammis absumpsit. Exindeque pergens interius, nationem Iubalenam spiritu adgressus ingenti, vbi natum Nubelem patrem didicerat Firmi, repulsus altitudine montium & flexuosis angustus stetit. Et quamlibet facto in hostem impetu, pluribusque peremptis, aperuerit viam: formidans tamen sublimia collium ad insidiandum aptissima, ducens suos incolumes reuertit ad Audiense castellum. Vbi Iesalensium gens fera semet dedit, voluntaria auxilia præstare spondens & commeatus. His & eiusmodi gloriosis actibus exsultans amplissimus ductor, ipsum otii turbatorem petebat valido virium nisu: ideoque prope munimentum nomine Medianum diu consistens, per multas prudentesque sententiarum vias eumdem sibi prodi posse spetabat. Hæcque cogitationibus anxiis altioreque prospiciens cura, rursus ad Isaflenses hostem comperit reuertisse: quos nihil moratus, vt antea, agminibus adoritur concitatis. Cui rex Igmazen nomine, spectatus per eos tractus opibusque insignis, progressus obuiam confidenter, *Cuius loci es tu*, inquit; *vel quid acturus huc venisti, responde*. Quem Theodosius fundata mente intuens toruum, *Comes*, ait, *Valentiniani sum orbis terrarum domini, ad opprimendum latronem funereum missus: quem nisi statim reddideris, vt inuictus statuit Imperator, peribis funditus cum gente quam regis.* Quo audito Igmazen, post conuitia multa quæ congessit in ducem, ira doloreque perculsus abscessit. Et sequutæ principio lucis, vtrimque occursuræ sibi ad confligendum processerunt acies minacissime: & barbarorum viginti pene milia in ipsis locata sunt frontibus, occultatis pone terga subsidialibus globis, vt adsurgentes paulatim nostros multitudine clauderent insperata. Hisque Iessaleni auxiliares accessere quam plures; quos adiumenta & commeatus nostris docuimus promisisse. Contra Romani, quamuis admodum pauci, tamen fortibus animis victoriis antegressis elati, densatis lateribus, scutisque in testudinis formam cohærenter adaptans, restiterunt gradibus fixis. Et a sole orto vsque diei extimum pugna protenta, paulo ante vesperam visus est Firmus equo celsiori insidens, sago puniceo porrectius panso, milites clamoribus magnis hortari, vt dedant Theodosium opportune, truculentum cum appellans & dirum & suppliciorum * sæuum repertorem, si discriminibus eximi vellent quæ perferebant. Hæ insperatæ voces ad dimicandum quosdam actius incitarunt, alios deserere prœlium inlexerunt. Proinde vbi noctis aduenit quies prima, partibus tenebrarum obuolutis errore, dux reuersus ad * Duodiense castellum, militesque recognoscens, eos quos a pugnandi proposito pauor & verba detorserant Firmi, diuerso genere pœnarum exstinxit, alios ademptis dexteris, quosdam viuos combustos. Excubiasque agens cura peruigili, barbarorum aliquos, ausos, quum apparere non possent, post occasum lunæ castra sua tentare, fudit, vel irruentes audacius cepit. Digressus exinde passibus citis, *Iessalenses vt ambiguæ fidei per tramites adortus obliquos, vnde parum sperari potuit, ad penuriam vastauit extremam:

perque Cæsariensis Mauritaniæ opida reuersus Sitifim, Castorem & Martinianum, rapinatum flagitiorumque Romani participes, ad interitum tortos incendit. Redintegratur posthæc cum Isaflensibus bellum: primoq; conflictu barbarorum pluribus pulsis & interfectis, rex eorum Igmazen vincere antehac adsuetus, terrore fluctuans mali præsentis, nihilq; commerciis veteris ad vitam spei sibi restare si obstinatius egerit arbitratus, quantum caute fieri potuit & occulte prorupit ex acie solus: visumque Theodosium suppliciter petiit vt *Masillam Mazicum optimatem ad se venire iuberet. Per quem vt rogauerat missum, clandestinis colloquiis monuit ducem suopte ingenio pertinacem, vt ad præbendā sibi copiam agendi quæ vellet, popularibus suis acriter immineret, eosque adsiduitate pugnandi mutaret in metum, promptos quidem ad *perduellis fauorem, sed iacturis multiplicibus fessos. Paruit Theodosius dictis: & crebritate certaminum Isaflenses ita protriuit, vt iisdem labentibus more pecudum, Firmus latenter euaderet; & auiis & diuturnis latebris amandatus, inibi dum de fuga consultat, tentus ab Igmazene custodiretur. Et quoniam obscurius gesta didicerat per Masillam, in extremis rebus vnum remedium superesse contemplans, calcare viuendi cupiditatem voluntaria statuit morte: vinoque consulto distentus, & crapulentis silenti nocte oppressis altiore somno custodibus, peruigil ipse impendentis ærumnæ terrore, insonis gradibus relicto cubili, manibus repens & pedibus, longius sese discreuit: repertumque funiculum quem finiendæ vitæ parauere casus, de clauo parieti adfixo suspendit: vbi collo inserto, animam absque moris cruciabilibus exhalauit. Quod dolenter ferens Igmazen, interceptamque sibi gloriam gemens, quia non contigerat ad castra Romana vinctum ducere perduellem, interposita fide publica per Masillam, ipse camelo necati cadauer impositum ferens, quum tentoria exercitus aduentaret ad *Subicarense castellum Iocata, in iumentum translulit sarcinale, & Theodosio obtulit exsultanti. Qui conuocatis armatis simul atque plebeis, interrogatisque an cognoscerent vultum, quum eiusdem esse sine vlla didicisset ambage, ibi paulisper moratus, Sitifim triumphanti similis rediit, ætatum ordinumque omnium celebrabili fauore susceptus.

Dum hoc puluere per Mauritaniam dux antedictus anhelat & Africā, Quadorum natio mota est, insulta repentino parum nunc formidanda, sed immensum quantū antehac bellatrix & potens, vt indicant properata: quoniam raptim obsessa ab iisdem ac Marcomannis Aquileia [diu] Opitergiumque excisum, & cruenta complura per celeres acta procinctus; vix resistente perruptis Alpibus Iulis primicerio, quem antedocuimus, Matico. Et erat, vt barbaris, ratio iusta querelarum. Valentinianus enim studio muniendorum limitum glorioso quidem, sed nimio ab ipso principatus initio flagrans. trans flumen Histrum in ipsis Quadorum terris, quasi Romano iuri iam vindicatis, ædificari præsidiaria castra mandauit: quod accolæ ferentes indigne, suique cautiores, legatione tenus interim & susurris arcebant. Sed Maximinus in omne auidus nefas, & genuinos mitigare nequiens flatus, quibus præfecturæ accesserat tumor, increpabat Equitium per Illyricum eo tempore *magistrum armorum, vt peruicacem & desidem, necdum opere quod maturari dispositum est consummato: addebatq; , vt consuleus in commune, quod si paruo suo Marcelliano deferretur potestas per Valeriam ducis, munimentum absque vlla caussatione consurgeret. Vtrumque mox est impetratum. Qui promotus, profectusque quum venisset ad loca, intempestiue turgens vt filius, nullis adfatibus delinitis his quos numquam tentatæ cupiditatis figmenta regionum suarum faciebant extorres, opus paulo ante inchoatum adgreditur, admissa copia rogandi suspensum. Denique Gabinium regem nequid nouaretur modeste poscentem, vt adsensurus humanitate simulata cum aliis ad conuiuium corrogauit: quem digredientem post epulas hospitales, officii sanctitate nefariæ violata, trucidari securum effecit. Cuius rei tam atrocis disseminatus rumor ilico per diuersa, & Quados & gentes circumsitas efferauit: regisq; flentes interitum, in vnum coactæ, misere vastatorias manus. quæ Danubium transgressæ, quum nihil exspectaretur hostile, occuparam circa messes agrestem adortæ sunt plebem: maioreq; parte truncata, quidquid superfuit domum cum multitudine varii pecoris abduxerūt. Euenisset pro-

fet profecto tunc inexpiabile scelus, numerandum inter probrosas rei Romanæ iacturas: (paulo enim abfuit quin filia caperetur Constantii cibum sumens in publica villa quã appellant Pistrensem, quum duceretur Gratiano nuptura) ni fauore propitii numinis præsens Messala prouinciæ rector, eam iudiciali carpento impositam ad Sirmium vicesimo sexto lapide disparatum cursu reduxisset effuso. Hoc casu prospero regia virgine periculo miseræ seruitutis exempta, cuius nisi potuisset impetrari redemptio captæ, magnas inussisset reipublicæ clades, latius se cum Sarmatis Quadi pandentes, ad raptus & latrocinia gentes aptissimæ, prædas hominum virilis & muliebris sexus agebant & pecorum, villarum cineribus exustarum cæsorumque incolentium exsultantes ærumnis: quos nec opinantes sine vlla parcimonia deleuerunt. Per omnia itaque propinqua malorum similium dispersa formidine, præfectus prætorio agens tunc apud Sirmium Probus, nullis bellorum terroribus adsuetus, rerum nouarum lugubri visu præstrictus, oculosque vix attollens, hærebat diu quid capesseret ambigens: & quum paratis velocibus equis noctem proximam destinasset in fugam, monitus tutiore consilio mansit immobilis. Didicerat enim omnes sequuturos confestim qui mœnibus claudebantur, tegendos latebris opportunis: quod si contigisset, impropugnata ciuitas venisset in manus hostiles. Proinde parumper lenito pauore, ad arripienda quæ vrgebant acri animo adsurgens, retersit obrutas ruderibus fossas, murorumque maximam partem pacis diuturnitate contemptam & subuersam, adusque celsarum turrium minas expedit, studio ædificandi coalitus: hac ratione opere velociter absoluto, quod impensas ædificandi theatri caussa dudum congestas, sufficientes ad id quod efficere maturabat inuenit. Atque huic spectato consilio salutare addidit aliud: & sagittariorum cohortem ex statione proxima, ad futuram obsidio, si venisset, acciuit. His velut obicibus barbari ab oppugnanda vrbe depulsi, parum ad has calliditates dimicandi sollertes, sarcinisque impediti prædarum, ad Equitii vertuntur indaginem. Et quum ad Valeriæ spatia longe remota secessisse captorum didicissent indiciis, illuc properato *pergebant gradu frendentes, hacque ex caussa iugulo eius intenti, quod per ipsum circumuentum regem existimabant insontẽ. Quibus cõcito cursu ruentibus infestius, obuiam legiones motæ sunt duæ, Pannonica & Mœsiaca, valida prœliis manus: quæ si conspirasset, abierat procul dubio victrix. Sed dum discretim grassatores adoriri festinant, ortis inter se discordiis impediti, de honore certabant & dignitate. Quo intellecto Sarmatę sagacissimi, non exspectato certandi signo solenni, Mœsiacam primam incessunt. Dumq; milites arma tardius per tumultum expediunt, interfectis plurimis aucti fiducia, aciem perrupere Pannonicam: disiectamq; agminis mole geminatis ictibus omnem pene delessent, ni periculo mortis aliquos citum extraxisset effugium. Inter hæc fortunæ dispẽdia tristioris, dux Mœsiæ Theodosius iunior, prima etiamtum lanugine iuuenis, princeps postea perspectissimus, Sarmatas liberos, ad discretionem seruorum rebellium appellatos. confinitia nostra ex alio latere inuadentes, aliquotiens expulit & adflixit, congressibus densis adtritos: adeoque obsistentes fortissime turbas confluentes oppressit, vt cæsorum plurimum alites iuste sanguineas satiaret & feras. Vnde residui tumore iam deflagrante metuentes ne idem dux virtutis (vt apparuit) expeditæ in primo finium aditu incursantes cuneos sterneret aut fugaret, vel insidias per siluarum locaret occulta, post multos perrumpẽdi conatus subinde tentatos incassum, abiecta pugnandi fiducia concessionem petiuere præteritorum & veniam: victiq; ad tempus, indultæ fœderibus pacis nihil egere cõtrarium, eo maxime timore perculsi, quod ad tutelam Illyrici Gallicani militis validum accesserat robur. Dum hæc tot ac talia per turbines agitantur adsiduos, Claudio regente vrbem æternam, Tiberis, qui media interiecans mœnia, cloacis & fluuiis abundantibus multis, Tyrrheno mari miscetur, effusione imbrium exuberans nimia, & supra amnis speciem pansus, omnia pene contexit. Et stagnantibus ciuitatis residuis membris quæ tenduntur in planitiẽ molliorem, montes soli & quidquid insularum celsius eminebat, a pręsenti metu defendebatur. Et ne multi inedia contabescerent, vndarum magnitudine nusquã progredi permittente, lembis & scaphis copia suggerebatur abunde ciborum. At ve-

ro vbi tempestas molliuit, & flumen retinaculis ruptis rediit ad solitum cursum, absterso metu nihil postea molestum exspectabatur. Hic ipse præfectus egit admodum quiete, nullam seditionem super querela iusta perpessus: & instaurauit vetera plurima. inter quæ porticum excitauit ingentem, lauacro Agrippæ contiguam, Euentus boni cognominatam, ea re quod huius nominis prope visitur templum.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER TRIGESIMVS.

INTER has turbarum difficultates, quas Percha dux rege Quadorum excitauit occiso per scelus, dirum in oriente committitur facinus, Para Armeniorum rege clandestinis insidiis obtruncato: cuius materiæ impio conceptæ consilio hanc primordialem fuisse nouimus caussam. Consarcinabant in hunc etiam tum adultum crimina quædam apud Valentem exaggerantes male sollertes homines, dispendiis sæpe communibus pasti. Inter quos erat Terentius dux demisse ambulans, semperque submœstus; sed, quoad vixerat, acer dissensionum instinctor. Qui adscitis in societatem gentibus paucis, ob flagitia sua suspensis in metum, scribendo ad comitatum, adsidue Cylacis necem replicabat & Artabanis; addens, eumdem iuuenem ad superbos actus elatum, nimis esse in subiectos immanem. Vnde quasi futurus particeps suscipiendi tunc pro instantium rerum ratione tractatus, idem Para regaliter vocatus, & apud Tarsum Ciliciæ obsequiorum specie custoditus, quum neque ad Imperatoris castra accipi, nec vrgentis accessus caussam scire cunctis reticentibus posset, tandem secretiore indicio comperit, per litteras Romano rectori suadere Terentium, mittere propediem alterum Armeniæ regem, ne odio Paræ speque quod reuertetur, natio nobis opportuna deficeret ad iura Persarum, eam rapere vi vel metu vel adulatione flagrantium. Quod reputans ille, impendere sibi præsagiebat exitium graue. Et doli iam prudens, nec aliam nisi cito discessu saluris reperiens viam, suadentibus his quibus fidebat, conglobatis trecentis comitibus sequutis eum e patria cum equis velocissimis, vt in magnis solet dubiisque terroribus, audacter magis quam considerate, pleraque diei parte emensa egressus cuneatim properabat intrepidus. Quumque eum prouinciæ moderatoris appatitor qui portam tuebatur, percitus festinato studio reperisset in suburbanis, vt remaneret enixius obsecrabat: & parum hoc impetrato, mortis auersus est metu. Nec minus paulo postea legionem sequutam iamque aduentantem, ipse cum promptissimis retrorsus excurrens, fundensque in modum scintillarum sagittas, sed voluntate errans, in fugam compulit: vt cum tribuno milites vniuersi perterrefacti, viuidius quam venerant remearent ad muros. Exin solutus omni formidine, biduo & binoctio exantlatis itinerum laboribus magnis, quum ad flumen venisset Euphratem, & inopia nauium voraginosum amnem vado transire non posset, nandi imprudentia pauentibus multis, ipse omnium maxime cunctabatur. Et remansisset, ni cunctis versantibus varia, id reperire potuisset effugium, in necessitatis abrupto tutissimum. Lectulos in villis repertos binis vtribus suffulserunt, quorum erat abundans prope in agris vinariis copia: quibus singulis proceres insidentes & regulus ipse, iumenta trahentes, præruptos vndarum occursantium fluctus obliquatis meatibus declinabant: hocque commento tandem ad vlteriorem ripam post extrema discrimina peruenerunt. Residui omnes equis inuecti natantibus, & circumluente flumine sæpe demersi iactatique, infirmati periculoso madore expelluntur ad contrarias margines: vbi paulisper refecti, expeditius quam diebus prateritis incedebant. Hoc nuntiato princeps, antedicti fuga perculsus, quem elaqueatum fidem rupturum existimabat, cum sagittariis mille succinctis & leuibus Danielum mittit & Barzimerem, reuocaturos eum; comitem

vnum,

vnum, alterum ſcutariorum tribunum. Hi locorum gnaritate confiſi, quod ille properans vt peregrinus & inſuetus mæandros faciebat & gyros, compendioſis *vallibus eius itinera præuenerunt: & diuiſis inter ſe copiis, clauſere vias proximas duas, trium milium interuallo diſtinctas, vt tranſiturus per vtramuis, caperetur improuidus. Sed euanuit* cogitatus, hoc caſu: Viator quidam ad citeriora feſtinans, quum cliuum armato milite vidiſſet oppletum, per poſterulam tramitem medium ſqualentem frutectis & ſentibus vitabundus excedens, in Armenios incidit feſſos: & ductus ad regem, arcano ſermone ſolum quæ viderat docet, ac retinetur intactus. Moxque metu diſſimulato eques mittitur clamdeſtinus ad dextrum itineris latus, diuerſoria paraturus & cibum: quo paulum progreſſo, in læuum tractum item alius talia facturus ire iubetur ociſſime, alterum aliorſum neſciens miſſum. Quibus ita vtiliter ordinatis, rex ipſe cum ſuis dumeta per quæ viator venerat, relegens, eo ipſo monſtrante, per hiſpidam & iumento onuſto exiguam callem, poſt terga relictis militibus euolauit; qui captis eius miniſtris, miſſis ad mentes obſeruantium præſtringendas, quaſi venaticiam prædam modo non porrectis manibus exſpectabant. Dumque hi venturum opperiuntur, ille regno incolumis reſtitutus, & cum gaudio popularium ſummo ſuſceptus, in eadem fidei certitudine manſit immobilis, iniuriis quas pertulerat omnibus demuſſatis. Danielus poſt hæc & Bartzimeres, quum luſi iam reuertiſſent, probroſis lacerati conuitiis vt inertes & deſides, vt hebetatæ primo adpetitu venenatæ ſerpentes, ora exacuere letalia, quum primum potuiſſent, lapſo pro virium copia nocituri: & leniendi cauſſa flagitii ſui, vel fraudis quam meliore conſilio pertulerunt, apud Imperatoris aures rumorum omnium tenaciſſimas inceſſebant falſis criminibus Param, incentiones Circæas in vertendis debilitandiſq; corporibus miris modis eum callere fingentes; addentesq; quod huiuſmodi artibus offuſa ſibi caligine mutatus, vaſorumq; forma transgreſſus, triſtes ſollicitudines, ſi huic irriſioni ſuperfuerit, excitabit. Hinc in illum inexplicabile auctum principis odium: & doli ſtruebantur in dies, vt per vim et vel clam vita adimeretur. Agentique tunc in Armenia Traiano, & rem militarem curanti, id ſecretis committitur ſcriptis. Qui inlecebroſis regem inſidiis ambiens, & modo ſerenæ mentis Valentis indices litteras tradens, modo ipſe ſeſe eius conuiuiis ingerens, ad vltimum compoſita fraude ad prandiũ verecundius inuitauit. Qui nihil aduerſum metuens venit, conceſſoque honoratiore diſcubuit loco. Quumq; adponerentur exquiſitæ cupediæ, & ædes pulſu neruorum & articulato flatuq; ſonitu reſultarent, iam vino incaleſcente, ipſo conuiuii domino per ſimulationem naturalis cuiuſdam vrgẽtis egreſſo, gladium diſtrictum intentans toruo lumine ferociens quidam immittitur barbarus, aſper, ex his quos ſupras appellãt, confoſſurus iuuenem, ne exilire poſſet etiam tum* præpeditũ. Quo viſo regulus forte prominens vltratorum, expedito dolo adſurgens vt vitam omni ratione defenderet, perforato pectore deformis procubuit victima, ictibus multiplicatis fœde conciſa. Hocq; figmento nefarie decepta credulitate, inter epulas quæ reuerendæ ſunt vel in Euxino ponto, hoſpitali numine contuente, peregrinus cruor in ambitioſa toralia ſparſus, & ſpumans, ſatietati ſuperfuit conuiuarum horrore maximo diſperſorũ. Ingemiſcat (ſi quis vita digreſſis eſt dolor) huius adrogantiam facti Fabricius ille Luſcinus, ſciens qua animi magnitudine Democharem, vel (vt quidam ſcribunt) Niciam miniſtrum repulerit regium, colloquio occultiore pollicitũ, quod Pyrrhum Italiam tunc bellis ſæuiſſimis exurentem veneno poculis necabit infectis: ſcripſeritq, ad regem vt ab interiore caueret obſequio. tantum reuerentiæ locum apud priſcam illam iuſtitiam, vel hoſtilis menſæ* genialitas obtinebat. Verum excuſabatur recens inuſitatum facinus & pudendum necis exemplo Sertorianæ; adulatoribus forſitan ignorantibus quod (vt Demoſthenes perpetuũ Græciæ decus adfirmat) *numquam ſimilitudine aut impunitate alterius criminis diluitur id quod contra ac liceat arguitur factum.* Hæc per Armeniam notabiliter geſta ſunt. Sapor vero, poſt ſuorum priſtinam cladem comperto interitu Paræ, quem ſociare ſibi impendio conabatur, mœrore grauiter perculſus, augenteq; noſtri exercitus alacritate formidinem, maiora ſibi præſemiſtans, Arſace legato ad principem miſſo, perpetuã ærumnarum cauſſam deleri pe-

nitus suadebat Armeniam: si id displicuisset, aliud poscens, vt Hiberiæ diuisione cessante, remonsq; inde partis Romanæ præsidiis, Aspacures solus regnare permitteretur, quem ipse præfecerat genti. Ad quæ Valens in hanc respondit sententiam; Nihil derogate se posse placitis ex cõsensu firmatis, sed ea studio curatiore defendere. Glorioso proposito contrariæ regis litteræ hieme iam extrema perlatæ sunt, vana causantis & tumida. Adseuerabat enim, non posse semina radicitus amputari discordiarum, nisi interuenissent conscii pacis fœderatæ cum Iouiano; quorum aliquos vita didicerat abscessisse. Ingrauescente post hæc altius cura, Imperator* eligere consilia quam inuenire sufficiens, id conducere rebus existimans, Victorem magistrum equitum, & Vrbicium Mesopotamiæ ducem, ite propere iussit in Persas, responsum absolutum & vniusmodi perferentes, quod rex iustus & suo contentus, vt iactitabat, scelestè concupiscat Armeniam, ad arbitrium suum viuere cultoribus eius ex pacto permissis: & ni Sauromaci præsidia militum impertita principio sequentis anni, vt dispositum est, impræpedita reuerterint, inuitus ea complebit quæ sponte sua facere supersedit. Quæ legatio, recta quidem & libera; ni deuiasset in eo quod absq; mandatis oblatas sibi regiones in eadem Armenia suscepit exiguas. Qua regressa, aduenit Surena potestatis secundæ post regem, has easdem Imperatori offerens partes; quas audacter nostri sumpsere legati. Quo suscepto liberaliter & magnifice, sed parum impetrato quod poscebat remisso, parabantur magna instrumenta bellorum, vt mollita hieme Imperatore tribus agminibus perrupturo Persidem, ideoque Scytharum auxilia festina celeritate mercante. Proinde parum adeptus ea quæ spe vana conceperat Sapor, vltraque solitum asperatus, quod ad expeditionem accingi rectorem conceperat nostrum, iram eius conculcans, Surenæ dedit negotium vt ea quæ Victor comes susceperat & Vrbicius, armis repeteret: &, si quisquam repugnaret, & milites Sauromacis præsidio destinati, malis adfligerentur extremis. Hæcque vt statuerat maturata confestim, nec emendari potuerunt nec vindicari, quia rem Romanam alius circumsteterat metus totius Gothiæ Thracias licentius perrumpẽtis: quæ funera tunc explicari poterunt carptim, si ad ea quoque venerimus. Hæc per Eoos agitata sunt tractus: quorum inter seriem Africanas clades, & legatorum Tripoleos manes inultos etiam tum & errantes, *sempiterna vindicauit iustitiæ vigor, aliquotiens serus, sed scrupulosus quæsitor gestorum recte vel secius*: hoc modo. Remigius quem populãti prouincias retulimus comiti fauisse Romano, postquam Leo in eius locum magister esse cœpit officiorum, a muneribus reipublicæ iam quiescens, negotiis se ruralibus dedit prope Mogontiacum in genitalibus locis. Quem ibi morantem secutus præfectus prætorio Maximinus reuersum ad otium spernens, vt solebat diræ luis ritu grassari per omnia, lædere modis quibus poterat adfectabat: vtque rimaretur plura quæ latebant, Cæsarium antehac eius domesticum, postea notarium principis, raptum, quæ Remigius egerit, vel quantum acceperit vt Romanum iuuaret actus infandos, per quæstionem cruentam interrogabat. Quibus ille cognitis, quum esset (vt dictum est) in secessu, conscientia malorum vrgente, vel rationem formidine superante calumniarum, innodato gutture laquei nexibus interiit.

1126 Sequuto post hæc anno, Gratiano adscito in trabeæ societatem Equitio consule, Valentiniano post vastatos aliquos Alemanniæ pagos munimentum ædificanti prope Basiliam, quod appellant accolæ Robur, offertur præfecti relatio Probi, docentis Illyrici clades. Quibus ille, vt cunctatorem decuerat ducem, examinatius lectis, attonitus cogitationibus anxiis, Paterniano notario misso, negotium scrupulosa quæsiuit indagine. moxque veris per eum nuntiis gestorum acceptis, euolare protinus festinabat, ausos temerare limitem barbaros primo fragore, vt mente conceperat, oppressurus armorum. Quia igitur abeunte autumno multa impediebant & aspera, adnitebantur omnes per regiam optimates, vt adusque principium veris eum pertinerent exoratum: primum durata pruinis itinera, vbi nec adultæ in pastum herbæ reperirentur, nec cetera vsui congrua, penetrari non posse firmantes: dein vicinorum Galliis regum immanitatem, maximeque omnium Macriani vt formidari tunc, prætendentes: quem constabat impacatum relictum etiam ipsa vrbium mœnia tentaturum. Hæc memorantes addentesque vtilia, redu-

xere

xere eum in meliorem ſententiam: ſtatimque, vt conducebat rei communi, prope Mogontiacum blandius rex antedictus accitur, procliuis ipſe quoque ad excipiendum fœdus vt apparebat. Et venit immane quo quantoque flatu diſtentus, vt futurus arbiter ſuperior pacis: dieque prædicto conloquii, ad ipſam marginem Rheni caput altius erigens ſtetit, hincinde ſonitu ſcutorum intonante gentilium. Contra Auguſtus adſcenſis amnicis lembis, ſeptus ipſe quoque multitudine caſtrenſium ordinum, tutius properipas acceſſit, ſignorum fulgentium nitore conſpicuus. & immodeſtis geſtibus murmureque barbarico tamdem ſedato, poſt dicta & audita vltro citroque verſus, amicitia media ſacramenti fide firmatur. Hisque perfectis diſceſſit turbatum rex artifex delinitus, futurus nobis deinceps ſocius: & dedit poſtea adusque vitæ tempus extremum, conſtantis in concordiam animi facinorum documentum pulchrorum. Periit autem in Francia poſtea: quam dum interneciue vaſtando perrumpit auidius, oppetiit Mellobaudis bellicoſi regis inſidiis circumuentus. Poſt fœdus tamen ſolenni ritu impletum Treueros Valentinianus ad hiberna diſceſſit. Hæc per Gallias & latus agebantur arctoum. At in Eois partibus alto externorum ſilentio inteſtina pernicies augebatur, per Valentis amicos & proximos; apud quos honeſtate vtilitas erat antiquior. Nauabatur enim opera diligens vt homo rigidus audire cupiens lites, a ſtudio iudicandi reuocaretur, metu ne ita vt Iuliani temporibus defenſione innocentia reſpirante, frangeretur potentium tumor, adſumpta licentia latius ſolitus euagari. Ob hæc & ſimilia concordi conſenſu dehortantibus multis, maximeq. Modeſto præfecto prętorio regiorum arbitrio ſpadonum expoſito, & ſubagreſte ingenium nullis vetuſtatis lectionibus expolitum coacto vultu fallente, & adſerente quod infra imperiale* culmen cauſſarum eſſent minutiæ priuatarum, ille, ad humiliandum celſitudinem poteſtatis negotiorũ examina ſpectanda inſtituta eſſe arbitratus, vt monebat, abſtinuit penitus, laxauitq; rapinarum fores; quæ roborabantur in dies iudicum aduocatorumq. prauitate ſentientium patia; qui tenuiorum negotia militaris rei rectoribus vel intra palatium validis venditantes, aut opes aut honores quæſiuere præclaros. Hanc profeſſionẽ oratorum forenſium, πολιτικῆς μορίου εἴδωλον, id eſt ciuilitatis particulæ vmbram, vel adulationis partem quartam, eſſe definit amplitudo Platonis: Epicurus autem, κακοτεχνίαν nominans, inter artes numerat malas: Cteſias ſuaſionis opificem eſſe memorat, adſentiente Leontino Gorgia. Quam a veteribus ita determinatam, orientalium quorumdam verſutia adusque bonorum extulit odium: vnde etiam retinaculis temporis præſtituti frænatur. Ergo abſolutis ſuper eius indignitate paucis, quam in illis partibus agens expertus ſum, ad cœptorum curſum regrediar inſtitutum. Florebant elegantiæ priſcæ patrociniis tribunalia, quum oratores concitæ facundiæ attenti ſtudiis doctrinarum, ingenio, fide, copiis, ornamentisq; dicendi pluribus eminebãt: vt Demoſthenes, quo dicturo concurſus audiendi cauſſa ex tota Græcia fieri ſolitos, monumentis Atticis continetur: & Calliſtratus, quem nobilem illam ſuper Oropo cauſſam (qui locus in Eubœa eſt) perorantem idem Demoſthenes, academia cum Platone relicta, ſectatus eſt: vt Hyperides, & Æſchines, & Andocides, & Dinarchus, & Antiphon ille Rhamnuſius, quem ob defenſum negotium omnium primum antiquitas prodidit accep ſſe mercedem. Nec minus apud Romanos Rutilii & Galbæ & Scauri, vita, moribus, frugalitateq; ſpectati, & poſtea per varias æui ſequentis ætates cenſorii & conſulares multi & triumphales, Craſſi & Antonii, & cum Philippis Scæuolæ, aliique numeroſi, poſt exercitus proſpertime ductos, poſt victorias & tropæa, ciuilibus ſtipendiorum officiis floruerunt: laureasq; fori ſpecioſis certaminibus occupantes, ſummis gloriæ honoribus fruebantur. Poſt quos excellentiſſimus omnium Cicero, orationis imperioſæ fulminibus ſæpe depreſſos aliquos iudiciorum eripiens flammis, non defendi homines ſine vituperatione fortaſſe poſſe, negligenter defendi ſine ſcelere non poſſe, firmabat. At nunc videre eſt per eos omnes tractus violenta & rapaciſſima genera hominum, per fora omnia volitantium, & ſubſidentium diuites domos, vt Spartanos canes aut Cretas, veſtigia ſagacius colligendo, ad ipſa cubilia peruenire cauſſarum. In his primus eſt cœtus eorum, qui ſeminando diuerſa iurgia, per vadimonia mille iactantur, viduarum poſtes & orborum limina

deterentes, & auidi inter discordantes amicos aut propinquos vel adfines simultatũ ob leuia scrinii receptacula odia struẽtes infesta: in quibus ætatis progressu non vt aliorum vitia intepescunt, sed magis magisq; roborantur. inter rapinas insatiabiles inopes, ad capiendam versutis orationibus iudicũ fidẽ, quorũ nomen ex iustitia natum est, sicam ingenii distringentes Horum obstinatione libertarẽ temeritas, constantiã audacia præceps, eloquentiã inanis quædã imitatur *fluentia loquẽdi, quarũ artium *sæuitate, vt Tullius adseuerat, nefas est religionẽ decipi iudicantis. Ait enim, *Quumque nihil tam incorruptũ esse debeat in rep quam suffragiũ, quam sententia, non intelligo cur qui pecunia corruperit, pœna dignus sit, qui eloquentia, laudẽ etiam ferat. Mihi quidẽ hoc plus etiam mali facere videtur qui oratione quam qui precio iudicẽ corrumpit, quod pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo potest.* Secundum est genus eorum qui iuris professi scientiam, quam repugnantium sibi legum aboleuere dissidia, velut vinculis ori impositis reticente iugi silentio, vmbrarum sunt similes propriarum. Hi velut fata natalitia præmonstrantes, aut Sibyllæ oraculorum interpretes, vultus grauitate ad habitum composita tristiorem, ipsum quoque venditant quod oscitantur. Hi, vt altius videantur iura callere, Trebatium loquuntur &* Cæsellium & Alsenum, & Auruncorum Sicanorumque* iamdiu leges ignotas, cum Euandri matre abhinc seculis obrutas multis: & si voluntate matrem tuam finxeris occidisse, multas tibi suffragantes absolutionem lectiones reconditas pollicentur, si re nummatum senserint. Tertius eorum est ordo, qui vt in professione turbulenta clarescant, ad expugnandam veritatem ora mercenaria procudentes, per prostitutas frontes vilesque latratus, quo velint, aditus sibi patefaciunt crebros: qui inter sollicitudines iudicum per multa distentas, inresolubili nexu vincientes negotia, laborant vt omnis quies litibus implicetur, & nodosis quæstionibus de industria iudicia circumscribunt: quæ, quum recte procedunt, delubra sunt æquitatis: quum deprauantur, foueæ fallaces & cæcæ: in quas si captus ceciderit quisquam, non nisi per multa exsiliet lustra, adusque ipsas medullas exsuctus. Quartum atque postremum est genus, impudens, peruicax & indoctum, eorum qui quum immature a literariis eruperint ludis, per angulos ciuitatum discurrunt, mimiambos, non caussarum remediis congrua, commentantes, fores diuitum deterendo, cœnarum ciborumque aucupantes delicias exquisitas: qui quum semel vmbraticis lucris & inhiandæ vndique pecuniæ sese dediderint, litigare frustra quoslibet innocentes hortantur. & ad defendendam caussam admissi, (quod raro contingit) suscepti nomen & vim negotii sub ore disceptatoris inter ipsos conflictuum articulos instruuntur, circumloquutionibus indigestis ita scatentes, vt conluuionis teterrimæ audire existimes vlulabili clamore Thersiten Quum autem ad inopiam muniendarum venerint allegationum, ad effrænatam deflectunt conuitiandi licentiam: quo nomine ob adsidua in personas honorabiles probra, diebus dictis aliquoties sunt damnati. E quibus ita sunt rudes nonnulli, vt numquam se codices habuisse meminerint. & si in circulo doctorum auctoris veteris inciderit nomen, piscis aut edulii peregrinum esse vocabulum arbitrantur: si vero aduena quisquam inusitatum sibi antea Marcianum verbotenus quæsierit oratorem, omnes confestim Marcianos appellari se fingunt. Nec iam fas vllum præ oculis habent; sed tamquam auaritiæ venumdati & vsucapti, nihil præter inseminatam petendi licentiam norunt. Et si quem semel intra retia ceperint, cassibus mille impedicant, per morborum simulationem vicissim consulto cessantes. vtque peruulgati iuris proferatur lectio * vna, septem vẽdibiles introitus præparant, dilationum examina longissima contexentes. Et quum nudatis litigatoribus dies cesserint & menses & anni, tandem obtrita vetustate controuersia, intromissa ipsa capita splendoris, ingressa alia secum aduocatorum simulacra inducunt. Quumq; intra cancellorum venerint septa, & agi cœperint alicuius fortunæ vel salus, atque laborari debeat vt ab insonte gladius, vel calamitoso detrimenta pellantur, conrugatis hinc inde frontibus, brachiisque histrionico gestu formatis, vt cõcionatia Gracchi fistula post occipitium desit, consistitur altrinsecus diu. Tamdemque ex præmeditato conludio per eum qui est in verba fidentior, suaue quoddam principium dicẽdi exseritur, pro Cluentio vel pro Ctesiphonte oratio-

orationum æmula ornamenta promittens: & in eam conclusionem cunctis finem cupientibus desinit, vt nondum se patroni post speciem litis triennium editam caussentur instructos: spatioque prorogati temporis impetrato, quasi cum Antæo vetere colluctati, perseueranter flagitant pulueris periculosi mercedes. Verumtamen hæc quum ita sint, non desunt aduocatis incommoda plurima, parum sustinenda recte victuro. Namque sellularijs quæstibus inescati, inter se hostiliter dissident: & rupta maledicendi ferocia, vt dictum est, multos offendunt: quam tunc effundunt, quum commissarum sibi caussarum infirmitatem orationibus validis communire non possunt. & iudices patiuntur interdum, * doctos ex Philistionis aut Æsopi cauillationibus, quam ex Aristidis illius iusti vel Catonis disciplina productos, qui ære grandi mercati publicas potestates, vt creditores molesti, opes cuiusquemodi fortunæ rimantes, alienis gremijs excutiunt prædas. Ad vltimum id habet *caussidicina cum ceteris metuendum & graue, quod hoc ingenitum est pene litigantibus cunctis, vt quum iurgia mille casibus cadant, accidentia secus in potestate esse existiment patronorum, & omnem certaminum exitum iisdem soleant adsignare, & non vitijs rerum aut iniquitati aliquotiens disceptantium, sed solis defensantibus irascantur. Verum vnde huc declinauimus reuertamur. Pubescente iam vere, Valentinianus a Treueris motus, per nota itinera gradu celeri contendebat: eique regiones aduentanti quas petebat, legatio Sarmatarum offertur: pedibusque eius prostrata, orabat pacifica prece, vt propitius veniret & lenis, nullius diri facinoris participes populares suos inuenturus aut conscios. Quibus sæpe eadem iterantibus, hactenus perpensa deliberatione respondit, hæc in locis vbi dicuntur admissa, quærenda verissimis documentis & vindicanda. Quumque exinde Carnuntum Illyriorum oppidum introisset, desertum quidem nunc & squalens, sed ductori exercitus perquam opportunum, vbi fors copiam dedisset aut ratio, e statione proxima reprimebat barbaricos adpetitus. Et quamquam terrori cunctis erat, dum sperabatur vt acer & vehemens mox iudices damnari iussurus, quorum perfidia vel secessione Pannoniarum nudatum est latus, quum illuc venisset, ita intepuit, vt neque in Gabinij regis inquireret necem, neque inusta reipublicæ vulnera, quo sinente vel agente segnius euenissent, accuratius vestigaret: eo videlicet more quo erat seuerus in gregarijs corrigendis, remissior erga maiores fortunas vel verbis asperioribus incessendas. Solum tamen incitato petebat odio Probum, numquam ex quo eum vider[illegible] minari desinens vel mitescens: cuius rei caussæ nec obscuræ fuerunt nec leues. Hic præfecturam prætorio tunc primitus nanctus, eamque multis atque vtinam probabilibus modis in longum proferre gestiens, non vt prosapiæ suæ claritudo monebat, plus adulationi quam verecundiæ dedit. Contemplatus enim propositum principis, quærendæ vndique pecuniæ vias absque iustorum iniustorumque discretione scrutantis, errantem non reducebat ad æquitatis tramitem, vt sæpe moderatores fecere tranquilli, sed ipse quoque flexibilem sequebatur atque transuersum. Vnde graues obedientium casus, exitialia prouisorum nomina titulorum iuxta opulentas & tenues eneruatas succidêre fortunas, argumẽtis post alijs validioribus alijs, vsu lædendi reperiente longæuo. Deniq; tributorum onera vectigaliumque augmenta multiplicata, optimatum quosdam, vltimorum metu exagitatos, mutare compulerunt sedes: & flagitantium ministrorum amaritudine quidam oppressi, quum non suppeteret quod daretur, erant perpetui carcerum inquilini: e quibus aliquos, quum vitæ iam tæderet & lucis, suspendiorum exoptata remedia consumpserunt. Hæc ita inlecebrosius atque inhumanius agi loquebatur quidem pertinax rumor: Valentinianus vero, tamquam auribus cera inlitis, ignorabat; indifferenter quidem lucrandi vel ex rebus minimis auidus, idque tantum cogitans quod offerebatur; parsurus tamen fortasse Pannonijs, si hæc ante ingemiscenda compendia comperisset, quæ nimium sero tali didicit casu. Ad prouincialium residuorum exemplum, etiam Epirotæ acturos sibi gratias a præfecto mittere compulsi legatos, Iphiclem quemdam philosophum, spectatum robore pectoris hominem, adegere non sponte propria pergere ad id munus implendum. Qui quum Imperatorem vidisset, agnitus; aduentusque sui caussam interrogatus, Græce respondit: atque ve

philosophus veritatis professor, quærente curatius principe si hi qui misere, ex animo bene sentiunt de præfecto, *Gementes*, inquit, *& inuiti.* Quo ille verbo tamquam telo perculsus, actus eius vt sagax bestia rimabatur, genuino percunctãdo sermone quod non scitabat, vbinam ille esset (verbi gratia) honore inter suos antecellens & nomine, vel ille diues, aut alius ordinis primus. Quumque disceret perisse aliquem laqueo, abisse alium trans mare, consciuisse sibi alium mortem aut plumbo vita erepta extinctum, in immensum excanduit, vrente irarum nutrimenta tunc officiorum magistro Leone, pro nefas, ipso quoque præfecturam, si celsior e scopulo caderet, adfectante: quam si adeptus rexisset, præ his quæ erat ausurus, administratio Probi ferebatur in cælum. Agens itaq. apud Carnuntum Imperator per continuos tres menses æstiuos, arma parabat & alimenta, si qua fors secundasset, peruasurus opportune Quados, tumultus atrocis auctores. In quo oppido Faustinus filius sororis Viuentii præfecti prætorio, notarius militans, Probo spectante negotium, carnificis manu peremptus est post tormenta, vocatus in crimen quod asinum occidisse dicebatur ad vsum artium secretarum, vt adserebant quidam vrgentes: vt autem aiebat ille, ad imbecillitatem firmandam fluentium capillorum: alio quoque in eum perniciose composito, quod petenti per iocum cuidam Nigrino vt eum notarium faceret, exclamauit ille hominem ridens, *Fac me Imperatorem si id volueris impetrare.* Hocq. ludibrio inique interpretato, & Faustinus ipse & Nigrinus & alii sunt interfecti. Præmisso igitur Merobaude cum militari peditum manu quam regebat, ad vastandos cremandosq. barbaricos pagos, comite adiuncto Sebastiano, Valentinianus Acincum prope castra commouit: nauigiisque ad repentinum casum coniunctis, & contabulato celeri studio ponte, per partem aliam transiit in Quados; speculantes quidem ex dirupris montibus eius aduentum, quo plerique ancipites incertiq; accidentium, cum suis caritatibus secesserunt, sed stupore defixos, quum in regionibus suis contra quam opinabantur augusta cernerent signa. Progressus ergo coacto gradu in quantum res tulit, iugulataque ætate promiscua, quam etiam tum palantem subitus occupauit excursus, & tectis combustis, rediit cum incolumibus cunctis quos duxerat secum: itidemque apud Acincum moratus, autumno præcipiti per tractus conglaciari frigoribus adsuetos, commoda quærebat hiberna: nullaque sede idonea potiri præter Sabatiam poterat, quamuis eo inualidam tempore, adsiduisque malis adflictam. Vnde hoc, etiamsi magni interetat, paulisper sequestrato, impigre motus, peragrata fluminis ripa, castrisque præsidio competenti munitis atque castellis, Bregitionem peruenit: ibique diu compositum ad quietem principis fatum, fortem denuntiabat ei supremam, prodigiis ingerentibus multis. Namq. diebus ante paucissimis, ruinas fortunarum indicantia cessatum asfere crinita sidera cometarũ, quorum originem supra docuimus: & apud Sirmium repentino fragore nubiũ fulmen excussum, palatii & curiæ partem incendit & fori: & apud Sabatiam eodem adhuc constituto, bubo culminibus regii lauacri * considens, occentansq. funebria, nulla iacientium sagittas & lapides contemplabili dextera cadere potuit, certatim licet ardenti studio petebatur. Item quum ab vrbe prædicta tenderet ad procinctũ, per portam voluit vnde introiit exire, vt omen colligeret quod cito remeabit ad Gallias: quumq. locus adgestis ruderibus neglectus purgaretur, lapsam forem ferratã, quæ exitum obserauit, multitudo remouere non potuit viribus magnis enisa: & dum frustra tereret diem, coactus per aliam egressus est portam. Nocteq. quam lux erepturα eum vita sequuta est, (vt per quietem solet) videbat coniugem suam absentem sedere passis capillis, amictu squalenti contectam: quam æstimari dabatur fortunam eius esse cum tetro habitu iam discessurã. Progressus deinde matutinus contractiore vultu subtristis, quum eum oblatus non susciperet equus anteriores pedes præter morem erigens in sublime, innata feritate concitus, vt erat immanis, dexteram stratoris militi iussit abscidi, quæ eum insilientem iumento pulserat consueto: perissetq; cruciabiliter innocens iuuenis, ni tribunus stabuli Cerealis dirum nefas cum sui periculo distulisset. Post hæc Quadorum venere legati, pacem cum præteritorum obliteratione suppliciter obsecrantes: quam vt adipisci sine obstaculo possent, & tirocinium & quædam vtilia rei Romanæ pollicebantur. Quos quoniam suscipi placuit, &

cuit, & redire induciis quæ poscebantur indultis, (quippe eos vexati diutius, nec ciborum inopia nec alienum tempus anni patiebantur) in consistorium Equitio introducente sunt intromissi. Quumque membris curuans starent metu debiles & præstricti, docere iussi quæ ferebant, vsitatas illas caussationum species iurandi fidem addendo firmabant: nihil ex communi mente procetum gentis delictum adseuerantes in nostros, sed per extimos quosdam latrones amnique confines euenisse quæ inciuiliter gesta sunt: etiam id quoque addendo, vt sufficiens ad facta purganda, firmantes quod munimentum exstrui cœptum nec iuste nec opportune, ad ferociam animos agrestes accendit. Ad hæc Impetaror ita vehementi perculsus, & inter exordia respondendi tumidior, increpabat verborum obiurgatorio sono nationem omnem, vt beneficiorum immemorem & ingratam: paulatimque lenitus & ad molliora propensior, tamquam ictus telo vitalia, voceque simul obstricta, suffectus igneo lumine cernebatur: & repente cohibito sanguine letali sudore perfusus, ne laberetur spectantibus exsulibus, concursu ministrorum vitæ secretioris ad conclaue ductus est intimum. Vbi locatus in lecto, exiguas spiritus reliquias trahens, nondum intelligendi minuto vigore, cunctos agnoscebat adstantes; quos cubicularii, nequis eum necatum suspicaretur, celeritate maxima controgarant. Et quoniam viscerum flagrante compage laxanda erat necessario vena, nullus inueniri potuit medicus, hanc ob caussam quod eos per varia sparserat, curaturos militem pestilentiæ morbo tentatum. Vnus tamen repertus venam eius iterum sæpiusque pungendo, ne guttam quidem cruoris elicere potuit, internis nimietate calorum ambustis; vel (vt quidam existimabant) arefactis ideo membris, quod meatus aliqui quos hæmorrhoidas nunc appellamus, obsetati sunt gelidis frigoribus concrustati. Sensit immensa vi quadam vrgente morborum, vltimæ necessitatis adesse præscripta: diceteque conatus aliqua vel mandare, (vt singultus ilia crebrius pulsans, stridorque dentium, & brachiorum motus velut cæstibus dimicantium indicabat) iam superatus liuentibusque maculis interfusus, animum diu colluctatum efflauit, ætatis quinquagesimo anno & quinto, imperii minus centum dies secundo & decimo. Replicare nunc est opportunum, vt aliquoties fecimus, & ab ortu primigenio patris huiusce principis, adusque ipsius obitum, actus eius discurrere per epilogos breues, nec vitiorum prætermisso discrimine vel bonorum, quæ potestatis amplitudo monstrauit, nudare solita semper animorum interna. Natus apud Cibalas Pannoniæ opidum Gratianus maior ignobili stirpe, cognominatus est a pueritia prima *Funarius*, ea re quod nondum adultus venalem circumferens funem, quinq; militibus eum rapere studio magno conatis nequaquam cessit, æmulatus Crotoniaten Milonem, cui mala sæpe cohærenter læua manu retinenti vel dextra, nulla vmquam virium fortitudo abstraxit. Ob ergo validi corporis robur & peritiam militum more luctandi notior multis, post dignitatem protectoris atque tribuni comes præfuit rei castrensi per Africam: vnde furtorum suspicione contactus digressusque, multo postea pari potestate Britannum rexit exercitum: tandemq; honeste sacramento solutus, reuertit ad larem: & agens procul a strepitu, mulctatione bonorũ adflictus est a Constantio, hoc nomine quod ciuili flagrante discordia, hospitio dicebatur suscepisse Magnentium, per agrum suum ad proposita festinantem. Cuius meritis Valentinianus ab ineunte adulescentia commendabilis, contextu suarum quoque suffragante virtutum, indutibus Imperatoriæ maiestatis apud Nicæam ornatus, in augustum collegium fratrem Valentem adsciuit, germanitate concordi sibi iunctissimum, inter probra medium & præcipua, quæ loco docebimus competenti. Igitur Valentinianus, post periculorum molestias plures dum esset priuatus emensas, imperitare exorsus, arces prope flumina sitas & turbines, & Gallias petiit Alemannicis patentes excursibus, reuiuiscentibus erectius cognito principis Iuliani interitu, quem post Constantem solum omnium formidabant. Ideo autem etiam Valentinianus merito timebatur, quod & exercitus auxit* valido supplemento, & vtrobique Rhenum celsioribus castris muniuit atque castellis, ne latere vsquam hostis ad nostra se proripiens possit. Vtque multa prætereamus quæ egit moderatoris auctoritate fundati, quæque per se vel

duces correxit industrios, post Gratianum filium in societatem suæ potestatis adsumptum, Vithigabium regem Alemannorum Vadomario genitum, adulescentem in flore primogenatum, nationes ad tumultus cientem & bella, clam, quia non potuit aperte, confodit: & Alemannis congressus prope Solicinium locum, vbi insidiis pene perierat circumuentus, ad exitium vltimum delere potuit vniuersos, ni paucos velox effugium tenebris amandasset. Inter hæc tamen caute gesta, iam conuersos ad metuendam rabiem Saxonas, semper quolibet inexplorato ruentes, delatosque tunc ad maritimos tractus, quorum spoliis pene redierant onusti, malefido quidem sed vtili commento peremit, præda raptoribus vi fractis excussa. Itidemque Britannos, cateruas superfusorum hostium non ferentes, spe meliorum adsumpta in libertatem & quietem restituit placidam, nullo pene redire permisso grassatorum ad sua. Efficacia pari Valentinum quoque Pannonium exsulem, vt per has prouincias molientem otium turbare commune, ante quam negotium efferuesceret, oppressit. Africam deinde malo repentino perturbatam, discriminibus magnis exemit, quum voraces militarium fastus ferre nequiens Firmus, ad omnes dissensionum motus perflabiles gentes Mauricas concitasset. Similique fortitudine clades ingemiscendas Illyrici vindicasset, ni morte præuentus reliquisset rem seriam imperfectam. Ac licet opera præstabilium ducum hæc quæ retulimus consummata sunt, tamen ipsum quoque satis constat, vt erat expeditæ mentis vsuque castrensis negotii diuturno firmatus, egisse complura: inter quæ illud elucere clarius potuit, si Macrianum regem ea tempestate terribilem, viuum capere potuisset, vt industria magna tentarat, postquam eum euasisse Burgundios, quos ipse admouerat Alemannis, mœrens didicisset & tristis. Hæc super actibus principis breui sunt textu percursa. Nunc, confisi quod nec metu nec adulandi fœditate constricta posteritas, incorrupta præteritorum solet esse spectatrix, summatim eius numerabimus vitia, post & bene merita narraturi. Adsimulauit nonnumquam clementiæ speciem, quum esset in acerbitatem naturæ calore propensior, oblitus profecto quod *regenti imperium omnia nimia, velut prærupti scopuli, sunt deuitanda.* Nec enim vsquam reperitur miti coercitione contentus, sed aliquotiens quæstiones multiplicari iussisse cruentas, post interrogationes funestas nonnullis adusque discrimina vitæ vexatis. Et ita erat effusior ad nocendum, vt nullum aliquando damnatorum capitis eriperet morte subscriptionis elogio leni; quum id etiam principes interdum fecerint sæuissimi. Atqui potuit exempla multa contueri maiorum, & imitari peregrina atque interna humanitatis & pietatis, quas sapientes consanguineas * virtutes esse definiunt: e quibus hæc sufficiet poni. Artaxerxes Persarum ille rex potentissimus, quem Macrochira membri vnius longitudo commemorauit, suppliciorum varietates, quas natio semper exercuit cruda, lenitate genuina castigans, tiaras ad vicem capitum quibusdam noxiis amputabat: &, ne secaret aures more regio pro delictis, ex galeris fila pendentia præcidebat: quæ temperantia morum ita tolerabilem eum fecit & * verecundum, vt adnitentibus cunctis multos & mirabiles actus impleret Græcis scriptoribus celebratos. Prænestino prætore, qui bello quodam Samnitico properare iussus ad præsidium venerat segnius, ad crimen diluendum exhibito, Papirius Cursor ea tempestate dictator, securem per lictorem expediri, homineque abiecta purgandi se fiducia stupefacto, visum prope fruticem iussit abscidi: hocque ioci genere castigatum eum absoluit, * non ideo contemptus, vt ad resistendum aptus Alexandro magno, si calcasset Italiam, æstimatus. Hæc forsitan Valentinianus ignorans, minimeque reputans *adflicti solatia status semper esse lenitudinem principum*, pœnas per ignes augebat & gladios: quod vltimum in aduersis rebus remedium pietas reperit maiorum, vt Isocratis memorat pulchritudo: cuius vox est perpetua docentis, *ignosci debere interdum armis superato rectori, quam iustum quid sit ignoranti.* Vnde motũ existimo Tullium, præclare pronuntiasse quum defenderet Oppium, *Etenim multum posse ad salutem alterius, honori multis: parum potuisse ad exitium, probro nemini fuit.* Auiditas plus habendi sine honesti prauique differentia, & indagandi quæstus varios per alienæ vitæ naufragia, exundauit in hoc principe flagran-

tius

tius adolescens: quam * quidem, prætendentes Imperatorem Aurelianum, purgare temptabant; id adfirmando, quod vt ille post Gallienum & lamentabiles reipublicæ casus exinanito ærario, torrentis ritu ferebatur in diuites, ita hic quoque post procinctus Parthici clades magnitudine indigens impensarum, vt militi supplementa suppeterent & impendium, crudelitati cupiditatem opes nimias congerendi miscebat: dissimulans scire quod *sunt aliqua quæ fieri non oportet, etiamsi licet*: Themistoclis illius dissimilis, qui cum post pugnam agminaque deleta Persarum, licenter obambulans armillas aureas vidisset humi proiectas & torquem, *Tolle*, inquit, *hæc*, ad comitum quemdam propè adstantem, *tu qui Themistocles non es*: non quodlibet probans in duce magnanimo lucrum. Huius exempla continentiæ similia plurima in Romanis exuberant ducibus: quibus omissis, quoniam non sunt perfectæ virtutis indicia, (nec enim aliena non rapere, laudis est) vnum ex multis constans innocentiæ vulgi veteris specimen ponam. Quum proscriptorum locupletes domus diripiendas Romanæ plebi Marius dedisset & Cinna, vulgi rudes animi & humana soliti respectare, alienis laboribus pepercerunt: vt nullus egens reperiretur aut infimus, qui de ciuili luctu fructum contrectare pateretur sibi concessum. Inuidia præter hæc antedictus medullitus vrebatur: & sciens pleraque vitiorum imitari solere virtutes, memorabat adsidue, liuorem virtutum rectæ potestatis inuidiam esse sociam. Vtque sunt dignitatum apices maximi, licere sibi cuncta existimantes, & ad sugillandum contrarios exturbandosque meliores proninus inclinati, bene vestitos oderat, & eruditos & opulentos, & nobiles: & fortibus detrahebat: vt solus videretur bonis artibus eminere: quo vitio exarsisse principem legimus Hadrianum. Arguebat hic idem princeps timidos sæpius, maculosos tales appellans & sordidos, & infra sortem humilem amandandos; ad pauores intiros aliquotiens abiectius pallens, &, quod nusquam erat, inattente formidans. Quo intellecto magister officiorum Remigius, quum eum ex incidentibus ira feruere sentiret, fieri motus quosdam barbaricos inter alia subserebat: hocque ille audito, quia timore mox frangebatur, vt Antoninus Pius erat serenus & clemens. Iudices numquam consulto malignos elegit: sed si semel promotos agere didicit immaniter, Lycurgos inuenisse se prædicabat & Cassios, columina iustitiæ prisca: scribensque hortabatur adsidue, vt noxas vel leues acerbius vindicarent: nec adflictis erat vllum in principis benignitate perfugium; quod semper, vt agitato mari iactatis portus patuit exoptatus. *Finis enim iusti imperii* (vt sapientes docent) *vtilitas obedientium æstimatur & salus.* Consentaneum est venire post hæc ad eius actus sequendos recte sentientibus & probandos: cum quibus si reliqua temperasset, vixerat vt Traianus & Marcus. In prouinciales admodum parcus, tributorum vbique molliens sarcinas: opidorum & limitum conditor tempestiuus: militaris disciplinæ censor eximius, in hoc tantum deerrans, quod quum gregariorum etiam læuia puniret errata, potiorum ducum flagitia progredi sinebat in maius, ad querelas in eos motas aliquotiens obsurdescens: vnde Britannici strepitus, & Africanæ clades, & vastitas emersit Illyrici. Omni pudicitiæ cultu domi castus & foris, nullo contagio conscientiæ violatus obscenæ; nihil incestum: hancque ob caussam tamquam retinaculis petulantiam frænarat aulæ regalis, quod custodire facile potuit. Necessitudinibus suis nihil indulgens; quas aut in otio reprimebat, aut mediocriter honorauit, absque fratre: quem temporis compulsus angustiis, in amplitudinis suæ societatem adsumpsit. Scrupulosus in deferendis potestatibus celsis: nec imperante eo prouinciam nummularius rexit, aut administratio venumdata nisi inter initia, vt solent occupationis spe vel impunite quædam scelesta committi. Ad inferenda propulsandaque bella sollertissimus, cautus, æstu Martii pulueris induratus, boni prauique suasor & desuasor admodum prudens, militaris rei ordinum scrutantissimus; scribens decore, venusteque pingens & fingens; & nouorum inuentor armorum: memoria sermoneq; incitato quidem sed raro facundiæ proximo vigens: amator munditiarum, lætusque non profusis epulis sed excultis. Postremo hoc moderamine principatus inclaruit, quod inter religionum diuersitates medius stetit, nec quemquam inquietauit, neq; vt hoc coleretur imperauit aut illud, nec interdi-

ctis minacibus subiectorum ceruicem ad id quod ipse coluit inclinabat, sed intemeratas reliquit has partes vt reperit. Corpus eius lacertosum & validum, capilli fulgor colorisque nitor, cum oculis cæsiis semper obliquum intuentis & toruum. Atque pulchritudo staturæ, liniamentorumq; recta compago, maiestatis regiæ decus implebat. Post conclamata Imperatoris suprema, corpusque conditum ad sepulturam, vt missum Constantinopolim inter diuorum reliquias humaretur, suspenso instante procinctu, anceps rei timebatur euentus cohortibus Gallicanis, quæ non semper dicatæ legitimorum principum fidei, velut imperiorum arbitræ, ausuræ nouum quiddam in tempore sperabantur: hoc tentatores nouitatis adiuuante, quod gestorum ignarus etiamtum Gratianus agebat tum apud Treueros; vbi profecturus eum morari disposuerat pater. Quum negotium in his esset angustiis, &, tamquam in eadem naui futuri periculorum si* accidisset participes, omnes eadem formidarent, sedit summatum consilio, auulso ponte quem compaginarat ante necessitas inuadens terras hostiles, vt superstitis Valentiniani mandato Merobaudes protinus acciretur. Hocque ille, vt erat sollertis ingenii, quod euenerat ratus, aut forte doctus ab eo per quem vocabatur, rupturum concordiæ iura Gallicanum militem suspicatus, missam ad se tesseram finxit redeundi cum eo ad obseruandas Rheni ripas, quasi furore barbarico crudescente: vtque erat secrete mandatum, Sebastianum, principis adhuc ignorantem excessum, longius amandauit; quietum quidem virum & placidum, sed militari fauore sublatum, & eo maxime tunc cauendum. Reuerso itaque Merobaude, altiore cura prospectum, expedito consilio Valentinianus puer defuncti filius tum quadrimus vocaretur, in imperium cooptandus, centesimo lapide disparatus, degensque cum Iustina matre in villa quam Murocinctam appellant. Hocq; *continenti omnium sententia confirmato, Cerealis auunculus eius ocius missus, eumdem puerum lectica impositum duxit in castra: sextoque die post parentis obitum Imperator legitime declaratus, Augustus nuncupatur more solenni. Et licet, quum hæc agerentur, Gratianum indigne laturum existimarent, absque sui permissu principem alium institutum, postea *metu sollicitudine discussa vixere securius, quod ille, vt erat beneuolus & peritus, consanguineum pietate nimia dilexit & educauit.

AMMIANI MARCELLINI
RERVM GESTARVM LIBER TRIGESIMVS PRIMVS.

INTEREA & fortunæ volucris rota, aduersa prosperis semper alternans, Bellonam furiis in ætatem adscitis armabat, mœstosque transtulit ad orientē euentus, quos aduentare præsagiorum fides clara monebat & portentorū. Post multa enim quæ vates auguresque prædixere veridice, resultabant canes vlulantibus lupis, & querulū quiddā nocturnæ volucres gemebant & flebile, & squalidi solis exortus hebetabant matutinos diei candores: & Antiochię per rixas tumultusq; vulgares id in consuetudinem venerat vt *quisq; vim se pati existimaret, *Viuus ardeat Valens*, licentius clamitaret. Vocesq; præconū audiebantur adsidue, mandantium congeri ligna ad Valentini lauacri successionem, studio ipsius principis conditi. Quæ, hunc illi impendere exitum vitæ, modo non aperte loquendo monstrabant. Super his laruale simulacrū Armeniæ regis, & miserabiles vmbræ paulo ante in negotio Theodori cæsorum, per quietem stridendo carmina quædam *nimirum horrenda, multos diris terroribus agitabāt. *Tragula Gurgulione confecto exanimis visa est iacens. cuius mors publicorum funerum ærumnas indicabat amplas & peruulgatas. Deniq; quum Chalcedonos subuerterentur veteres muri vt apud Constantinopolim ædificaretur lauactum, ordine resoluto saxorum, in quadrato lapide, qui structura latebat in media, hi Gręci versus incisi reperti sunt, futura plene pandentes:

*Ἀλλ'

*Ἀλλ' ὁπόταν νύμφαι δροσεραὶ κατ' ἄστυ χορείαις Τερπόμεναι, στροφόων εὐστεφέας κατ' ἀγυιάς, Καὶ τεῖχος Λυδοῖο πολύστονον ἔσσεται ἄχαρ· Δὴ τότε Οὐώνια φῦλα πολυσπερέων ἀνθρώπων Ἴστρου καλλιρρόοιο πόρον περόωντα σὺν αἰχμῇ Καὶ Σκυθικὴν ὀλέσει χώρην καὶ Μυσίδα γαῖαν, Παίονά θ' ἱπποβάτην σὺν Κέλταις μαινομένοισι Τ' αὐτοῦ καὶ βιότοιο τέλος καὶ δῆρις ἐφέξει. Totius autem sementem exitii, & cladium originem diuersarum, quas Martius furor incendio solito miscendo cuncta conciuit, hanc comperimus caussam. *Hunnorum gens*, monumentis veteribus leuiter nota, vltra paludes Mæoticas glacialem oceanum accolens, omnem modum feritatis excedit. Vbi quoniam ab ipsis nascendi primitiis, infantum ferro sulcantur altius genæ, vt pilorum vigor tempestiuus emergens corrugatis cicatricibus hebetetur, senescunt imberbes absque vlla venustate, spadonibus similes. compactis omnes firmisque membris, & opimis ceruicibus *prodigiose deformes & pandi: vt bipedes existimes bestias, vel quales in commarginandis pontibus effigiati stipites dolantur incompte in hominum figuras. sic & in sua vita visi sunt asperi, vt neque igni, neque *saporatis indigeant cibis; sed radicibus herbarum agrestium & semicruda cuiusuis pecoris carne vescantur, quam inter femora sua & equorum terga subsertam, fotu calefaciunt breui. Ædificiis nullis vmquam tecti; sed hæc, velut ab vsu communi discreta sepulcra, declinant. Nec enim apud eos vel arundine fastigiatum reperiri tugurium potest. sed vagi, montes peragrantes & siluas, pruinas, famem sitimque perferre ab incunabulis adsuescunt. Peregre tecta, nisi adigente maxima necessitate, non subeunt. nec enim apud eos securos existimant esse sub tectis. Indumentis operiuntur linteis, vel ex pellibus siluestrium *murum consarcinatis. Nec alia illis domestica vestis est, alia forensis: sed semel obsoleti coloris tunica collo inserta non ante deponitur aut mutatur, quam diuturna carie in pannulos defluxit defrustata. Galeris incuruis capita tegunt; hirsuta crura coriis munientes hœdinis. Eorumque calcei formulis nullis aptati, vetant incedere gressibus liberis. Qua caussa ad pedestres parum accommodati sunt pugnas: verum equis prope adfixi, duris quidem, sed deformibus, & muliebriter iisdem nonnumquam insidentes, funguntur muneribus *consuetis. In ipsis quiuis in hac natione pernox & perdius emit & vendit, cibumque sumit & potum, & inclinatus ceruici angustæ iumenti, in altum soporem adusque varietatem effunditur somniorum. Et deliberatione super rebus proposita seriis, hoc habitu omnes in commune consultant. Aguntur autem nulla seueritate regali; sed tumultuario primatum ductu contenti, perrumpunt quidquid inciderit. Et pugnant nonnumquam lacessiti; sed ineuntes prœlia cuneatim variis vocibus sonantibus toruum. Vtque ad pernicitatem sunt leues & repentini, ita subito de industria dispersi *lugescunt; & imposita acie, cum cæde vasta discurrunt; nec inuadentes vallum, nec castra inimica pilantes præ nimia parte decernuntur. Eoque omnium acerrimos facile dixeris bellatores, quod procul missilibus telis, acutis ossibus pro spiculorum acumine arte mira *coagmentatis, sed distinctis comminus ferro sine vi respectu con . . . hostesque dum mucronum noxias obseruant, contortis laciniis illigant; vt laqueatis resistentium membris equitandi vel gradiendi adimant facultatem. Nemo apud eos arat, nec stiuam aliquando contingit. Omnes enim sine sedibus fixis, absq; lare vel lege aut ritu stabili dispalantur; semper fugientium similes cum carpentis in quibus habitant: vbi coniuges ex villis vestimenta contexunt, & coeunt cum maritis, & pariunt, & adusque pubertatem nutriunt pueros. Nullusque apud eos interrogatus, respondere vnde oritur potest; alibi conceptus, natusque procul, & longius educatus. Per inducias infidi, inconstantes, ad omnem auram incidentes spei nouæ, perquam mobiles, totum furori incitatissimo tribuentes: inconsultorum animalium ritu, *quod honestum inhonestumue sit, penitus ignorantes. Flexiloqui & obscuri. Nullius religionis vel superstitionis reuerentia aliquando districti: auri cupidine immensa flagrantes. Adeo permutabiles & irasci faciles, vt eodem aliquotiens die a sociis nullo irritante sæpe descisant, itidemque propitientur nemine leniente. Hoc expeditum indomitumque hominum genus, externa prædandi auiditate flagrans immani, per

rapinas finitimorum grassatum & cædes, adusque* Achaiam peruenit. Restant *Massagetæ*: qui vnde sint, vel quas incolant terras, (quoniam huc res prolapsa est) consentaneum est demonstrare, geographica perplexitate monstrata, quæ diu multa luda . . & varia, tandem reperit veritatis interna . . ad Ister aduenarum magnitudine fluenti Sauromatas prætermeat, adusque amnem Tanaim pertinentes; qui Asiam terminat ab Europa. Hoc transito, in immensum extentas Scythiæ solitudines *Alani* inhabitant, ex montium appellatione cognominati; paulatimque nationes conterminas, crebritate victoriarum attritas, ad gentilitatem sui vocabuli traxerunt vt Persæ. Inter hos* *Neuri* mediterranea incolunt loca, vicini verticibus celsis; quos prætuptos geluque torpentes aquilones adstringunt. Post quos* *Vidini* sunt & *Geloni*, perquam feri. Qui detractis peremptorum hostium cutibus indumenta sibi equisque tegmina conficiunt; bellatrix gens. Gelonis* *Agathyrsi* collimitant, interstincti colore cæruleo corpora simul & crines: & humiles quidem minutis atque raris, nobiles vero* latis fucatis & densioribus notis. Post hos, *Melanchlænas* & *Anthropophagos* palam accepimus per diuersa, humanis corporibus victitantes: quibus ob hæc alimenta nefanda desertis, finitimi omnes longa petiere terrarum. ideoque plaga omnis orienti æstiuo obiecta, vsquedum venitur ad Seras, inhabitabilis* transit. Parte alia prope Amazonum sedes* *Alani* sunt orienti accliues, diffusi per populos ac gentes amplas, Asiaticos vergentes in tractus: quas dilatari adusque Gangen accepi, fluuium intersecantem terras Indorum, mareque inundantem australe. Ibi partiti per vtramque mundi plagam Alani, (quorum gentes varias nunc recensere non refert) licet dirempti spatiis longis, per pagos, vt Nomades, vagantur immensos. Æui tamen progressu ad vnum concessere vocabulum, & summatim omnes Alani cognominantur. Mores & media & efferatam viuendi, sed iam immaturam. Nec enim vlla sunt* illis tuguria, aut versandi vomeris curæ: sed carne & copia victitant lactis, plaustris supersidentes, quæ operimentis curuatis corticum per solitudines conferunt sine fine distētas. Quumque ad graminea venerint, in orbiculatam figuram locatis* sarracis ferino ritu vescūtur: absumptisque pabulis, velut carpentis ciuitates impositas vehunt: maresque supra cum fœminis coeunt. & nascuntur in his & educuntur infantes: & habitacula sunt hæc illis perpetua: & quocumque ierint, illic genuinum existimant larem. Armenta præ se agentes cum gregibus pascunt: maximeque equini pecoris est eis sollicitior cura. Ibi campi semper herbescunt, intersitis pomiferis locis. Atque ideo transeuntes quolibet, nec alimentis nec pabulis indigent: quod efficit humectum solum, & crebri fluminum prætermeantium cursus. Omnis igitur ætas & sexus imbellis, circa vehicula ipsa versatur, muniisque distringitur mollibus: iuuentus vero, equitandi vsu a prima pueritia coalescens, incedere pedibus existimat vile: & omnes militari disciplina prudentes sunt bellatores. vnde etiam Persæ, qui sunt originitus Scythæ, pugnandi sunt peritissimi. Proceri autem Alani pene sunt omnes & pulchri, crinibus mediocriter flauis, oculorū temperata toruitate terribiles, & armorum leuitate veloces: Hunnisque per omnia suppares, verum victu mitiores & cultu. *La . . nando & venando, adusque Mæotica stagna & Cimmerium Bosphoron, itidemque Armenias discurrentes & Mediam. Vtque hominibus quietis & placidis otium est voluptabile, ita illos pericula iuuant & bella. Iudicatur ibi beatus qui in prœlio profuderit animam. Senescentes enim, & fortuitis mortibus mundo digressos, vt degeneres & ignauos, conuitiis atrocibus insectātur. Nec quidquam est quod elatius iactent quam homine quolibet occiso: proque exuuiis gloriosis, interfectorum auulsis capitibus detractas pelles, pro phaleris iumentis accommodant bellatoriis. Nec templum apud eos visitur aut delubrum; ne tugurium quidem culmo tectum cerni vsquam potest: sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus; cumq; vt Martem, regionum quas circumeunt præsulem, verecundius colunt.* Futura miro præsagiunt modo. Nam rectiores virgas fœminæ colligentes, easque cum incantamentis quibusdam secretis præstituto tempore decernentes, aperte quid* portetur, norunt. Seruitus quid sit ignorabant, omnes generoso semine procreati. Iudicesq; etiam nunc eligunt, diuturno bellandi vsu spectatos. Sed ad reliqua

textus

textus propositi reuertamur. Igitur Hunni, peruasis Alanorum regionibus, quos Geuthungis confines *Tanaitas* consuetudo nominauit, interfectisque multis & spolians, reliquos sibi concordandi fide pacta iunxerunt: eisque adiunctis confidentius Ermenrichi late patentes & vberes pagos repentino impetu perruperunt, bellicosissimi regis, & per multa variaque fortiter facta vicinis nationibus formidati. Qui vi subitæ procellæ perculsus, quamuis manere fundatus & stabilis diu conatus est, impendentium tamen diritatem augente vulgatius fama, magnorum discriminum metum voluntaria morte sedauit. Cuius post obitum rex Vithimiris creatus, restitit aliquantisper Alanis, Hunnis aliis fretus, quos mercede sociauerat partibus suis. verum post multas quas pertulit clades, animam effudit in prœlio, vi superatus armorum. Cuius parui filii, Viderichi nomine, curam susceptam Alatheus ruebatur & Saphrax, duces exerciti & firmitate pectorum noti. Qui quum tempore arcto præuenti, abiecissent fiduciam repugnandi, cautius discedentes, ad amnem Danastum peruenerunt, inter Istrum & Borysthenem per camporum ampla spatia diffluentem. Hæc ita præter spem accidisse doctus Athanaricus Theruingorum iudex, in quem (vt ante relatum est) ob auxilia missa Procopio dudum Valens commouerat signa; stare gradu fixo tentabat; surrecturus in vires, si ipse quoque lacesseretur, vt ceteri. Castris denique prope Danasti margines aggere vt vngorii vallem longius opportune metatis, Munderichum ducem postea limitis per Arabiam, cum *Lagarimano & optimatibus aliis, adusque vicesimum lapidem misit, hostium speculaturos aduentum, ipse aciem nullo turbante interim struens. Verum longe aliter quam rebatur euenit. Hunni enim, (vt sunt in coniectura sagaces) multitudinem esse longius aliquam suspicati, prætermissis quos viderant, in quietem tamquam nullo obstante cõpositis, tum pente noctis tenebris luna vado fluminis penetrato, id quod erat potissimum elegerunt. Et veriti ne præcursorius index procul agentes absterreat, Athanaricum ipsum ictu petiuere veloci: eumque stupentem ad impetum primum, amissis quibusdam suorum coegerunt ad effugia properare montium præruptorum. Qua rei nouitate maioreque venturi pauore constrictus, a superciliis Gerazi fluminis adusque Danubium Taifalorum terras præstringens, muros altius erigebat; hac lorica diligentia celeri consummata, in tuto locandam securitatem suam existiman & salutem. Dumque efficax opera suscitatur, Hunni passibus eum citis vrgebant: & iam oppresserant aduentantes, ni grauati prædatum onere destitissent. Fama tamen late serpente per Gotthorum reliquas gentes, quod inusitatum antehac hominum genus, modo ruens vt turbo montibus celsis, ex abdito sinu coortum opposita quæque conuellit, corrumpit: populi pars maior, quæ Athanaricum attenuata necessariorum penuria deseruerat, quæritabat domicilium remotum ab omni notitia barbarorum. Diuque deliberans quas eligeret sedes, cogitauit Thraciæ receptaculum, gemina ratione sibi cõueniens, quod & cæspitis est feracissimi, & amplitudine fluentorum Istri distinguitur ab aruis patentibus iam peregrini fulminibus Martis. Hoc quoque idem residui velut mente cogitauere communi. Itaque duce *Alauiuo ripas occupauere Danubii: missisque oratoribus ad Valentem, suscipi se humili prece poscebant, & quiete victuros se pollicentes, & daturos, si flagitasset, auxilia. Dum aguntur hæc in externis, nouos maioresque solitis casus versare gentes arctoas, rumores terribiles diffuderunt, per omne quidquid ad Pontum a Marcomannis prætenditur & Quadis, multitudinem barbaram abditarum nationum vi subita sedibus pulsam, circa flumen Istrum vagari cum caritatibus suis, disseminantes. Quæ res aspernanter a nostris inter initia ipsa accepta est; hanc ob caussam, quod illis tractibus non nisi peracta aut sopita audiri procul agentibus consueuerunt bella. Verum pubescente iam fide gestorum, cui rumor aduentus gentilium addiderat legatorum, precibus & obtestatione petentium circa flumẽ suscipi plebem extorrem, negotium lætitię fuit potius quam timori, eruditis adulatoribus in maius fortunam principis extollentibus, quod ex vltimis terris tot tirocinia Thracenses nec opinanti offerrent; vt collatis in vnum suis & alienigenis viribus, inuictum haberet exercitum; & pro militari supplemento, quod prouinciatim annuum pendebatur, thesauris accederet auri cumulus magnus. Hacque persuasione mittuntur diuersi, qui cum vehiculis plebem

transferant truculentam. Et nauabatur opera diligens ne qui Romanam rem euersurus derelinqueretur vel quassatus morbo letali. Proinde permissu Imperatoris transeundi Danubium copiam colendique adepti Thraciæ partes, transfretabantur in dies & noctes, nauibus ratibusque & cauatis arborum alneis agminatim impositi. Atq; per amnem longe omnium difficillimum imbriumq; crebritate tunc auctum, ob densitatem nimiam contra ictus aquarum nitentes quidam, & natare conati, hausti sunt plures. Ita turbido instantium studio orbis Romani pernicies ducebatur. Illud sane neque obscurum est neque incertum, infaustos transuehendi barbaram plebem ministros, numerum eius comprehendere calculo sæpe tentantes, conquieuisse frustratos: *Quem qui scire velit*, (vt eminentissimus memorat vates) *Libyci velit æquoris idem Discere quam multæ zephyro turbentur harenæ* Resipiscant tandem memoriæ veteres, Medicas acies ductantes ad Græciam: quæ dudum Hellespontum occupantes, & discidio quodam fabrili maris, vbi montonis pede quæsitum exponuntur, & turmatim apud Doriscum exercitus recensetur, concordante omni posteritate, vt fabulosæ sunt lectæ. Nam postquam innumeræ gentium multitudines per prouincias circumfusæ, pandentesq; se in spatia ampla camporum, regiones omnes & cuncta oppleuere montium iuga, fides quoq; vetustatis recenti documento firmata est. Et primus cum Alauiuo suscipitur Fritigernus: quibus & alimenta pro tempore & subigendos agros tribui statuerat Imperator. Per id tempus nostri limitis reseratis obicibus, atque vt Ætnæas fauillas armatorum agmina diffundente barbaria, quum difficilibus necessitatum articulis correctores rei militaris poscerent aliquos claritudine gestarum rerum notissimos, quasi læuo quodam numine deligente, in vnum quæsiti potestatibus præfuere castrensibus homines maculosi: quibus Lupicinus antestabat & Maximus, alter per Thracias comes, dux alter exitiosus, ambo æmuli temeritatis. Quorum insidiatrix auiditas, materia malorum omnium fuit. Nam (vt alia omittamus, quæ memorati, vel certe sinentibus iisdem alii, perditis rationibus in commeantes peregrinos adhuc innoxios deliquerunt) illud dicetur, quod nec apud sui periculi iudices absoluere vlla poterat venia, triste & inauditum. Quum traducti barbari victus inopia vexarentur, turpe commercium duces inuisissimi cogitarunt: & quantos vndique insatiabilitas colligere potuit canes pro singulis dederunt mancipiis: inter quæ ducti sunt optimatum. Per hos dies interea etiam Vithericus Greuthungorum rex, cum Alatheo & *Saphrace, quorum arbitrio regebatur, itemque Farnabio, propinquans Istri marginibus, vt simili susciperetur humanitate, obsecrauit Imperatorem, legatis propere missis. Quibus, vt communi rei conducere videbatur, repudiatis, & quid capesserent anxiis, Athanaricus parumper timescens abscessit; memor Valentem dudum, quum fœderaretur concordia, despexisse, affirmantem se religione deuinctum ne calcaret solum aliquando Romanum: hacque occasione principem firmare pacem in medio flumine coegisse: quam simul tamen veritus vt adhuc durantem, ad Caucalandensem locum altitudine siluarũ inaccessum & montium, cũ suis omnibus declinauit, Sarmatis inde extrusis. At vero Theruingi iamdudum transire permissi, prope ripas etiamtum vagabantur; duplici impedimento adstricti, quod ducum dissimulatione perniciosa neque victui congruis sunt adiuti, & tenebantur consulto nefandis nundinandi commerciis. Quo intellecto, ad perfidiam instantium malorum subsidium * vei tere dissimulabant: & Lupicinus ne iam deficerent perumescens, eos admotis militibus adigebat ocius proficisci. Id tempus opportunum nacti Greuthungi, quum alibi militibus occupatis, nauigia vltro citroque discurrere solita, transgressum eorum prohibentia, quiescere perspexissent, ratibus transiere male contextis; castraque a Fritigerno locauere longissime. At ille genuina præuidendi sollertia vêturos muniens casus, vt & imperiis obediret & regibus validis iungeretur, incedens segnius, Marcianopolim tarde peruenit itineribus lentis. Vbi aliud accessit atrocius, quod atsuras in cõmune exitium faces furiales accendit. Alauiuo & Fritigerno ad conuiuium corrogatis, Lupicinus latenti nuntio doctus, ab opidi mœnibus barbaram plebem opposito milite procul arcebat, introire ad cõparanda victui necessaria, vt dicioni nostræ obnoxiam & concordem, per preces adsidue postulantem. Ortusque maioribus iurgiis inter habitatores & vetitos, adusque

necessi-

necessitatem pugnandi est ventum. Efferatique acrius barbari, quum necessitudines hostiliter rapi sentirent, spoliarũt intersectam militum manum. Quæ accidisse idem Lupicinus latenti nuntio doctus, dum in nepotali mensa ludicris cõcrepantibus diu discumbens, vino marcebat & somno, futuri coniciens exitum, satellites omnes qui pro prætorio honoris & tutelæ caussa duces præstolabantur, occidit. Hocque populus qui muros obsidebat dolenter accepto, ad vindictam detentorum regum (vt opinabatur) paulatim augescens, multa minabatur & sæua. Vtque erat Fritigernus expediti consilii, veritus ne teneretur obsidis vice cum ceteris, exclamauit grauiore pugnandum exitio, ni ipse ad leniendum vulgus sineretur exire cum sociis, quod arbitratum humanitatis specie ductores suos occisos, in tumultum exarsit. Hocque impetrato, egressi omnes, exceptiq; cum plausu & gaudiis, adscẽsis equis volarunt, moturi incitamenta diuersa bellorum. Hæc vbi Fama tumorum nutrix maligna dispersit, vrebatur dimicandi studio Thetuingorum natio omnis: & inter metuenda multa, periculorumque præuia maximorum, vexillis de more sublatis, auditisq; triste sonantibus classicis, iam turmæ prędatoriæ concursabant, pilando villas & incendendo, vastisque cladibus quidquid inueniri poterat permiscentes. Aduersus quos Lupicinus properatione tumultuaria coactis militibus, temere magis quam consulte progressus, in nono ab vrbe miliario stetit paratus ad decernendum. Barbarique hoc contemplato, globos irrupere nostrorum incautos: & parmas suppositis corporibus illidendo, obuios hastis perforabant & gladiis. Furoreque vrgente cruento, & tribuni & pleraque pars armatorum petiere signis ereptis; præter ducem infaustum; qui ad id solum intentus vt confligentibus aliis proriperet ipse semet in fugam, vrbem cursu concito petiit. Post quæ hostes armis induti Romanis, nullo vetante per varia grassabantur. Et quoniam ad has partes post multiplices ventum est actus, id lecturos (siqui erunt vmquam) obtestamur, ne quis a nobis scrupulose gesta vel numerum exigat peremptorum, qui comprehendi nullo genere potuit. Sufficiet enim, veritate nullo velata mendacio, ipsas rerum digerere summitates; quum explicandæ rerum memoriæ vbiq; debeatur integritas fida. Negant antiquitatum ignari, tantis malorum tenebris obfusam aliquãdo fuisse remp. Sed falluntur malorum recentium stupore confixi. Namque si superiores vel recens præteritæ reuoluantur ętates, tales tamque tristes rerum motus sæpe contigisse monstrabunt. Inundarunt Italiam ex abditis oceani partibus Teutones repẽte cum Cimbris. Sed post inflictas rei Rom. clades immensas, vltimis prœliis per duces amplissimos superati, quid potestas Martiade habitu prudentiæ valeat, radicitus exstirpati discriminibus didicere supremis. Marco itidem moderante imperium, in vnum spirando vesania gentium dissonantum, post bellorum fragores immensos, *post vrbium captarum & direptarum & pessum concitas proratotis interitus partes eorum exiguas reliquisset intactas. verum mox post calamitosa dispendia res in integrũ sunt restitutæ, hac gratia, quod nõdum solutiore mollicie sobria vetustas infecta, nec ambitiosis mẽsis, nec flagitiosis quæstibus inhiabat, sed vnanimanti ardore summi & infimi inter se congruentes, ad speciosam pro republ. mortem tamquam ad portum aliquem tranquillum properabant & placidum. Duobus nauium milibus, perrupto Bosporo & litoribus Propontidis, Scythicarum gentium cateruæ transgressæ, ediderunt quidem acerbas terra mariq; strages: sed amissa suorum parte maxima reuerterunt. ceciderunt dimicando cũ barbaris Imperatores Decii pater & filius. Obsessæ Pampbyliæ ciuitates insulæ populatę complures, inflammata Macedonia: omnis diu multitudo Thessalonicam circumsedit, itidemque Cyzicum. Anchialos capta, & tempore eodem Nicopolis, quam indicium victoriæ contra Dacos Traianus condidit Imperator. Post clades acceptas illatasque multas & sæuas, excisa est Philippopolis, centum hominum milibus (nisi fingunt annales) intra mœnia iugulatis. Vagatiq; per Epirũ Thessaliamq; & omnem Græciam licentius hostes externi. Sed adsumpto in imperium Claudio glorioso ductore, & eodem honesta morte prærepto, per Aurelianum acrem virum & seuerissimum noxarũ vltorem pulsi, per longa sæcula siluerunt immobiles: nisi quod postea latrocinales globi vicina cum sui exitio acrius incursabant. Verum ea persequar vnde diuerti. Hoc gestorum textu circumlato nũtiis densis, Sueridus & Colias, Got-

thorum optimates, cum populis suis longe ante suscepti, & curare apud Hadrianopolim hiberna dispositi, salutem suam ducētes antiquissimā omnium, otiosis animis accidentia cuncta cōtuebantur. Verum Imperatoris litteris repente perlatis, quibus transire iussi sunt in Hellespontum, viaticum, cibos, biduiq; dilationem tribui sibi sine tumore poscebant. Quod ciuitatis magistratus ferens indigne, (succensebat enim iisdem ob rem suam in suburbano vastatam) plebē omnem cum fabricensibus, quorum illic ampla est multitudo, productam, in eorum armauit exitium: iussisque bellicum canere buccinis, ni abirent ocius, vt statutum est, pericula omnibus minabatur extrema. Quo malo præter spem Gotthi perculsi, & * concito quam considerato ciuium adsultu perterriti, steterunt immobiles. Laceratique ad vltimum detestatione atque conuitiis, & tentati missilium iactibus raris, ad defectionem erupere cōfessam. Et cæsis plurimis quos impetus deceperat petulantior, auersisque residuis & telorum varietate confixis, habitu iam Romano cadaueribus spoliatis armati, viso propius Fritigerno iunxerunt semet, vt morigeri socii: vrbemque clausam obsidionalibus ærumnis vrgebant. In qua difficultate diutius positi, passim & promiscue tuebant: eminensque aliquorum audacia peribat inulta; multique sagittis & rotatis per fundas lapidibus interibant. Tunc Fritigernus frustra cum tot cladibus colluctati homines ignaros obsidendi contemplans, relicta ibi manu sufficiente, abire negotio imperfecto suasit; pacem sibi esse cum parietibus memorans, suadensque vt populandas opimas regiones & vberes absque discrimine vllo, vacuas præsidiis etiam tum, adorirentur. Laudato regis consilio, quem cogitatorum norant fore socium efficacem, per Thraciarum latus omne dispersi caute gradiebantur, dedititiis vel captiuis vicos vberes ostendētibus, eos præcipue vbi alimentorū reperiri satias dicebatur: eo maxime adiumento præter genuinam erecti fiduciam, quod confluebat ad eos in dies ex eadem gente multitudo, dudum a mercatoribus venumdati, adiectis plurimis quos primo transgressu necati inedia, vino exili vel panis frustis mutauere vilissimis. Quibus accessere sequendarum auri venarum periti non pauci, vectigalium perferre non sufficientes sarcinas graues susceptique libenti consensione cunctorū, magno vsui iidem fuere ignota peragrantibus loca, conditoria frugum occulta & latebras hominum & receptacula secretiora monstrando: nec quidquam, nisi inaccessum & deuium, præeuntibus iisdem mansit intactum. Sine distantia enim ætatis vel sexus, cædibus incendiorumque magnitudine cuncta flagrabant: abstractisque ab ipso vberum suctu paruulis & necatis, raptæ sunt matres & viduatæ maritis coniuges ante oculos cæsis: & puberes adultique pueri per parentum cadauera tracti sunt. Senes denique multi, ad satietatem vixisse clamātes, post amissas opes cum speciosis fœminis, manibus post terga contortis, defletisque gentilium fauillis ædium, ducebantur extorres.

Hæc ex Thraciis magno mœrore accepta Valentem principem in sollicitudines varias distraxerunt. Et confestim Victore magistro equitum misso ad Persas, vt super Armeniæ statu pro captu rerum componeret impendentium, ipse Antiochia protinus egressurus, vt Constantinopolim interim peteret, Profuturum præmisit & Traianum; ambo rectores, anhelantes quidem altius, sed imbelles. Qui quum ad loca venissent vbi particulatim perque furta magis & latrocinia multitudo minui deberet hostilis, ad id quod erat perniciosum intempestiue conuersi, legiones ab Armenia ductas opposuere vesanum adhuc spirantibus barbaris, opere quidem Martio sæpe recte compertas, sed impares plebi immensæ, quæ celsorum iuga montium occuparat & campos. Hi numeri, nondum experti quid cum desperatione rabies valeret indomita, truso hoste vltra Hæmi montis abscisos scopulos, faucibus insidere prætuptis; vt barbaros *locis inclusos numquam reperiens exitum diuturna consumeret fames, & opperirentur ipsi Frigeridum ducē cū Pannonicis & Transalpinis auxiliis aduentantem; quem petitu Valentis Gratianus ire disposuit in procinctum, laturum suppetias his qui ad vltimum vexabantur exitium. Post quem Richomeres domesticorum tunc comes, imperatu eiusdē Gratiani motus e Gallis properauit ad Thracias, ductans cohortes aliquas nominetenus: quarum pars pleraq; deseruerat (vt iactauere quidam) Merobaudis suasu, veriti ne destitutę adminiculis Gallię vastarentur, licenter Rheno perrupto. Verū articulorū dolore Frigerido præpedito, vel cer-

vel certe (vt obtrectatores finxere maleuoli) morbum caussante ne feruentibus prœlijs interesset, vniuersos regens ex communi sententia Richomeres, Profuturo sociatur & Traiano, tendentibus prope oppidum Salices. Vnde haud longo spatio separatum vulgus inæstimabile barbarorum, ad orbis rotundi figuram multitudine digesta plaustrorum, tamquam intramuranis cohibita spatiis, otio fruebatur & vbertate prædarum. Præuia igitur spe meliorũ Romani duces (si fors copiam attulisset) ausuri aliquid gloriosum, Gotthos quidquid molirentur sagaciter obseruabant: id scilicet præstruentes, vt si alio castra mouissent, (quod fecere crebertime) terga vltimorum adorti plures * profoderent confisi, magnamque spoliorum auerterent partem. Hoc intellecto hostes, vel transfugarum indiciis docti, per quos nihil latebat incognitum, in eodem loco diu manserunt. Sed oppositi exercitus metu præstricti, aliorumque militum quos adfluere iam sperabant, tessera data gentili, per diuersa prope diffusas acciuere vastatorias manus, cuique optimatum acceptas: statimque incensis malleolis ad * carraginem, quam ita ipsi appellant, aliti velocitate regressæ, incentiuum audendi maiora popularibus addiderunt. Nihil post hæc inter partes præter inducias laxatum est breues. Reuersis enim his quos necessitas euocarat, plebs omnis intra septorum ambitũ etiamtum contrusa immaniter fremens, animisque concita truculentis, experiri postrema discrimina, nec principibus gentis qui aderant renuentibus, cruditate festinabat. Et quoniam hęc sole agebantur extremo, noxque aduentans ad quietem inuitos retinebat & mœstos, capto per otium cibo somni manserunt expertes. Contra Romani his cognitis, ipsi quoque exsomnes verebantur hostes, & male sanos eorum ductores, vt rabidas feras; euentum, licet ancipitem, vt numero satis inferiores, prospetum tamen, ob iustiorem sui caussam, mentibus exspectantes impauidis. Cadente itaq; protinus die, signo ad arma capienda ex vtraq; parte per lituos dato, barbari, postquam inter eos ex more iuratum est, tumulosos locos appetere tentauerũt: quo exinde per procliue rotarũ modo obuios impetu conuoluerent acriore. Hocque viso ad suos quisque manipulos properans miles, stabili gradu consistens, nec vagabatur, nec relictis ordinibus procursabat. Ergo vbi vtrimq; acies cautius incedentes gressu steterunt immobili, toruitate mutua bellatores luminibus se contuebantur obliquis. Et Romani quidem voce vndiq; Martia concinentes, a minore solita ad maiorem protolli, quam gentilitate appellant barritum, vires validas erigebãt: barbari vero maiorum laudes clamoribus stridebant incõditis: interq; varios sermones dissoni strepitus leuiora procemia tentabantur. Iamque verutis & similibus aliis vtrimq; semet eminus lacessentes, ad conserendas coiere minaciter manus: & scutis in testudinũ formam coagmentatis, pes cum pede collatus est: barbarique, vt reparabiles semper & celeres, ingentes clauas in nostros coniicientes ambustas, mucronesq; acrius resistentium pectoribus illidentes, sinistrum cornu perrumpunt. Quod inclinatum subsidialis robustissimus globus, propinquo latere fortiter excitus, hærente iam cohorte ceruicibus sustentauit. Feruente igitur densis cædibus prœlio, in confertos quisq; promptior ruens, ritu grandinis vndiq; volitantibus telis oppetebat, & gladiis. Et sequebantur equites hinc inde, fugientium occipitia lacertis ingentibus præcidentes & terga: itidemque altrinsecus pedites lapsorum, timore impeditorũ, secantes suffragines. Et quum omnia cæsorum corporibus opplerentur, iacebant inter eos quidam semianimes, spem vitæ inaniter vsurpando: alii glande fundis excussa, vel harundinibus armatis ferro, confixi: quorumdam capita, per medium frontis & verticis mucrone distincta, in vtrumq; humerum magno cum horrore pendebant. Et pertinaci concertatione nondum lassatæ æquo marte partes semet altrinsecus adflictabant; nec de rigore genuino quisquam remittebat, dum vires animorum alacritas excitaret. Diremit tamen interneciua certamina cedens vespero dies: & cunctis qua quisque potuit incomposite discedentibus, residui omnes repetunt tentoria tristiores. Humatis denique pro locorum & temporis ratione honoratis quibusdam inter defunctos, reliqua peremptorum corpora diræ volucres consumpserunt, adsuetæ illo tempore cadaueribus pasci, vt indicant nunc vsque albentes ossibus campi. Constat tamen in numero longe minore Romanos cum ea copiosa multitudine colluctatos, funerea multa perpessos, non tamen sine deflendis ærumnis exagitasse bar-

baram plebem. His casibus prœliorum ita luctuose finitis, nostri proximos Marcianopoleos petiuere secessus: Gotthi intra vehiculorum anfractus sponte sua contrusi, numquam exinde per dies septem egredi vel videri sunt ausi: ideoque opportunitatem milites nacti, immensas alias barbarorũ cateruas inter Hæmimontanas angustias clauserunt, aggerum obiectu excelsorum: hac spe nimirum, vt inter Istrum & solitudines perniciosa hostium multitudo compacta, nullosque repetiens exitus, periret inedia, cunctis vtilibus ad viuendum in ciuitates validas comportatis: quarum nullam etiamtum circumsedere conati sunt, hæc & similia machinari penitus ignorantes. Post quæ repenunt Gallias Richomeres, ob maiorem prœliorum fremi-
1129 tum, qui sperabatur, inde adminicula perducturus. Hæc Gratiano quater & Merobaude consulibus agebantur, anno in autumnum vergente. Inter quæ Valens audito lugubri bellorum direptionumq; euentu, Saturnino equestris exercitus ad tempus cura commissa, suppetias Traianum offerentem misit & Profuturum. Forteque iisdem diebus per Scythiæ regiones & Mœsiæ omnibus quæ poterant mandi consumptis, feritate vrgente pariter & inopia, barbariq; molibus magnis ardebant: hocque sæpe tentato, quum obtuerentur vigore nostrorum, per asperitates scrupoſas valide resistentium, adacti necessitate postrema, * Chunorum & Alanorum aliquos ad societatem spe prædarũ ingentium adsciuerunt. Quo cognito Saturninus (iam enim aderat, & prętenturas stationesque disponebat agrarias) paulatim colligens suos, digredi parabat consilio nõ absurdo, ne subita multitudo, vt immanis pulsus vndarum obicibus ruptis emissus, conuelleret leui negotio cunctos suspecta loca accuratius obseruantes. Deinde post teseratas angustias, abitumque militis tempestiuum, incomposite, quà quisque clausorum potuit, nullo vetante turbandis incubuit rebus. & vastabundi omnes per latitudines Thraciæ pandebantur impune, ab ipsis tractibus quos prætermeat Ister exorsi, adusque Rhodopen & * fretum quod immensa disterminat maria, rapinis & cædibus, sanguineque & incendiis, & liberorum corporum corruptelis omnia fœdissime permiscentes. Tunc erat spectare cum gemitu facta dictu visuque prædira, attonitas metu fœminas flagris concrepantibus agitari, fœtibus grauidas adhuc immaturis, antequam prodirent in lucem impia tolerantibus multa: implicatos alios matribus paruulos, & puberum audire lamenta puellarumque nobilium, quarum stringebat fera captiuitas manus. Postque adulta virginitas, castitasque nuptarum ore adfecto flens vltima ducebatur, mox profanandũ pudorem optãs morte (licet cruciabili) præuenire. Inter quæ quum beluæ ritu traheretur ingenuus paulo ante diues & liber, de te Fortuna, vt inclementi, querebatur & cæca, quæ eum puncto temporis breuioris extortum & dulcedine caritatum domoque extorrem, quam concessisse vidit in cinerem & ruinas, aut lacerandum membratim, aut seruiturum sub verberibus & tormentis *crudo deuouisti victori. Barbari tamẽ, velut diffractis caueis bestiæ, per spatiorum amplitudines fusius incitati, opidum petiuere nomine Dibaltum: vbi tribunum scutariorum Barzimerem inuẽtum cum suis cornutisq; & aliis peditum numeris castra ponentem adsiliunt, eruditum puluere militari rectorem. Qui cõfestim (vt adigebat necessitas instantis exitii) iussa canere bellicum tuba lateribus firmatis, * prærupit cum promptis accinctis ad prœlium: fortiterq; resistendo pari pugnandi sorte discessisset, ni eum equitum accursus * quamplurimum anhelum circumuenisset & fessum. & ita cecidit interfectis barbarorum non paucis; quorum clades copiarum magnitudo * celabat. Re in hunc modũ peracta, Gotthi quid postea molirẽtur incerti, quæritabant Frigeridum, tamquam obicem validum vbi reperirent, excisuri: & cultiore victu somnoq; parumper adsumpto, cum sequebantur vt feræ, docti quod Gratiani monitu reuersus in Thracias, & prope Berœam vallo metato, euentus rerum speculabatur ancipites. Et hi quidem ad parrãdum propositum discursione rapida maturabant: ille vero, tegendi conseruandique militis non ignarus, id quod cogitatum est suspicatus, vel exploratorum relatione quos miserat aperte instructus, per montium celsa siluarumque densitates ad Illyricum redit, erectus prosperitate nimia, quam ei Fors obtulit inspetata. Repedando enim, congregatosque in cuneos sensim progrediens, Gotthorum optimatem Farnobium cum vastatoriis globis vagantem licentius occupauit, ducentemq; Taifalos nuper in societatem

tietatem adbibiros: qui, ſi dignum eſt dici, noſtris ignotarum gentium terrore diſperſis, transiere flumen, direpturi vacua defenſoribus loca. Eorum cateruis ſubito viſis, certare comminus dux cautiſſimus parans, adortusque nationes, oppreſſit graſſatores minantes etiamrum acerba: trucidaſſetque omnes ad vnum, vt ne nuntius quidem cladis poſt appareret, ni cum aliis multis perempto Farnobio, metuendo antehac incenſore turbarum, obteſtatus prece impenſa, ſuperſtitibus pepercisſet: viuosq; omnes circa Mutinam Rhegiumque & Parmam, Italica oppida, rura culturos exterminauit. Hanc Taifalorum gentem turpem ac obſcenæ vitæ flagitiis ita accepimus merſam, vt apud eos nefandi concubitus fœdere copulentur maribus puberes, ætatis viriditatem in eorum pollutis vſibus conſumpturi: porro ſiqui iam adultus aprum exceperit ſolus, vel interemerit vrſum immanem, colluuione liberatur inceſti. Hęc autumno vergente in hiemem, funeſti per Thracias turbines conuerrebant: quę temporum rabies, velut cuncta cientibus furiis, ad regiones quoque longinquas progrediens late ſerpebat. Etiam Lentienſis Alemannicus populus, tractibus Rhætiarum confinis, per fallaces diſcurſus, violato fœdere dudũ concepto, collimitia noſtra tentabat. Quæ clades hinc exitiale primordium ſumpſit. Ex hac natione quidam inter principis armigeros militans, poſce ore negotio reuerſus in larem, vt erat in loquẽdo effuſior, interrogantes multos quid ageretur in palatio, docet acceſſitu Valentis patrui Gratianum orientem verſus mox ſigna moturũ, vt duplicatis viribus repellantur plagarum terminalium accolæ, ad Romanorum [verum] excidium coniurati. Quibus auide Lentienſes acceptis, ipſi quoque hæc quaſi vicini cernentes, vt ſunt veloces & rapidi, conſerti in prædatorios globos, Rhenum gelu peruium pruinis Februario menſe tendentes, prope cum Petulantibus Celtæ, non ſine ſui iactura adflictos, grauiter adultis viribus auerterunt. Verum retrocedere coacti, Germanique noſcentes exercitus pleramque partem in Illyricum vt Imperatorem mox adfuturum prægreſſam, exarſere flagratius. Maioraq; conceptantes, pagorum omnium incolis in vnum collectis, cum quadraginta armatorum millibus, vel ſeptuaginta, vt quidam laudes extollendo principis iactitarunt, ſublati in ſuperbiam, noſtra cõfidentius irruperunt. Quibus Gratianus cum formidine magna compertis, reuocatis cohortibus quas præmiſerat in Pannonias, conuocatisq; aliis quas in Galliis retinuerat diſpoſitio prudens, Nannieno negotium dedit, virtutis ſobriæ duci: eique Mallobaudem iunxit pari poteſtate collegam, domeſticorum comitem; * regemque Francorum, virum bellicoſum & fortem. Nannieno igitur penſante fortunarum verſabiles caſus, ideoque cunctandum eſſe cenſente; Mallobaudes autem pugnandi cupiditate raptatus, vt conſueuerat ire in hoſtem, differendi impatiens, angebatur. Proinde horrifico aduerſum fragore * torrente, primum apud Argentariam ſigno per cornicines dato; concurri eſt cœptum. Sagittarum verutorumque miſſilium pulſibus crebriores hinc indeque ſternebantur. Sed in ipſo prœliorum ardore infinita hoſtium multitudine miles viſa, vitantesque aperta diſcrimina, per calles conſitas arboribus & anguſtas; vt quisque potuit diſperſi, paulo poſtea ſtetere fidentius: & ſplendore coo ſimili, proculq; nitore fulgentes armorum, imperatorii aduẽtus iniecere barbaris metum. Qui repente verſi in terga, reſiſtentesque interdum, nequid vltimæ rationis omitterent; ita ſunt cæſi vt ex prædicto numero non plus quam quinq; milia, vt ęſtimabatur, euaderent, denſitate nemorum tecti; inter complures alios audaces & fortes rege quoq; Priario interfecto, exitialium concitore pugnarũ. Hac læti ſucceſſus fiducia Gratianus erectus, iamque ad partes tendens Eoas, lęuorſus flexo itinere latenter Rheno tranſito, ſpe incitatior bona, vniuerſam (ſi id tentanti Fors adfuiſſet) delere ſtatuit malefidam & turbarum auidam gentem. Hocq; vrgentibus aliis ſuper alios nuntiis cognito, Lentienſes, ærumnis populi ſui ad internecionem pene deleri, & repentino principis aduentu defixi, quid capeſſerent ambigentes, quũ neq; repugnãdi neq; agẽdi aliquid aut moliendi laxamentũ poſſent inuenire vel breue, impetu celeri obſeſſos petiuerunt inuiis cautibus colles: abruptisq; per ambitum rupibus inſiſtentes, rebus caritatibusque ſuis quas ſecum duxerant, omni virium robore propugnabant. Qua difficultate perpenſa, velut murorũ obicibus opponendi, per legiones ſingulas quingenti milites leguntur armati, vſu prudẽter bellãdi cõperti. Qui ea re animorum

aucta fiducia, quod versari inter antesignanos visebatur acriter princeps, montes scandere nitebantur, tamquam venaticas prædas, si calcassent editiora, confestim sine certamine vllo rapturi. Exorsumque prœlium vergente in meridiem die tenebræ quoque occupauere nocturnæ. Quippe magno vtriusque partis pugnabatur exitio: cædebant cadebantque nostrorum non pauci: simul arma imperatoriі comitatus, auro colorumque micantia claritudine, iaculatione ponderum densa confringebantur. Et inde diu reputante Gratiano cum optimatibus, perniciosum apparebat & irritum, contra asperitates aggerum prominentium intempestiua contendere pertinacia: multisque (vt in tali negotio) variatis sententiis, otioso milite circumuallari placuit barbaros inedia fatigatos, quia locorum iniquitate defendebantur. Verum quum obstinatione simili renitentes Germani peritique regionum, petissent alios montes, his quos ante insiderant altiores, conuersus illuc cum exercitu Imperator, eadem qua antea fortitudine semitas ducentes ad ardua quæritabat. Quem Lentienses intentum iugulis suis omni perseuerandi studio contemplantes, post deditionem quam impetrauere supplici prece, oblata (vt præceptum est) iuuentute valida nostris tirociniis permiscenda, ad genitales terras innoxii ire permissi sunt. Hanc victoriam opportunam & fructuosam, quæ gentes hebetauit occiduas, sempiterni numinis nutu Gratianus, incredibile dictu est quanto cum vigore exserta celeritate aliorsum properans expediuit: præclaræ indolis adolescens, facundus & moderatus, & bellicosus & clemens, ad æmulationem lectorum progrediens principum, dum etiamtum lanugo genis inserperet speciosa; ni vergens in ludibriosos actus natura, laxantibus proximis, semet ad vana studia Cæsaris Commodi conuertisset: licet hic incruentus. Vt enim ille, quia perimere iaculis plurimas feras spectante consueuerat populo, & centum leones in amphitheatrali circulo simul emissos telorum vario genere nullo geminato vulnere contruncauit, vltra hominem exsultauit: ita hic quoque intra septa quæ appellant *viuaria*, sagittarum pulsibus crebris dentatas conficiens bestias, incidentia multa parui ducebat & seria: eo tempore quo etiam si imperium Marcus regeret Antoninus, ægre sine collegis similib⁹ & magna sobrietate consiliorum, lenire luctuosos reip. poterat casus. Dispositis igitur quæ pro temporum captu per Gallias res *nationesque poscebant, & punito scutario proditore, qui festinare principem ad Illyricum, barbaris indicarat, Gratianus exinde digressus per castra quibus *Felicis arboris* nomen est, per Inauteatum ad opitulandum oppressæ parti porrectis itineribus ire tendebat. Iisdemque diebus Frigerido, multa atque vtilia pro securitate communi sollertissime cogitanti, munireque properanti Succorum angustias, ne discursatores hostes & lenes, tamquam exæstuantes vi torrentes, per septemtrionales prouincias fusius vagarentur, successor Maurus nomine mittitur comes, venalis ferociæ specie, & ad cuncta mobilis & incertus. Is est quem præteritorum textu retulimus, ambigenti super corona capiti imponenda Iuliano Cæsari, dum inter eius armigeros militaret, ac regiam custodiret, torquem obtulisse collo abstractam: remotusque in ipsa vertigine pereuntium rerum dux cautus & diligens, quum etiam si dudum discessisset in otium, ad procinctũ reduci, negotiorum magnitudine poscente deberet. His forte diebus Valens tandem excitus Antiochia, longitudine viarum emensa venit Constantinopolim. vbi moratus paucissimos dies, seditioneque popularium leui pulsatus, Sebastiano paulo ante ab Italia vt petierat misso, vigilantiæ notæ ductori, pedestris exercitus cura commissa, quem regebat antea Traianus, ipse ad Melanthiada villam Cæsarianam profectus, militem stipendio fouebat & alimentis, & blanda crebritate sermonum Vnde quum itinere edicto per tesseram Nicen venisset, quæ statio ita cognominatur, relatione speculatorũ didicit, refertos opima barbaros præda a Rhodopæis tractibus prope Hadrianopolim reuertisse. Qui motu Imperatoris cum abundanti milite cognito, popularibus iungere festinant, circa Beroiam & Nicopolim *gentibus præsidiis fixis: atque ilico, vt oblatæ occasionis maturitas postulabat, cum trecentenis militibus per singulos numeros lectis, Sebastianus properare dispositus est, conducens rebus publicis aliquid (vt promittebat) acturus. Qui itineribus celeratis conspectus prope Hadrianopolim, obseratis inde portis iuxta adire prohibebatur, veritis defensoribus, ne captus ab hoste ve-

ſte veniret & ſubornatus, atque contingeret aliquid in ciuitatis perniciem, quale per alium acciderat comitem: quo per fraudem Magnentiacis militibus capto, clauſtra patefacta ſunt Alpium Iuliarum. Agnitus tamdem (licet ſero) Sebaſtianus, & vrbem introire permiſſus, cibo & quiete curatis pro copia quos ductabat, ſequuta luce impetu clandeſtino erupit: veſperaque intendente, Gotthorum vaſtatoriis cuneis prope flumen Hebrum ſubito viſis, paulisper opertus aggeribus &*frutectis, obſcura nocte ſuſpenſis paſſibus incõpoſitos adgreſſus eſt; id quoq; *præſtans, vt preter paucos quos morte velocitas exemerat pedum, interirent reliqui omnes: prædamque retraxit innumeram, quam nec ciuitas cepit, nec planicies lata camporum. Qua cauſſa percitus Fritigernus, extimeſcens ne dux (vt ſæpe audierat) impettabilis diſperſos licenter ſuorum globos raptuique intentos conſumeret, improuiſos adoriens, reuocatis omnibus prope Cabylen opidum, cito diſceſſit; vt agentes in regionibus patulis, nec inedia, nec occultis vexarentur inſidiis. Dum hæc aguntur in Thraciis, Gratianus docto litteris patruo, qua induſtria ſuperauerit Alemannos, pedeſtri itinere præmiſſis impedimentis & ſarcinis, ipſe cum expeditiore militum manu permeato Danubio, delatus Bononiam, Sirmium introiit. Et * quattiduum ibi moratus, per idem flumen ad Martis caſtra deſcendit, febribus interuallatis adflictus: in quo tractu Alanorum impetu repentino tentatus, amiſit ſequentium paucos. Iiſdemque diebus, exagitatus ratione gemina Valens, quod Lentienſes compererat ſuperatos, quodque Sebaſtianus ſubinde ſcribens facta dictis exaggerabat, e Melanthiade ſigna commouit; æquiperare facinore quodam egregio adoleſcentem properans filium fratris, cuius virtutibus vrebatur. Ducebatque multiplices copias, nec contemnendas nec ſegnes, quippe etiam veteranos iiſdem iunxerat plurimos: inter quos & honoratiores alii, & Traianus procinctus eſt, paulo ante magiſter armorum. Et quoniam exploratione ſollicita cognitum eſt, cogitare hoſtes fortibus præſidiis itinera claudere, per quæ commeatus neceſſarii portabantur, occurſum eſt huic conatui competenter, ad retinendas opportunitates anguſtiarum, quæ prope erant, peditibus ſagittariis & equitum turma citius miſſa. Triduoque proximo, quum barbari gradu incederent leni, & metuentes eruptionem per deuia, quindecim milibus paſſuum a ciuitate diſcreti ſtationem peterent Nicen, incertum quo errore procurſatoribus omnem illam multitudinis partem quam viderant, in numero decem milium eſſe firmantibus, Imperator procaci quodam calore perculſus, iiſdem occurrere feſtinabat. Proinde agmine quadrato incedens, prope ſuburbanum Hadrianopoleos venit. Vbi vallo ſudibus foſſaque firmato, Gratianum impatienter opperiens, Richomerem comitem domeſticorum ſuſcepit, ab eodem Imperatore præmiſſum cum litteris, ipſum quoq; venturum mox indicantibus. Quarum textu oratus vt præſtolaretur paulisper periculorũ participẽ, neue abruptis diſcriminibus temere ſemet committeret ſolum, adhibitis in conſilium poteſtatibus variis, quid facto opus eſſet, deliberabat. Et quum Sebaſtiano auctore, quidam protinus eumdem ad certamen vrgerent, Victor nomine magiſter equitum armatus, ſed cunctator & cautus, eadem ſentientibus multis, imperii ſociũ exſpectari cenſebat: vt incrementis exercitus Gallicani adſcitis opprimeretur leuius tumor barbaricus flammans. Vicit tamen funeſta principis deſtinatio, & adulabilis quorumdam ſententia regiorum: qui ne pene iam partæ victoriæ (vt opinabantur) conſors fieret Gratianus, properari curſu celeri ſuadebant. Et dum neceſſaria parabantur ad decernendum, Chriſtiani ritus preſbyter (vt ipſi appellant) miſſus a Fritigerno legatus cum aliis humilibus, venit ad principis caſtra. Suſceptusque leniter, eius denique ductoris obtulit ſcripta, petentis propalam vt ſibi ſuiſque, quos extorres patriis laribus rapidi ferarum gentium exegere diſcurſus, habitanda Thracia ſola cum pecore omni concederetur & frugibus: hoc impetrato, ſpondentis perpetuam pacem. Præter hæc idem Chriſtianus, vt conſcius arcanorum & fidus, ſecretas alias eiuſdem regis obtulit litteras; qui aſtu & ludificandi varietate nimium ſollers docebat Valentem, quaſi mox amicus futurus & ſocius, aliter ſe popularium ſæuitiam mollire non poſſe, vel ad cõditiones rei Romanæ profuturas allicere, niſi ſubinde armatũ iiſdem iuxta monſtraret exercitũ, & timore imperatorii nominis intẽtato, eos a pernicioſo pugnandi reuocaret ardore. Et legati quidẽ

ambiguí frustra habiti discesserunt. Exoriente vero aurora diei, quem quintum Iduum Augustarum numerus ostendit annalis, signa præpropere commouentur, impedimentis & sarcinis prope Hadrianopoleos muros cum legionum tutela congrua collocatis. Thesauri enim & principalis fortunæ insignia cetera, cum *Profecto & consistorianis ambitu mœnium tenebantur. Decursis itaque viarum spatiis confragosis, quum in medium torridus procederet dies, octauo tamdem hostiũ carpenta cernuntur; quę ad speciem rotũditatis detornata digestaq; exploratorũ relatione adfirmabantur. Atque (vt mos est) vlulante barbara plebe ferum & triste, Romani duces aciẽ struxere: & antepositо dextero cornu equitũ, itinera primo peditatus pars maxima subsidebat: cornu autem equitum læuum, disiectis adhuc per itinera plurimis, summa difficultate conductum properabat passibus citis. Dumque idem cornu, nullo etiamnũ interturbante extenditur, horrendo fragore simulantibus armis, pulsuq; minaci scutorum territi barbari; quoniã pars eorũ cum Alatheo &*Safrago procul agens, & accita, nondũ fœderatu tos pacem misere legatos. Eorũ dum vilitatẽ despicit Imperator, vt firma fierent paciscenda, optimates poscens idoneos mitti, illi de industria cunctabantur: vt inter fallaces inducias equites sui redirẽt, quos adfore iam sperabant, & miles feruore calefactus æstiuo, siccis faucibus cõmarceret, relucente amplitudine camporũ incendiis, quos lignis nutrimentisq; aridis subditis vt hoc fieret, iidem hostes vrebant. Cui malo aliud quoq; accedebat exitiale, quod homines & iumenta cruciabat inedia grauis. Inter quæ Fritigernus, callidus futuri coniector, martemq; pertimescens ancipitẽ, velut caduceatorem vnum e plebe suo misit arbitrio, petens nobiles quosdã & electos ad se propediem obsides mitti, impauidus ipse vim militarẽ laturus & necessaria. Laudato probatoq; formidati ducis proposito, tribunus Equitius, cui tunc erat cura palatii credita, Valentis propinquus, adsentiẽtibus cunctis ire pignoris loco mature disponitur. Quo renitente, quia semel captus ab hostibus, lapsusque a Dibalto, verebatur eorum irrationabiles motus, Richomeres se sponte obtulit propria ire: qui promiserat libens; pulchrum hoc quoque facinus & viro conuenire existimans forti. Iamq; pergebat indicia dignitatis & natalium daturus. Eo ad vallum hostile tendente, sagittarii & scutarii, quos Baturius Iberus quidam tunc regebat & Cassio, auidius impetu calenti progressi, iamque aduersis connexi, vt immature protuperant, ita inerti discessu primordia belli fœdarunt. Hocq; impedimento conatus intempestiui & Richomeris alacritas fracta est nusquam ire permissi & equitatus Gotthorum cum Alatheo reuersus & Safrago, *Alanorum manu permixta, vt fulmen prope montes celsos excussus, quoscumq; accursu veloci inuenire cõminus potuit, incitata cæde turbauit. Quumq; arma ex latere omni concuterentur & tela, lituosque Bellona luctuosos inflaret, in clades Romanas solito immanius furens, cedentes nostri multis interclamantibus restiterunt. Et prœlium, flammarum ritu acres absterrebat militũ animos, confixos quibusdã rotantis ictibus iaculorum & sagittarum. Deinde collisæ in modũ rostratarũ nauium acies, trudentesq; se vicissim, vndarum specie motibus sunt reciprocis agitatę. Et quia sinistrum cornu adusq; plaustra ipsa accessit, vltra (si qui tulissent suppetias) processurum, a reliquo equitatu desertũ, multitudine hostili vrgente, sicut ruina aggeris magni, oppressum atq; deiectum est. Steterunt improtecti pedites, ita concateruatis manipulis, vt fixi nec mucronem exserere, aut manus reducere quisquã posset. Nec iam obiectu pulueris cælum patere potuit ad prospectũ, clamoribus resultans horrificis. Qua caussa tela vndiq; mortẽ vibrantia destinata cadebant & noxia; quod nec prouideri poterant, nec caueri. Verum vbi effusi immensis agminibus barbari iumenta conterebant & viros, & neq; ad receptũ confertis ordinibus laxari vsquam poterat locus, & euadendi copiam cõstipatio densior adimebat: nostri quoq; vltimo cadendi contẽptu occursantes receptis gladiis obtruncabant, & mutuis securium ictibus galeæ perfringebantur atq; loricæ. Videreque licebat celsum ferocia barbarum, genis stridore cõstrictis, succiso poplite aut abscissa ferro dextera, vel cõfosso latere inter ipsa quoq; mortis cõfinia minaciter circũferentẽ oculos truces. Ruinaq; cõfligentiũ mutua ad humũ corporibus stratis, cãpi peremptis impleti sunt: & morientiũ gemitus, ꝓfundisq; vulneribus trãsfixorũ, cum timore audiebãtur ingẽti. In hoc tanto tamq; cõfusę rei tumultu exhausti labore

& pe-

& periculis pedites, quum deinceps neque vires illis, neque mentes suppeterent ad consilium, diffractis hastarum plerisq; collisione adsidua, gladiis contenti districtis, in cōfertas hostium turmas mergebantur, salutis immemores, circumspectantes ademptum esse omne euadēdi * suffugium. Et quia humus riuis operta sanguineis gressus labiles euertebat, conabantur modis omnibus vitam impendere nō inultam; adeo magno animorum robore oppositi incumbēntibus, vt etiam telis quidam propriis interirent. Atra denique cruoris facie omnia conturbante, & quocumque se inflexerant oculi, aceruis cæsorum aggestis, exanimata cadauera sine parcimonia calcabantur. Solque sublimior decurso Leone ad domicilium cælestis Virginis transiens, Romanos magis attenuatos inedia sitiq; confectos, etiam armorum grauantibus sarcinis * exsuperabat. Ad vltimum incumbente barbarorum pōdere, acies inclinatæ nostrorum, (quod solum postremis malis habuere subsidium) incondite, qua quisque poterat, vertuntur in pedes. Dumque omnes dispersi per ignotos tramites cedunt, Imperator diris pauoribus circumseptus, paulatimq; insiliens funerū moles, ad Lanceatios confugit & Mattiarios: qui, dum multitudo tolerabatur hostilis, fixis corporibus steterant inconcussi. Eoque viso Traianus exclamat, spem omnem absumptam, ni desertus ab armigeris princeps saltem aduentitio tegeretur auxilio. Hocque audito Victor nomine comes, Batauos in subsidiis locatos haud procul, ad Imperatoris præsidium raptim cogere properans, quum inuenire neminem posset, gradiēs retro discessit. Pariq; modo Richomeres periculo semet exemit & Saturninus. Sequebantur itaque furore ex oculis lucente barbari nostros, iam linquente venarum calore torpentes. quorum aliqui percussoribus cadebant incertis: non nulli ponderibus solis vrgentium obruti; ictuque suorum aliqui trucidati. Nec enim sæpe * renitentibus cedebatur, aut parcebat cædentibus quisquam. Super his obstruebant itinera iacentes multi semineces, cruciatus vulnerum nō ferentes: cum quibus aggeres quoq; equorum constrati cadaueribus campos implerunt. Diremit hæc numquā pensabilia damna (quæ magno rebus stetere Romanis) nullo splendore lunari nox fulgēs. Primaq; caligine tenebrarū, inter gregarios Imperator (vt opinari dabatur: neq; enim se quisquam vidisse vel præsto fuisse adseuerauit) sagitta perniciose saucius ruit: spirituque mox consumpto decessit; nec postea repertus est vsquā. Hostium enim paucis spoliandi gratia mortuos per ea loca diuersatis, nullus fugatorū vel accolarū illuc adire est ausus. Simili clade Cæsarem accepimus Decium, dimicantē cum barbaris acriter equi lapsu prostratum, quem feruentem retinere non valuit, abiectumq; in paludem, nec emergere potuisse, nec inueniri. Alii dicunt Valentem animā non exhalasse confestim, sed cum candidatis & spadonibus paucis prope ad agrestem casam relatū secunda contignatione fabre munitam, dū fouetur manibus imperitis, circumsessum ab hostibus qui esset ignorantibus, dedecore captiuitatis exemptū. Quum enim oppessulatas ianuas perrumpere conati qui sequuti sunt, aperte pensilis domus sagittis incesserentur, ne per moras inexpedibiles populandi amitterent copiam, cōgestis stipulæ fascibus & lignorū, flammaq; supposita, ædificium cū omnibus torruerunt. Vnde quidā de candidatis per fenestrā lapsus, captusq; a barbaris, prodidit factum; & eos mœrore adflixit, magna gloria defraudatos quod Romanæ rei rectorē nō cepere superstitē. Is ipse iuuenis occulte postea reuersus ad nostros, hæc ita accidisse narrauit. Pari clade, recuperatis Hispaniis, Scipionum alterū cremata turri, in quā confugerat, absumptū incendio hostili cōperimus. Illud tamen certum est, nec Scipioni nec Valenti sepulturam (qui supremitatis honor est) contigisse. In hac multiplici virorum illustrium clade, Traiani mors eminuit & Sebastiani: cū quibus triginta quinq; oppetiuere tribuni vacātes & numerorū rectores; & Valerianus atq; Equitius: quorū alter stabulū, alter curabat palatiū. Inter hos etiā Promotorū tribunus Potentius cecidit in primæuo ætatis flore, bono cuiq; spectatus meritis Vrsicini patris magistri quondam armorum suisq; cōmendabilis. Constatq; vix tertiam euasisse exercitus partem. Nec vlla annalibus, præter Cānensem pugnā, ita ad internicionē res legitur gesta: quamquam Romani aliquoties reflectente Fortuna fallaciis lusi bellorum iniquitati cessērunt ad tēpus: & certamina multa fabulosę næniæ fleuere Gręcorum cōmendabiles, constatq; . . . . Periit aūt hoc exitu Valens, quinquagesimo

anno contiguus, quum per annos quatuor imperasset & decem, paruo minus. Cuius bona, multis cognita, dicemus & vitia. Amicus fidelis & firmus: Vltor acer ambitionum: Seuerus militaris & ciuilis disciplinæ corrector. Peruigil semper & anxius, ne propinquitatem eius prætendens, altius semet ferret. Erga deferendas potestates vel adimendas, nimium tardus. Prouinciarum æquissimus tutor: quarũ singulas, vt domum propriam, custodiebat indemnes. Tributorum onera studio quodam molliens singulari; nulla vectigalium admittens augmenta: in requirendis reliquorum debitis non molestus. Furibus & in peculatu deprensis iudicibus inimicus asper & vehemens: nec sub alio principe in huiusmodi negotiis melius secum actum esse meminit oriens. Super his omnibus liberali erat animi moderatione. Cuius rei licet abundent exempla, vnum tamen sufficiet poni. Vt sunt in palatiis nonnulli alienarum rerum auidi, si qui caducum vel aliud petisset ex vsu, cum magna iustorum distinctione contradictoris copia seruata, donabat ei qui petierat tres vel quatuor; alios absentes aliquotiens impetratorum participes iungens, vt castigatius agerẽt inquieti, lucra quibus inhiabant hoc minus commento cernentes. Super ædificiis autem, quæ per diuersas vrbes & opida vel instaurauit vel a primis instruxit auspiciis, (ne sim longior) taceo, potioribus ipsis id apertius monstrare concedens. Hæc bonis omnibus æmulanda sunt, vt existimo. Nunc eius vitia percurramus. Magnarum opum intemperans appetitor: Laborum impatiens: duritiamq; magis adfectãs immanem. In crudelitatem procliuior. Subagrestis ingenii: nec bellicis nec liberalibus studiis eruditus. Alienis gemitibus libenter emolumenta fructusq; conquirens. tuncq; magis intolerabilis quum incidentia crimina ad contemptam vel læsam, principis amplitudinem trahens, in sanguinem sæuiebat & dispendia locupletum. Illud quoque ferri non poterat, q; quum legibus lites omnes quæstiones cõmittere veteres vellet, destinatisq; velut lectis iudicibus negotia spectanda mandabat, nihil agi contra libidinem suam patiebatur. Iniuriosus alias & iracundus: & criminantibus sine differentia veri vel falsi facillime patens: quæ vitiorum labes, etiam in his priuatis quotidianisque rationibus, impendio est formidanda. Cessator & piger. Nigri coloris, pupula oculi vnius obstructa: sed ita vt non eminus appareret. Figura bene compacta membrorum; staturæ nec proceræ nec humilis: incuruis cruribus, exstanteque mediocriter ventre. Hæc super Valente dixisse sufficiet: quę vera esse, æqualis nobis memoria plene testatur. Illud autem præteriri non conuenit, quod quum oraculo tripodis, quem mouisse Patricium docuimus & Hilarium, tres versus illos fatidicos comperisset, quorum vltimus est, ἐν πεδίοισι Μίμαντος * χωομένοιο ἄρη, hoc (vt erat incõsummatus & rudis) inter initia contemnebat; processu vero luctuum maximorum, obiecta etiam timidus eiusdem sortis recordatione, Asiæ nomen horrebat: vbi Erythræo opido superpositum montem Mimanta & Homerum scripsisse & Tullium, doctis referentibus audiebat. Deniq; post interitum eius discessumq; hostilem, prope locum in quo cecidisse existimatus est, inuentus dicitur saxeus monumenti suggestus: cui lapis adfixus, incisis litteris Græcis, sepultum ibi nobilem quemdam Mimanta veterem indicabat.

Post exitialem pugnam, quum iam tenebris nox tertias implesset, iis qui superfuere dextrâ pars, alii læua, vel quo metus traxerat, ferebatur quisque, proximos quærens: quum præter se nihil singuli *licere poterant, occipitiis propriis ferrum arbitrantes hærere. Audiebantur tamen, licet lõgius, eiulatus miserabiles relictorum, singultusque morientium, & vulneratorum cruciabiles fletus. Luce vero cœptante, victores, vt bestiæ sanguinis irritamento atrocius efferatæ, spei inanis illecebris agitati, Hadrianopolim agminibus petiuere densatis, eam vel cum discriminibus excisuri postremis; docti per proditores & transfugas, potestatũ culmina maximarum & fortunæ principalis insignia thesaurosque Valentis illic vt arduo in munimento conditos. Et ne interuallatis ardor intepesceret moris, hora diei quarta, ambitu cincto murorum, infestissime certabatur; oppugnatoribus genuina ferocia ad præceps exitium festinantibus, contraque defensorum vigore validis viribus incitato. Et quia militum calonumque numerus magnus, ciuitatem cum iumentis introire prohibitus, adfixus parietibus mœnium ædibusque continuis, pro loci humilitate fortiter decernebat, superaratq; rabies imminentium adusq; horam diei

nonam

nonam, subito pedites nostri trecenti, ex his qui prope ipsas stetere loticas, confestim in cuneum desciuerunt ad barbaros. Eosque illi auide raptos, confestim (incertum quo consilio) trucidarunt. Et ex eo deinceps obseruatum est neminem huiusmodi aliquid vel in desperatione rerum vltima cogitasse. Feruente itaque tot malorum congerie, repente cum fragore cælesti imbres nubibus atris effusi dispersere circumfrementium globos. Reuersique ad vallum dimensum tereti figura plaustrorum, immanes spiritus latius porrigentes, iubebant nostris per minaces litteras & legatum * ætatem, fide retinendæ salutis accepta. Verum introire non auso qui missus est, per Christianum quemdam portaris scriptis & recitatis, vtque dicebat contemplatis, parandis operibus reliquum diei & nox omnis adsumpta. Nam intrinsecus silicibus magnis * obstructæ sunt portæ, & mœnium intuta firmata, & ad emittenda vndique tela vel saxa, tormenta per locos aptata sunt habiles, aggestaque prope sufficiens aqua. Pridie enim dimicantium quidam siti adusque ipsa vitæ discrimina vexati sunt. Contra, Gotthi reputantes difficiles martis euentus, anxiique quum sterni & sauciari cernerent fortiores, & particulatim vires suas cõuelli, astutum iniere consilium; quod ipsa indicante Iustitia publicatum est. Partis enim nostræ candidatos aliquos, qui die præterito ad eos defecerant, pellexere, vt simulata fuga, velut ad propria remeantes, intra muros suscipi se curarent, ingressique latenter quamdam incenderent partem; vt tamquam signo erecto occultius, dum circa exstinguendum incendium distringitur multitudo clausorum, ciuitas perrumperetur impropugnata. Perrexere vt statutum est candidati: quumque prope fossas venissent, manus tendentes orantesque, vt Romanos semet admitti poscebant. Et recepti (quia nulla erat suspicio quæ vetaret) interrogatique super consiliis hostium, variarunt. Vnde factum est vt cruenta quæstione vexati ceruicibus perirent abscissis, quid acturi venerant aperte cõfessi. Omni itaque bellandi apparatu præstructo, aduentante vigilia tertia, barbari abolito prætentorum vulnerum metu, in vrbis obseratos aditus multiplicatis ordinibus inundarunt, & obstinatione magnatium maiore. At cum armatis prouinciales & palatini ad obruendos eos excitatius exsurgebant: & huiuscemodi tela, in multitudine tanta vel temere missa, cadere sine noxa non poterant. Animaduersum est a nostris, iisdem telis barbaros vti quibus petebantur. Ideoque mandatum est vt neruis ferrum lignumque connectentibus ante iactum incisis, emitterentur arcu sagittæ; quæ volitantes, vires integras seruabant; infixæ vero corporibus, nihil vigoris perdebant; aut certe si cecidissent in vanum, ilico frangebantur. Dedit autem rebus ita flagrantibus graue momentum casus admodum inopinus. Scorpio, genus tormenti, quem onagrum sermo vulgaris appellat, e regione contra hostium aciem densam locatus, lapidem contorsit ingentem. Qui licet humo frustra illisus est, visus tamen ita eos metu exanimauit, vt stupore spectaculi noui cedentes e medio, abire tentarent. Sed buccinis optimatum monitu occinentibus, instauratum est prœlium: & pari modo res Romana superior stetit, nullo ferme alio telo vel * fundæ amento incassum excusso. Agmina enim præeuntium ductorum, quos rapiendi Valentis malis lucubrationibus quæsiti cupiditas incendebat, sequuti ceteri, præ se ferebant æquiperasse discrimina potiorum. Namque semineces aliqui, aut magnis obtriti ponderibus, vel confixi iaculis pectora, voluebantur. Nonnulli scalas vehendo, adscensusque innumeros ex latere omni parantes, sub oneribus ipsis obruebantur, contrusis per pronum saxis & columnarum fragmentis & cylindris. Nec quemquam furentium cruoris horrenda species ad serum vsque diem ab alacritate faciendi fortiter auertebat, hoc incitante quod etiam defensorum plurimos cadere diuersis ictibus videntes eminus, lætabantur. Ita sine requie vlla vel modo, pro mœnibus & contra mœnia ingentibus animis pugnabatur. Et quia nullo ordine iam, sed per procursus pugnabatur & globos, (quod desperationis erat signum extremæ) flexo in vesperam die digressi omnes rediere ad tentoria tristes; inconsideratæ dementiæ alter alterum arguentes, quod non (vt suaserat antea Fritigernus) obsidionales ærumnas vbiq; declinarunt. Conuersi post hæc per omne tempus noctis (vt æstiuæ) non longum, ad vulnerum curas artesque medendi gentiles, reddita luce in varias cõsiliorum vias deducebantur, quorsum tenderent ambigentes. Multisque dictatis &* controuersiis occupare statuunt

Perinthum: exinde quæque diuitiarum referta, docentibus omnia perfugis, etiam domorum, nedum vrbium, internas noscentes. Hanc sequuti sententiam, quam vtilem existimarunt, itineribus lentis, miscentes cuncta populationibus & incendiis, nullo renitente pergebant. Obsessi vero apud Hadrianopolim, post eorum abitum quum vacare hoste loca proxima compertæ fidei nuntiassent exploratores, egressi media nocte, vitatis aggeribus publicis, per nemorosa & deuia trans Philippopolim, exindeque Serdicam aliam Macedoniæ vrbem, cum intemeratis opibus quas habebant, omni studio ad properandum excogitato currebant, velut in regionibus illis reperiendo Valente; quem inter medios certaminum turbines oppetiisse, vel certe ad tugurium confugisse, (vbi existimatus est vi periisse flammarum) penitus ignorabant. At Gotthi Hunnis Alanisque permixti, nimium bellicosis & fortibus, rerumq; asperarum difficultatibus induratis, quos miris præmiorum illecebris sibi sociarat sollertia Fritigerni, fixis iuxta Perinthum castris, ipsam quidem vrbem, cladium memores pristinarum nec adire nec tentare sunt ausi: agros vero fertiles, late distentos & longe, ad extremum vastauere penuriæ, cultoribus cæsis aut captis. Vnde Constantinopolim, copiarum cumulis inhiantes amplissimis, formas quadratorum agminum insidiarum metu seruantes, ire ocius festinabant, multa in exitium vrbis inclytæ molituri. Quos inferentes sese immodice, obicesque portarum pene pulsantes, hoc casu cæleste repulit numen. Saracenorum cuneus, (super quorum origine moribusque, diuersis in locis retulimus plura) ad furtem magis expeditionalium rerum, quam ad concursatorias habilis pugnas, recens illuc accersitus, congressurus, barbarorum globo repente conspecto, a ciuitate fidenter erupit: diuque extento certamine pertinaci, æquis partes discessere momentis. Sed orientalis turma nouo neq; ante viso superauit euentu. Ex ea enim crinitus quidam, nudus omnia præter pubem, subraucum & lugubre strepens, educto pugione, agmini se medio Gotthorum inseruit: & interfecti hostis iugulo labra admouit, effusumque cruorem exsuxit. Quo monstruoso miraculo barbari territi, postea non ferocientis more, quum agendum appeterēt aliquid, sed ambiguis gressibus incedebant. Processu dein audaciæ fracto, quum murorum ambitum, insularum spatiis immensis oblongum, & inaccessas pulchritudines vrbis, & incolentium plebem considerarent immensam, iuxtaque fretum, quod Pontum disterminat & Ægæum: disiectis bellorum officinis quas parabant, post accepta maiora funera quam illata, exinde digressi sunt effusorie per arctoas prouincias: quas peragrauere licenter, adusque radices Alpium Iuliarum, quas Venetas appellabat antiquitas. His diebus efficacia Iulii magistri militiæ trans Taurum enituit salutaris & velox. * Comperta enim fatorum sorte per Thracias Gotthos antea susceptos, dispersosque per varias ciuitates & castra, datis tectioribus litteris ad eorum rectores Romanos, omnes, (quod his temporibus raro contingit) vniuersos tamquam vexillo erecto, vno eodemq; die mandauit occidi, exspectatione promissi stipendii securos ad suburbana productos. Quo consilio prudenti sine strepitu vel mora completo, orientales prouinciæ discriminibus ereptę sunt magnis. Hæc vt miles quondam & Græcus, a principatu Cæsaris Neruæ exorsus, adusque Valentis interitum, pro virium explicaui mensura: opus veritatem *professum numquam (vt arbitror) sciens silentio ausus corrumpere vel mendacio. Scribant reliqua potiores ætate, doctrinis florentes. Quos id (si libuerit) aggressuros, procudere linguas ad maiores moneo stilos.

FRANCISCO

FRANCISCO BORGIAE EPISCOPO, ET PONTIFICALIS ÆRARII PRÆFECTO, POMPONIVS LÆTVS S.

SOLET quæri ab studiosis viris, vtilisne sit historia. Nos vero non modo vtilem & frugiferam, sed necessariam mortalibus esse contendimus. Et quemadmodum agricolatione corpora, sic monimentis rerum animi fouentur. Vitæ cupido, pharmaca pellendis morbis inuenit: series rerum, ne vna cum eo qui * gerit, interiret, historiam excogitauit: quantoq; nobilior corpore animus, tanto ceteras dotes præcellit historia, potissimamq; sibi sapientiæ partem vindicat. In ea enim est imitatio viuendi: vitia detestatur, virtutes ardore quodam imitationis effert: &, quum rebus omnibus tempora vetustatem afferant, historia numero annorũ admirabilior est, & sanctior habetur. Scripserunt multi de eius vtilitate, deq; eius obseruatione: quæ præterire negligentia non est. Ab historicis abesse debent, fœdum crimen assentationis, & amor ac beneuolentia, metusq; & simultas: quibus corrumpitur narratio, vti sæpenumero contingit. Aiunt enim, *Scribe securus quod lubet; & quod velis narres: habituus mendaciorum comites. Principes historiarum cur dissentiunt? Cur varia tradunt? quod iudicium, quo solemus in rebus vti, sæpius decipit. Itaq; scribentes quæ ipsi vidimus, (* vnde nomen esse memorant) errore liberi vera fateremur. Sed quoniam ad ea quæ ab sæculis nostris remota sunt, accõmodatur narrandi materia, iudicio opus est simul & memoria. Accuratius legere prodest. Laudatur etiã in historia breuitas, quæ sit aperta ac lucida, vt illa Crispi Sallustii. Liuius modo breuis, modo copiosus, plus eloquentiæ addidit. Sunt & alii cãdidi, alii nimis phalerati & tumidi. Veterum simplicitas, vt fuit M. Catonis & Q. Fabii, interiit. Nos vero breues esse volumus: & sæpius digressi sumus ornatus gratia. Verũ si cãdor ille simplicitatis antiquæ aberit, veniam oramus: quam quum sciamus minime mereri, præcipue nobis dandam ab iis qui legerint aut audierint, arbitramur. Præterea historia quouis modo scripta, delectationem adfert. Natura ipsa ad rerum notitiam prouocamur: resq; auidius quam eloquentia, petitur; vt qui qualibet nuda rerum cognitione; etiam anilibus fabellis, capiamur. Nihil his commentariis falsi, quantum perspeximus, ausi sumus; exorsi ab interitu iunioris Gordiani vsq; ad exsilium Iustini Heracliorum: multa dispersa in vnum corpus collegimus: ab Philippis vero vsq; ad cædem AEmiliani, quia * Trebonii Pollionis labor sine capite est, & monimenta illorum temporum desiderantur, nimis circumcise narrauimus. vtcumque, certi sumus, proculdubio libellos tibi Borgia placituros, qui memoria seculorum plurimum delectaris, & ob id a publicis negotiis seuocaris: alii vero, si cetera nobis deessent, quoniam titulus tuæ humanitatis index est, satis sunt probaturi. Vale.

POMPONII LÆTI EPITAPHIVM, PER Domitium Palladium Soranum.

Hic iacet exigua Lætus Pomponius vrna:
Cuius honos merito pulsat vtrumque polum:
Lætus erat Romæ vates sublimis, & idem
Rhetor: nunc campis lætior Elysiis.

xx ij

ROMANAE HISTORIAE COMPENDIUM, AB INTERITU GORDIANI IUNIORIS USQUE AD IUSTINUM III; per Pomponium Lætum.

BALBINVS, PVPIENVS, GORDIANVS.

MAXIMINO profligando (qui primus posthabita senatus auctoritate, ab exercitu Imperator Augustus appellatus est) ex concione Vectii Sabini, patres imperium duobus viris decreuere; & populus Romanus concordi assensu ac lætitia sciuit. Is fuere * DECIUS CÆLIUS BALBINUS, & M. CLODIUS PUPIENUS. Hic, quamuis homo nouus, per gradus dignitatis satis illustris erat, & grauitate ac seueritate venerabilis: Balbini maiores, ex Gadibus Hispaniæ cum Pompeio Magno venerant, & ciuitate donati: horum primus Theophanes Balbus, Romę appellatus Cornelius, quem M. Tullius defendit. Igitur Balbinus nobilitate familiæ fortunisque & clementia, satis cognitus. Hic Cæsaris, ille Catonis moribus comparatus: ille contra Maximinos hostes iudicatos copias eduxit, hic vrbis gubernationem suscepit: illius auspiciis cæsi Maximini, huius bonitate tumultus in vrbe inter ciues ac prætorianos exortus est. Tamdem neq; illi seueritas, neq; huic clementia * profecerunt: ambos, milites occiderunt: GORDIANUM natum annos XIII, qui modo Cæsar erat, Imperatorem fecerunt, non abnuente senatu. Cuius successibus quum posset Persicum nomen deleri, insidiæ Philippi vetuerunt: quibus circumuētus adolescens, occisus est. Etenim occultæ proditiones ad exscidium bonorū excogitatæ, scelera audientium prodigiorum augent. Non fuit inulta iuuenis Gordiani cædes: quicumque in eum coniurauerunt, crudelibus suppliciis afflicti interierunt.

MARCVS, ET SEVERVS HOSTILIANVS.

SENATUS, de morte Gordiani factus certior, *Marcum* quemdam virum grauem ac sapientem, Imperatorem legit. qui subita morte in palatio, vbi habitabat, decessit: nec successor dilatus est: statimq; lectus a patribus *Seuerus Hostilianus*, qui repente quum incidisset in morbum, medicis male venam soluentibus, occubuit. Interea litteræ *Philippi* ad Senatum afferuntur. in iis scriptū erat Gordianum graui morbo affectum obiisse, & Philippum ab exercitu Imperatorem factum; rogareq; vti patres probarent. Senatus, qui rem nondum nouerat, Augustum Philippum confirmauit, Gordianum inter diuos retulit.

DE IMPERIO PHILIPPI.

MARCUS IULIUS PHILIPPUS, Vostris Arabiæ vrbe, obscuris parentibus natus est: cuius fortunæ, humilitas generis non obfuit. Ab teneris annis relicto patrio solo, militare cœpit: nec difficile hoc puero fuit. Nam Arabes optimi sunt equites, & militiam Romanā noscere cœperunt, in oriente res gerente Pompeio. Philippus haud parum diligens, per gradus promotionis ascendit, comes ordinis, deinde dux, post præfectus prætorio. Tamdem in Perside post mortem Misithei, exercitui a Gordiano præficitur: & loco parentis, iuuenis Imperator eum habuit. Misitheus, qui & idem Timessocles, vir modestus ac frugi, reip. & militibus moderandis tanta dexteritate vsus, vt vtrisque carissimus fuerit: propter cuius bonitatem simul & ingenitam eloquētiam, eius filia adolescenti Gordiano nupsit, præfectusq; vrbi factus.

ctus. Tanti viri consilio imperium ex omni parte augebatur: bello Persico senis prouidentia fugatus est Sapores rex, Artaxerxis filius: (erat autem Sapores statura procerus, & corpore horribilis) recuperatæ vrbes, Antiochia quæ est Nisibis, & Carræ: exercitui commeatus numquam defuit. In eo exigendo prouincialibus minime molestus. Senatus hominem quadrigis & titulo honestauit; MISITHEO PARENTI PRINCIPVM POP. ROM. TVTORI REIP. S. P. Q. R. Sunt qui scribunt & hunc consilio Philippi obiisse. Nam quum medici poculum decreuissent ventris profluuio cohibendo, aliud fraude porrectum quo magis solueret. Post huius obitum factio Philippi plurimum creuit, frumentariæ naues eius opera interceptæ sunt: exercitusque esurie quum laboraret, ad loca difficiliora traductus ad quæ per Euphratem cõmeatus aduehi nõ posset, amici Philippi negligentiæ principis id ascribebant: ceteri, quum esurirent, facile crediderunt. Iamq; palam princeps accusabatur, adolescentia culpabatur quod non digna imperio esset: tandem fames impulit pene omnes imperium commendare Philippo, qui vna cum iuuene imperaret: quod diu durare non potuit. nam & Philippus fraudulenter omnia agebat, per clandestinos amicos noua crimina fingebat; & iuuenis Scipionum proles & Augustorum heres, æquatum sibi imperium cum indignitate Philippi ægre ferebat. Ea res eædem Gordiano festinauit. Accessit etiam ne amor S. P. Q. R. & militum, intellectis hominis Arabici fraudibus, imperium abrogaret. Hac via iam Aug. Philippus proficiscendi ad vrbem concionem habuit: percussoque cum Persis fœdere, Mesopotamiam & Assyriam hostibus reliquit; passus victricium armorum dedecus, vt ad vrbem e Syria aduolaret. In natali agro vrbem sui nominis condi iussit Philippopolim. Et nequis ambigat, aut nominis similitudine decipiatur, altera est in Thracia Philippopolis, quam Scythæ diripuerunt, regum Macedoniæ opus. In itinere consortem imperii fecit Philippum filium. Reuersus ad vrbem, iam voti compos, plura largitus est. Sed ipsius aduentu lætitia haud ingens, quod prouincias amiserat: studens sedare animos omnium, inducto cum Persis decreto, illis bellum indixit, sperans ignominiam abolere. Res sine sanguine peracta est, Persis prouincias restituere pollicentibus. Huius imperii anno II, ante XI cal. Maii, ingenti pompa magnoque sumptu & apparatu seculares ludi anno A. V. C. M. celebrati sunt. Beluæ triumpho Persico & iis ludis a Gordiano asseruatæ (nam iuuenis natali vrbis triumphare decreuerat) hæ fuisse memorantur: Elephanti XXXII, alces X, tigrides X, leones mansueti LX, leopardi cicures XXX, hyænæ X, hippopotamus vnus, rhinoceros vnus, arcoleontes X, camelopardi X, onagri XX, equi feri XL, gladiatorum paria mille. Quæ omnia in circo maximo exhibita, & scenicos ludos in Pompeii theatro, tribus diebus totidemque noctibus (mirum dictu) peruigil populus spectauit, funalibus atque lychnis tenebras vincentibus: & quum multitudo solennibus ludis intenta esset, incendium aut ex luminaribus aut ex ignibus coalitum, in curia diuagatum est: Theatrum Pompeii arsit, & ei propinquum hecatonstylon, centum columnatum in campo Martio opus: *centenariam porticum* appellabant. Circenses dati; in quibus certamine currendi quadragesimus equorum e carcere missus numeratus est. De *ludis secularibus* pauca referre haud abre est. Eos instituisse fertur, exactis regibus, M. Valerius Publicola, & appellatos quod plerumque hominis ætas semel intueri potest: idque aliquamdiu seruatum est. postea ambitione Cæsarum cupientium id solenne suis temporibus exhiberi, ordo corruptus est, & pro libidine seculares ludi habiti. Interea Scythæ, qui Misitheo fidem præstiterant, & illius nutu quieti erant, facta irruptione limites transgressi, vrbes & agros imperii Romani vastare, prædas abducere, cædes vndique facere, incendia suscitare; domos, villas, tuguria euertere; metum haud inanem inferebant. Expeditioni propere præficitur *Marinus* quidam, dux limitis Sarmatici: ab exercitu Illyricorum Imperator est appellatus. quod quum nuntiatum esset Romæ, Philippus aduocato senatu, plurimum de Marini ingratitudine questus est. *Decius*, vir clarus, hortatus est principem ne timeret, quod Marinus pœnas daturus esset: qui post paulo cæsus seditione militari, pœnas luit. Confirmatus Imperator vaticinio Decii, contra Scythas cum supplemento copiarum ipsum Decium misit. qui quum ad exercitum peruenisset, con-

cordi assensu milites Illyriciani Imperatorem fecerunt; renuentem ac repugnantem, strictis ensibus coegerunt. Dux experientia rerum cautus, ne a principe accusari posset, neue locum calumniis præberet, fidissimo nuntio litteras ad Philippum dedit, quibus se excusabat, suppliciter exorans ne turbato animo ferret; promittens abdicaturum se dignitate, ad quam inuitus tractus esset. Philippus vero, homo Punica fraude deterior, qui, vt scelera tegeret, cultum Christiani nominis simulabat, expeditionem scriptis etiam nouis legionibus contra Decium parauit: & quum posset per duces bellum gerere, ipse eductis copiis profectus est, minis ingentibus palam asserens se Decium cum toto scelerato exercitu perditurum. Hac mente turbatus, velut furore concitus ferebatur. Itaque a militibus ipse Veronæ cæsus est, & Romæ filius a prætorianis. Is traditur fuisse agelastos, & ludis sæcularibus ridentem patrem seuero vultu inspexisse, velut illum corrigeret. Ambo Philippi vixerunt annis quinque, & immerito inter diuos relati.

DECIVS.

IMP. CÆS. *M. Q. TRAIANVS DECIVS AVG. *Bibali inferioris Pannoniæ vrbe natus, claris parentibus, ab ineunte ætate spem optimæ indolis præbuit: in quo virtutes cum ætate creuerunt. Ad amplissimas dignitates non ambitio, non empta suffragia, non corruptæ amicitiæ, sed boni mores perduxere. Igitur qui a militibus Illyricianis ante Imperator factus fuerat, ab senatu Augustus est appellatus. Is quum magnitudinem imperii cõtemplaretur, P. Cornelium Licinium Valerianum, qui postea imperauit, exercitui præfecit; virum militarem & bonis moribus nutritum, tum sexagesimum sextum agentem annum. & quum de censore eligendo potestas senatui data esset ab Decio, Valerianus absens Censor lectus, in æde Castoris & Pollucis, in parte fori Romani versus palatium; cuius vestigia effodi vidimus. Ea censura probata, Decio patre ac filio consule, modestia Decii hoc passa est. Nam postquam resp. vnius nutu gubernari cœpta est, ipsi Imperatores censores erant. Decius, cuius vita sanctissimis institutis numquam aduersata, cupiens nihil agere nisi quantum senatus iuberet, censuram amplissimo ordini permisit. Huius Imperatoris vita, quæ & ciuilis & militaris fuit, multos habuisset laudatores, si ab Christianorum cruciatibus se temperasset. Nam ius quintæ relationis, & proconsulare imperium, vnde Augusti omnes pro consulibus; necnon & ius tribunitiæ potestatis, quod Augustus primus sibi perpetuo vindicauerat; arbitrio senatus populique Romani permisit, Patris patriæ cognomen accepit. Sed priusquam ad vrbem rediret, ciuiles in Gallia motus sedauit. Parum in vrbe commoratus, cogente senatu, filium suum Decium Cæsarem fecit. Patribus rempublicam commendauit; & vna cum filio ad liberandas Thracias profectus est. Nam Scythæ & naualibus & terrestribus copiis omnia infestabant. Victor in primis congressibus, hostes in angustias locorum, quæ in Dardaniis sunt, compulit & obsedit: expugnassetque fame ni proditus ab suis fuisset. Hostium dux per legatos petiit vti relicta omni præda sineret cum suis abire trans Istrum: Romanus Imperator negauit, auidus illos perdendi, qui toties fractis fœderibus irruperant, & qui prouincias Romani imperii quiescere non sinerent; & sua strage vix domiti, amisso rege Decibalo, Neruæ Traiano illuserint. Iamque fere voti compos, *Trebonianum Gallum* ducem limitis Mysiæ, ad obsidendos aditus, ne fugerent, cum bona parte copiarum misit. Gallus consilium barbaris patefecit, & eos monuit vt se diuiderent; & alii consisterent in insidiis prope paludem, alii in primo congressu fugam simularent paludem versus. Barbari, nonnihil addentes consilio Galli, rem peragunt. Quum in pugnam descenderent, admiratus est Decius quod qui modo perculsi metu erant, iam arma poscerent: ignarusque proditionis, certus victoriæ, copias educit. Illi statim terga dant, Imperator insequitur: quum ventum est ad insidias, atrocissima fit pugna, vtrimque magnæ cædes. Deciani difficillime prœliabantur, luto palustri afferente cladem: tamen non moriuntur multi, & loco & fato aduersantibus pereunt. Decius pater cum filio occubuere. Senior forte equo sedens, ne viuus aut contra in manus hostium perueniret, insiliit in voraginem paludis. nam quæsitum eius cadauer, nusquam repertum est. Regnauerunt biennio nõdum finito. Hic fuit Deciorum finis; qui (vt credibile est) se pro futura victoria deuouerunt.

uerunt. Ita enim Deciorum nomen facere consueuit. Decii Mures duo, prioribus sęculis, alter bello Hetrusco, alter bello Latino, constanti animo inter confertissimos hostes pro victoria patriæ se deuouentes occubuere. Hunc *deuouendi morem* primus creditur introduxisse * Linus Codri F. qui pro patria bello Dorico se deuouit. Hic Miletum coloniam Atheniensium deduxit in Ionia. Quidam scribit Decium, cupientem Philippopoli ferre opem, cito petiisse Berœam. & inde fugatum ab Echina rege Gotthorũ, reparatisq; in Mœsia viribus, redisse ad hostes, qui Philippopolim ceperant, & Priscum ducem sibi conciliauerant. In ipso congressu ictum sagitta Decium filium decessisse: & patrem, vel, vt cædem filii vlcisceretur, vel, vt morte sua finem dolori inueniret, in confertissimos se immisisse hostes, & nusquam apparuisse, & diis ante congressum immolasse, ad Abritum Mœsiæ vrbem. inde factum loco nomen: *Ara Decii* appellatur. Decius pater bonitate Traiano adæquatus, nomenq; Optimi principis iudicio senatus meruit: appellatusque est IMPER. CÆS. M. Q. TRAIANVS DECIVS AVG. Exercitum Illyricianum mire dilexit, quia ab eo primum Imperatoris nomẽ accepit. Senatus Decii nomine, *Decianas thermas* in Auentino ædificauit.

GALLVS.

IMP. CÆS. C. VIB. TREBONIANVS GALLVS AVG. patriciorum familia ortus: in quo plus fortunæ quam fidei fuit: quamuis quum Augustus esset, in numismatibus exprimi iusserit, VIRTVS AVGVSTORVM, de se ac filio; quasi virtute, non dolo principatum assequutus. In tanta nostrorum strage, legio quæ integra Scytharũ fide remanserat, Gallum Imperatorem fecit: qui superfuerant, ad hunc confugerunt, velut seruatorem reliquiarũ Romani exercitus. quo rumore adductus senatus, Augustũ appellauit, licet & ipse scripserit. Cum Scythis fœdus percussit, non sine Romani nominis ignominia. Tunc primũ diuturno & libero potentatu populus Romanus tributa pependit: tunc primũ resp. iugum Scythicæ seruitutis accepit: tantaq; est imperandi auiditas, vt qui præesse cupit & ad id fastigium legi, vrbes & prouincias sine discrimine donet. Adrianus ab aliis occupatas restituit: (quod principis liberalitate videri actum potest) sed qui tributo pendendo obnoxiam fecerit vrbem, præter Gallum fuit nemo. Tributũ fuit drachmarum aurearũ CC. Secus euenit quam sperabat Imperator. Barbarus quum vincit, insolentior est. Itaq; contemplatus diuitias Romani imperii, quod & sua fide ille imperaret, ac per hoc tributum pro meritis non esset, incursiones facere, prædas abigere, ingentique agmine terra mariq; sæpius irrumpere. depopulatur Dardaniam, Thraciam, Thessaliam Macedoniamq; & Helladа: & pars infestabat Asiam: vndique cum plurium vrbium vastatione & excidio, Scytharum exemplo alii hostes surgunt armaq; capiunt. Iam in viscera Syriæ penetrant Parthi, & Armenias fugato rege Tiridate occupant, cuius liberi hostibus se dederunt. Scythæ magna onusti præda, in Dardanios, velut regni sedem, redeunt. Interea Gallus quum Romam venisset, *C. Vib. Volusianum* filium, consortem imperii fecit. Scythæ rursus, non contenti pretio, iam Italiæ minabantur. sic barbaricæ gentis animus nostris opibus inhiabat. Itaque opera *Æmiliani* ducis limitis Mysiæ, rapacissimi hostes non sine magna cæde in suas solitudines redire coacti sunt. Ita imperium Galli infaustum atq; infelix, rerum gestarum monumentis obscurum, verum clade generis humani memoriæ traditum est: siquidem eo imperante, perniciosa pestis vndiq; viguit. *Tabis initium fuit ab Æthiopia; forte ex nimio solis ardore. Pestilitas primo consumptis fere meridianis, per orientem diuagata est: inde ceteras orbis partes inuasit, vbiq; maximam partem incolentium exhausit, pleraq; loca inhabitata reliquit. ea labes vix intra decem annos finem inuenit. Prouenisse ex infelicibus Galli auspiciis visa est, vt qui proditione imperium arripuit, Christiani etiam dogmatis hostis: qui quum copias contra Æmilianum duceret, victus & ab suis militibus desertus, vna cum filio cæsus est. Imperauit annis duobus.

IMP. CÆS. ÆMILIANVS AVG.

ÆMILIANVS LIBYCVS (namque in Mauritania ortus) a pueritia cœpit stipendia mereri: & quum pro ætate honores promotionis non deessent, dux limiti Sarmatico in Mœsia a Decio prępositus, & a Gallo minime submotus: quũ Scy-

thæ, sollertissimum latrocinandi genus, contenti pretio non essent, Æmilianus pro concione suis militibus id pollicitus est, si hostes vicissent. Nostri, præmio accensi, ad conferendas cum barbaris manus incitatiores facti. quumque nimius ardor insisteret, apertis castrorum portis, auidum pugnandi militem educit: qui tanto impetu in hostes illatus est, vt non fugauerit modo, sed bona ex parte ceciderit, illorumq; regiones abactis prędis pene exhauserit. Reuersus in Mysiam, pręmia assequutus est: Æmilianus persoluit: qui hoc successu adeo gratus victori exercitui fuit, vt ab eo sit Imperator appellatus. Ad hos motus opprimendos Gallus vna cum filio proficiscitur, nec profecit. Ambo in primis prœliis cæsi sunt, & milites Æmiliano hæserunt: qui statim ad senatũ scripsit, docens se Imperatorem lectum esse, promittens se liberarum Thracias, & Mesopotamiam atque Armenias recuperaturum, & depulsurum vndique hostes nominis Romani. Sed priusquam opus aggrederetur, milites qui in Alpibus erant, *Valerianum* Imperatorem faciunt. Quo nuntio accepto, qui sub Æmiliano erant, ne ciuili bello & cognatorum sanguine se inuicem inficerent, contemplantes præterea humilitatem generis Æmiliani, & nobilitatem Valeriani, simul & laudatissimos mores, eo interfecto, censorio viro se tradiderunt. Imperauit autem mensibus tribus; vixit annis quadraginta. Ita res solo ducis capite peracta est.

VALERIANVS.

PVBLIVS CORNELIVS LICINIVS VALERIANVS successit, homo maioris spei ac opinionis quam fortunæ. Captus ab Sapore rege Persarum, in captiuitate consenuit. Interea eius filius *Licinius Gallienus*, ab initio Cæsar, mox Augustus, præclara gessit: deinde ad delicias lapsus, dũ popinæ studet, imperium dilacerari non curat: & nisi in Galliis occidentem Aulus Posthumius, & orientem in Syria Odenatus Palmyrenus defendissent, imperium Romanum sudore ac vigiliis, fortuna & virtute fauentibus acquisitum, Germani, Persæ, Scythæque, & surgentes vbique hostes, perdidissent. verum & tyranni triginta sibi bona ex parte occupauere. Porro Gallienum cum fratre Valeriano, milites *Aureoli*, qui dux erat Illyriciani exercitus, prope Mediolanum interfecerunt.

CLAVDIVS.

MARCVS AVRELIVS CLAVDIVS deinde suscepit imperium; vir ad barbaros delendos natus, quos statim multis in locis & vicit, fudit atque cecidit. Prœliis ac rerũ penuria Sarmatas, Getas, Scythas, Quados consumpsit, Daciam recuperauit: victor Sirmium Pannoniæ petiit, vbi in ægritudinẽ incidit, & priusquam decederet, conuocans ducibus, tribunis, & præfectis, concionatus est, præsertim de eligendo Imperatore: & longa orationis serie Aurelianum probauit. Senatus, nuntiata Claudii morte, eius fratrem *Aurelium Quintillum* Italici præsidii ducem, Cæsarem Augustum appellauit: Exercitus interea *Aurelianum* Imperatorem legit. Postquam nuntium ad vrbem peruenit, illius conatibus se imparem quum videret, maleque expertus concione militum voluntatem, qui omnes fauebant partibus Aureliani, venas soluit, & post paulo decessit, XVII imperii die. *Aurelianus* solus imperat, qui imperium multiplici tyrannide liberauit, & eius terminos auxit; rebus gestis magnis principibus non modo æquandus, verumetiam anteferendus; interfectus medio itinere quod ducit ab Heraclea Byzantium, non longe ab Cænophrurio, ministri a libellis manu.

TACITVS.

PVBLIVS ANNIVS TACITVS post hunc imperat, vir egregius, & reipubl. commodo; sine exercitu ab senatu Imperator & Augustus appellatus. Tunc primum resp. velut longo postliminio reducta, suo iure ac iudicio vsa est. Vtinam nec militaris furor, aut nimia erga nutrices cura, bonos mores perdidissent. Nam quamdiu sua grauitate senatus decernit, tamdiu resp. viribus suis consistit: quæ tunc renascens, Tacitum sui corporis legit, & militibus principem dedit, non accepit ab legionibus aut a prætorianis iugum. Sed inuidit tanto facinori cælum. dum fama tanti principis ad suos limites producitur, fata successorem dedere. Is fuit MARCVS AVRELIVS PROBVS, vir gloria rerum gestarum illustris: nec potuit obesse M. Annius

nius Florianus Taciti frater, qui, quum suo iudicio ad tantum velut heredium properaret, imperium & inuasit & arripuit. Itaq; quum vix duobus mensibus præfuisset, Tarsi a militib⁹ occisus est. Probus igitur vere probus, ita se & in toga & in militia gessit, vt res ipsa nomen sequeretur. Sarmatas contudit, tyrannos exstinxit, orbem pacauit, iudicia bonorum de se admirabili virtute confirmauit. Pace terra marique parta, dicere solebat milites minime necessarios fore quum desunt hostes: quæ vox plurimum obfuit. In Sirmiensi agro, natali solo, dum moram trahit, tumultu militari occisus est. Imperauit annis VI, mensibus IIII.

CARVS.

MARCVS AVRELIVS CARVS, Narbonæ genitus, molem subiit. Exercitus Imperatorem appellauit. Is cum Probi apparatu in Persas profectus, Mesopotamia recepta Ctesiphontem peruenit: & nisi fulmine ictus concidisset, regnum Persicum subuertisset. traditæque sunt rerum habenæ eius filio NVMERIANO; cui Mars in armis familiare numen præbuit, Minerua peculiarius adfuit, & citharam præbuit Apollo Miles, orator, simul & poeta: oculis æger (forte aer & vigiliæ in bello Persico nocuerant) occlusa lectica ferebatur. Erat in castris Arrius Aper; cuius filia nupserat Numeriano. Huius igitur cupientis inuadere imperium, factione, modestus & frugi iuuenis occisus est. Nec eius mors inulta: concionantem Aprum Diocletianus confodit. Imperium CARINO moranti in Galliis, vbi a patre relictus, obuenit. Hic primum florem pueritiæ, quem fruendū dederat, quum adoleuisset, ab adolescentibus repetiit. Pater, si vixisset, abrogare sæpius cogitauit filio Cæsaris nomen, & conferre *Constantio* viro claro: sed hoc fata Herculio seruatum statuerant. Carinus diu præesse non potuit, piorum sanguine madefactus, totius vbique iuuentutis corruptor. Victor tamen exercitus in Perside, *Diocletianum* Imperatorem legerat: qui Carinum multis prœliis vicit. Non defuit Carino vigor occupandi orbem: multumque progressus fuisset si non incidisset in Diocletianum cum exercitu recenti victoria ferocem. Occubuit Carinus vltimo prœlio ad Margum commisso, a militibus fortissimis quos habebat, desertus. Percurri gesta XI Imperatorum, ne interrupta temporum series admirationem legentibus faceret. Ad destinatum opus redeo; professus initio, me scripturum de his Imperatoribus quorum gesta magna ex parte fere interierant.

C. AVRELIVS VALERIVS DIOCLETIANVS.

SALONIS Dalmatiæ ortus, vtroque parente ignobili & obscuro, (quidam scribunt libertino Anullini senatoris genitum, quidam scribæ filium) militare a pueritia cœpit. Quumque gregarius miles in Gallia esset, diuersorio cuiusdam Dryadis vtebatur; ab qua cibaria emebat, debebatque plurimum vetulæ. quum illa pretium posceret, dicere solebat, *Soluam quum Imperator fuero.* At illa subiunxit, *Eris Imperator quum Aprum interficies.* Hac voce augurium futuræ felicitatis accepit: etiam studebat venarū ire: sæpius contra apros congrediens, plurimos interfecit. tandem quum Arrium Aprum sua manu cōfodisset, & Imperator ob id factus esset, intellexit vocem Dryadis haud vanam fuisse. Profligato & cæso Carino Augustus appellatus, & ab S. P. Q. R. magno honore exceptus est. In quibusdam imperii regionibus facti sunt motus, & tyranni non deerant. Diocletianus, animaduertens consorte imperii opus esse, (vt citius pacem vbique redderet) *Maximianum* legit: tantaq; fuit in gubernāda repub. inter principes concordia, vt alter alteri, quamuis semper honesta cupiebant, numquam repugnauerit: verum Maximianus, vt filius patri, Diocletiano obtemperabat. Felicissima cognomina sibi indidere. Diocletianus *Iouius*, Maximianus *Herculius* appellati sunt; velut ille Iouis, hic Herculis heres. Iupiter gigātes, vt cœli regiam defenderet, perdidit: Diocletianus, vt orbis terrarum regiam tueretur, tyrannos surgentes, vt Centimanos, diligenti cura perdidit ac deleuit: & vt Iupiter turbata pacauit elementa, sic Diocletianus domitis ac cæsis seditiosis hominibus, imperium turbatum, tranquillum reddidit Iupiter ab sua arce vndique suum numen diffundit: Diocletianus, quamuis vno esset in loco, sua prouidentia præsens vbique esse videbatur. Hercules ἀλεξίκακος, a nostris *custos generis humani* cognominatus, vrbes,

opida, agros, regiones, siluas, horrendis & perniciosis monstris, & aerem infestis alitibus liberauit, simul & genus humanum tutatus est: Maximianus, post salubre temperamentum virtutis & imperii assertor, numquam nisi reddita toti orbi securitate, quieuit: conatus contra rempubl. dispulit. Hercules, qui magna gessit, materiam præbuit camenis concinendi, harumque comes habitus est; vnde *Musagetes* appellatus: Maximianus, laborũ Herculis æmulus, niuosas Alpes maiore conatu tutior calcauit, latrones plurimos toto imperio exegit, superiora sæcula gestis adæquauit, pestilentem aerem in perpetuam salubritatem restituit; immissis in perpetuas foueas paludibus, materiam canendi poetis exhibuit. Hercules, Iouis filius; Maximianus, Diocletiani. Veram igitur cognominis adoptionem duo Cæsares Aug. meruere. Inter quos quidam clarior ac præcipuus amor vsque ad sapientiæ finem perdurauit. Eam sic appello quum imperium deposuere. Ita cognomine patris ac filii vnanimes, nihil orbi pacando prætermisere. Maximianus tumultus in Galliis, quos *Amandus* & *AElianus* excitauerant sub specie tyrannidis, cum tota factione **Bagaudarum* (hoc nomine se appellauit turba rusticorum) compressit mira celeritate, statimque deleuit. Ita pax Galliis restituta est. Inde translatus in Africam, *Gentianos* deuicit; qui vix pacem impetrarunt. Quinquagenarii & supra eum numerum annorum, hi milites fuere, qui Africam diripiebant, cupientes sibi regnum vindicare. Pullulantibus per varia loca nouis bellis, concordes Augustos duos adoptauere: Diocletianus, *Galerium Maximianum*, Maximianus, *Constantium* cognomine *Chlorom*; Cæsaresque fecerunt, & præter adoptionem affinitate iunxerũt. Nam coacti repudiate primas vxores, nouas duxerunt, ille, Valeriam Diocletiani filiam; hic, Theodoram priuignam Maximiani. Erat in Gallia Herculius; Iouius vero in Ægypto. Ille Gallias, vt diximus, hic, euersis duabus vrbibus, superato *Achilleo*, pacauerat Ægyptum. vrbes prope veteres Thebas positæ erant, dites ac populosæ, Busiris & Coptos: spem rebellionis augebat Achilleus, cuius consilio fere tota dissenserat Ægyptus: tamdem cæsis vbique auctoribus defectionis, intra nouem mẽses quieuit prouincia seminarium religionum, in qua archisynagogi plurimũ auctoritatis habebant. Alexandria vero obsessa & VIII mense capta est. Imperator contentus optimatum cæde, abstinuit a multitudine. Achilleus vero meritas luit pœnas, feris oppositus & dilaniatus: terra vero vbique cædibus potentium maduit. Frustra contra **Crausium*, Britanniam insulam occupantem arma cepimus per duces Maximiani; qui anno VII, ab socio per insidias petitus occisusque est: & is tyrannidem sumpsit: qui tertio post anno ab Asclepiodoro pręf. præt. victus est. Britanniæ X post anno quam defecerant receptæ sunt. *Britanniam* circumfluam oceano, Aborigines tenuere: nomen indiderunt Britanni continentis, qui sunt intra Gallos & Hispanos, vocati post *Britones*, & hi accolæ oceani insula potiti Eo deinde concessere Hispani, Galli, & Germani. Primus Romanorum Caius Cæsar insulam ostendit: Vespasianus, imperante Claudio, captis regibus domuit. Huc quũ frequentes irent Romani, paulatim nostros imbibit mores. Constantius vero, multa pręclara gerens in Galliis, semel quum esset apud Lingonas populos, eodem die varietatem fortunæ expertus est. Alemanni magno impetu irrumpunt, Cõstantium in fugam verterunt. Is ad propinquam vrbem fessus se contulit. cuius portæ hostili metu occlusæ fuerant: & nisi demisso fune per muros sublatus fuisset, cum hostes captiuum abduxissent. In vrbe hortatus est robur suorum, qui eo ante confugerant, ne talem ignominiam paterentur. Post concionatus est ciuibus vt arma caperent, & dedecori abolendo auxilium pręstarent. ita apertis portis erumpunt, hostes fugant, & prope LX milia cædunt. Ea victoria liberatæ Gallię, attritæ Germaniæ suas vires amisere, quas reparare nisi non sunt Alemanni. At in Ægypto erat Diocletianus, vt res turbatas in oriente sedaret. *Narses* enim modo Armenias, modo Mesopotamiam acri bello quatiebat; & cum eo conuenerant propinqui reges ac duces præcipui, rex *Scionirarum & rex Albanorum: Priusquam bellum contra Persis explicemus, non alienum forte erit acerrimi progeniem hostis aperire. Regnauit in Perside Artaxerxes quidam, ex genere illius qui per seditionem a militibus regnum accepit, Persis præfecit. Huius filius fuit Sapores, Saporis Hormisdas, Hormisdæ Vararanes; huius vero, Vararaees; Vararacis, Vararanes secundus; qui Narsen filium

regni successorem reliquit. Contra hunc ab Diocletiano missus est Galerius. Etenim ipse expeditionem parare cupiebat in Æthiopas, si res in oriente prospere succederent. Galerius iuuenili ardore ausus est contra multitudinem congredi, & æquo marte discessit. Inde factus animosior, non longe a Carris iterum congressus, paulo incōsultius quam antea, dum sperat vincere, superatur, amisso fere toto exercitu. Itaq; repulsus redit in Syriam, & inde ad Diocletianum, occurritque Augusto in itinere, ad quem antea aduersi belli fama venerat. Galerius, purpura indutus (nam Cæsar erat) mille passus ante carpētum indignati principis pedes cucurrit, veluti homo gregarius; & auditus non est. Tamdem princeps post minas iussit vti ex lectissimo supplemento exercitum reficeret, & in Persida rediret, ignominiamque aboleret. Is ex militibus Daciæ, Illyriæ ac Mysiæ, pugnacissimas copias & robustissimas coegit: & cōtra Persas meliore auspicio profectus, hostem inuenit in Armenia maiore, qui ex recenti victoria sumptis viribus, prouincias imperii Romani secūdo marte vexabat. Maximinus vero, iratum principem placare studens, abolendæque ignominiæ * accensus, priusquā manus conferceret, hostium stationes ipse habitu gregarii diligentissime explorauit. Interea Diocletianus cum firmissimo subsidio Mesopotamiam concesserat, vt nostris animum & hosti terrorem præberet: ibique Cercusium opidum spatio ampliauit, mœnibus & turribus inexpugnabilibus muniuit. Galerius cum x x millibus equitum ex improuiso hostilia castra noctu aggressus, innumerabilium Persarum strage, decus nostrum non modo vltus est, sed felici visus victoria, fines imperii longius produxit, vetus oraculum falsum esse ostendit. Antiquissimi vates cecinerant, Romana arma Ctesiphontem transire nefas esse; & duces qui ausi fuissent, pœnas darent. Putant M. Crassum id cogitantem cum exercitu periisse: M. Vlpium Traianum transgredi ausum, Italiam non repetiisse, & quinque prouincias trans Tigrim statim amisisse. satiusque fuisset iter non tentasse: legiones longo labore attriuit, & fere consumpsit: & quamuis victor longius produxerit terminos, tamen non multum profecit. nescio an sic * volentibus fatis, an culpa successoris Adriani. Ctesiphontem cupiens transire superato Trigide Valerianus, ab Sapore rege Persarum captus est. Verum Odenatus Palmyrenus victor Romanę maiestatis, Ctesiphontem vsque trans Tigrim peruenit. Carus Imperator exercitum Probi Sarmatico bello late victorem duxit in Persida, hostile regnum vastauit: Seleuciam cinctam Euphrate, quam olim ceperat Ælius Verus Antoninus, expugnauit; deinde Ctesiphontem: & longius progredi volentem, vel morbus vel ictus fulminis cælo turbido & coruscante absumpsit. Galerius, de quo nunc sermo est, totam Assyriam expugnata Ctesiphonte cepit: & quinque prouincias Transtigritanas, quæ statim redeunte ad nos Traiano defecerant, subegit & imperio adiunxit. victor rediit ad Diocletianum, & post imperauit Augustus. Illud sane constat, numinum *oracula* bona ex parte vana & fidem raro implere: & siquando euenerit, vix intelligi, & sæpius eludere credentes: adeoque præstat rationibus & experimentis atque consulto res aggredi. Etsi in rebus bellicis fortuna plurimum sibi vindicat, tamen credibile est etiam virtute augeri atque ampliari, vt in propagando Rom. imperio facile animaduertere licet. Nam si de rebus futuris certa starent vaticinia, virtus pro nihilo esset. Non eo infitias cælitus nostra gubernari: verum sapiens non vano consilio multa aduersa effugere potest, inconsultum & insipientem prosperi successus prætereunt. Illos vero non audio (vt in vita Maxentii post dicemus) qui ad * magarum monitus ac diuinationes res omnes componunt. Præter hoc quod diuulgatum iam erat, aliud occurrit augurium. Aciem explicanti contra Narsen Maximiano, leo & aper trucidati oblati sunt. Tages aruspicum princeps, visum leonem exitialem pugnaturis putat. Verum & hæc, vt oracula, sæpius vanescunt. In Maximiani victoria fugatus & vulneratus Narses: quem victores vsque ad inuios Parthiæ montes persequuti sunt: & regis proles fere omnis & vxores & sorores captæ sunt, pleraque Persarum nobilitas abducta, reguli ducesque, & triumpho tam illustri reseruata, &, quamuis per legatos ab rege conualescente petita, promissa tamen, sed non statim restituta. Ictum vero est fœdus, vt Persæ ab Armeniis, Mesopotamia, Assyria, & quinque nouis prouinciis abstinerent. Diocletianus, rebus toto oriente compositis, Europam

repetiit: vbi iam Scythæ, Sarmatæ, Alani & * Basternæ iugum subiuerant vna cum Carpis, Cattis & Quadis. Admonendi sunt qui legerint, pro * Maximino in quibusdam codicibus Maximianum esse, & hoc qui e marmoribus epigrammata exscripsere, satis indicant, scilicet simul imperasse Maximianum & Constantium, & deinde Maximinum & Seuerum: errorque est, aut ab libratiis, aut ab iis qui ex lapidibus accepere. Nos vero confusi, decernere non audemus. Æra lapidesque indicabunt. Sed in eo summopere hęremus, quod priori Maximiano pręponitur *Herculius*, posteriori *Galerius*: dumque incerta aura fertimur, sit hic Constantii collega Maximianus. Anno postquam hæc scripseramus, Seraphinus antistes sancti Petri a vinculis, & Vilelmius Heda Alphinius, commercio litterarum mihi valde familiares, & antiquorum monimentorum diligentissimi indagatores, quum vrbem Romam repeterent, secum attulere epigramma in agro Forosemproniensi ex saxo quadrato exscriptum, ÆTERNI IMPERATORES DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS AVGVSTI: PERPETVI CÆSARES CONSTANTIVS ET MAXIMIANVS PONTEM METAVRO. Romæ in templo Vestæ nuper reperto ad forum Rom in quadam marmorea basi; DEDICATA XIIII CAL. IAN. CONSTANTIO III ET MAXIMIANO III CÆSS. COSS. CVRANTE AVR. NICETA. alias plures. Quoniam hac via multum profecimus, studiosis consulendũ arbitramur, vti perquirendo his vestigiis insistant. quod si fecerint, sciant velim & se nostræ lingue plurimũ collaturos, & laboris gloriam consequuturos. Ex barbaris multi adducti captiui: qui nõ fuere securi cæsi, sed post triumphũ in Romani imperii finibus positi, vt vna cũ veteribus incolis habitarẽt. Regiones enim assiduis incursionibus vastatæ, fere in solitudinẽ ierant. Rediere ex diuersis partibus orbis ad vrbem principes seniores quorũ auspiciis limites imperii Romani lõgius producti atq; plati.

Magnitudo Imperii Romani.

A Bortu vsque ad Indos propagati imperii fines: non Euphrates, non Tigris vetuere, non superbæ regum Persarum minæ: A meridie Æthiopes per legatos accessere: Ab Aquilone barbaræ feræque nationes Sarmatarum domitæ: Ab occasu Gessoriacus oceanus admirabilis victoriæ testis est, simul & Britannicus. Igitur toto terrarum orbe vndique Romana arma illustres victorias assequuta, sociis lætitiam præbuere, rebellibus metum terroremque pugnare cupientibus. Porro Persæ armis Rom. cedere confessi, intra positos terminos se tenuerunt. Post tot victorias maximus triumphus ab senatu decretus, & inclyta cognomina principibus indita ab deuictis populis. Diocletianus vero Romanorũ principum victoriosissimus, diuinos honores Imperatoribus Augustis habendos præcepit. Nam quum priores, vt consules salutarentur, primus ipse voluit adorari; velut in eo esset cælestis maiestas. Persarum iste mos, quorum princeps, rex regum appellatur & adoratur, fratrem solis ac lunæ se nuncupans. Imperatores antea manus exosculandas nobilibus præbebant; post suis manibus subleuabant ad oris osculum: vulgus genua exosculabatur. Diocletianus edicto sanxit vti omnes sine generis discrimine prostrati, pedes exoscularentur: quibus etiam venerationem quamdam adhibuit, exornans calciamenta auro, gemmis & margaritis: quod fecisse antè Caium Caligulam memorant. Eumdem ornatum immiscuit vestibus, vt augustior esset: & quum contentus esse debuisset quibus priores fuissent insignibus, quæ Priscus Tarquinius accepta ab Hetruscis induxit, reperit ex ipso habitu, vti deus haberetur, maioreque sumptu vanam Arsacis gloriam superaret. Itaque veste gemmata, & aureo gemmatoque curru, cum imperii consorte triumphauit ingenti ferculorum pompa, ante præcinentibus & saltantibus lætitia militibus; quibus libertas erat scommata in ipsos effundere triumphantes. Ipsa quidem *fercula* primus ostendit Romulus, qui ramum quernum manu cepit, in quo cæsi Acronis regis Cæninensium opima Ioui Feretrio in Capitolium tulit. Ferculis apud veteres ferebantur spolia cæsorum hostium sanguinolenta. Postquam arma Romana longius prouecta vicere, fabricata fuere cum signis & monimentis victoriæ, quæ possent manibus militum ferri. Inferebantur fere omnes *triumphi* via Appia, porta Capena. Ea enim via ampla, & VIII mil. pass. ab vrbe frequens ex vtroq; latere

latere habitata: & inde in Capitolium rectum & amplum iter. In quo lignei primū continuique arcus, post marmorei columnis suffulti: vnde multitudo satis commode triumphum spectare posset. Cuius ordo non semper idem: verum qui tum fuerit, talem accepimus qualem Diocletianus cum consorte babuisse memoratur. Tēpla deorum immortalium tota vrbe patebant, ornata sertis ac floribus, spirantia Arabicos odores: itinera vbique repleta pinguibus mensis & lætis poculis, vt fessi victores se recrearent. Præferebantur in vehiculis tabulæ, signa, colossi, bostium galeæ, thoraces, ocreæ, peltæ, scuta, vexilla, pharetræ, tela, arcus, enses, frena, & equorū picturata strata, opes, tapetes, & quæ pretiosa & digna spectaculis, deuictis hostibus, allata erant: & modo ex oriēte, vt puta Assyriis ac Persis, tentoria, & ex Babylonico opere multa. Post ingens hominum grex, qui in vasis ferebant aurum argentumquè & purum & signatum. singula vasa validi iuuenes humeris ferebant. Post argentei crateres, pelues, phialæ, calices, vestes, & tota regia supellex, & vasa ex solidis gemmis. Hinc ferculorum multitudo: & hos sequebantur tubicines bellicum clangorem intonantes: deinde boues auratis cornibus, quorum medios vittæ cingebant: necnon & frontibus vittatos ad sacrificium succincti popæ, boc est ministri, agebāt: sequebantur & alii ministri cum argenteis patinis. Regia debinc proles vxoresq; & nati & sorores, cum pincernis seruisque ac nutricibus, & pleraque Persarum nobilitate, patrio more vesti omnes, sed pullati. Spectantium oculos, etsi hic impleuit numerus, tamen lætiores reddidere tabulæ duæ: altera, ipsam Persida ostendens suppliciter tollentem manus, & exorantem a P. R. gentium victore, veniam. altera, Narsen regem fugientem conspiciendum præbebat. Post ingens captiuorum turba satis mœsta: in qua fuerunt Scytharum & variarum gentium duces, qui lacrymas effundebant. Præferebantur aureæ coronæ & munera victori dono data. Propius currum præcedebant homines stipitibus sudibusque accensis, qui turbam submouerent. Post, triumphantium currus ex auro & lapillis pretiosis, quem trahebant quatuor equi candore certantes cum niue: in quo sellæ curules duæ ornatæ gemmis; in quibus sedebant principes terrarum. Triumphantium capitibus imminebant victoriæ alatæ. Diocletīanus (vt ceteri antea) vna fuit corona ex lauro contentus: simili & collega. Reges vero Persarum tiaram qua vtebantur, tribus coronis exornabant. Currum sequebantur captiuitate liberati, raso capite: & pileati deinde equites laureati. Illud etiam lectorem ne fugiat, arma victorum fuisse in triumpho laureata: & qui triumphabat, ex lauro coronam, quum peruenisset in Capitolium, post sacrificia ponebat in Iouis gremio. Primi triumphi fuere currus, clypei, arma horrida, & spolia perfusa sanguine Bello Punico secundo M. Marcellus deuictis Syracusis, ostendit opes, & signa intulit & deorum simulacra: in quo reprehensus est ab Q. Fabio Max. quod relinquere debuisset deos suis iratos, vt ipse prius fecerat de Tarentinis. Verum inualuit consuetudo Marcelli. Nam longe antea captis Veiis, M. Furius Camillus Veientanam Iunonem intulit vrbi.

De Triumpho & Ouatione.

Operæpretium est cognoscere hoc in loco quid sit triumphus, quid ouatio, & vnde sint factæ voces. Non solum chorographia, sed etiam interpretatione verborum, historia ornatur. Licet primum simplex fuerit narratio & nuda, tamen non caruere laudibus qui exornauerunt. *Triumphum* primus mortaliū post Indicam victoriam ostendit Bacchus; nomenque ab re inditum est. Milites eius, foliis vicorū, quæ θρῖαι dicuntur, vultus cooperuerūt, iābos & scommata canentes; quæ sunt licentiose dicta mixta salibus, in eum qui triumphat. Post vero milites, vsi fuere rythmis.* Scribunt alii triumphum dictum ἐκ τῶν τριῶν, hoc est tribus velut ordinibus, senatorio, populari, & militū, ab quibus celebris est triumpbus. Cognomentum Baccho* triumphanti inditum M. Varro tradidit. Vnde clamabant omnes, *Ió triambe Bacche ió* nos conuertimus in triumphum. & Rom. milites dicebant, *Iό triumphe, Iό triumphe.* Tradunt & scenicos, priusquam ora fæcibus tegerent, foliis ficorum vsos fuisse. Triumphus vero non idem valet quod Ouatio. Domitis multa cæde bostibus, habebatur triumpbus, & boues cornibus auratis mactabantur: & bos ipse qui macta-

batur in triumpho, thriambos etiam dictus. Quum vero hostes sine pugna & sanguine cum ducibus nostris conuenissent, quoniam res peracta sine cæde esset, *Ouatio* erat. Pedes ingrediebatur vrbem qui sic vicisset, sine ferculorum pompa, myrto coronatus vnacum militibus; quia ea arbor dicata Veneri, quiescere ab armis ostendit. Tibicines ouantem præcedebant; quæ paciferæ choreæ instrumenta sunt. In sacris mactabantur oues: vnde ouationis nomen. Modo de triumpho centuriæ decernebant, (& comitia erant centuriata) modo senatus. Primus Romanorum qui quadrigis vrbem inuectus est, fuisse Priscus Tarquinius memoratur: sunt qui malint P. Valerium Publicolam. Prima ouatio data est P. Posthumio Tuberto, qui fuit collega Menenii Agrippæ Lanati; & huic triumphus datus. Ille primum contra Sabinos re male gesta, liberatus est ab Agrippa; in altero prœlio caussa victoriæ fuit. Ita quum ambobus honos haberetur, senatus huius laudis decus excogitauit, vt non sella curuli, sed pedes cum exercitu exciperetur. Verum sanguis in ea victoria, & nostrorum & hostium effusus est. Post vero ouationem his dedere qui conuentione vicissent. In triumpho clangor tubarum, in ouatione concentus tibiarum: ille Martis, hic Veneris est. Illud etiam huic loco addendum puto, quod Romani profecturi ad bellum, Nemesi sacrificabant, & munus gladiatorium edebant: quod non sine ratione factum arbitramur.

De Nemesi dea.

VIrgo & victrix Nemesis numen fuit; quo, qui ex malefactis delinquebant, puniebantur. Vnde victores Nemesin non frustra inuocabant. Romani enim semper iusta mouere arma: ceteræ nationes, odio & maleuolentia liuoreque, quod imperium tantæ vrbis iustitia augeretur, tela in populum Romanum capiebant. Nemesis, quam plerique existimauere esse vim fortunæ, alii filiam Iustitiæ, alii vim quamdam esse inter cælestes discurrentem prima rerum semina, quæ fatorum & sortium vires temperat atque emendat, rebus humanis trutinam adhibens, e cæloq; terrena despectans, nocentes punit, bonis præmia largitur: & quum sit velocissima, quia diu non permittit impios præesse atq; grassari, alata fingitur a veteribus: & eius pedibus supponitur rota, quum citissime discurrat. Sed tādem multitudine scelerum indignata, oculos iam diu ab rebus humanis auertit, & cum genitrice in remotiore parte cæli, vltra terrarum regiones, nō reditura, renascentem vrbem exspectat. *Rhamnusia* est appellata ab Rhamnunte oppido Atticæ regionis, vbi templū & simulacrū habuit: & ab Adrasto, *Adrastia*. Roma templum huic deæ posuit in Capitolio, vt inde suam vrbem posset vlcisci: ludos vero gladiatorum, vt effusione sanguinis non expauescerent. Quidam tradunt hac specie pugnarum velut deuotionem fecisse pro futura victoria.

Triumphauerunt autem victoriosi & felices Augusti anno imperii XVIII. Post tantam felicitatem, quum haberetur gloriosissimus principum Diocletianus, secum sæpenumero contemplans fortunæ mobilitatem, decreuit imperio se abdicare, & in priuatam secedere vitam. Gestorum Pompeii admonitus veteranus princeps, quum quisque de rebus futuris ambiguus sit, non exspectauit incertæ vicissitudinis aleam. Raro enim permanent vsq; ad exitum successus. Etsi in primo Augusto fuisse videantur, tamen & acceptæ in Germania clades, & domesticæ libidines, hominis felicitatem turbauere: & (quod minus fieri debuerat) Liuia vxor venenatas porrexit ficos, vt cunctantem in sene animam citius educeret. Scribunt quidam, duces post triumphum solitos se otio dare, & laudibus efferunt, M. Catonem, postquā de Hispania triumphauit, non quieuisse, sed foro & publicis negotiis incubuisse. Quod si in Diocletiano quis obiiceret, longe aberraret. Neque enim honor triumphi, neque ætas imbellis, sed metus rerum humanarum, quæ aut rarissime, aut numquam consistunt, imperium deponere suasit. Eius etiam consilio ferum & asperum ingenium Maximiani, qui solebat in omnibus collegæ non repugnare, acquieuit. Igitur eodem die (nam ita conuenerant) Iouius Nicomediæ, Herculius Mediolani, rem monimentis Romanorum incognitam, & nepotibus non minus dignam memoratu quam admirabilem, peregerunt. In quo Iouii animus veram philosophiā æstimitatus:

tatis; affirmans tunc illuxisse diem, & habuisse vitæ principium, quod magnis molestus esset liberatus. Philosophi asserunt, dominatum appetere non esse sapientis hominis: & id cogitasse Augustum scribunt, sed vetitum ab amicissimis. Et M. Aurelius imperium molestias vocabat. Tamen ambo se excusant, & rem laudabilem ab amicis impeditam dicunt. Verum ille sibi vixisse testari potest, qui priuatus, fine rerum publicarũ cura, & studioso otio, & rei rusticæ felicissime indulsit. Stimulis collegæ, vt imperium vna repeterent, contradixit: disseruitque se peste liberatum, nolle amplius venena imbibere, satis septo republica elaborasse, & tempus appetiisse vt sibi viuat: & vixisse non posse testari, nisi postquam in patria sua, hoc est Salonis, holera seuisset. Quum ille res angustas pro ea dignitate quæ præcesserat, obiiceret, respondit non esse turpe homini qui summum bonum in animo posuerit, honestam profiteri paupertatem, exemploque veterum, & præsertim C. Fabricii, castam opinionem confirmabat. Vocatus ab Constantino atque Licinio, excusauit per litteras senectuti minime licere quumque illi ægre tulissent, rescripserunt se non admittere excusationem, quod fauisset Maxentio ac Maximiano. * Trebellius Pollio meminit Diocletianum dicere solitum, quum in priuata esset vita, *nihil esse difficilius quam bene imperare*. nam quisque pro voto de principe loquitur. Ad hæc, principem cubiculo clusum vera minime noscere, aures suis præbere, & horum verbis accendi ac sedari, magistratus creare. denique sit qui imperat bonus, sit cautus, sit optimus, omnino venditur ab aulicis ac decipitur. Et interrogatus quæ esset potissima in principe dos, respondit, Liberalitas & clementia. Hæc quum Aureliano defuisset, asserebat ducem esse debuisse, non principem. asperitatemque collegæ Imperator sæpius detestatus: in eoq; summopere studuit vt liberalitatis & clementiæ cognomen assequeretur. Vnde (vt mihi videtur) *Iouius* appellatus. Nam qui iuuat, largitur & parcit: ius vero ab quo clementia abest, crucem veteres appellauere. Vixit Diocletianus annis duodeoctoginta: imperauit annos xx: mansit priuatus Salonis annos x Scribunt quidam stupore mentis, & longa ægritudine confectum, animam inter suspiria efflasse: quidam hausto veneno interiisse; quidam decreto senatus perfracta gula occubuisse. Id ego existimo de Herculio accipiẽdum esse, non de Iouio: quoniam quum pœnituisset Herculium assensisse collegæ, & inde animũ hominis non flexisse, contulit se ad vrbem, simulans filio ad gubernacula auxilio fore. milites indignati sunt quod ea tentaret; statimque subiunxit, se hoc figmento voluisse experiri an milites Maxentium amarent: vnde tumultum suppressit. Inde profectus est ad Cõstantinum generum suum ex Fausta quæ in Galliis erat, & clanculum quærebat genero insidias. Res aperta est viro per vxorem, quæ patri maritum prætulit. Itaque iussu generi captus Massiliæ, strangulatusque est. Hunc finem meruit Maximianus, seuerus, asper & immitis: qui vbi collegæ obtemperauit, priuatum viuendi statum sequi debuit. Diocletianus, qui ab tanto rerum culmine secesserat, nullius consilio adduci potuit vt pœniteret. Igitur priuatus quum esset, post mortem inter diuos relatus est. Thermæ eius nomine Romæ sunt consecratæ, & Maximiani Herculii Carthagini. Thermæ nominis Diocletiani inchoatæ fuerunt a veteribus principibus, & consecratæ ab nouis Augustis Constantio & Maximiano. Diocletianus igitur inchoatum opus absoluerat omni cultu perfectum: sequuti principes posuere ibi statuas, & seniorum & nouorum Imperatorum: quorum capita integra, & fragmenta reliqua corporum, erui ex subterranea testudine, velut ibi post ruinas thermarum conseruata, vidimus, & partim in Capitolium delata, partim Florentiam missa. CONSTANTIVS ET MAXIMIANVS INVICTI AVGVSTI, SEVERVS ET MAXIMINVS CAESARES, THERMAS ORNAVERVNT ET ROMANIS SVIS DEDICAVERVNT. Sitne in nominibus ambiguitas diximus. Hæc didicimus ex fractis marmoribus ibi effossis: in quibus & tituli victoriarum Maximiani Herculiim hæc verba; M. AVR. VAL. MAXIMIANO INVICTO AVG. PONT. MAX. SARMATIC. MAX. GOTIC. MAX. IMP. VIII, COS. III, P. P. PROCONSVLI. Et item Viennæ Allobrogum sic; D. D. N. N. IMP. CAES. C. AVREL. VALERIVS DIOCLETIANVS P. P. INVICT. AVG. MVRIS CVRALONENSIB. ÆDIFICIIS PROVIDENTIA SVA INSTITVIT . . .

TIS. ATQVE ERECTIS PORTAM VIENNENSIVM HERCVLIAM VOCARI IVSSERVNT. Et in fronte alterius portæ vrbis, idem epigramma in fine sic, PORTAM ROMANAM IOVIAM VOCARI IVSSERVNT. Nam Diocletianus, *Iouius* est dictus; & Maximianus, *Herculius*. Iouius & Herculius ab Gallis adeo dilecti vt ab eis duo populi nomina sumpserint, Iouiorum & Herculiorum; & Viennenses duas vrbis portas, Iouiam & Herculiam appellauere, vt epigrammata docent. Porro Diocletianus aurei seculi parens, & Maximianus ferrei existimatus.

CONSTANTIVS CHLORVS, ET Galerius Maximianus.

SEniores Augusti, priusquam se imperio abdicarent, Augustos appellauere adnuente senatu, Constantium & Maximianum. Ille, natus est patre Eutropio, Romanæ gentis nobilissimo, qui genus ab AEnea deducebat, & matre Claudia, Claudii Augusti filia; vt Gallus, Hispanus, Italiæ & Africæ præesset: hic, vt Illyrico, Græciæ, & orienti imperaret. Constantius, natura mitissimus, & diuitiarum spretor, administrationem Africæ & Italiæ recusauit: quod existimabat ab vno tantum pondus minime sustineri posse. Et quoties feriatis diebus epulum dedisset, vasa argentea accipiebat ab amicis vt abacum exornaret. nam & ipse paucis contentus, ab fictilibus non abhorrebat. Tanta modestia vixit, vt facilem & amabilem se cunctis præberet. vnde plurimum diligebatur. Eoque regnante in Hispanis, Gallis, & Alpibus, nulli motus fuere, & hostes populi Romani ab armis cessauere. In hac placida quiete ex Theodora liberos suscepit, Constantinum, * Anaballianũ, & Constantium ac Constantiam. XI anno ex quo Cæsar est factus, occubuit, morbo absumptus Eboraci, (sic est opidi nomen in Britannia) & inter diuos relatus. *Galerius*, postquam Constantius Italiam & Africam reliquit, adoptauit duos, *Seuerum & Maximinum*: illum præfecit Italię & Africæ, hunc orienti. Romæ autem prætoriani Imperatorem fecere *Maxentium*, non abnuente senatu: qui non vt Augustus, sed vt tyrannus imperauit, prætorianis eum ad hanc sæuitiam impellentibus. Aberat ab vrbe Seuerus quum prætoriani Maxentium creauerunt, ad vrbem cito rediit. Sed Maxentii vires (incredibile dictu) statim creuerant: Seuerus impar aufugit: & quum Maximianũ peteret, qui in Illyriis erat, Rauennæ captus cæsusque est. Ab cuius cæde Maxentius gloria elatus, ciues Rom. libidinibus primum, inde cædibus vexare cœpit: hinc odio haberi cœptus est. Maximinus, quum accepisset de morte Seueri, consortem imperii legit *Licinium* Dacia oriundum, qui genus suum ad Philippum Augustum referebat. qua de re in monimentis publicis illius nomen adoptauit, dictusque est *Marcus Iulius Licinius Licinianus*; quoniam proauus (vt ipse dicebat) fuit Marcus Iulius Philippus. Licinii virtus in re militari, bello Persico contra Narsen Maximiano cognita ante fuerat. Hic Licinius fuit qui subuertit in Perside tumulum Gordiani, quod titulus videbatur progenitoribus suis iniuriam facere. Multa tamen præclara gessit, & priuatus & Augustus Maximinus, relicto in Illyriis Licinio, Romam proficiscitur pugnaturus contra Maxentium. In itinere quum acciperet de futura militum defectione, qui ita conuenerant, si cum Maxentio conflixisset, Illyriam rediit: & iam pœnitebat legisse Licinium. Incidit postea in morbum. vlcus inguinibus innatum, virilia exedit marcescente tota illa corporis parte, vermes pullularunt: remedia deerant, medici desperauere: &, si erant qui noua tentassent, admouere manus non audebant, metuentes ne a sæuissimo principe occiderentur. In hoc cruciatu quum esset, suspicatus est ob sæuitiam in Christianos id perpeti. Vnde reuocauit decreta, & superinduxit illos, accersiri iubens, vt pro salute principis orarent. Sed pro truculento & sanguinolento homine preces non valuere. si enim conualuisset, rediisset ad solitam crudelitatem Itaque ex eo morbo periit, homo gloria rei militaris illustris, verum sæuitia in Christianos crudelis. Vnde fœdum exitum habuisse creditus est. Regnauit solus annis II · cum Cæsaribus & imperii consorte, annis XVI. Aduersus Licinium Maximianus in oriente res nouas molitus, oppressus est. & ne viuus caperetur, se strangulauit Tarsi. Imperauit annis VII. Etis contra Christianos toto oriente, si non truculentior, tamen non inferior Maximino fuit. Inter-

ea bona pars nobilium Romanorum per clandestinos nuntios *Constantinum*, qui in Galliis imperabat, exorant vti vrbem Romam, imperii caput, tyrannide liberet: qui sæpius accersitus, tandem cessit precibus, & vix quarta parte exercitus Italiã petiit. Maxentius, asperitate similis Maximiano patri, sæuitia Domitiano & Commodo, plerosque claros viros occidit, bona accepit: noua vectigalia inuenit, in occidendo & omni via exigendo pecunias inexorabilis factus. Huic etiam mulieribus stuprãdis libido inextinguibilis. Captus amore nobilissimæ & castissimæ fœminæ, misit ad eam ministros libidinum; quos solos aulicos habere consueuerat, quibuscũ de republ. consultabat. Vir puellæ, metu mortis, abduci non vetabat vxorem: illa quæ Christiana erat, petiit se ornandi tempus, & impetrauit: ingressa cubiculum, sibi manus iniecit. Illi, quum torquerentur mora, irrumpunt, & rem vti euenerat ad principẽ referunt. Quo exemplo plures appetere nõ est deterritus, sed magis accensus. Accepto nuntio de copiis Constantini, quæ Italiæ fines tenebãt, exercitum educit. Quintus erat annus imperii Constantini, qui multis prœliis Maxentii conatus plerisque in locis, præsertim in foro Iulii, fudit. Postremo coacto exercitu, intra mœnia vrbis se continuit Maxentius: & quum nihil vnquam gesserit sine responsis muliercularum, consuluit magam de belli exitu. Illa omnia prospera vaticinabatur, admonens vt cæsis infantibus prius aduersa numina placaret: ad hoc diem & horam dedit, quando educturus esset exercitum & manus conserturus. Qui sacris peractis rem pro magæ consilio egit: victus tamen est ad pontem Moluium magna strage. Ipse seu fugiens, seu numinibus magicæ vanitatis actus, in Tiberim vna cum equo insiluit, submersusque est, & nusquam inuentus: cacodæmones corpus animamq; ad perpetuos cruciatus retulere. Scribunt alii conantem euadere, gurgite fluminis haustum, & imis retentum arenis ac limo. Sunt qui referunt Tiberinum patrem indignatũ deuorasse, & statim euomuisse; & caput recisum, adhuc sæuitiam ac libidines præ se ferens, spectaculo fuisse ante currum victoris. Hunc exitum Maxentius meruit, magicis artibus quam imperio aptior. Sæuus in ceteros, sibi non pepercit. Quicumque magos consulunt, & vaticinia aut auspicia rebus gerendis quærunt, semper sunt anxii, & numquam inter metum & spem, auidi futurorum, quiescũt. Si illi prospera nuntiant, inani & vana spe iam tum lætari incipiunt: sin contra, repente tristitia affecti torpescunt. Heu, miseros mortalis imbecillitas ingenii & mens stupida huc illuc distrahit atque suspendit. Insana sane sunt documenta quæ nostra credulitas excogitauit vt acrius torqueremur. Vtinam facesseret a mentibus hominũ tale figmentum; quod esse falsum & nullius momenti, etiam maiores nostri tradiderunt. Maxentius filiusne Maximiani, an suppositus vxori, simulanti partum vt carior esset marito prolem cupienti, ad nos, qui tam remoti ab illo sæculo sumus, disserere non pertinet. Verum & hæc sunt prætorianorum militum semina, rapere, stuprare, necare, incendere, satis edocti; quorum scelera indomita abhorrendam fecerãt consuetudinem. Stipatores & custodes principum, ipsos principes ad omne genus sæuitiæ armabant. Hi primum venale imperium proposuerunt. Quid iis ducibus ausa non est insania Commodi Antonini? Quid turpe atque crudele non excogitabat præfectus prætorio, etiam de capite principis decernens? Horum iudicio AElius Pertinax vir bonus & reipubl. vtilis, cæsus est. Quid dicam de Balbino & Pupieno, quorum armis fluctuans resp. constiterat? O Romule parens vrbis, quid te profecturum credidisti, quum auspicato bos celeres primus legisti? Male auspicatus es eos constituisse qui opus tuum perdituri essent. Sed querimoniæ in alia tempora differantur.

M. IVLIVS LICINIVS LICINIANVS.

Licinius in Dacia natus parentibus agricolis, & ab iis puer nutritus (vtinam inter rusticos cum aratro & sarculis consenuisset) extrema pueritia militauit; promotusque tribunus militum bello contra Narsen, qui primus Armeniam Romanis ablatam Persarum iuri ascripserat, optime se gessit. vnde duci semper postea gratus fuit. Mortuo Seuero, Maximinus ob virtutem rei militaris, consortem imperii fecit, & Augustum appellauit. Prius Illyriis, post orienti præfuit. Litterarum acerrimus ho-

stis; asserens venenum ac pestem reip. esse philosophos & oratores; quos ndin præcipue habuit, & mirifice insectabatur. Litterarum enim adeo expers, vt nomen decretis vix subscribere posset. Sectæ etiam simplicium Christianorum minime parcens. Iure igitur *Constantinus* contra Licinium vires Gallicanas & Italicas expertus est, nec affinitas prohibuit, & Licinii ingratitudo ferenda non erat. Nam Galerii liberos adfines iure sodalitatis & consortii, interfecit. Sunt qui scribant Liciniũ in nuptiis, vt Constantino gratificarentur, milites appellasse Imperatorem; & ab Constantino missum contra Galerium. Sed verisimilius est Imperatorem factum ab Galerio; vt simul & hostilitatis litterarum & ingratitudinis accusari posset. Primi cõgressus fuere in Pannonia: vbi victus, concessit in Macedoniam: ibique reparantẽ vires, & magnas copias cogentem impetuosus Constantinus adortus fudit: copias dissipauit in Thraciam, fugauit in Asiam. Conuenere duces, fœdere tamen incerto: modo pax, modo bellum erat. Culpa datur ab historicis Licinio, qui sæpius tentauit fortunam: ac propterea infidus, tandem & naualibus & terrestribus prœliis victus, deditionem Nicomediæ fecit: missusque est Thessalonicen: vbi homini maligno & musarum hosti, etiam contra sacramenti reuerentiam minime fuit seruanda fides, vt deditus esset & priuatus viueret. Occisus est a militibus, meritasque luit pœnas, homo septuagenarius & vecors. Imperauit annis quatuordecim Et ne qua turpitudine careret, Christianis aduersabatur: sæpiusque rogatus ab Constantino, non destitit. Hinc semina discordiæ fuisse memorant. Scribunt quidã, ante deditionem Constantiam vxorem concessisse ad fratrem, & orasse pro imperio mar ti, deinde pro titulo tantum, & non impetrasse: quum pro salute precaretur, flexisse animum fratris. Ita Licinius, qui annis sedecim præfuerat, iussus est sine purpura & insignibus ad Constantinum venire; missusque est Thessalonicen, vt illic priuatus cum vxore degeret. Imperator scripsit ad senatum, vt de Licinio quod agendum esset, consuleret. Senatores rescripserunt vt milites decernerent. Quod vbi nuntiatum est, proficiscentem Serras Licinium interfecerunt. Opinio fuit immorantem Thessalonicæ Licinium iniisse consiliũ de resumendis armis; & ideo missos interfectores. Ab Christianis historicis quod traditur, prætereundum non puto. Ad Hadrianopolim, quũ pugnaret contra Licinium, fertur Constantinus vidisse duos equites cædentes legiones hostium, & in agro Byzantino vidisse lumen satis coruscans supra castra. Et antea quum certamen fuisset ante oculos vrbis contra Maxentiũ, conspexisse in aere crucem irradiantem suas legiones, quibus signis vbique cælitus victoria data est. Ea vera esse quis est qui ambigat? Vetustas enim persuasit Castorem & Pollucẽ bis hostes imperii Romani profligasse, bello Latino, & bello Macedonico. Vtinam qui pugnant, certa starent erga deum fide. Sed prœliandũ esset contra hostes fidei. Tunc signa certæ victoriæ nostris turmis & cohortibus diuinitus micarent. Sed quoniam semper bello ciuili occupantur Christiani, & odio intestino pacem inuenire non possunt; & quamdiu hæc rabies erit, non cessabunt furta, rapinæ, raptus mulierum & puerorum, cædesque sine discrimine ætatis & sacerdotii reuerentia, vastationes agrorum, direptiones vrbium atque euersiones; & templis minime parcunt, viri sacrilegi quiescentes mortuos turbant, auidi sanguinis ciuilis ac prædæ: mali dæmones sic implicuere nostras mentes, vt relictis veris hostibus, quos longa pace frui permittimus, in nos nostrorumq; membra armatas & sanguinolentas conuertamus manus. Bassarides, Bacchi numine cõcitatæ in furorem, se inuicem non trucidabãt. Agaue, quæ non fœminam bacchantem, sed irreligiosum filium trucidauit, vbi ad se rediit, secessit in antrum, & locum pœnitentiæ dedit: at nos numquam cædis pœnitet: immo existimamus ad laudem & gloriam accedere quam plurimos interficere, ac si hostes, non ciues essent. Culpandine sint principes qui ad tam perniciosum facinus stipendia soluunt, iudicent alii. Illud vero ausim dicere, Christianos omnes sub vno signo crucis militare, nostram religionem vnicam esse rempublicam, vnicam ipsius Dei vrbem, cuius nos ciues sumus, & bellum inter nos esse non posse, nisi ciuile. Iusta arma nostro sæculo inter tot reipubl saluatoris nostri reges ac duces, vnus Ferdinandus rex Hispaniarum mouit; cuius ingenita virtus, diuinitus adiuta, victis, fugatis, partim cæsis, & partim sub iugum actis hostibus, palmam diuinæ &

immor-

immortalis gloriæ inuenit. Vtinam Deus felices proroget annos, vt sedatis motibus, quos omni via placare studet, ad laudabile & sanctissimum redeat opus, vnde plures coronas quas meretur, sibi atque vxori latius vindicet. Iam satis commode digressi sumus. Licinius laude non caruit in eo quod appellare solebat eunuchos, & secretiores aulicos, qui fumos venderent, *tineas & mures palatii*.

MARCVS FLAVIVS VALERIVS CONSTANtinus Maximus Pius Felix semper Augustus, Constantii Pii filius.

CONstantinus natus est in Britanniis, patre Constantio, matre Helena: quam vir coactus fuit repudiare, vt Theodoram priuignam Herculii duceret. Extremam pueritiam, quam parens litteris, moribus, & re militari fouendam præbuerat, egit sub Galerio Maximiano in oriente; ab quo iam adolescens missus est cum exercitu contra Sarmatas, gentem ferocissimam, cædibus hominum assuetam. In ea expeditione iuuenculus plus quam promitterent anni gessit; & præter opinionem hostes profligauit atque cecidit. Ducem Sarmatarum catenatum ad Galerium duxit: qui ea victoria minime lætatus est, quoniam adolescentem perdere quærebat, vt olim Eurystheus Herculem. Propter eam caussam hortatus vt cum leone in theatro pugnaret. Constantinus, auidus gloriæ, in certamen descendit, feram pertinacissime vicit. Spectatores miris laudibus efferebant: subtidens Imperator, cogitabat maioribus periculis obiicere. Quum intellexisset Constantinus insidiis se peti, cum fidissimis quibusdam aufugit, & ad patrem redit, qui iam antea de filii virtutibus certior factus erat, & spem haud vanam de illo conceperat. Mortuo patre, regnum Galliarum Hispaniarumque & Alpium Cottiarum, testamento relictum, accepit. Eum antea pater Cæsarem fecerat, cælesti nuntio admonitus, quum ægrotaret, vt primũ Cõstantinum successorem faceret, qui esset ab tyrannis Romanum imperium liberaturus, & militibus Dei opem laturus. Illud constat, in initio sanxisse vt agri, villæ, opida, quæ ad victum emeritorum contributa erant, ad heredes transirent. vnde milites sibi magis obnoxios ac deditos reddidit. Prius ex vetere consuetudine, tribunis, præfectis, comitibus & ducibus, qui pro augendo imperio consenuerant, dabãtur agri villæque, vt necessaria suppeterẽt quoad viuerent: **parochias* vocabant. Quũ imperasset in Gallia annis tribus, in summa laude vbique erat: interdum, impellente Fausta vxore, opinionibus veterum hæsit, & diis sacrificauit. Accersitus per litteras occultis ferentibus nuntiis ab senatu, Italiam cum parte copiarum petit, cum Maxentio conflixit; auspicio fulgidæ crucis victor fuit, eademque felicitate sæpius Licinium superauit. Victo Maxentio, senatus populusque Romanus, quod tyrannide liberatus esset, marmoreum arcum triumphis insignem, inter Palatium & Cælium posuit, qui nunc mutilatus conspicitur: appellatusque est *Liberator vrbis*, & *Fundator quietis*. exceptusque est insigni & triumphali pompa. Hæc lautus Italiã dedit & Africam: fuissetque his orbis partibus contentus, nisi Licinius vltimi belli ciuilis caussam præbuisset. Verum iam antea Christianis obesse destiterat, solusque in toto imperio populi Rom. quum imperaret, cognomen induit *Maximi*: quod antea duo inter tot duces ab rebus gestis* nomen accepere, & *Magni* dicti, Alexander Macedo, & Cn. Pompeius: Alexander vero Antonini Pii sobrinus ac filius, allatum a militibus tenuit: Alexandri vero sobrinus & pater Magnus Antoninus, *Pius* in monumentis vt appellaretur mandauit. Inditæque sunt & appellationes aliæ, vt puta *Constantinus restitutor humani generis, propagator imperii dicionisque Romanæ, & fundator æternæ securitatis*. Ex Fausta Herculii quinq. liberos suscepit; Constantinum, Cõstantẽ, & Constantiũ; Helenamq. & Constantiã: & ex priore quæ fuit ab eo dilecta, susceperat Crispũ. Ante Licinii cædẽ, quũ ille priuatus viueret, Cęsares tres fecit, *Crispum*, *Constantinũ*, & *Liciniũ Iuniorẽ*, sororis filium. Post bella ciuilia, militaris gloriæ semper apperens, multis prœliis vicit Sarmatas & Gotthos Thraciã diripiẽtes, & oẽm fere Scythicam gentem: quibus & pacem dedit. Barbaræ nationes ob id Augusto deditissimæ fuere. Constantinus dum hostes habuit, optimis principibus æquã-

dus. postquam ex omni bello laureã adeptus, insolens factus est, amplo indito Maximo cognomine, & certe non meruit cæde suorum ac plurimorum nobilium. Ferunt Faustam Crispum priuignum, cuius amore capta erat, ad libidinem sæpius tentasse, & renuentem detulisse ad maritum, illum voluisse vim inferre: & virum præstitisse fidem, iussisseque interfici; cæsusque est Polæ, opido Istriæ: post aliquot annos comperta caussa, occidisse vxorem. Illud fit verisimile, insidiis Faustæ circũuentum Crispũ occubuisse, ne peritia in militando filiis obesset: & propterea post paulo sublatus est Licinius iunior. Non caruit ex eo quod factum est, suspicione Constantinus, quod aliquot quos nouerat cædis illorum misereri, perdidit. Post quinquennalia, quæ Nicomediæ edidit, & deinde data sunt Romæ, liber curis suspiciosis atque molestiis, decreuit animo vrbem sui nominis ædificare; & primum in Asia in Sardico agro, post ad Sigeum Troadis, vbi fundamenta iecit; tertio transtulit opus Chalcedonem, vbi iam muri erecti erant. Sed aquilæ funiculos regulares ter quaterque architectis rapuere, & transmisso mari abiecerunt Byzantium. periti augurandi, illo transferri vrbem iubent. Imperator, veluti diis monentibus, mutauit mentem. Itaque translati Byzantium architecti, ductis rite fossis, vrbem in medio spatio condidere. Condi cœpta est ante quintum iduum Maii: sed postquam immortali Deo sacra rite persoluit, conditam vrbem Mariæ virgini, quæ sola est deipara, consecratam dedicauit. Valenti mathematico cura data vt inspecto vrbis horoscopo nuntiaret de eius ætate, ille respondit, opus duraturum annos sexcentos nonagintasex, intelligens quod tamdiu futuri principes rebus imperii nihil essent detracturi, & tamdiu consilio senatus respubl. esset gubernanda: post quod tempus tyranni essent imperaturi, qui rempublicam dissiparent, & ad priuatos tyrannulorum vsus transferrent. *Qui totum lac ex vberibus ouium emulserit, * agnos fraudans cibo, prædo est, non pastor.* Visumque est propter hoc Byzantium antiquum instaurari, quod ab Seuero Pertinace fere totum euersum fuerat, triennali obsidione: caussa fuit quod Pescennius Niger, ab Antiochenis appellatus Augustus, Byzantium contra opes Seueri bene muniuerat, & firmis præsidiis occupauerat. deinde instauratã deleuere milites Gallieni, vt nullus ex antiquis permaneret incola. Vrbs est Thraciæ, *Claustra Pontica* vocant, in angustissimo freto Propontidis posita, velut arx incursionibus barbarorum propulsandis. mœnia antiqua ex lapidibus quoquo versus quatuor pedum ab continente præalta, versus mare magis depressa: sed par vndique latitudo. duos habuit portus vtrimque clusos ferreis catenis, & in frontibus eorum eminentes turres. Constantinus longe firmius muniuit, & multis monimẽtis exornauit. pleraque ornamenta, tota Asia & Europa & Africa ad eius dedicationem aduecta sunt. Ex vrbe Roma genitrice cochlidem columnam porphyriam transferri iussit, & locari in foro lapidibus strato, & variis signis circumdato: & ex Troade æneam statuã Apollinis mirandæ magnitudinis; *supposito eius titulo, numinisque sublato capite, suum accommodauit, columnæque superposuit; necnon & clauum tormenti Saluatoris. Statua post multos annos regnante Alexio, cognomento Comneno, cecidit violentia ventorum deiecta, quod tanta moles in illa altitudine consistere non poterat. in ipso casu fracta, multos in foro spatiantes contriuit. Transtulit ex arce quæ fuerat Ilii, Palladium, vt credidit vana superstitio, olim cælo lapsum, & Dardani manibus exceptum. Scutum id fuisse quidam scribunt, vt Romæ ancilia. Aliter sentiũt Diodorus atque Dion: Palladium signum fuisse ligneum & tricubitale, cælo lapsum in Pessinunte vrbe Phrygiæ, dextra tenens bastam, læua colum & fusum: & ad eum locum duce boue deuenisse Dardanum, deos rogasse vt signum darent; statimque decidisse e cælo Palladium. Alii scribunt Chrysen Pallantis filiam in Arcadia nupsisse Dardano, & signum Palladis, quod Palladium est, secum tulisse ad domum mariti, vna cum signis Magnorum deorum, qui sunt Penates, & hæc translata in Samothracen, & inde in Phrygiam. Nec mirum est in Arcadia contigisse: nam & ibi natus est Iupiter in opido cui nomen erat Creta, e cuius vertice nata fuit Pallas. Stesichorus & Euphorion, tradunt sublatum Palladiũ ab Vlysse & Diomede opera Antenoris, cuius vxor Theano Palladis sacerdos adseruabat. Veteres scribunt, vrbes omnes fuisse sub tutela Palladis, & eam esse præ ceteris numinibus vrbium custodem.

& eius

& eius sacerdotem Nautium, comitem Æneæ, quum in Latium nauigaret, eiusque deinde posteros, quoad viguit, deæ ceremoniis præfuisse. Silius Italicus asserit ab Diomede datum Æneæ. Nostræ historiæ narrant seruatum fuisse Lauinii; postea translatum Romam, & asseruatum in templo Vestæ. Quid autem id fuerit cum Penatibus, multis verbis disserunt, nemo tamen videre potuit. Itaque in ambiguo est an Dardanus an Ilus susceperit, fueritne ligneum an æneum, signum aut scutum: & remansisse Ilii, an aduectum Romam, nemo est qui affirmet vbicumque fuerit, inde Constantinus ferri iussit Constantinopolim, & locari in foro. Credibile est fuisse simulacrum, vt vox indicat. Palladis enim statua, vbicumque fuerit, *Palladium* dicitur. Hieronymus ait Constantinum nudasse vrbes vt Constantinopolim ornaret, vt in foro Traiani ornãdo priores fecere principes. nec illic constitere ornamenta, sæpius irruentibus barbaris, præsertim Getis. Vrbem suam titulis, honoribus, *Nearomam* habendam censuit, & lege sanxit, illuc deductis multis antiquorum Rom. familiis: & liberam fecit, quum antea lege Seueri sub iure Perinthiorum esset. XXX imperii anno tricennalia dedit. in quibus, mutata mẽte, quum pœniteret eius quod fecisset in affines, Dalmatium Anaballiani fratris F. Cæsarem fecit, & vna cum filiis heredem statuit. Hic Dalmatius, quum imperasset annis III, factione Constantii in oriente a militibus occisus est; & eodem anno multi nobiles cæsi cum Atladio præf. prætorio. Quum libelli dari essent de erroribus quorumdam episcoporum, manu accepit Constantinus, & proiecit in ignem, asserens nolle de episcopis decernere, vt qui in ea auctoritate & veneratione sint, peccare nõ possunt. Helena Augusti mater, quæ totam se dederat nostræ religioni, octogenaria diem obiit: filius in templo duodecim Apostolorum condidit. ibi enim commune sepulcrum sibi posterisque suis fecerat. Iam senex, Persis Mesopotamiam diripientibus bellum indixit, paratas ad hoc opus copias eduxit classeque transuexit: Ipse Sotiropolim vrbem petiit, quæ Pythia ante vocata est; vt aquis calidis senile corpus foueret, viribus pro ætate conseruandis. Priusquam se ablueret, medici pharmacum dedere: ministri corrupti pretio (vt scribunt) ab affinibus, nocua immiscuere. ille intrepidus poculum ebibit: post paulo incidit in morbum: quo ingrauescente, ductus est in villam publicã prope Nicomediam. Interea Constantinus, qui copias omnes Antiochiæ cogebat contra Parthos, quum accepisset de patris aduersa valetudine, Nicomediam aduolauit, vt pater diligentius curaretur. Medicorum fomenta nihil profuere: intrinsecus absumente veneno, mortuus est; & ab Nicomedia Constantinopolim regale perductum est funus, comitante filio Constantino: & cum genitrice sepultus. Iulianus in oratione de Cæsaribus scribit, Mercurium interrogatum a patruo Constantino quis esset modus boni principis, respondisse, *Regem oportere multa possidere, & multa impendere.* Constantinus in initio bonis principibus similis. post bella ciuilia, velut omni metu liber, contra ius æquitatis plerosque occidit, minime suis parcens: & liberalitatis Augustorum immemor, cœpit esse parcus, & interdum nimis tenax: gloriæ tamen appetens militaris, rebus gerendis fortunatus & felix quod prouenisse ex eo fertur, quoniam fidei Christianæ plurimum fauerat: mirumque est quod quũ deditissimus fuerit, lauacrum renascentis vitæ in extremum vitæ suæ tempus distulerit, vt existimo, volens id in Iordane, iturus contra Persas, efficere: baptizatusque est ab episcopo Nicomediensi. Illud in eo principe laudabile memoratur, quod si quos ex vulgo priuatus dilexit, opibus honestauit, non dignitate prætoria aut consulari, vti priores principes nulla habita honoris ratione fecerunt. Quumq; fuerit armorum studiosissimus, eloquentiæ expers non fuit ac philosophiæ, & in differendo satis accuratus. Dicere frequenter solebat, *pro vtilitate respubl. Imperatorem non debere labores recusare, & partem corporis recidendam, si remedium non admitteret: sin contra, fouendam.* ea similitudine notabat malos homines qui emendari nequeunt. Vixit annis sexaginta sex: imperauit XXXII, minus mensibus duobus. Quidam tradunt Constantinum orbem heredibus testamento diuisisse, quidam filios sorte fecisse.

Diuisio Imperii Romani.

COnstantino obuenere Galliæ, Hispaniæ, & Alpes Cottiæ, Britanniæ, Orcades, Hibernia, Thyle: CONSTANTI, Italia & Africa cum insulis, Illyricum, Macedonia, Achaia, Peloponnesus, Græcia: CONSTANTIO oriens & Thracia, cuius caput Cõstantinopolis: & cum eo DALMATIVS imperauit, in omni actione patruo quam patri similior: sed virtus obfuit. Nam factione Constantii patruelis (vt diximus) seditione militari interfectus est, quum imperasset annis III, neque prohibente neque iubente Constantio: sed credibilius est huius clamdestino consilio facinus peractũ fuisse. *Constantinus*, qui in Gallia imperabat, minime contentus, legatos misit ad fratres, petens vt fieret noua diuisio: & quum non proficeret, post longas querimonias, fisus opibus Gallicanis & equitibus Hispanis, & Alpino peditatu, bellum ciuile contra ius & fas mouit, & primum inuasit propinquas regiones. Constans tunc erat in Dacia, pugnans contra Getas & Sarmatas. Constantinus ad Aquileiam peruenerat. cuius in agro obuiam fiunt milites a fratre missi, qui conatum repellerẽt. & quum ille longe viribus præstaret, quia per summum nefas arma ceperat, incautius congreditur, lapsusq; est in insidias, quibus exercitus circumuentus, in medio cæditur. Equus principis, vulnere ictus, sessorem Constantinum deiecit. Quum iaceret humi sine purpura incognitus, multis ictibus confossus est. Imperauit triennio nondum finito: vixit annis XXV. *Constans*, post meritam cædem fratris omni conatu superatis Alpibus, Galliam intrat: varioque euentu pugnans, biennio partem fratris assequutus est. Præfuit aliquamdiu vt bonus rector. post, siue debilitate naturæ, siue amicis suadentibus, animum ad delicias flexit: ex quo in leues articulorũ incidit ægritudines, quæ hominem reddiderunt difficilem, morosum, austerum: vnde factus est prouincialibus grauis, & militibus illiberalis: ea caussa seditionem peperit. Erat in exercitu *Magnentius*, comes ordinum Augustæ: (vrbs est Germaniæ) conuiuium militibus exhibuit a mane ad vesperas more gentis. inde cubiculũ ingressus, statimque egressus, est indutus purpura, multis satellitibus cinctus. qui cõscii non erant, coacti sunt assentiri abiitque cum omni turba in prætorium, & donatiuum dedit: positis custodibus cauit nequis rem aperiret aut referret. Constans, quærens mitigare tædia articularis morbi, vbicumque fuisset, venatibus operam dabat, & ad siluas diuertebat, vbi que cum formosis pusiunculis ludebat & bacchabatur, etiam fruens illorum tenera ætate. Ad eum missi percussores, qui insidiarentur, offenderunt Constantem venatione fessum quiescentem: ingressi tentorium, nihil tale cogitantem interficiunt. Quidam dicunt eum vigilem cognouisse parricidas, & abiisse in propinquum templum, & insignia imperii deposuisse, & ab altaribus tractum cæsum fuisse. Scribunt eius horroscopum inspectum a mathematico, qui dixit periturum gremio genitricis. Nam Helena auia, mortua Fausta matre, Constantini filios nutriuit, vt parens. Constans occisus est in opido haud longe ab Hispaniis, cui Helenæ nomen erat. Constans si exemplo Ciceronis didicisset, non armasset in suam cædem Magnentium. Popilius Lænas reus capitis, M. Tullio defensori caput abscidit. Magnentius seruatori suo mortem intulit. Nam quum milites exorto tumultu in Illyriis occidere vellent, obiecto paludamento Imperator texit ac seruauit. Discant igitur qui legerint, illorum misereri, & illos tueri, quorum virtutes cognitas habeant: aliter pœna quam illi propter flagitia meruere, in defensorum capita resilit. Pauci præterea reperiuntur qui norint gratificari. Vixit Constans annis paulo plus XXX: imperauit XIII. Milites trucidatri & coniurati, Magnentium Imperatorẽ salutant. Quum hæc nuntiata essent, Romæ *Nepotianus* Imperator a populo & myrmillonibus factus. Heraclydes senator, fautor Magnentianæ factionis, populum decepit, factaque proditione, Nepotianum Augustorum sororis filium, quem gladiatores cingebant, simulans velle cum eo loqui, obtruncat. Caput pilo fixum, per vrbis itinera deportatum est. Imperauit dies duodetriginta.

MAGNENTIVS.

MAgnentius comes duorum ordinum dolo Imperator factus, Constantis nomine litteras scripsit sub illius signo ad eos qui præerant vel cohortibus vel

vrbibus, qui statim ad Imperatorem venirent: quos in itinere cædi iussit, vt non esset qui motum faceret. iam & Roma cesserat: eius enim factio plurimum valebat. Constantius tūc in oriente aduersam fortunam contra Persas experiebatur. Igitur ingēti agmine Italiam petit. & Mediolani diu immoratus, fratrem suum *Decentium* Cæsarem fecit, misitque cum exercitu vt Gallias tueretur. iamque tota Italia & Africa Magnentii erant. Factio Illyricorum duce Britannione cum nouo Imperatore sentiebat. ad Constantium legatos misit cum litteris, vt oriente & Thraciis contentus esset: qui nihil respondit. Constantius *Gallum* patruelem Cæsarem fecit, & reliquit in oriente. ipse Hespertos petit vlturus fratris cædem. Sed, ne sua Roma bello ciuili vexaretur, misit ad Magnentium, concedens Galliam, si arma deponeret. Tyrannus, sperans vincere, non paruit, ideo ambo ad pugnam se parant. Magnentio, priusquam congrederetur, maga consuluit virginem iugulare, & cruorem vino miscere, potandumque militibus præbere, (mos est immanium barbarorum quum aliquid secretius agunt) ipsa interea carmina peragebat. Post hæc profana sacra, fit pugna vtrimque magnis copiarum viribus ad Mursam. Vicit Constantius magna hostium & suorum strage: verum hostes ad multam partem noctis cæsi. Tyrannus, dimisso equo & insignibus, in habitu equitis aufugit, equum suum reliquit, vt, qui viderent, existimarent sessorem esse mortuum. Victor Imperator die sequenti conscendit tumulum, ex quo tota planicies conspici poterat: quam quum vidisset repletam cadaueribus, ingemuit. Cæsa fuere supra LIIII millia pugnatorum. omnes cæsi, iussu principis sepulti sunt: qui vero vulnerati non perierant, victoris beneficio curati & conseruati. Exercitus tyranni fuit ex XXX millibus: Constantii vero, LXX millia pugnatorum habuit. Periere illinc XXIIII, hinc prope XXX. Ea pugna attritæ fuerunt imperii Romani vires. nam si qui cæsi, & numero & robore ad quæuis externa bella satis fuissent. Magnentius, postquam in tutum locum se recepit, reliquias profligati exercitus collegit, & nouo milite suppleuit, cupidus rursus aleā dimicationis tentare. & priusquam experiretur, misit vnum e senatoribus grandem natu ad Constantium, quod vellet omnibus præterquam * Galliæ. Constantius hominem reiecit, opinatus illum speculatorem venisse. Post misit episcopos, nihil prouinciarum quærens, sed tantum vt liceret militare ducis titulo: quibus nihil responsum est. Quod quum accepisset exercitus tyranni, plerique milites adierunt ad victorem. Tyrannus, intelligens sibi dimicandum fore, exercitum ex copiis Gallicanis reparauit, misitque, dum milites cogeret, assuetum parricidam multis pollicitationibus Antiochiam, qui Gallum confoderet; vt illo cæso Constantius relictis rebus Hesperiæ, cogeretur orientem petere propter Persas. Quum trucidatius Antiochiam peruenisset, domum cuiusdam vetulæ diuertit appositam fluuio Oronti, qui labitur per eam vrbem. Orontes antea dictus Ophites; post ab filio Cambysæ regis Persarum ibi submerso, vocatus Orontes. Hic in cœna post vina rem communicauit cum paucis quos inuitauerat. minime expauescens mulierem ætate confectam illa clam se proripuit, & quod audiuerat, ad Gallum retulit. qui statim omnes comprehendi iussit atque necari, vbi quæstionibus ordine suo negotium aperuerunt. Magnentius, quia tale consilium irritum fuerat, rursus prœliari statuit: victusque est, & aufugit Lugdunum. Comites, vt victori grati essent, consilium ineunt tyrannum capere, & Augusto tradere. ille, vbi se custodiri cognouit, quum fugæ locus deesset, furorem simulauit, & primum fratri Desiderio vulnera intulit, quæ non fuere letalia: post interfecit quosdam amicos; tamdem se confodit. Hic exitus fuit ingrati hominis. Decentius Cæsar, qui Gallias tuebatur, audito fratris casu, sibi metuens, laqueo apud Senonas vsus est. Desiderius accessit ad Constantium, ab quo liberaliter exceptus est. Gerontium Magnentianæ factionis comitem, exsilio victor mulctauit dum in Gallia esset.

BRITANNION.

Britannion ante tyranni pericula, quocum conuenerat, Imperator ab Illyriciano exercitu appellatus Mursæ, quo tempore & Nepotianus Romæ, posita purpura & Gallica veste indutus, Constantium adiit: & obuius venienti factus in Thracia, * obuolutus pedibus, veniam petiit, & impetrauit. Imperator senem ducem

amplexus, patrem eum vocauit, & cœnæ adbibuit, ab quo multa de Magnentio intellexit. Deinde iussit abire Prusiada, Bithyniæ caput, & propinqua opida voluit vt ad victum senis contribuerent: qui plures ministros secum ducens, illic magna quiete vixit annis sex; post decessit.

SILVANVS.

Siluanus Bonitii F. in Gallia natus, qui bello Liciniano clarus sub Constantino, tribunus sub Magnenno fuit, post defecit ad Constantium; ab quo missus in Galliam est. Imperator vero, qui calumniis aures facile præbebat, successus eius suspectos babuit. quærebat igitur insidiis circumuenire. Siluanus vbi accepit, pro concione questus est: ita a militibus Cæsar appellatus. Ad bunc motum opprimendũ mittitur Vrsicinus; qui pecunia tribunos Siluani corrupit vt occiderent. Agrippinæ igitur de industria facto tumultu cæsus est: cuius cæde tam magno gaudio exsultauit Constantius, vt fere insanus haberetur. præfuit paulo plus duobus mensibus.

GALLVS.

Gallus natus est in Massa Veternensi, patre Constantio, fratre Magni Constantini, matre Galla, Rufini & Cerealis, qui consulares erant, sorore: ac liberaliter educatus, feros mores vincere non potuit. Profectus ad orientem, consedit Antiochiæ: vbi stimulante vxore, omne genus sæuiendi expertus est. Illud vero nefandũ & abhorrendum: noctu cum satellitibus incognitus errabat per lupanaria & tabernas, explorans submissa voce, Græco sermone, quid de Cæsare sentirent, & notabat singulos qui obloquuti fuissent: post aliquo reperto figmento trucidabat: quod antea in vrbe Roma fecisse Gallienum memoriæ proditum est. vtrumque vxoris stimuli exagitabant. Missus est ad eum Domitianus præfectus præt. ab Imperatore, qui de sceleribus Cæsaris iam senserat, vti eum Gallo secretius ageret, & persuaderet venire ad principem. quod quum parum proficeret, addidit mandata & minas. Indignatus Gallus, hominem comprehendi iussit, & custodiæ tradidit. Montium etiã quæstorem, qui tale facinus non probabat, coniecit in vincula. suadente vxore ambos per forum tractos & verberatos in fluuium proiici mandauit. Quod vbi accepit Imperator, misit qui Gallum adducerent. Ille vxorem Constantiam ire ad fratrem iubet, placaturam eius indignationem: & hæc in itinere decessit. Cuius morte audita, Constantius edicto Gallum dignitate priuauit exsilio, damnat: & ne longius rem protrabat, (omnem autem eius securitatem in morte Galli posuerat) percussoribus mandat iuuenem obtruncare. Hi fuere Seruianus reus maiestatis, paulo ante absolutus; & Pentadius notarius, & Apodemius: qui prenso Gallo & vti noxio manus post terga reuincto, ceruicem absciderunt. In foro truncus relictus est. Post paulo quam illi missi sunt, pœnituit Imperatorem, & destinauit citissimos qui prohiberent: & ii retenti fuerunt ab Eusebio eunucho: is enim erat præpositus cubiculi; cuius consilio princeps fere omnia agebat: quamuis Gallus metuerit pœnas dare. Imperauit annis IIII: vixit vndetriginta. Constantiæ corpus delatum ad vrbem, & in suburbano viæ Nomentanæ post primum lapidem sepulcro maiorum illatum est. Constantius in oriente aduersa fortuna res gessit. hostis enim semper superior fuit. Anno XI imperii Persica palma prærepta semel est temeritate militum ad Singaram. nam octies cum boste congressus: & in hoc prœlio quum victoria pro eo staret, ad hostes transiit non sine graui vulnere. Amissa est Singara & Bizabda & Amida. Quum accepisset de fratris cæde, dubius agebatur, permaneretne contra acerrimos Persas, an ad vindicandam Europam remearet. Sapores Armenias vexabat: iamque Nisibim obsedit; quam vrbem Luculli arma iuris Rom. fecerant, quo tempore Mithridates Põticus ad opem Tigranis soceri confugerat. Nisibis vrbs est Mygdoniæ, (sic appellauere proxima Syriæ Macedones) a nostris dicta Antiochia. Huic, quum capta fuit a Lucullo, præerat Guras Tigranis frater; quem Romanus dux apud se honorifice tenuit. Barbari Nisibim, Antiochus Antiochiam nominauit. Expugnandæ vrbi intentus Sapores, bellica tormenta admouit. Alueum fluuii qui mediam secat vrbem, alio ductis fossis deduxit: sed ex hoc non obfuit propter frequentes illic fontes puteosque, qui satis suppetebant. Quumque hoc non procederet, occlusit meatum fluminis, deinde emisit: vnde impetus aquarum sub-

rum subuertit partem mœnium. Nisibenses noctu citissime obstruxerunt tabulis, trabibus & tecta. Quum illuxit dies, rex vetitus ab expugnatione, re infecta mœstus abiit. Nisibenses muros instaurauere. In hac expeditione rex amisit XX millia hominum. Massagetæ absentia regis ex superiore parte Persida inuaserant abigentes prædam. Rex regno tuendo properauit: Constantius subsidiarios milites misit, Nisibim & mœnia firmari iussit, inducias cum Sapore fecit: & priusquam Europam peteret, Gallum patruelem Cæsarem pronuntiauit, iunxitque ei matrimonio vxorem Constantiam, sororem suam, præfecitque copiis orientis. Ipse contra tyrannos properauit, & pacem vbique fecit: & quum vndique in Europa late victor esset, sedatis bellis ciuilibus, ludos Arelate dedit ante VI iduum Octobr. Quo die imperium sumpserat, Italiam venit: Mediolani constitit: & inde vt Galliis subueniret, *Iulianum* patruelem adoptauit, misitque in Gallias cum paucis militibus, ipse petiit vrbem comite Ormisda regis Persarum filio. Nobilitatem vrbis & maiestatem admiratus est. Nobilitatem, stans audiuit; vulgus, sella curuli sedens in foro. & quoniam hostes præter Persas deerant, suis manibus scripsit, CONSTANTIVS TOTIVS ORBIS DOMINVS: insanior Domitiano, qui inscripsit, DOMINVS ET DEVS VESTER DOMITIANVS. Huius æmulus, cœpit odio habere viros claros. Quum opera vrbis intueretur, ardor incessit statuam equestrem erigere similem illi quæ Traiani erat in eius atrio: & Ormisdæ qui pone sequebatur, mentem aperuit. At ille subridens respondit, prius oportere stabulum fieri molis equi capax. Imperator conticuit. Locus admonet de *Ormisda* inspicere. Narses plures habuit more Persico vxores: ex illustribus suscepit Adarnassem, Ormisdam, & Narsen: ex humilis generis vxore, verum supra ceteras formosa, genuit Saporem. Adarnasses successurus erat, quia maior natu: sed coronam non assequutus est ob ingenitam sæuitiam. Mesopotamii tentorium ex corio camelorum intexto auro arte Babylonica, dono miserunt ad Narsen: filio dedit Narses, & interrogauit an placeret. Respondit Adarnasses, magis ei placere si imperaret: quod ex hominum coriis longe pulchrius facturus esset. Huius vocis memoria, & alia crudelissima quæ in initio regni fecit, regnũ abstulit. Itaque omnibus præpositus communi consensu Persarum Sapores: qui cæso illo Narsen fratrem luminibus priuauit, Ormisdam in vincula compegit. Huius vero mater & soror & vxor, corruptis pecunia custodibus, carcerẽ ingressæ, limam iuueni dederunt, quam secum tulerant: quo instrumento fibula compedum dissoluta est. Vbi opus peregit, illæ pingue conuiuium custodibus exhibuere: qui dum cibo & potu graues quiescunt, Ormisda aufugit, & in castra Romanorum venit vltimis Constantini Magni annis. Sapores, re intellecta, vxorem sequi maritum iussit. Ormisda bello ciuili a Constantio præpositus est turmis equitum. Fuit enim vir fortis ac certus iaculator, numquam iaculum frustra emittens, ante designans quo esset iaculaturus. Bellis Europæis eius claritudo omnibus nota fuit, & magnam sibi laudem propagauit. Constantio redeunti ad orientem, legati Saporis occurrunt ad Sirmium, petentes restitui Mesopotamiam & Armenias: aliter pax non esset. Constantius Augustus ad hæc rescripsit, Persas seruisse Macedonibus, & Macedonas seruire Romanis: hac ratione iniuria petis. Mesopotamiam maiores nostros cepisse, Persas irrupisse latronum occupantium more: Armenias cessisse Romano imperio victo Tigrane; contra quem iustum bellum gessit L. Lucullus, qui Mithridatem hostem populi Rom. hospitio & affinitate fouendum exceperat: & ipsum Mithridatem nulla contumelia lacessitum, sponte iniuriis ac cædibus affecisse Romanos: & Persas irrupisse sæpius in Armenias, & a patre tuo Narse non bello occupatas, sed insidiis interceptas. Qua de re desine hęc petere quæ nostro iure tuemur: pacem quam petis, minime, sed conditiones eius, recusamus. Sapores lectis litteris bellum mouit, Nisibim frustra obsidione tentauit: nam inde repulsus est. Post in alias vrbes profectus, tantum Amida potitus est, quæ non satis firmo præsidio tenebatur: eam solo æquauit. Ea res coegit Constantium consortem eligere, censuitque accersiri Iulianum patruelem, Galli fratrem; quem adoptauit pro concione ad milites, & Cæsarem fecit. Non me præterit, *qui sub Constantio militarunt, scribere Iulianum adoptatum fuisse in Gallia Cisalpina propter irruptionem Germanorum qui Gallias

vastabant; vt ab rapinis hostilibus Gallias, quas præcipue amabat, liberaret. alii scribunt Athenis adoptatum. vbicumque fuerit, assensu militari purpuram induit ante diem VIII iduum Nouembris, Arbitione & Lolliano COSS & Galliam missus, priusquam proficisceretur, Helena Constantii soror ei iuncta matrimonio est. & quia periculum imminebat, calend. Decembr. egressus cum exiguo supplemento, deductusque est per aliquot milia passuum ab Aug. maturauitque iter Taurinos versus. Ferunt consilio Eusebii, quærentis perdere totum genus Constantini, paucos milites fuisse datos Iuliano, vt ab hostibus occideretur: quod illud præcipue indicat, quoniam obsesso apud Senonas auxilium non misit. Secus euenit. re enim bene gesta in Gallis, sæpius hostes profligauit, vltra Rhenum coegit, multos captiuos abduxit: XI fere milia nostrorum, qui belli iure seruiebant, ab Alamanis recepit; & prope Argentoratum vrbem Galliæ, totum fere Alamanorum exercitum perdidit. Iam inde barbaricæ cladis monimentum habuit: (quod nisi contigisset, vrbs minime nota, in obscuro esset) & præter omnium opinionem, in solo hostili multa præclara gessit. Quumque eius successus felix haberetur, non caruit calumniis apud Augustum: & erant qui appellabant eum loquacem talpam, alii purpuratam simiam, alii Græcanicum litterionem: & erant qui mollem Asianum, Græculumque fallacem, & sub specie sapientiæ stolidum. Constantii enim aures ad fidem præstandam faciles pronæque erant. Quod quum sciret Iulianus, ægre tulit, & metuit ne idem sibi quod Gallo fratri, eueniret. ideo iam tunc cœpit cautior esse. & post victoriam ingentis pugnæ, quum hostium peremptorum magni aceruii essent, cadauera in fluuium proiecta: concordi assensu victoris exercitus vocatus est Imperator, & inde Augustus. nomen Augusti pertinacissime renuit. hinc tumultus militum fuit, nudatis ensibus cogentium meritum cognomen accipere: itaque, vt illi quiescerent, adnuit. Non repetiebatur diadema, facere tentauerunt ex mundo muliebri. Iulianus vetuit, asserens non esse boni euentus augurium. Tribunus coronam attulit non longe differentem ab corona quæ solet in xysto victoribus dari. Marcellinus scribit Maurum comitem ordinis detraxisse sibi torquem, (draconarius enim erat) & capiti principis aptasse. Post vero vsus est diademate micantibus gemmis exornato. Fœdus cum Alamanis percussit, illis restituentibus ablata. Deinde misit ad Constantium Pentadium quemdã magistrum copiarum cum litteris, in quibus erat tantummodo Cæsaris titulus. Summa litterarum hæc fuit: Milites sæpius victores, & qui diu pro republ. pugnauerunt, vt præmia laborum & diuturni sudoris petere possent, me, licet repugnantem, Imperatorem appellauere. Non ignoras antiquæ consuetudinis esse, qui sub ducibus ac Cæsaribus militant, non licere præmia Romano iure poscere. Quia ea caussa iusta censeri debet, te exoro, qui communis es parens, vt æquo animo ad communionem imperii me patiaris, ne miseri milites frustra effudisse sanguinem videantur. Addebat in fine, se polliceri missurum certatores equos ex Hispaniis, & promptos milites ex Gallis: id quidem erat annuum tributum. Erat Constantius, quum accepit epistolam Iuliani, Cæsareæ in Cappadocia. vltra solitum excanduit. (Cæsarea ante dicta Mazaca, est posita in radicibus Argei montis) & nihil rescribens, edixit expeditionem contra Persas, pro qua orientem petierat, ita suadentibus qui vtilitatem reipubl. quærebant. Eius animus, quum legit litteras, præceps fuit vertere copias contra Iulianum: post paulo legatos placide abire iussit: quibuscum misit Leonam quæstorem cum mandatis: cui & litteras dedit, in quibus admonebat iuuenem vt Cæsaris nomine contentus, Augusti maiestatem poneret. Leonas Parisiis exceptus honorifice est. Et postquam in campum cum armata multitudine stans pro tribunali velut concionaturus, litteras Imperatoris legit, quum ventum est ad Cæsaris nomen, omnis turba clamitare cœpit, *Iuliane Auguste salue: Iuliane Auguste, dii te seruent: Iuliane Auguste, dii te sospitent.* Postea vnum ex iis quæ mandauerat Constantius, actum est, hoc est Nebridium præfectum prætorio factum, submoto Florentio. & hoc minime processisset ni Iulianus ex sua sententia prouenire diceret. Iulianus, ne ardor militum frigesceret, legatos rursus ad Constantium mittit, ipse profectus est ad limites Germaniæ. Imperator interea accersiuit Arsacem regem Armeniæ, vti fidus cum Romanis per-

nis perseueraret, neu fallaciis Persarum animaduerteret. post misit ad reges Transtigritanos, vt in fide permanerent, ne deficerent ad Persas. Iulianus ordinatis in Germania rebus, statuit Viennæ hiemate. Non desunt qui scribant mandatum fuisse Leonæ vt obiiceret beneficia Imperatoris Iuliano, vt homini ingrato: & illum questum etiam de Constantio, de cæde parentum ac fratris, & inuocasse vltores deos, deinde iussisse abire omnes ab exercitu qui dicta Constantii probarent. At vxor Constantii Augusti moritur; & ducta est Faustina: vtraque forma pulcherrima, sed illa mœstitia ac dolore interiit, impotentia genialis thori. Quum ad bellum ciuile Iulianus se pararet, existimans Constantium numquam ad concordiam venturum, vxor eius Helena moritur. Iussit corpus Romam perferri, & sepeliri in suburbano Nomentanæ viæ, vbi antea Constantia soror sepulta erat. Falsum est quod iampridem vxorem expulerit, quæ castissima erat. Iulianus fertur dixisse militibus vt se pararent contra Constantium, priusquam ille aduersus se mouetet impetum. In ipsa expeditione, quia multi erant in exercitu Christiani, iussit vti quisque coleret quos vellet Deos. Ipse vero, ne ab fide abhortens animos militum alienaret, ingressus templum in natali saluatoris; vt alii dicunt, in solenni Epiphaniæ; vna cum ceteris adorauit, & diuinis rebus interfuit. Post, vt se coniungeret, dicebat se propetare vt coniungeret exercitus, & præsciret quo die esset Imperator moriturus, vt per nocturnam quietem præmonitus erat, quando vocem audierat, * *Quum Iupiter erit in fine aquarii, & Saturnus in* XXV *parte virginis, Constantius dominus Asiæ morietur.* Quum ex Antiochia peruenisset Tarsum Imperator Augustus vt Iuliano obuiam iret, incidit in febriculam semper æqualem: ratusque est gestatione aboleri. vectus lectica est per inuia itinera vsque ad radices Tauri montis. ibi in statione quadam quæ appellatur Fons Mopsi, Græce Mopsucrene, intrinsecus exurente calore, febris aucta est adeo vt corpus tangi non posset. Hic quum deficeret, successorem statuit Iulianum. post paulo mortuus est ante tertium nonas Octobr. Vixit annos XL & paucos menses: imperauit annis XXIIII. Iulianus vbi accepit de morte Constantii, citissime petit Constantinopolim. Corpus principis conditum in loculo, Iouianus qui post imperauit, domesticorum protector, cum regia pompa Constantinopolim perduxit, & sepulcro maiorum intulit: interque diuos relatus est. Prope finem vitæ se palam accusare solebat quod occisor suorum fuerit, quod Iulianum Cæsarem fecisset, & quod in noua credulitate numinum esset. Natura debilis ad coitum fuisse traditur: in victu parcissimus, lata lege vetuit phasianum & sumen conuiuiis inferri: numquam spuisse memoratur. In iudiciis iustus & moderatus, si secretiores consultores non habuisset: ad iram tardus. Bellis ciuilibus fortunatus, Persicis semper infelix, Sarmaticis varius: bis Sarmatici cognomen inscripsit. Nam quum Sarmatis, Dacis & Quadis fœdera feriret, & in suggestu orationem haberet, barbaris male audientibus, quod ad hoc opus assueti non erant, vnus e Quadis secessit, & stercore alterum e calceis repleuit, sub veste tulit, & propius accedens, in vultum concionantis proiecit. Id dedecus mereri puto, qui inter rusticos aut philosophari aut rhetorice loqui volunt. In fide semper fauit Arrianis, quorum caussa synodum habendam præcepit: statuta est conuentus dies. Imperator indignatus erat quod mandauerat Alexandro episcopo nouæ Romæ vt in communionem exciperet Arrium cum tota factione, & Alexander negauerat, qui prostratus orabat ne sineret Deus a pernicioso lupo suum ouile corrumpi. Tempus appetit: Arrius cum argumentosis syllogismis ingressus est, fauente Eusebio Eunucho: & in initio priusquam pudendum os solueret, corruptus cœliaco dolore, secessit vt onus ventris deponeret: & quum niteretur vi expellere, vna cum stercore animam emisit. Hunc finem meruit homo perfidus ac malignus, qui venenum in vrbe Dei latius sæuit, aconito vehementius: vnde gemitu in fide Saluatoris ignes inexstinguibiles, quibus Asia, Africa, & bona pars Europę fidelibus & iuxta credentibus ereptæ sunt. Præfuit Alexander annis XXIII. Successit Paulus homo iustus, quem Constantius consilio Eusebii eunuchi submouit, & in eius locum subrogauit Eusebium Episcopum Nicomediensem, militem Arrii. Paulus ad vrbem Rom. se contulit, petiitque ab epi-

ſcopi Romani auctoritate restitui in ſuam dignitatem: & quoniam vitæ ſanctitas merebatur, ab Iulio pont. in ſedem reſtitutus eſt. Conſtantius indignatus, hominem exſilio prius mulctauit: deinde minime contentus, interfici iuſſit. Qua de re hæretico Arriano ſucceſſit Macedonius Arrius. Hoc in loco digredi non ineptum putemus, vt ſcilicet oſtendamus, epiſcopum Rom. caput catholicæ fidei ſemper fuiſſe. Roma ipſa terrarum dea & gentium regina, poſcere videtur Dei ſedes & imperii generis humani. Sed vbi noua Roma præſentibus Auguſtis lacertos extulit, abſentia principum noſtra Roma paululum imminuta, vtraque tamen vrbe principatum ſibi vindicante, neſcio quo fato præfectis obtemperauimus, & aliquando Auguſtulis, & ſæpenumero regibus Gotthorum. Itaque per ea tempora epiſcopalem maieſtatem, nutibus Imperatorum Conſtantinopolis ſibi vſurpauit. Nos vero non ceſſimus, ſed paſſi fuimus, ne ira principum obeſſet, qui vrbis ſacratiſſimæ dignitatem barbarorum prædæ reliquerant. Res non potuit diu differri: Phocas Imperator totius maieſtatis decus iniuria ablatum reſtituit, & publico decreto ſanxit. nam plerique epiſcopi Conſtantinopolitani, malè vſi auctoritate, prauis opinionibus fidei ſimplicitatem turbauerant: Romani vero pontifices ſemper habiti orthodoxi & iuſtiſſimi, vt ipſi Græci in hiſtoriis tradiderunt. Epiſcopus igitur Romanus & diuino iuſſu & humanæ rationis vinculo, generis humani parens & princeps eſt. Nam illud perpetuo manſurum quis dubitat: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam?* Conſtantius eques optimus & certus iaculator, eloquens & carminibus componendis aptus. Quod fuit in ſuos ferus, non caruit exemplis, quod ſic feciſſet Caligula, Domitianus & Commodus, & F. Seueri Antoninus: in ceteros vt Gallienus, qui tormentis adigebat homines fateri quod vellet. In Galliis & Pannoniis triumphales arcus erexit, magno prouincialium diſpendio.

IVLIANVS.

FL. CL. IVL. IVLIANVS natus eſt Conſtantinopoli, patre Conſtantio, Conſtantini fratre, matre Baſilina nobiliſſima fœmina: forma liberali, ingenioque ad litteras & ad arma ſatis accommodato. Mater grauida ſomniauit ſe parituram Achillem: excitata, marito narrauit. peperit antequam pariendi tempus ſentiret. Hinc parentibus bona ſpes de filio fuit: datusque eſt & initiandus & erudiendus Euſebio epiſcopo Nicomediæ. Primo bonæ indolis puer apparuit. vtinam non habuiſſet rhetorem Libanium: ab quo ita inſtitutus eſt vt præmiſſa veritatis cognitione, puerilem animum ad antiquorum credulitatem flexerit. itaque ſub illo immutatus eſt, Mercurium præponens cunctis. Non caruit tamen in ceteris laude, ſimilis exiſtimatus Tito, vt frater Gallus Domitiano: bellorum ſucceſſibus comparatus Traiano: (res ei fuit cum ferocibus Germanorum populis, vt Traiano contigit, nondum principi) clementia Antonino, moderatione Marco Aurelio, litterarum ſtudio magnis philoſophis. Cumque his aſſuetus, ſoporiferæ quieti multum detrahens, inſomnes noctes aliquando, quum vtilitas reipublicæ poſceret, ducebat: & muſis vigilias impendebat, nulloque adhibito remedio, minimo ſtrepitu excitabatur. Philoſopho venienti ſtatim occurrebat, ne ab litteratis ruſticitatis reus citaretur. Memoria plurimum valuit: in rebus gerendis optimos imitabatur principes: in re venerea citra omnem ſuſpicionem vixit: modeſta liberalitate ſemper vſus: eunuchis & pantomimis & morionibus nihil vmquam largitus. Illud incredibile dictu, poſtquam ſolus imperauit, hoſtes populi Rom. intra ſuos terminos ſe continuerunt, & in laudes noui principis accendebantur. Reſtabant profligandi & domandi Perſæ. itaq; cum ingenti apparatu egreſſus Conſtantinopoli, transmiſſo Boſporo, a Chalcedone Nicomediam proceſſit, quæ olim regia & ampla vrbs ædificiorum ſumptibus, terræmotu corruerat: memor quod illic educatus erat, ingemuit: per Bithynos Gallogræciam venit: & inde Antiochiam Orontis petiit, orientis apicem. Et quum loci ſitus omnes ad voluptatem inuitet, princeps ibi ſuapte natura continentiſſimus fuit. ex eius imperandi ordine Iuſtitia e cælo ad mortales rediit. Iulianus quartum iniit conſulatum, aſcito Salluſtio collega, quem præfecerat Gallus præfectum. Quum ver appeteret, Hieropolim venit: hinc in Meſopotamiã ſigna commouit: poſt peruenit Cercuſium, (fere inſtar inſulæ inter Euphratem & Xaborectoram amnes poſitum

situm est) quod Diocletianus mœnibus amplificatum, excelsis turribus circumdedit. Hic moranti allatæ sunt ab Sallustio litteræ, vt expeditionem in Persas differret, & diis vetantibus cederet. Sed quis fato repugnat? transgressus flumen, pontem auelli iubet: Zaitamque ventum est, vbi Gordianum Imperatorem exercitus tumulo intulit, quem Licinius hostis bonorum euertit. Iulianus, vbi hostes propere adesse intellexit, concionem habuit, afferens maiorum nostrorum exempla, initium faciens a Ventidio vsque ad Maximianum, quod fere omnes rediere laureati, præter Gordianum & Carum: ille, insidiis mortalium, hic ira deorum sublatus. Hostes a prœlio abstinuerunt. Ipse Assyriam depopulatus, vrbes, opida partim vi cepit, pleræque deditionem fecere: victorque cum ingenti gloria profligato exercitu hostili, vsque Ctesiphontem peruenit. Castra aliquamdiu illic habuit cum exercitu satis lecto: dum remeat, facem sereno vidit cælo. Aruspices Etrusci vetabant quidquam tentandum, quia signum erat infelix: Iulianus & hoc contempsit, vt ante Sallustii monitus. Postquam illuxit, castra mouit. Persæ sæpius afflicti terga inuadunt, & priusquam laborantibus subueniretur, hostilis ex improuiso globus in cataphractos irruit: (Sic mos Parthorum, vt confusos cædant) dumque Imperator incautius sese infert, vulnus excepit; emissa hasta incerti militis, transmisso brachio & costis, hæsit fibræ iecinoris: dum auellere conaretur, scidit digitorum neruulos. prolapsus in ceruicem equi, veloci cursu in castra relatus est. adhibita fomenta paululum dolorem leniuere. poscit equum & arma vt prœlium reuisat. quum spiritus deficeret, concionem habuit, disseruitque mortem esse summum præmium. Petiit inde quid ageret Anatolius. Sallustius respondit, Beate degere. Ingemuit amici casum, quod interfectus esset. Circumstantes, qui dolore conciti deflebant, sua auctoritate castigauit: turpe quidem principem sideribus conciliatum lugere. Inde cum philosophis sermo ei fuit de immortalitate animæ. Epotaque frigida aqua, vita solutus est, annum agens alterum & XXX. ante sextum Calend. Iulii, in suburbana villa agri Tarsensis Iulianus sepultus est, & in diuos relatus. Successor si vixisset, decreuerat nobile sepulcrum. Homo statura exigua & gracili, maiestate conspicuus, inter veteres heroas connumerandus; ampliando imperio & reip. gubernandæ satis idoneus, si fata commisissent: Ore & manu (vt inquit ille) consultor patriæ. Imperauit solus annum vnum, menses septem; ab eo quod Cæsar fuit, annos septem. Corpus Procopius Tarsum vsque perduxit, & tumulo dedit. inde abiit, & nusquam nisi ex improuiso Constantinopoli purpuratus apparuit. Mirum creditu, barbaræ nationes cum plurimum diligebant: a militibus adeo obseruatus, vt in creando nouo principe Iouianum legerint, ab vocis similitudine, vna littera immutata. Memoria & liberalitate clarus. tributa parcius exigenda mandauit: (licet sint qui nolint) gloriæ cupidius appetens: & quum Christianos nimis insectaretur, sanguine tamen abstinuit. Hostes, morte nostri principis elati, & circumfusi, castra, quæ spatium trium mil. pass. complebant, disperdere quærebant. Romanis vero controuersia fuit in eligendo. Constantiani Abilum præponebant, proceres Gallorum Sallustium; qui, propterea quod senex & valitudinarius esset, recusauit: dumque mora fieret ob certamen, clamantibus militibus maturandum esse, *Iouianus* eligitur domesticorum primus. Varronianus comes ordinum, agri* Singidonensis incola in Pannonia liberos vtriusque sexus quum plures sustulisset, mœrore anxius, vt qui sine prole esset, admonitus est per nocturnam quietem vti filium qui nasceretur, Iouianum vocaret: fore vt viueret, & ad purpuram venturus esset. Itaque editum filium Iouianum appellauit; præceptoribusque, quum ætas posceret, erudiendum dedit. non parum liberalibus artibus profecit, ingenio valde ad omnes disciplinas prompto. Pater militia clarus, notissimus erat: & iam emeritus, secesserat in auitos agros vt quiesceret, & agricolationi incumberet.

IOVIANVS.

IOuianus electus est princeps; & statim antesignani Iulianum clamauerunt. qui in medio, quique postremi erant, opinati Iulianum reuixisse, ingenti lætitia effusi choreas ducebant. quum nouus Imperator purpuratus castra comitantibus pri-

motibus circumiret, & conspectus esset ab ignaris homo incuruus, statura procera, statim lacrymæ obortæ sunt: auspicium haud felix præsentis imperii. Reductus in teotorium, de imminenti periculo sermonem fecit, adhibitis tribunis & comitibus. Instabat totus exercitus deduci in Mesopotamiam hostes a tergo territabant, quamuis semper victi. Fames in castris erat, & rerum penuria: & quamuis noster exercitus victor esset, rerum difficultatibus, & recenti cæde ducis timebat, adeo vt si hostis irruisset, magnam intulisset cladem. Cœptum est consilio iter. Institere hostes cum elephantis; qui graui nidore terruere equos. opem ferentibus Iouiis & Herculus Gallis, restiterunt beluis. Vbi Catras ventum est, infelicitate Crassi nobiles, tanta trepidatio non fuit. Hinc Duram opidum. hoc in loco quatriduum consumptum est hinc miles quum abiret, peruenit ad Tigridem iam auctum cælestibus aquis. Metus erat transire. Galli, assueti fluenta perfringere, ingenti animo ingressi, ad alteram ripam perueniunt; ibique hostes obseruantes ripas, obtruncant. Illos sequuta est cetera turba. Ad hæc venere oratores a Persis Surenas (nomen est dignitatis post regiam) & alii proceres, offereotes conditiones pacis, si non æquas, attamẽ necessarias. Consultarunt cum Imperatore primates; ictumque est fœdus non sine calamitate Romani imperii. Prouinciæ quinque Transtigritanæ, quas Victor Galerius Maximianus acceperat, restitutæ sunt, Asarzamena, Mozena, Zabdicena, Rheumena, Carduena: tradita & Singarena, & Nisibis, & pars Mesopotamiæ: non tradita tamen est Ctesiphon. & ita fines veteres innouati, non sine magno imperii dispendio. Accessit maior igoominia: vetitus est P. R. Arsaci regi Armeniæ amico ac fido auxilium contra Persas ferre: quod numquam antea ad hoc coactus est: visaque est libertas victricium armorum corruisse. Ictum est ignobile fœdus ad annos XXX, & religioso ritu vtriusque gentis confirmatum: exercitus inde in tutum perductus est. Iouianus, quum peruenit ad locum (Dadastana vocant) qui diuidit Bithynos a Galatis, assiduo labore longi itineris, aut recenti tectorio, positis ibi prunis, mortuus est. Sunt qui scribant incidisse in morbum ex varietate ferculorum; quibus repletum corpus, quod auidissime illic sumebat, concoquere non potuit; & crudirate periisse. Vixit annis XXXIII: imperauit menses septem: a Valentiniano in diuos relatus est.

FL. VAL. VALENTINIANVS AVG.

POst Iouiani mortem, exercitus Nicææ, quæ vrbs caput est Bithyniæ, VALENTINIANVM Gratiani filium, Imperatorem elegit. nam L. Equitius, qui Illyrico præerat, quoniam absens, præteritus est. Augustus Cæsarem Valentem fratrem tribunum stabuli fecit. Post paulo, Constantinopolim quum venisset, & in suburbanũ concessisset, consensu omnium ipsum Valentem consortem imperii & Augustum pronũtiauit. Præerat eo tempore Romæ Rufius Turcius Apronianus, litteris & reip. moderandis habenis vir clarus & illustris. Procopius, qui genus suum ad Constantinum referebat, & paucis suffragationibus purpuram induerat, pœnas cœpti motus dedit. Porro Valens Gotthos, qui Procopio auxilia miserant, victos Thracia exegit, & Victor magister equitum Atalaricum regem Gruitugrorum (bellicosa gens est) vertit in fugam, & pacem dedit. Interea Valentinianus Saxonas Oceani accolas inter inuias paludes domuit: Alamanos attriuit, & victor ad Oceanum peruenit. Deinde in febrem incidit: qua liberatus, pro concione, exercitu assentiente, alterũ ex filiis GRATIANVM, insignibus ornatũ, appellauit Augustum: statimq; expostulatus publicatũ rerum admonuit, & vrbi Romæ præfecit Orphitum. Picti & Scoti Germaniæ gentes, Britanniam inuadunt: illi, Caledonios & Verurionas occupant; hi, depopulantur insulam. Sarmatæ præsidem quem Romanus Imperator dederat, expulerunt. Parthi suo consilio qui Armeniam irruperant, occurrente Arintheo legato, abierunt. sic prouincia liberata est. Alia via Sapores rex Persarum rupto fœdere nos tentauit, Ctesiphontem cepit; ibiq; biemauit, & Valens Antiochiæ. Ad aquilonem inquieta rebellat Germania. Eo missus cum exercitu Theodosius primus magister equitum; cuius prosperi successus similes ferebantur actis L. Domitii Corbulonis in Armenia sub Nerone, & L. Veturini sub Traiano. Valentinianus, exacta

Treueris

Treueris hieme, Gallias reuertitur. Post paulo, dum intentus audit legatos Quadorum, qui latrocinia excusabant, subita ira accensus, incidit in morbum: quo arescentibus venis, quum nil sanguinis emitti posset, mortem obiit. Imperauit annos vndecim, menses octo, dies viginti. Interea Hunni seu Alani, qui sunt Tartari & Nomades Scythæ, qui longe ante a regione trans Tanaim venerant, superato Istro, qui limes erat, vagi Pannonias Epirumq. & Thessaliam, direptis & incensis aliquot vrbibus, grauiter vastauerunt. Maiores nostri, viri boni, non ambitiosi, non contentiosi, sine auaritia & luxu, Scythas irruentes sæpius repulerunt. At vero quum opes in pretio fuere, & mensæ magnis sumptibus paratæ, & maior cibi condiendi quam virtutis cura, Scythis bellatoribus cessimus, grauia vulnera perpessi sumus. Imperatores duo, Decius pater ac filius, non sine magna strage cum Scythis congredientes victi cecidere: at post Valens propere ex Antiochia accitus, tantam pestem auertere non potuit: sed magna clade victus, terga dedit, & in fuga vulneratus decidit ex equo: acceptusque in vile tugurium, inter fomenta exspirauit. Victor Alanus quum persequeretur, locum armatis sepsit: & quia capere primo impetu non potuit, inscius quod illic Imperator esset, ignem iniecit & absumpsit. Hic fuit Valentis finis: qui modo rector orientis erat, boreali incendio fomentum præbuit. Hunni Alanique & Gotthi, victricibus signis Constantinopolim obsident: persolutaque ingenti vi pecuniæ ab Dominica Augusti vxore Valentis, cœpta reliquerunt. Dum hæc infeliciter ad Aquilonem geruntur, Theodosius pater eius qui postea imperauit Theodosii in Africa *Firmum* noua molientem prœlio vicit ac cepit. Et Gratianus Treueris agens fratrem suum *Valentinianum* Iustina matre editum, consulente Merobaude tribuno, titulo Cæsaris Augusti, consortem imperii fecit. Ipsum vero Gratianum otiosum, dum suos negligit, & habitu ac moribus Alanis, quos sibi post obitum patrui conciliauerat, placere studet, *Maximus* ab exercitu nostro dux electus, ex improuiso adoritur, & in Italiam transire properantem dolo circumuenit & occidit: & ab eodem iunior Valentinianus Italia exactus, ad Theodosium qui in oriente res gerebat, concessit: a quo liberaliter exceptus est.

THEODOSIVS.

THeodosius, qui sex ante annos a Gratiano, vt orienti præesset, Olymbrio & Ausonio COSS. Augustus pronuntiatus erat, bello ciuili commotus, victricibus signis Aquileiam per inuias Alpes raptim contendit: Maximum ibi secure degentem vi cepit & occidit. statimque Andragasius præfectus classis, & socius Maximi, certior de cæde factus, in mare se præcipitem dedit. VALENTINIANVS, in occidentis regnum restitutus, ab Italia in Gallias profectus est: & dum Viennæ negligẽtius moraretur, fraude *Arbogastæ* Alanorum præfecti, noctu in cubiculo strangulatus, creditus subita aut voluntaria morte obiisse. sic interiit Gratianorum proles: satisque fauenti cælo visum est, vno velut cursu quatuor eam numerasse Augustos, inter quos tertius parum bellicosus, non auo, non patri similis, Romæ quum a palatio ad hortos Sallustianos secederet, dicebat se confecisse Parthicam expeditionem. Extincto etiam in Galliis Victore, quem pater Maximus ibi copiis præfecerat, illa orbis pars minime quieuit. Arbogastus enim, occulta iuuenis morte, *Eugenium* Imperatorem cum exercitu facit: hac scilicet via, sub titulo illius, occidentis regnum inuadere studebat. multis milibus coadunans, de summa rerum cum Theodosio confligere statuit. Dux noster inuictus, Deo hominibusque acceptus, cum Honorio filio, ingenti animo opus aggressus, hostilia arma, pugnantibus etiam pro eo ventis, qui sponte carcens Æolii cedente obice eruperant, profudit atque deleuit. Eugenius captus pœnas luit: Arbogastus, vt cruciatibus se eximeret, sua manu vsus occubuit. Victor ingenti gloria potitus, amplissimo triumpho liberati orbis, subactis vndique domitisque tyrannis, administrationi reipubl. animum adiecit. Filios HONORIVM & ARCADIVM, quos ex Flaccilla susceperat, consortes fecit imperii. & quia nondum ætas matura imperio erat, ductores legit qui adessent, testamentoque sanxit: Rufinum Arcadio adiungit, & Honorio Stiliconem. Ipse interea Mediolani morbo absumptus, Olymbrio iterũ & Prinn coss. Imperauit annis septem-

decim. Genus a Traiano ducere se iactabat: nec abre. nam moribus, & vultu, & successu rerum similis fuit. Ille labentem remp. in pristinas vires restituit: sub hoc imperium Romanum, quod otio & negligentia trium principum consenuerat, dissensione partium dilaceratum, velut reiuuenescens lacertos mouit. ille, pacata Europa ad Indos vsque arma intulit: hic, prius auspiciis atque armis paternis asserta Libya, attrita bellicosa Germanorum gente, dataque sua virtute toto orienti pace, postremo subactis ardentissimis Gallis, non omissa Britannia, parenti gentium vrbi, Italiæque suæ, victrices aquilas reportauit: subque eo fortunæ simulacrum nusquam prætorium mutauit. Arcadius igitur Constantinopoli, Honorius Romæ imperat. Sed quis animorum recessus inueniri potest? Veterem fidem & sanctissimum ius legati, cupido regnandi violauit. Prior *Rufinus* clam missis muneribus, Alarico Gothorũ regi capere arma contra Arcadium persuadet; vt sub eo metu diadema orientis capiti suo imponeret. Re intellecta, a militibus Italicis perniciosus tutor occisus est: caput cum dextra præcisum, ante ipsas Constantinopolis portas pepẽdit, ac spectantibus ludibrio fuit. *Casanus* Rufini imitator, auxilio Gotthorum fretus, bellum ciuile mouit. arrisit ei primo prœlio fortuna; post nauali inter Hellespontũ & Cherronesum victus, dum fugit captus est. Caput eius pilo suffixum, Constantinopoli spectaculo fuit. Arcadius, quum regnasset annis paulo minus tredecim, decessit, Basso & Philippo COSS. relicto filio THEODOSIO, quem antea Cæsarem fecerat. cui ex matre Eudoxia & Augusto patre, tres sorores erant, Flaccilla, Martina, & Pulcheria, quæ virginitatem perpetuo seruauit, summa bonitate integritateque & sanctitate, religionis obseruantissima cultrix: virgini deiparæ nobile templum ædificauit Blachernis: in quo inclusas argenteo tabernaculo pretiosas Mariæ vestes, quas e Palæstina suis manibus tulit, summa cum veneratione posuit. Eudoxia ante viri obitum tribus annis, morbo soluta est. Honorio IIII & Eutychiano COSS. *Gildo* regnum Africæ adeptus, Mascezelis fratris filios enecat. Is Italiam nauigauit, ab Honorio copias accepit, mirum dictu, cum quinque milibus pugnatorum fraternas copias deleuit ipsiusque Gildonis a fuga tracti velogulam, quibus mandatum est, fregere. hoc modo Mascezel cædem filiorum vltus est. Interea *Stilico* secretiore via filio regnum parat. Mariam Honorio nuptui dat: quæ quum ante nuptiarum diem obiisset, Thermantiam filiam alteram despondit: & hæc illius fatum virgo sequuta est. Mœstus parens, Eucherium filium Cæsarem visere cupiens, Sueuos Wandalosque & Alamanos magna prædæ spe sollicitauit. Illi propetant cum rege Radagasio. numerus fuit ducentorum milium. Stilico metum simulat: hostis vrbis potiundæ caussa in Italiam irrupit; occursu nostrorum subito repellitur: in Etruriam fugit, ibique victus est. Rex vero a fuga retractus, & in carcere strangulatus est. Hostes deinde qui superfuerunt, quum ad solita loca se recepissent, eligendo duci intenti, Alaricum regem salutauere: qui statim legatos ad Honorium misit, qui agros ad habitandum peterent. Gallia ab Imperatore concessa est: quo dum pergit cum omni supellectile, fraude a Stilicone de industria petitus, iter omisit: vltores inuocans deos, quod ius gentium violatum sit, indignatus toto (vt dicitur) impetu, cælo duce Romam contendit: obstupescentibus cunctis, qua iter faciebat, voto potitus est: pauca ædificia incendit: non multa onustus præda, sexto die egressus est, captiuam abducens Placidiam, Magni Theodosii filiam, quam in foro Cornelii Ataulpho propinquo suo vxorem dedit. Ex lectione historiarum illud compertum habeo, victoriam semper fore in ea parte quæ iure pugnat. Victores olim Galli, post captam vrbem si a fœda innocentium nobilium cæde abstinuissent, conscendisse Capitolium Romanis minime profuisset, & anseris clangor Manlium non excitasset. Capta est vrbs anno A. V. C. millesimo CLXIIII. ignominia potius quam clades illata est. Victor deinde Alaricus, in Siciliam tranare naufragio vetitus, dum Consentiæ hiemat, morbo interiit. Milites, metuentes ludibria effossi cadaueris, alueum Bussenti amnis mutauerunt: excauatoque hypogeo, regis tumulum congestis opibus posuerunt, & fluuium pristino alueo immiserunt, & præposito copiis Ataulpho rege, ad vrbem diripiendam redeunt. Dux vero Ataulphus, moribus vxoris Placidiæ lenitus, fœdus cum Romanis percutit: illi indignati,

dignati, regem dolo sustulerunt. Iamque Stiliconis fraudes in aperto erant. igitur cum filio Romæ in foro Pacis occisus est: etiam eius factionis plerique cecidere. Interea in Britannia occiso Gratiano tyranno, *Constantinus* præficitur; propter nomen dumtaxat ad hoc dignus existimatus. Is cum exercitu in Gallias nauigauit, & *Constantem* filium Cæsarem ab eo factum, cum parte copiarum ad occupandas Hispanias frustra misit. Quum hoc accepisset Honorius, *Constantium* ingentis animi virum, ad liberandas Gallias proficisci iubet. qui Constantinum ad primos impetus compressit: & filius sortem patris sequutus, a Gerontio Viennæ occiditur, in cuius locum exercitus, homicida consultore, *Maximum* legit: qui, dum in Hispania exsularet, vrgente rerum tenuitate perit. Exstinctis vndique in Gallis Hispanisque & Libya surgentibus tyrannis, suasione Constantii Placidia ad Honorium fratrem remittitur. Qua liberalitate, Gotthorum rex Vuallis pacem ab Romano principe impetrauit. Porro Placidia, iubente Honorio, nupsit claro viro Constantio; quem dux Cæsarem & consortem imperii simul fecit. ex quibus nuptiis Rauennæ quinto nonas Quintilis natus puer est Valentinianus, Moma & Plinta coss. Magno post apparatu Honorius tricennalia celebrauit, quæ vouerat pro imperio liberando. Rursus Scotorum & Pictorum copiæ e Britannia ab legionibus nostris pelluntur: & in Hispania res pro voto successerunt. Post obitum Constantii Placidia cum filiis Valentiniano & Honorio, iussu Augusti pelluntur, & ab Theodosio Arcadii filio, qui orienti præerat, hospitaliter excipiuntur. Post paulo Honorium febris inuasit, qua decessit, rebus gerendis dissimilis patri. Nam qui eius acta recensent, in quibusdam Magni Constantini F. Constantium imitatum fuisse reperiunt. Imperauit annis XXXI: cum patre II, cum fratre XIII, cum fratris filio XVI. Theodosius iunior, audita patrui morte, VALENTINIANVM Cæsarem fecit, & cum matre Romam misit. aduentus satis opportunus fuit. Nam *Ioannem* factione Castini Imperatorem factum, & Africam sibi vindicantem, nouus princeps oppressit. Theodosius Constantinopoli vicennalia edidit, se XVI, & Festo coss. *Gensericus* rex Wandalorum, accersitus a *Bonifacio*, qui de Africa tenenda desperauerat, post multorum cædem Carthaginem occupauit. Ad aquilonem *Belba* & *Attila* fratres, Hunnorum reges, Illyricum & Thraciam populationibus infestando Thermopylas vsque occupauerunt. Omnia Theodosius magna gloria tutatus est, & victor vota tricenalia edidit. Sic erat imminentibus periculis consuetudo, vt ludi vouerentur, quod triumphalia monimenta ex marmore, ære, argento, auro, & indicant & testantur, sub ea figura, VOTIS XX. VOTIS XXX. hoc est, vicenalibus & tricenalibus: quod etiam indicat annos imperii.

VALENTINIANVS.

Valentinianus, in quo magna & non vana spes asserendi occidentis erat, acclammatione totius Italiæ Augustus ab Augusto appellatus est. Aetius ductor Gotthos in Gallia vicit; Burgundionum regem afflixit: sed in Africa fortuna nobis obfuit. Wandali sub Genserico Carthaginem cædibus fœdauerunt: nec contenti, Siciliam inuadunt. Theodosius frustra mouit arma, quoniam pro barbaris victoria stabat. Qui in Britannia erant, quum Scotorum & Pictorum rapinas & impetus ferre non possent, Anglorum regem Vertigomarum ad opem ferendam poposcerunt: secus euenit: Angli insulã suę dicionis fecere. Sunt etiam ii Saxonum Germanorum populi feroces atque pugnaces; qui adhuc cum Scotis interiectis limitibus imperant. Valentinianus Constantinopolim concessit: filiam principis vxorem accepit: post nuptias Italiam repetiit. Mira res; aliquot annis quieuit oriens; existimo vt vires resumeret, & fortius insurgeret. Theodosius, velut longo imperii potentatu afflictus, (imperauit enim annos quadraginta octo) febre solutus est. Attila toto potitus septemtrione, orbis imperio inhians, Gotthos qui in Gallia erant, socios accersit. Aetius hæc longe ante præuidens, missis legatis, Theodericum regem certo fœdere Romanis coniunxit. Conueniunt ducum copiæ in Gallia: hinc nostri cum auxiliaribus, illinc Hunni, Gepidæ, Sarmatæ, Scythæ, Sueui, Quadi, Heruli, Vgri, fauentibus etiam regulis quibusdam. pugnatum est a mane ad vesperam

vtrimque acerrime nusquam cum maiore hostium numero [illegible] sumus: nusquam maior cædes obstinatione animorum. nam pugnæ con[illegible]em, & Persarum contra Ægyptios, fide carent. prœlium nox diremit. Ceciderunt supra ducenta milia fortissimorum hominum. Nemo loco cessit, vulnera aduerso pectore infixa. nemo iudicium ferre potuit, qui cadauera inspexit, vtra pars ardentius pugnauerit: agebatur enim de toto imperio. Barbari tamdiu regnasse Romanos ægre ferebant: Romani, illos toties impulsos ac victos, insultare non patiebantur. Riuulus qui prope erat, humano sanguine auctus, rapidissimi torrentis instar effluxit. Sed quamuis superiores fuimus, non parua iactura fuit Theoderici cædes: quam eius filius Thorismundus capite Attilæ rependisset, ni Aetius consuluisset ei expedire paternum regnum defendere; veritus ne profligato Attila impetum in nos conuerteret. sed perniciosum fuit consilium. Attila enim, reparatis in Pannonia viribus, sæuiori animo inuasit Italiam, plerasque vrbes diripuit, Istriæ, Venetiæque, & togatæ Galliæ, ac Insubrium. Ad eum Leo pontifex maximus legatus venit: salutem Italiæ peroratis impetrauit. Reuersus in Pannoniam Attila, dum in nouis nuptiis nimis vino indulget, & quieti se dedisset, ferocius stertendo, mero repletum spiritum efflauit. Vitio laborauit Bonosus Imperator, qui congium vini epotabat: quare quum pependit, non hominem pependisse, sed amphoram, in prouerbio fuit. Veteres Græci heroes, vt plenius ingurgitarent, (quod hinc existimabant lætitiam fore) magnis cornibus epotabant. vnde scripsit Athenæus cornutum pingi Bacchum. Satiusque est (quod sapientes viri monent) vino abstinendum; quod immoderate sumptum, pro veneno est. Aetius vel Maximi figmentis, vel iussu principis qui illius successus metuebat, occisus est. qua de re non longe post Romæ in campo Martio Transtila & Octila, milites Aetii, ipsum Imperatorem confoderunt, consilio (vt ferunt) Maximi: quoniam statim arripuit imperium. qui tertio post mense a populo Romano membratim cæsus. Eudoxia Valentiniani vxor, in vltionem cædis viri, Gensericum ex Africa accersiuit. Ille magno cum exercitu nauigauit: vrbem ingressus, a rapinis non temperauit: vt cuique libitum est, præda abacta, abducta & Eudoxia cum duabus filiis, quarum altera Trasimundo Genserici filio nupsit. At milites auidi prædæ, in Campaniam irrumpunt, Capuam euertunt, vrbes alias diripiunt, onusti præda Libyam repetunt.

FLAVIVS VALERIVS MARCIANVS.

DVm hæc in occidente aguntur, orienti præficitur MARCIANVS, fauente ad imperium Pulcheria Arcadii filia; cuius consilio, nondum patefacta populo Theodosii morte, id factũ est. Marcianus humili genere natus, prima stipendia meruit in Lycia. Quum ægrotaret, hospitalitate vsus cuiusdam Tatiani & Iulii, (germani erant) postquam conualuit, animo recreando venatum exiere: fastiditi ardore solis, sub arbuscula quieuerunt. Tatianus prior excitatus conspexit aquilam supra caput Marciani in aere pendere, quæ pansis alis solis radios arcebat. ille fratrem vt videret, excitauit. Vbi somnus abiit, militi quæ viderant aperuerunt; regnum ex eo portendi nuntiantes. Igitur abeuntem viatico CC argenteorum prosequuti sunt. Hoc idem prodigium ei contigit sub Aspare, dum contra Wandalos militaret: captus cum ceteris captiuis quiescebat. Rex cupidus eos recensendi, vidit aquilam supra caput illius per eiusmodi imaginem abire iussit, &, si quando eueniret, fœdus cum Wandalis iniret orauit. Seu aquila, seu vultur regnum portendit, talium prodigiorum plenæ sunt historiæ. Pulcheria, in eligendo Cæsare princeps, senis Marciani capiti diadema imposuit: & quamuis satis cognitus ordinibus erat, boni ac probati mores eum principatu dignum fecerunt. Ideo magis expedit eligere quam exhereditare mereri principem. Nouus Imperator statim pro Tatiano & fratre misit: illum Constantinopoli, hunc Illyricis præfecit: cum Wandalis fœdus percussit. Arma numquam, nisi prouocatus, mouit. quietis amator, quietum orientem habuit. Dicere solebat, donec liceret in pace viuere, non decere principem sumere arma. Romæ populus Rom. cum toto senatu *Auitum* patricium Imperatorem legit sed non diu vixit. Marcianus, quum præfuisset paulo amplius annis sex,

naturæ

naturæ concessit, vt quidam tradunt, conspiratione Asparis. Qua de caussa post creationem noui principis, quum filius Asparis *Ardaburius* Cæsar esset a Leonte pronuntiatus, populus patrem interfecit cum filio.

FL. VAL. LEON. I.

Factione & suffragiis Asparis LEON dicitur Imperator, & Augustus appellatus: qui post cædem Ardaburii Cæsaris, nepotem ex filia Zenonis filium *Leontem* Cæsarem fecit: quidam filium scribunt. Aspar enim ita conuenerat cum Leonte, vt factus imperator, Ardaburium eius filium adoptaret: quod Leon obseruauit. Populus vbi hæc nouit, Ardaburium cum patre interemit. *Anthemium* patricium Cæsarem pronuntiauit, Romamque misit, eique imperium occidentis tradidit: quod *Maiorianus*, mortuo Auito, sibi vindicauerat. Is V anno necatus, Dagalaipho & Seueriano COSS. Sed Rauennæ *Seuerus* imperium arripuit. Qui superato Biorgo regē Alanorum, lauream meruit: III anno occubuit. Quidam tradunt Anthemium factum imper. post mortem Seueri. vtcumque res conuenit, (nam ante Marcianum res cœpta est) Anthemius cum genero suo Ricimere a Gotthis oriundo diu certauit. Et quum vtriusque copiæ paratæ essent, & per factiones diuisa vrbs & Italia esset, Leon e Constantinopoli *Olymbrium* misit, purpura indutum, qui viuenti Anthemio regnum auferret. Res non ita successit: quoniam Ricimer ad Ælium pontem, superatis auxiliaribus Gallis, cum Bilimere Anthemium gladio transfodit. Ciuium Rom. bona data sunt prædæ: exhausisset etiam viscera, ni cœliacus dolor hominem exstinxisset. Olymbrius sine controuersia succedens, VII post mense decessit. Iam Basiliscus Gensericum redeuntem in Italiam prœlio vicerat. Rauennæ exercitus *Glycerium* Imp. salutat: & a *Nepote* (sic erat illi nomen) sororis filio regno pellitur. Interea Basiliscus Zenonis (qui postea imperauit) gener, ingenti gloria victor, magni nominis fuit. Nepos ab *Oreste* pulsus, Salonis (nomen villæ in agro Rom.) cæsus est. Orestem *Odoacer* Gotthorum rex superauit, & Placentiam misit, iussitque interfici: & Orestæ filium *Augustulum* iam Romæ imperantem exsilio damnauit. exsulauit in Lucullano Campaniæ. Scribunt alii, hunc, ne caperetur a Gotthis, sponte imperium reliquisse. In eo sanctissimum Augustorum cognomen defecisse memoratur: etsi Iustinianus postea iura vindicauit, neminem purpura & diademate insignitum ipse, & alii qui sequuti sunt principes, occidenti præfecerunt. *Gotthi* ab Augustulo ad Iustinianum regnum tenuere. Mira res: nequid integrum maneret, defecit cognomen Augustorum in vno COS Basilio, quum consulatus antea duo fuissent: quod scilicet fore portendit vrbis Rom. excidium. Hæc sunt Tite Atinn, quæ ante aliquot secula prædixisti ex Romuli vulturibus, vtrum confusus fuisset numerus, nequis tutelam vinciendo, iacturam peroraret. Matheseos peritus homo inuenit rem sacerdotum vitio turbatam, nec claui in pariete Mineruæ tam liquido constitere, nec annales sub titulo consulum tenere numerum potuerũt: Odoacer igitur tyrannus Romæ, in tota Italia XIIII regnauit annos: cogitauit de vrbe transferenda, & noua colonia deducenda; vt ab suo nomine vrbem appellaret Odoacriam. Primus exterarum nationum quietus per X annos possessor, postea infelicem regno ac vitæ finem dedit. At Leon in oriente XVI præfuit annos: Leon secundus, præfuit annum: vterque morum, non belli studiosus. Eodem anno quo Roma capta est, equestris Theodosii Magni statua posita in foro Tauri supra cochlidem columnam, sponte corruit.

FL. VAL. ZENON.

ZEnonem Leon secundus sua manu coronauit. Fuit Zenon ex Isauris Ciliciæ, humilibus parentibus natus, humili & incognita villa, non minus vultu quam moribus deformis. imperauit non vt augustus, sed vt tyrannus. sub eo *Ilus* (quid non audet fortuna?) e suis gentibus mutilatis auribus vna cum Leontio in oriente ciuilem motum fecere. Theodericus rex Ostrogotthorum mire a Zenone diligebatur: ab eo factus consul, collega Venantii, impetrauit ab Augusto Italiam, si Odoacrem superasset. Cui Zenon assensus est, commendauitque ei vrbem Romam populumque Romanum. Theodericus cum exercitu per Illyrios Italiam

petiit, occurrentem Odoacrem prœlio vicit & fugauit. Fugiens intra mœnia vrbis, non admissus, citissime Rauennam contendit: triennium ibi obsessus, tandem captus in cœna iussu victoris crudeliter excarnificatus. Victor ingenti lætitia ac plausu ab obuio senatu populoque Rom. exceptus, plurimumque dilectus, quod gratuita liberalitate caritatem annonæ fugauit: (hoc scilicet imperii conseruandi salubre fomentũ) multaq; ædificia vrbis instaurauit. &, si ab sanguine quorumdam senatorum abstinuisset, nemo fuisset Theoderico acceptior. An. II Zenonis imperii, *Basiliscus* a sorore, quæ Augusta erat, quia Imperator aberat, in regali solio positus, Marcum filium Cæsarem fecit. Rediens e Syria Zenon, ius suum repetens, in Cappadocia Basiliscum cum filio relegauit: qui Lemnis (nomen opidi est) fame consumpti sunt. Præfuit Zenon annis septemdecim.

FL. VAL. ANASTASIVS.

ANASTASIVS* DICORVS magno consensu princeps electus, statim donatiuum militibus dedit: legatos Indorum cum muneribus venientes, placidissime audiuit. A mari ad Selymbriam longum murum duxit, ne incursiones Mysorum, Bulgarorum & Scytharum, quum fierent, obesse possent. Statuam æneam equestrem inauratam sui nominis ac tituli supra columnam fori Tauri posuit: laudabilius si illam Theodosii Magni restituisset. *Athenodorus* tyrannus in Cilicia pœnas luit: cuius caput Isauricus miles veruto affixum ante portas Tarsi tulit: ibique relictum aruit. Priscus Antiochiæ, quæ est Ciliciæ, *Longinum Selymantheum* cepit, & vinctum catenis ad Anastasium misit. cuius iussu Nicææ Bithyniæ, tamquam fera dilaniatus est. Et *Hunni* non contenti Armenorum spoliis, Cappadociam vastauerunt, & vsque Lycaoniam vrbes diripuerunt. Ad aquilonem vero *Vitalianus* magister militiæ grauem fecit motum; & vt quiesceret, nongenta pondo auri ab Imperatore accepit. *Getæ* Macedoniam, Thessaliam, Epirum diripuerunt, multos fecere captiuos: pro quibus redimendis quum aurum misisset Anastasius, & non sufficeret hostium votis, barbari captiuos aut in domibus suffocarunt, aut pro mœnibus in conspectu multitudinis trucidarunt. Anastasius, vt credibile est, malo genio actus, in diuinis præcepit non trinitatem, sed quaternitatem adorandam esse. Hinc ciuiles motus adeo creuere, vt nisi simulasset se mutasse mentem, imperio priuatus dedisset pœnas. Sed *cælestem iram quis vitat?* ictus fulmine occidit. Marcellinus tamen tradit, eum natum supra annos LXXX, subita morte occubuisse. Imperauit annos XXIIII, menses II, dies XXIX.

FL. VAL. IVSTINVS.

IVstinus Thrax sine imaginibus, sine tribu, vtroque parente ignobilis, a teneris annis suum custos, deinde boum, post lignarii cuiusdam minister, natus annos XVI, militare cœpit. promptus manu & doctus hostem ferire, sortem mutauit, princeps ordinis fuit: & hinc promotus, comes factus est. Mortuo Anastasio ad eum Amantius spado, libertus superioris Augusti ditissimus, venit, magnam vim pecuniarum secum ferens; orauitque vt in toto exercitu ductoribus & militibus partiretur, & ipse acciperet quantum vellet, promitteret donatiuum per singula capita, & longe maius quam priores fecerunt, si *Theocritianum* Imperatorem legissent. pecunia satis integre soluta est, nõ ad votum Amantii, sed Iustini, qui pro se suffragia caute emit. Itaque quum princeps eligeretur, nemine discrepante Iustinus pronuntiatus est: quem curuli acceptum sella, diademate ornatũ, adorauerunt omnes. Amantius & Theocritianus, & Andreas minister a cubiculo, insidias principi parauerunt: ea de caussa e medio sublati sunt. In occidente Theodericus XXX mil. Gallorum prœlio cecidit. Ioannem pontificem max. Romæ carcere consumpsit. Inde subita morte occubuit; regnumque Aralanco ex filia nepoti tradidit. In oriente Iustinus sororis suæ filium Iustinianum consulem fecit cum Valerio collega: qui consulatus contra legem Marciani, adeo insignis fuit ludis atque muneribus, vt facile priores superauerit. Viginti leones iubatos, & triginta pardos exhibuit, aliasque innumerabiles feras. Item gladiatores & scenas circensesque, & magna aurigarum præmia; in quibus vltima tantum mappa populo propter factiones denegata est. Anno imperii

eius nono calend. Aprilis Iustinianum adoptauit, consortem imperii fecit, quarto post mense decessit. Imperauit annos nouem, menses duos, Mauortio consule.

FL. VAL. IVSTINIANVS.

IVstinianus reparando imperio animum admouit. *Persas*, qui transgressis limitibus Mesopotamiam, Cœlesyriam Syriamque prædati sunt, Belisarius legatus ab Augusto missus, prœlio fudit fugauitque: trans Euphraten abire coegit; veteres firmauit limites: iura imperii toto orienti asseruit: cum victoria redeuntem & aureo curru triumphantem, Iustinianus magna lætitia excepit. Idemque dux triumpho insignis, & rebus gestis clarus, recuperata Africa, *Gelimerem* Wandalorum regem vinctum catenis Constantinopolim misit: Carthaginem firmius quam antea restituit. Triumphus maior ac pretiosior Persico fuit. Præferebantur puluinaria ornata auro ac gemmis, signa militaria, tapetes, mensæ, pocula, vestes pretiosæ, pepla, regiaque supellex distincta auro, lapillis & margaritis; septem magna vasa plena auro, & vasa quædam e gemmis. Quid gratius præberi oculis potuit quam captiuum intueri regem cum vxore & regia familia? Quum ad conspectum Imperatoris ventum est, iussusque est rex adorare principem, ferunt eum pleno ore semper risisse. Existimabant ingenti dolore perculsum, mente captum esse: illumque dixisse, *se ridere fortunæ humanæ vicissitudines*: vt qui modo rex fuisset, iam seruiret. Eadem sententia fuisse Æmilii Pauli memoratur, quum post captum Persen Macedoniæ regem, de mutabilitate fortunæ non sine lacrymis disseruisset. Consul factus Belisarius (quæ dignitas prima post Imperatorem erat) e Sicilia in Africam rediit, rebellantes compressit. Solomoni præsidi partem inuictarum copiarum reliquit. At vero in Italia Atalarico defuncto, qui regnauit annos IIII, successit *Theudatus*. qui quum suspectus esset, in loco qui dicitur Quinctus, tumultu militari occisus est. Opinio fuit *Vitigitem*, qui statim regnum accepit, auctorem cædis fuisse. Belisarius cum victore exercitu, iussu principis in Italiam nauigauit. Neapolim resistentem vi cepit: sæuitumque est sine sexus, ætatis, & sacerdotii discrimine. Romam quum venisset, pauidi Gotthi Rauennam profugerunt. Vitigius, coadunatis innumerabilibus copiis, Romam contendit, obsidet: nihil quum proficeret, suburbana omnia incendit. Ita Belisario acriter defendente, vrbs non capta est: post annum Vitigitis re infecta, Rauennam reuersus. Deinde, quod vix credibile esset, Belisarius cum parua manu cum tanta multitudine conflixit: profligatoque hoste, Vitigitem fugauit. Captus a Ioanne magistro militiæ, Romam ductus est, & inde a Belisario Constantinopolim. Iustinianus, regii nominis memor, ne sine dignitate viueret, Persico limiti in ripa Euphratis hominem præposuit; vbi sequentibus annis diem obiit. Dum hæc in Italia geruntur, Gotthi in Africa duce *Gundorico* rebellarunt. Belisarius rem sedauit, cæso auctore qui dux erat. Gotthi Circumpadani, *Hildebrandum* regem creant. cui post paulo interfecto substituitur *Vatrius*: qui vix annum præfuit; & cæsus est. Eius locum, assentientibus copiis, accepit *Badula* cognominatus *Totila*: quo ductore Gotthi populationibus & incendiis totam Italiam infestam reddiderũt. Aueratium pont. Ausinatum, legatum ad Imperatorem misere, vt eis liceret vrbem & Italiam tenere, quemadmodum maiores eorum tenuerant. Quibus respondit Iustinianus, res Italicas commisisse Belisario & Ioanni; cum illis agerent. Gotthi intellexerunt sibi armis decernendum fore: itaque sine spe veniæ ac pacis, omnia rapinis, cædibus, incendiis, ruinis, antequam Belisarius rediret, ingenti miseratione fœdarunt. Vrbem Romam proditione Isaurici militis XVI caleod. Ian. porta Cælimontana ingressi, imperio potiti sunt: nec eo contenti, bona diripiunt: mœnia bona ex parte solo æquant, domos aliquot igni absumunt: incolas omnes cuiusq; gradus atque ordinis, rex potissimum Totila ab vrbe abire præcepit, ducturus alio in loco coloniã. Multitudo omnis in propinquas vrbes se recepit. sine habitatoribus vrbs relicta est; mansitque in ea solitudine amplius XL diebus. Hæc sunt tua monimenta parens Romule: hæc est illa æterna vrbs, terrarum dea gentiumque Roma, cui par est nihil & nihil secundum: quæ vndique pene victo orbe aduectos triumphos recepit: cuius imperium* occidentis, oceano & Transtigritanis regnis terminatum.

Tu ne illa Roma ad quam quot sunt sub cælo gentes, conuenire ius erat; quæ innumerabiles colonias emisisti? sed iam ciuili intestinoque odio eo lapsa es, vt honorificennot haberetis, si nomen tuum tantummodo exstaret: quoniam dissensione partium, & assidua vastatione Romani agri, ita a tuis præsertim dilaniata es, vt exactam vetere pomœrio, mutilatamque in campo vix consistentem, nostra ætas nõ sine lacrymis conspiciat. Auget præterea dolorem, quod qui præsunt, licet velint, adiumentum tamen ferre non possunt. Interea Belisarius morbo liberatus, silentio & ruina squalidam vrbem, & graui dolore depasti incendii fœtidam, ingressus est. Ferunt incendium surgentibus flammis XIII dies emicuisse. Dux cautus mœnia raptim reparauit lignis & ruinis, ciues redire iussit; quorum maior pars etiam non vocata reuersa est: sed non omnia ædificia in cineres ierant, quæ magno redeuntibus adiumento fuere. Verumtamen regiones tres, porta Capena, Piscina publica, & Auentinus, adeo consumptæ vt neque tunc neque postea restitui potuerint. Totila, accepto huius rei nuntio, cum infesto exercitu ad euertendam vrbem rediit: sed repulsus, Æmiliam petiit. Et, si Belisarius persequutus esset, Gotthicæ victoriæ laudem Narseti ademisset. Belisarium a rebus Italicis fama belli Gallici reuocauit. Germanus patricius Augusti patruelis, contra Gotthos missus, in Illyria morbo occubuit. itaque Italicæ expeditioni præficitur Narses. In Africa Artabanes *Stozam* tyrannum prœlio vicit accepit: dumque Cisalpinæ Galliæ Totilas auxilium præstat, a Longobardis occisus est. Deinde Gotthi, audito Narsetis aduentu, obsides Romanos quos secum habebant, ad vnum interfecere omnes. Narses deinde cum Gotthis magno prœlio conflixit; & felici vsus victoria, omnes pene deleuit. Etiam rex ipse, ne superstes dedecori esset, gladio pugnando transfixus vna interiit. Ob victoriam ludi editi: & in circensibus ex factione prasinorum & venetorum tanta seditio ex certamine orta est, vt magnam fecerit cædem. Tale spectaculum aurigæ præbent, & inanis spectantium fauor numquam quiescit. sic russati, albati, veneti, & prasini, mappas in circo quærunt: sed vltima fere semper in ambiguo est. sic pro vili panno, miserorum mortalium animi, huc illuc distracti pendent. Princeps tamdem affectus morbo, Iustinum ex filia nepotem consortem imperii fecit, caputque diademate exornauit, fortunæque fauentis signum in cubiculum illius transferri iussit. ingrauescente morbo non sanus mente decessit. Imperauit annis triginta nouem.

FL. VAL. IVSTINVS II.

IVstinus patre Illyrico, matre Augusti filia, a teneris annis non vt nepos, sed vt filius in aula principis educatus, magno in honore habitus est: natura facili, & ad omnia dexteriore. Ab initio principatus, orante Sophia eius vxore, æs alienum soluit: tanta liberalitate vsus, animos ciuium simul & militum coniunctissimos habuit. Cum Persis solutis induciis pacem fecit. Narses post Gotthicam victoriam tenuit Italiam annis XVI: accusatus a quibusdam seditiosis ciuibus apud Iustinum quod nimis austerus ac sæuus in iudiciis esset, per litteram se expurgauit. Sophia, vt hominem irrideret, ad eum scripsit, vt ad pensa, muliebre opus, rediret: eunuchus enim erat. Ille indignatus, sollicitauit *Longobardos*, qui in Pannonia erant, quorum auxilio delendis Gotthis vsus fuerat, vti Italiam occuparent. Natio fuit Germanica; quæ ex Cimbrica peninsula ad quærendas sedes profecta erat, & non statim cœpit arma. fere triennio post, cum vxoribus & liberis, & omni supellectile, Italiam petierunt. numerus fuit CC milium. sub rege *Albuino* subactam ac domitam Italiam in potentatus diuisere. tenuerunt an. CCIIII. Illo tempore *Vgri*, glacialis Oceani accolæ, quærendo sedes, Pannonias ingressi, ibi commorati sunt. quam adhuc pacifice tenent: rebus bellicis ita clari, vt nulli ferocissimarum gentium cedant. Iustinus, quum grauiter dolore pedum laboraret, obiit. Tiberius, quem ante adoptauerat, ei successit.

TIBERIVS.

TIberio pax erat cum Longobardis; qui se paratos fore ad omnia principis mandata, per legatos fuerant polliciti. regem sibi creauerunt **Clephen*. qui quum

a suorum

a suorum sanguine etiam non abstineret, in insidias lapsus, cædi metuit. quo cæso; Longobardi XXX duces legere, qui Italiam regerent: quæ a Samnitibus ad Alpes, præter vrbem Rom. & portum, dicionis eorum erat. Tiberius in oriente *Persas* sæpe profligatos intra suos fines compulit, recepta Mesopotamia. *Longobardi*, rupto cum Imperatore fœdere, vrbem Rom. graui obsidione premunt: sed eos multitudo decidentium imbrium a mœnibus repulit. Qui, existimantes sacrũ quoddã violari, magno silentio eo animo concesserunt, amplius cum hostilibus armis non redituri. Sequuta est imbres longa siccitas; & inde caritate annonæ laboratum est. Tiberius Mauricium generum suum adoptauit. Tiberii felicitas multi nominis fuisset, si res in occidente vt in oriente ei successissent. Imperauit annis VII. Mauricium generum suum consortem imperii fecit; qui successit.

MAVRICIVS.

MAuricius gerendis rebus in initio felix, Armenos & Persas per legatos fudit; Mœsia Scythas repulit. In Italia Longobardos repressit. Deinde auspiciis Theodosii filii sui & Germani soceri, victos Hunnos Pannoniisque exactos ad solitudines fugauit, & *Chaganum* afflixit illorum ducem. *Romanus* quidam patricius, non abnuente Augusto, cum Longobardis sæpius pugnauit; & victor, primus *Italiæ exarchus* factus est. Felix est qui victoriam assequutus, temperare se didicerit. Romanus Græcis munditiis nutritus, ad delicias animum flexit, simulque ad rapinas. Mauricius vero vetuit: cuius mens (quia pax erat) cumulandis thesauris accensa, finem non inueniebat. ea de caussa tenax factus, stipendia aut rara aut nulla dabat: factaque contra eum conspiratio est ab exercitu qui Sarmatico limiti præpositus erat: cuius dux *Phocas*. Rumor ad Augustum peruenit; qui *Philippicum* generum accersiri iubet: cui aperuit quomodo per nocturnam quietem bis terue admonitus erat, vt cum tota familia a Phoca præcaueret. Philippicus admirans, dixit se noscere hominem, qui tale facinus non auderet, quum nimis timidus esset, improbus tamen. *Propter id*, (inquit Mauricius) *mihi cauendum est: nam qui timidi sunt, postquam scelera ineunt, parcere nesciunt, & sæuius agunt. cogitemus igitur ne res eueniat.* Tum Philippicus; *Liberalitate opus est: ea sola milites etiam irati sedantur.* Mauricius surdis auribus audiebat, aut cogitabat inferos pecunia placare, ne acciperent admitterentque, aut ne priuatus vt antea inter notarios lateret: notarius enim fuerat, & ob diligentiam a Iustino præfectus vigilum factus, inde Tiberii gener, post Augustus. Longe auarius quam ante, omnia negotia principis agebantur, vt opinor, ob fatorum necessitatem. Quum milites id amplius ferre non possent; præsertim qui contra impetum Scytharum positi erant, loco sterili ac difficili, & gelu horrido, coniurauere in caput Mauricii. sed quum ad opus ventum est, Chalcedone tota domus fere cum principe cæsa est: quod ei non contigisset, si non fraudasset milites stipendio, si, vt decebat, vixisset. Ferunt enim, nihil esse in eo qui imperat, auaritia detestabilius: fœdum crimen est, & parens omnium malorum. Hinc rapinæ, hinc cædes, hinc dominandi cupido ortum habuere. Hæc in Pertinacem, cetera virum integrum ac sanctum, milites armauit: contra, liberalitas Alexandro Magno imperium propagauit. Vtinam Maurici aut Iustinum aut socerum tuum imitari didicisses. ab illo Iustino æs alienum persolutum est: hic Tiberius, cum vxore Anastasia, placido certamine indigentibus largas opes dedit: sed tu, veluti fato concederes, thesauris inhiando gladio iugulum præbuisti. Imperauit Mauricius annis XX.

PHOCAS.

PHocas ab scelerato exercitu, cuius dux erat, Imperator lectus est. qui pene Mauricii oblitus, nec tanta cæde edoctus, auarissime tributa exigenda mandauit: tenacius priore aurum seruans, secreto cum suis aulicis Persico more omnia disponens: & hi legatos audiebant, iudicia pendebant, magistratus dabant: quo in eo qui imperat, miserius & deterius nihil est. Palatini enim fumi grauiter lædere solent. Gratiores apud eum erant qui inexplebili rapacitate populos vexabant. Stipendia numquam negauit: quæ tamen parcissime dabat. Vnum porro sanxit

quod laudem meruit, hoc est, vrbem Romam totius salutaris vitæ caput esse, quum antea propter sedem principis, Constantinopolis haberetur. Desidia & ignauia Imperatoris, Romanorum hostes potentiores facti, occidentis diœcesi Germanias cum insulis, Gallias, Hispanias, & bonam partem Italiæ, Pannoniasque & Mœsiam abstulerant, & magnam partem Africæ: orientis vero, Iberos, Armenias, Arabas; & hinc Dardanos, & mediterranea Macedoniæ & Thraciæ. Chaganus Thrax, Hunnorum rex, modo huc, modo illuc vndique discurrebat. Mesopotamiam, Assyriam, Persæ occupauerant: Ægyptum Saraceni vastauerant. Pro dedecus, nostræ vires adeo defecerant per luxum ac libidinem, vt imperium Romanum solo tantum nomine constaret. Res enim publ. vindices non habebat. Magnam spem in initio præbuit de se Phocas, quod homo militaris: sed omnes fefellit opinio. Itaque ex omni parte reges soluti metu, irruebant. eoque ventum est vt aut nomen imperii deleretur, aut Phocas occumberet. Erat acceptus Imperatori Priscus Patricius gener Heraclonæ: huius filius Heraclius pro prætore Africam administrabat. Ii tres de Imperatore occidendo coniurationem inierunt. Heraclonas, quia magister militiæ erat in Thracia, velut defensurus regionem & propulsurus barbaros, exercitum coegit: Heraclius ex Africa Constantinopolim venerat, ne pater defectionis suspicionem faceret. Conueniunt statuto tempore: fit de industria tumultus: dum milites prætoriani accurrunt, coniurati principem obtruncant. Milites primum Heraclium Imperatorem Cæs. Augustum pronuntiant. populus deinde & senatus ingenti acclamatione probauit.

HERACLIVS.

Heraclii Sergius, Constantinopolitanus pontifex, caput diademate cinxit: eademque die Fabiam * Eudoxiam duxit vxorem: simulque & sacratissimæ coronæ & nuptiarum pompa celebrata est. Totum orientem vastauerant Persæ, & legiones sæpius reparatas, sæpius deleuerant. Hinc Scythæ & Auari Europam diripuerant, & Rom. milites interfecerant: paucissimi in tot cædibus supererant ex his qui militauerant sub Mauricio & Phoca. vix crediderim quod quidam scribunt, duos tantum superfuisse. Ambiguus erat Heraclius, Europamne an Africam vindicaret. Crispum Cappadociæ præfecit. Fœdus cum Chagano ante Longum murum Anastasii percussit: cum Longobardis induciæ nondum exierant: Africam firma præsidia tuebantur. Itaque tota mole ad orientem liberandum conuersus est. Priusquam bellum gereret, legatos misit ad Chosroen, vt a vastatione vrbium & Romanorum cæde cessaret, vtque iam satur humano sanguine, rediret in Persida. Deinde frustra orauit inducias. Ille, cui animus omnia perdendi erat, bis legatos contempsit. tandem spretis conditionibus pacis, superbę & contumeliose respondit, se numquã cum Romanis quieturum, nisi postposita & abnegata Iesu Nazareni crucifixi religione, Mithram, hoc est Solem, qui vnicus est Deus, adorarent. Imperator indignatus, desperata pace, expeditionem quam cœperat, parauit: acrem delectum vndique haberi iussit: nouas legiones scripsit. nam veteres occiderant. & priusquam ad bellum duceret, exercuit, vt solet de tironibus fieri: ad liberandum orientem pergit. Chosroes factus de bello certior, Palæstinam Iudæamque diripuit: Hierosolymas, post longam Christianorum occidionem, exhaustis omnibus & omni supellectile, consumpsit: lignum salutiferæ crucis, vna cum sanctissimo vrbis episcopo, in auita regna ferri iussit: Ostanem satrapam cum valido exercitu, contra venientem Heraclium misit. Res primum leuibus prœliis tentata est: deinde totis viribus pugnatum est. Persæ victi terga dedere: cæsa sunt hostium supra triginta milia. Ostanes fugit: Saraces & Sarabasses duces cecidere. Nec tanta cæde vlti sumus. iamque iterum ac tertio victores, deleto ac cæso supplemento longe maiore, cum duce Saie & Razetene in viscera Persidis superato Tigride penetrauimus, sæuitumque est non modo in homines, verum in vrbium direptiones: nec temperatum est a profanis hostium templis. qua strage nostra vulnera recompensauimus. Secundo & tertio prœlio, cælesti auxilio vsi, victoriam assequuti sumus: sed tertius ille congressus, cæsis multis milibus, finem bello Persico fecit. Chosroes, desperatis rebus, Ctesiphontem

tem aufugit: vbi a Siroe filio interfectus est, quod pater Medarsæ filio alteri, sed natu minori, regnum tradiderat. quare & hic cecidit vxoresque. Negotio perfecto, Siroes ablatas opes quas reperit, captiuosque Romanis, & lignum vitæ restituit Heraclio; & primus ipse de morte patris ac fratris scripsit ad principem. Paxque ei data est iis conditionibus, vt limes Persici ac Romani imperii Tigris esset, atq; Persæ Mesopotamiam non attentarent. Tertiæ pugnæ dies fastis Rom. adscriptus, adhuc magnæ venerationis est. Exercitus victor & laureatus, onustus ferculis atque tropæis, magna lætitia & ingenti gloria Constantinopolim redit. Dux purpuratus, aureo inuectus curru, non lauream manu, sed lignum crucis tenens, se lætantibus populis spectandum præbuit. Gratum & saluiferum spectaculum, occurrentibus sacerdotibus regio ornatu insignibus pompaque admirabili, præeunte pontifice in sacratissimo templo positũ est. Maior hic certe triumphus quam qui de Gilemere victo & Africa recuperata habitus est. Imperauit Heraclius annis XXXI. ferunt hydropisi occubuisse: alii scribunt nouo cladis genere, testium folliculo sursum verso, simul cum virili membro, & semper tento; adeo vt quoties meieret, nisi tabula vmbilico admota prohibente, vultum lotio sparsisset. Existimant ob illicitas nuptias accidisse. Lapsus etiam fertur in hæresim Monothelitarum.

MAGMED.

Hvius tempore prodisse in lucem Magmed memoriæ proditum est, obscuris genitum in Arabia parentibus, captumque ab Scenitis, (Numidarum more viuunt) & mox venditum. Abdimoneples Ismaelitici generis emit, locuples mercator: qui non vt seruum, sed liberûm loco educauit. Forma puerum conciliabat. Quum adoleuisset, mercimoniis præposuit. Qui dexteritate ingenii quum valeret, commercio vsus Christianorum Iudæorumque & aliorum, & lucro augendo diligens, primum domino gratus, inde in notitiam plurimorum venit. Erat tum in Arabia *Sergius* monachus. Eo enim e Byzantio fugerat, scelestæ opinionis pœnas metuens: inque domum Abdimoneplis consuetudine diuertebat, Magmedi plurimum fauens: nactusque iuuenis facilitatem atque promptitudinem, in diuersa haud difficulter deduxit. Interea herus moritur sine liberis. vxor vidua, dum virum quæreret, & esset quinquagenaria, domique haberet validum annis iuuenem, domesticis nuptiis vsa traditur, Sergio (vti ego existimo) persuadente. Iuuenis, magicæ vanitatis non expers, potens pollensque carmine, intra paucos dies muliebri menti mirum de se studium immiscuit; adeo vt illa nimio ardore deperiret. Corripiebatur Magmed comitiali morbo. quod vbi vxor animaduertit, ægre ferens, rogauit quidnam rei esset. Tum ille, monitis Sergii, *Desine mirari*, inquit: *morbus abest: sed conspectum cælestis nuntii ad me Dei iussu venientis, ferre quum nequeam, mens & membra obstupescunt*. Idemque contingere omnibus prophetis narrabat; se quoque Prophetam esse dictitans. Vana spe elusa fœmina, fidem præstitit: & quem modo amabat, obseruare simul & colere cœpit. In ea persuasione quum diem obisset, heredem virum toto (vt aiunt) asse scripsit. Iis opibus fretus, palam de se loquebatur. Multi assentiebantur, præsertim fœminæ, inter quas antea gloriabunda vxor, nomen laudesque mariti & cælestium congressus disseminauerat: siqui vero repugnarent, cogebantur armis: breuique sermone & metu exercitum satis amplum coegit. Negligentia Cæsaris Augusti animos præbuit, qui exiguis copiis primos illos conatus effringere potuit. Neglectus ignis paulatim augescens, quum fomes suppetit, absumit omnia: desidiaque nostrorum, perniciosa rabes creuit, cui fomentum medicæ manus adhibere nequeunt. Arabes primi defecere; proximæ deinde regiones; ipsaque inuaditur Syria: in qua ferax Damascus vi expugnata, viuentis Phylarchi & templum & diuinos honores princeps inspexit. Pugnasse postea fertur cum Persis, & partem copiarum amisisse, rediisseq; ad suos Arabas, copiasq; suppleuisse Scenitis, manu tum bello validissima, & rebus gestis clara: quæ indignata ob negata stipendia fraude quæstorum & Romani ducis tenacitate, Magmedi hæsit: & tunc defecisse prouincias quidam scribunt. Scriptor haud ignobilis, qui paulo post illa tempora fuit, tradit Magmed cum plerisque asseclarum cohortibus Syriam in-

traſſe, & per legatos petiiſſe ab Heraclio regiones ad incolendum, atque impetraſſe: & ingentem illum numerum, quum alimenta deeſſent, direptionibus agrorum villarumque & vrbium quæſiuiſſe. Adiiciunt post rapinas reuerſum eum ad antiquas ſedes, aperuiſſeque leges, & fuiſſe legislatorem: tandem natum annos quadraginta veneno interiiſſe; quod affines dominotum ad quos hereditas ſpectabat, parauiſſe ferunt, & clam cibis immiſcuiſſe. Eo ſublato, Iſmaelitica gens, quod abducere didicerat, ferre palam deterrita non eſt. Tota fere, quæ antea cœperat, ceſſit Aphrica; ſed oræ mediterranei maris longe ſerius. Demum deſidia Romanorum principum, eo ſuperſtitio creuit, vt magnitudine eius atque armis perterritus oriens, & bona pars Europæ, non ſine clade & noſtra ignominia deſciuerit.

DE PROGENIE HERACLII.

HEraclius ex Fabia Eudoxia vxore ſuſcepit Epiphaniam & Heraclium, qui *Conſtantinus Nouus* appellatus eſt: quem ab ineunte ætate ſacro diademate adornauit pater. Defunctæ Fabiæ funus quum efferretur, puella forte quadam ſpuit per feneſtram: contigitque tetigiſſe elatum cadauer: nulla facta mora, comprehenſa, & rogo Fabiæ poſita, viua exuſta. Duxit poſtea Martinam filiam fratris, lata lege vt idem omnibus liceret: ex qua genuit Heraclonam. Succeſſit primum patri Conſtantinus Nouus: qui regnum a patre accepit, non malum fidei dogma. Nondum annum imperans, a nouerca veneno ſublatus eſt. Arripuit imperium Martina cum Heraclona, qui natus erat annos decem: & ii conſpiratione ſenatus ante biennium capti, & in exſilium Cappadociam miſſi. Mulieri linguam præcidunt, ne oratione, qua plurimum valebat, populos commoueret: puero abſciderunt naſum, ne decor aut gratia in vultu miſerationem facerent. Senatus tunc ſine militibus principem fecit: quod raro contigit & ante & poſt Tacitum. Auguſtus electus eſt *Conſtans* Conſtantini filius, genitus ex Gregoria filia Nicetæ patricii: & is filius Gregoræ, qui multum dilectus ab Heraclio fuerat, magniſque honoribus functus. Conſtans vero, dum fruſtra in Longobardos impetum facit, in ſuos conuertit iram. Laminas argenteas, quibus Pantheon tegebatur, & alia quædam pretioſa, reliquias hoſtilium prædarum atque incendiorum, ſubſtulit, & ſecum in Siciliam tulit. Dumque ibi in balneis ſe lauat, a miniſtris auctore *Mazeſe* interfectus eſt. Qui dum pace Conſtantinopoli fruitur, mortem obiit: regnumque per manus filio *Iuſtino* tradidit. In hoc defecit Heraclii progenies: decimo imperii anno, deiectus ſolio a Leontio patricio, exſul in Ponto, afflictus calamitate occubuit, abſciſſis naribus. Soli Heraclio inter omnes principes Romanos, quantum rerum geſtarum monimenta docent, ſtirpis ſuæ apud inferos ſextum legere Auguſtum, Lacheſis ſuo inextricabili volumine concedit. Præfuerunt omnes annis LXXXVII.

IOAN-

IOANNES BAPTISTA EGNATIVS IACOBO MINVTIO S.

QVI principibus illustrioribusque viris ingentis sui monimenta nuncupant, Minuti clarissime, alii idagunt vt aut veteri summæque in eos obseruantiæ id sese tribuisse dicant: alii, vt eorum præsidio tuti, inuidiam minus grauem ac noxiam sentiant: alii, vt fructum alieni de se iudicii ex indicatura percipiant. Nec desunt qui posteritatis laude rapti, ac immortalitatis spe quadam inflammati, ea sibi nomina deligant nuncupatione, quæ diutissime & viuere & florere posse sibi persuaserint. Id quod a pictoribus artificibusque plerisque obseruatum animaduertas, qui deorum principumque effingendis imaginibus, eo libentius studeant quo minus obnoxia illa existiment aut hominum aut temporis iniuriæ fore. Sunt etiam qui hoc veluti sacro litterarum munere promereri gratiam beneuolentiamque eorum cupiant. siquidem haud inter postremas laudes referri debet, siquis principibus perplaceat viris. Sed & multi facile sese operamque suam his ostentant, quorũ & auctoritate ornari, & opibus augeri se sperent. Ego, vti ex prioribus quasdã fortasse sequar, sic certe duas, quarũ altera publica communisque tibi cum gente Gallica, altera plane tua ac propria sit, sequutum in primis esse me non negem. Et communis quidẽ illa, quod, quum singulari ac diuina potius GROLIERI *beneficentia Mediolani agens alterũ abhinc annum ornatus auctusque sim, non possum iam ex illo tibi tuisque omnibus, etiam atque etiam non perpetuo velle debere. Illius enim consuetudine & opera, facile quanta gentis vestræ morum simplicitas, quæ publica domesticaque disciplina, quæ in omnes caritas, quanta in Deum pietas vestra foret, est perspectum mihi plane ac cognitum. Quid enim vobis ipsis magis rectum apertumque esse potest? Quid minus insidiosum ac fallax? Arctoæ (inquiunt) gentes hoc omnes habent. Ego vero, quum fallacissimas ex his multas legam, non cælo sed naturæ plane hoc vestræ, optimæque disciplinæ id tribuam. Iam quid animorum voluntatumque vestrarum fraternam in omnibus consensionem prædicem? quam non conuiuiorũ frequentia tantum, sed officiorum communicatione, ac summa caritatis mutuæ testificatione tuemini. Hæc vero vobis adeo natura insita, vsu parta, consuetudine aucta fuisse videntur, vt tot mihi germani fratres, non de facie solum, sed de morum in primis similitudine atque æqualitate videamini. Quare non immerito admirati Pœnorum legati etiam in hoste, Romano scilicet populo, id plurimum esse dicuntur, quod conuiuio accepti a pluribus ciuitatis principibus, eodem vbique cœnassent argento; testati nullos hominum benignius Romano populo viuere. Nam quid de vestra in regem obseruantia, in Deum pietate dicam? Quæ enim vmquam gens aut externos principes non admisit, aut admissos non interdum expulit? sæpe etiam per summum scelus non occidit? Francis id proprium ac peculiare, nullos vmquam externos pati. suos autem vsque adeo amare ac colere, vt pro regis dignitate ac maiestate tuenda non opes tantum sed vitam ipsam profundere possint. Illa vero quæ Deo ac religioni debetur, tanta talisque est, vt sileri melius putem: quum vestigia haud sane leuiter impressa, tot et tanta exstent, vt nulla vmquam delere illam obliuio, nulla obscurare temporum iniquitas valeat. Cæterum excellens quædam ac eximia in te virtus, secundusque ac constans hominum de te rumor, & in primis Ioannis Francisci Asulani, adolescentis cum summæ spei, tum vero laudum tuarum studiosissimi, prædicatio effecit, vt & ego te pridem litteris consulendũ duxerim, & nunc* CÆSARES *tibi meos reliquamque ad hosce non vulgarem (nisi fallor) industriam cupidissime nuncupem. Quo-*

rum lectio tanto tibi gratior ac iucundior esse debebit, quanto is qui ea tibi inscripsit, te plus amat ac colit quam multos alios. Huc accedit quod singularem eruditionem tuam ac multiplicem litterarum cognitionem magni facit: quod MINVTIÆ *familiæ nobilitatem (quippe quæ a Romanis illis deducta Minutiis pro constanti habeatur) obseruat: quod denique se tibi quam coniunctissimum ac carissimum esse cupit. Sunt quidem in te corporis & animi (vti audio) egregiæ dotes; quibus Christianissimo regi gratus admirabilisque sis. Nulla certe aut maior aut honestior, quam vt litteras litteratosque homines (quod facis) foueas. Illæ scilicet iure reposcunt abs te, quod tanta tua cum laude vberrime tribuere. Nam vnum te esse præcipuum, in quem Galliæ tuæ Transalpinæ olim intuerentur, quem Cisalpina tota prædicet; cuius singularem prudentiam atque humanitatem etiam hostis commendet. totum hoc litterarum beneficium est. Quid quod Cæsarum hæc a nobis instituta, tribusque libris concinnata series, multa interim habeat quæ delicatum etiam lectorem & capere & detinere valeant? Nam Byzantinæ vrbis originem, Turcas ad hæc vsque tempora principes, res ab his belli gestas, Mahometis ortum, Romanæ vrbis captiuitatem, & Asiæ imperia, supra quingentesimum ac millesimum annum repetita continet. quæ omnia primus ego (quod sine aliorum iniuria dictum velim) præstiti: ac, vt vna veluti tabella depicta spectari commode possent, curaui. Tametsi quid libris commune cum pictura? Pascit illa tantum oculos; hi animum mentemque instruunt. Illa mutam, inanem, ac plerumque falsam descriptionem continet; libri viuentem præceptionem atque exactam spondent. Tabulas etiam imperiti pingant; litterarum monimenta nonnisi doctissimi conficiant. Tanto deniq; litteræ pingendi artem præstant, quanto docti indoctis, viui mortuis antecellunt. Tu igitur, quum ab ineunte ætate ornamenti plurimum & laudis ex hisce tibi vindicaris, illis ipsis tantumdem reddes: tanto etiam cumulatius, quod neque melius nec honestius beneficium vllum collocari potest quam quod in bonos & doctos viros confertur; quorum mihi vestigia non solum sequenda, sed etiam atque etiam adoranda proposui. Bene vale.*

EIVSDEM IN LIBRVM
PRIMVM PRÆFATIO.

IMPERATORVM vitas a dictatore Cæsare, qui primus patriæ libertatem oppressit, ad Constantinum Palæologum, sub quo Turcarum seruitio Constantinopolis cessit: hinc a Carolo Francorum rege ad Maximilianum Cæsarem breui alioqui stylo perscripsimus: rem vt perdifficilem mihi atque arduam, sic iucundam qui legent omnibus, & (vt opinor) haud inutilem. Nam præterquam quod multa hinc haurias, vnde tibi patriæque tuæ plurimum prosis, ipsa certe Romani Imperii maiestas, admirabiles eorum qui imperarunt, euentus, tot regnorum repetiti casus, tot principum mutationes relatæ, non fastidiũ solum operosæ lectionis adimunt, sed admirabundos sensim legentes partim ducunt, partim etiam trahunt. vti neminem arbitrer vel mediocriter imbutum litteris, qui non hæc & libenter agnoscat, & summa cum voluptate non perlegat. Et alioqui ad rei nouitatem accedit quod consulto non pauca sunt a nobis addita, quæ rerum seriem non modo non interrumpant, verumetiam exornent; quod in fabula dextræ sinistræq; tibiæ inter vnum alterumue actum adhibitæ etiam præstent: nec in campis herbarũ vitor minus iucundus quem violæ hyacinthique purpurei distinguant. Omnium certe rerum varietas expetitur; & falsum illud est, saccaro semper conditiora fieri fercula. Quod si quis erit qui pleniorem vberioremque historiam a me exigat, ille saltem hoc mihi non neget, multa esse quæ breuitate commendatiora sint sua. Nec tamen desunt interim principes quos copiosius attigi; quorum scilicet & imperii diuturnitas & rerum magnitudo id exposcere videbatur. Illud vero testatum apud omnes esse velim, nihil a me gratiæ, nihil odio datum: ipsa veritas, nec interim nuda, (vt multi hactenus) tantum a me spectata. Anni præsertim imperii, ortus eorum & patria, illustriaque eorum gesta domi forisque, non omissa. Series vero principum, tanta fide a me deducta, vt nihil desiderare amplius quis habeat. Nam

& Flauius

& *Flauius Blondus* hisce libris quos ab inclinatione Romani imperii conscripsit, multos vno velut agmine, vt sibi incognitos, omisit, & qui post illum historiam totius orbis amplexi sunt, nihil omnino ad viri illius diligentiam addidere Ego vero & præter *Zonaræ* Græcam historiam & *Nicetæ Choniatæ, Christodulique* commentarios, *Gemistique* libros, etiam schedia quædam non indignum quæ excuterem duxi; vti rem semel cœptam, diis bene fauentibus, absoluerem; quo certa omnia explorataq; posteris traderem. Vtrum autem id assequuti simus, præsens ætas fortasse malignius, sequens certe simplicius ac candidius æstimabit.

IOANNIS BAPTISTAE EGNATII VENETI ROMANORVM PRINCIPVM LIBER PRIMVS.

C. IVLIVS CÆSAR DICTATOR.

PRIMVS hic perpetuam dictaturam inuasit. Debellata enim intra decennium Gallia, tentata tunc primum Britannia, & Germanis in siluas ac paludes suas compulsis, in Italiam descendit: eaque solita celeritate recepta, Hispaniisque pacatis, Pompeium magnum Pharsalico prœlio fudit. quumque de omnibus hostibus triumphasset, tandem amicissimorum cõiuratione oppressus, periit, ætatis anno VI ac quinquagesimo; dictaturæ vero initæ anno III. Vir pacis bellique artibus, & in primis clementia longe clarissimus, si libertatis assertor quam inuasor esse maluisset.

OCTAVIVS CÆSAR AVGVSTVS.

TRibus ac viginti vulneribus interfecto Cæsare, felicissimus omnium ad hanc diem successit Octauius, ex Accia Cæsaris nepte. Vindicatis enim patris interfectoribus, victorque ciuilibus bellis omnibus, nouissime Antonio ad Actium nauali pugna superato, quocum duodecim annos remp. tenuerat, triumphator orbis totius, pacisque restitutor æternæ, per quatuor ac XL annos imperium rexit; vrbemq; Romam optimis institutis ac legibus magnificentissimisque operibus sic excoluit, vt merito *Parens patriæ* primus, atque *Augustus* diceretur. Obiit Nolæ septuagesimo sexto ætatis anno, quum LVI imperasset. Ad cuius imperii felicitatem illud accessit, quod seruator noster CHRISTVS lux gentium & orbis, sub eo nasci voluit: vt quem summis animi corporisque dotibus principem clarissimum tertis dederat, eodem etiam generis humani parens optimus & maximus nasceretur. Huius felicitas ceteris optata principibus.

TIBERIVS NERO.

TRistissimus omnium mortalium optimo principi successit Tiberius, Liuiæ vxoris magis impulsu quam Augusti iudicio: quippe cuius neque mores neque ingenium vmquam probasset, pertinaciam & infinitam eius sæuitiam pertæsus Principatum ab initio dissimulato ingenio, & matris reuerentia, non incommode gessit: mox Capreensi secessu, luxuriæ ac cædibus vacans, quum prouinciæ vndique vastarentur, Caligulæ nepotis astu & fraude periit, octauo ac septuagesimo ætatis anno, tertio & vigesimo imperii. Huius imperii anno duodeuigesimo CHRISTVM seruatorem nostrum Iudæi cruci affixerunt: ex quo ad supremam gentis internecionem numquam seditione, fame, ferro, peste laborari ab his desitum.

C. CÆSAR CALIGVLA.

PRæfuit hic reip. annos quatuor, magis in Germanici patris gratiam populo ac militibus commendatus quam ingenio suo. primus enim a Cæsarum stemmate penitus degenerauit: vt non immerito *fax humani generis* dictus sit. certe vox eius nefaria excepta, vnam ceruicem populo Romano optantis, quo facilius vno ictu

abscidi posset. Cassii Chæreę & aliorum coniuratione ferro occubuit, annum agens XXVIII. de quo sic dictum; * *nec meliorem ab initio principem, nec peiorem postea fuisse.*

CLAVDIVS CÆSAR.

NEscias in hoc principe quid primum accuses: adeo vecordia cum sæuitia ac luxuria certabant: qui fato potius ac fortunæ ludibrio ad imperium, quum latitaret extrema pertimescens, interfecto Caligula venerit: quod non minore socordia quam crudelitate per annos XIIII vexarit. Quanta fuerit eius stultitia, hinc aduertas. Messalina vxor, portentosæ libidinis fœmina, C. Silio nupserat: qua vix interfecta, Agrippinam Germanici fratris filiam, nouo exemplo nouercam liberis duobus superinduxit, & Britannico filio priuignum Neronem anteposuit: cuius insidiis & Agrippinæ veneno in boleto dato periit senex, ætatis anno LXIIII.

DOMITIVS NERO

FAx altera totius vrbis iure a nobis dicatur: qui ex Domitio atque Agrippina natus, imperii Romani maiestatem paterna maternaque cæde polluit; libidinis adeo effrenatæ, vt matris concubitum appetiisse credatur. Ipse certe sumpto flammeo nuptiali, sponsalia celebrauit: sæuitiæ tantæ, vt præter vrbis incendium & vxoris Octauiæ cædem, primus Christianum sanguinem, Petro & Paulo interfectis hausetit. Et ne quid scelerum deesset, publice cãtauit, in scenaq. operam exhibuit. Tamdem deficiente Galba hostis a senatu iudicatus, nec fortiter perire potuit, adiutus alterius adigendo ferro manu. periit ætatis anno XXXII, imperii XIIII. Quinquennio sub initia omnium princeps optimus existimatus, etiam Traiani testimonio, *procul distare ceteros principes a Neronis quinquennio* prædicantis.

SERVIVS GALBA.

NObilissima Sulpiciorum familia natus, ac per omnes dignitatis gradus ad proconsulatum Hispaniæ euectus, iam grandis natu, imperium septimestrem maiore hominum ab initio fauore quam læto successu tenuit. Auaritia & sæuitia in eo principe iuxta infames: ex quo inuisus cunctis, quum Pisonem in conflatæ inuidiæ remedium adoptasset, annos LXX natus, in medio foro a M. Othone iugulatur.

M. SALVIVS OTHO.

MAle partum principatum adeptus, & aduersa per omnem ætatem fama, laudabili fine clausit. Dum enim IIII vix mense exacto, Bebriacensibus campis bellum ciuile contra Vitellii duces exsecraretur, papillam pugione sibi transfixit: adeo militibus carus vt multi ad eius exemplum, ante mortui pedes semet interfecerint. Vixit annos XXXVII.

VITELLIVS.

PVdet tot dedecorum: sed ad institutam seriem pertinet & hunc ipsum referre. Qui patre L. Vitellio & matre longe optima natus, militari factione, dum legatus Germaniæ superiori præest, imperium inuasit: fœdo ingenio, ventrique ac gulæ natus; &, quod vsu in his venit, sæuitia par. Ceterum Vespasiano principe declarato, cœno fimoque iactatus, ac furca sub mentum posita, diu per vrbem tractus, in scalis Gemoniis omnium ludibrio diu iacuit. Vita illi annorum LVII: imperium vix octimestre.

VESPASIANVS.

FEssam atque labentem remp. trium principum tyrannide potius quam imperio, Flauiæ gentis auctor Vespasianus primus restituit. Nam per X annos quibus imperium texit, singulari studio ac prudentia rem administrauit, & ne Cæsarianum desideraretur nomen, effecit. Hierosolymis expugnatis, cum filio triumphauit. Auaritiam ne culpes in eo, & temporum calamitas, & laudabilis eius vsus facit. Adeo inimicitiarum omnium princeps oblitus, vt Vitellii hostis filiam locupletissime dotatam, splendidissimo iungeret viro; & insolescentem Mucianum imperiique participem agentem, adhibitis familiaribus satis habuerit admonere, se quoque hominem esse. Mors eius, quantam animi tranquillitatem secum afferret, ostendit,

dum

dum alleuatus inter assidentium manus, *stantem*, ait, *Imperatorem mori decere*. Periit anno ætatis vndeseptuagesimo.

D. TITVS VESPASIANVS.

AMorem ac delicias humani generis Titum infesta mortalibus numina intra biennium sustulere. Huius præcipuam clementiam ac liberalitatem, virtutesq; alias eximias, per totum eius principatum magis commendauit & vitæ anteactæ licentia & sub initia luxuriæ & auaritiæ suspicio, vt Neronis tyrannidem plerique augurarentur. Sed mutatus, adepto imperio, in melius, declarauit *eiusdem esse ingenii & pessima & optima interdum ferre*. Hic Hierosolyma expugnauit: sagittandi peritissimus, & litteris impense doctus. Vox eius quandoque memorabilis audita. recordatus enim super cœnam quod nemini eo die officium contulisset, *Amici*, inquit, *diem perdidi*. Huius imperio Vesuuius conflagrauit, incendium Romæ totum triduum & lues fuit. Periit ætatis anno XLI, in summo omnium mœrore.

DOMITIANVS.

ECquis Titi non doleret interitum? tali præsertim successore, qui per omnia patri fratrique dissimilis, sæpe etiam viuentibus aut contumax aut obtrectator, Neroni ac Caligulæ propior vixit, dissimulatamque male sæuitiam per omnes ordines effudit. Quare nihil illi pater fraterque, aut Cattorum Germanorumque clades, aut bibliothecarum incensarum restitutio profuit quin cæde illustrium virorum inuisus omnibus factus, suorum tandem conspiratione post vitæ annum quintum ac quadragesimum, imperii quintum ac decimum, confossus occubuerit, omniaque eius acta rescissa sint.

COCCEIVS NERVA.

MEliore reipubl. fato, quod aurea gibba Domitiano post ceruicem in somnis enata, portendit, Cocceius Nerua suscepit imperium, Parthenio id deferente: clarissimis ortus haud dubie natalibus, vt Dion auctor est, & iam senex: qui quum alias leges, tum * ne mares castrarentur, edicto vetuit: summæ ciuilitatis & clementiæ, etiam in eos qui in illum coniurauerãt. Vt optime vero semper de omnibus meritus esse videatur, Traiani præsertim adoptione factum est; quem absentem, dum senectam suam contemni videt, Cæsarem appellauit; Homerico etiam versu ad imperium adhortatus, Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν. Imperauit anno vno, mensibus IIII: vixit annos LXVIII.

VLPIVS TRAIANVS.

OPtimus omnium princeps, externorum primus Traianus, adoptione Neruæ imperium meruit. Domi sanctus; foris adeo clarus, vt præter Daciam prouinciam factam, victo etiam eorum rege Decebalo, Parthos superarit, superatis regem dederit; Transtigritanas prouincias imperio adiecerit, Armeniam atque Arabiam peruastarit: vt nihil omnino habuerit in quo culpari merito possit. Amicitiarum cultor, simplicium ingeniorum atque eruditissimorum admirator; iuris humani diuinique consultissimus, ipse a litteris & Musis haud abhorrens. Huius cineres & ossa in vrbẽ relata, cochlide columna supposita cum eius imagine, quæ superstaret foro a se exstructo. Quanta fuerit in eo bonitas, acclamationes principibus exhiberi solitæ declarent, quum *Augusti felicitatem, bonitatem Traiani* bis adprecarentur. Vixit annis LXIIII: imperauit XX.

ÆLIVS ADRIANVS.

HIc Italicæ stirpis, Ælio Adriano, Traiani consobrino Adriæ orto, genitus, Plotina (vt creditur) fauente Imperator est factus: ingenio sublimi, vario: litterarum omnium peritissimus, sed matheseos in primis: idem architectus, musicus, statuarius: multarum denique artium magis non expers quam callens. Doctorum hominum nunc irrisor & æmulus, nunc fautor & beneficus. Disciplinæ militaris scientissimus, in qua multa etiam correxit, principibus qui sequuti postea sunt, ea maxime probantibus. Peregrinationis adeo studiosus, vt omnes ferme prouincias pedibus etiam peragrans obierit. Miserabili tamdem fato consumptus est, vt in seipsum sæuire potuerit, si per domesticos licuisset. Imperauit annos XX, vixit LXII. Inuisum eum fecere viri illustres non pauci sub eius exitum exsilio aut morte multati.

ANTONINVS PIVS.

HVic e Transalpina Gallia paternum genus Nemausense: PII cognomenti caussæ diuersæ traduntur. illud mihi maxime probabile, vt a morum probitate affectuque in Adrianum, & seruatis eis quos Adrianus interfici iusserat, id traxerit. Numæ Pompilio maxime similis. Nam per annos tres ac viginti nullum sub eo bellum fuit. Amor ac timor gentium in eo certarunt, bellum mouere timentibus his aduersus principem, quem vt numen aliquod venerarentur: nec illæ gloriæ ita cupidus vt per aliorum damna cædesque eam appeteret. Nam & a coniuratis vim omnem abstinuit, & in conscios quæri vetuit, ne plures inuenti odium augerent. Apud Lorios duodecim milibus passuum ab vrbe, septuagenarius, quum M. Antoninum Philosophum adoptasset, obiit febre.

M. ANTONINVS PHILOSOPHVS.

QVam læta felixque successio optimis, piis, philosophis Imperatoribus referenda! vtinam qui sequentur, tales merito dici possent. Nam hic ea ingenii bonitate, his virtutibus excelluit, vt exemplum desit; & ea temporum calamitas affuit, vt solus ærumnis publicis obstiterit. Nisi enim hic præfuisset, maiestas Romani nominis facile tunc concidisset, Marcomannis, Quadis, septemtrione omni hinc sæuiente, inde Persis orientem vastantibus: lue interim, inundationibus fluminum, locustarum vi, omnia populantibus. Sed victi primum Veri principis auspicio Persæ: Marcomannicum mox bellum, Christianorum etiam ope qui tunc militabant, ex sententia per ipsius principis præsentiam confectum. Ad quod gerendum principalis supellex hastæ subiecta, quum pecunia in stipendium deesset. Felicissimus certe princeps, nisi heredem Commodum reliquisset, post annum imperii duodeuigesimum, ætatis quinquagesimumnonum.

COMMODVS

ADolescens, mortuo in Germania patre, Imperator omnium votis est dictus. Et quis filium Antonini reiecisset? Ille vero, etiam patri non satis probatus, statim Caligulæ ac Neronis simillimus euasit: libidine, auaritia, & crudelitate illis anteferendus. Nam in scena sæpe aurigæ habitu prodiit: Ludis gladiatoriis & Dalmaticatus præsedit, & in amphitheatro gladiator dimicauit: Athletarum etiam more publice se exercuit. Quæ omnia actis inserenda publicis curauit. Tandem Læto auctore & concubina Marcia, post tertiumdecimum imperii annum strangulatur.

ÆLIVS PERTINAX.

SVccesserat haud dubie flagitiosissimo principi princeps optimus, si non illum militaris auaritia, fatis in peius omnia trahentibus, intra octogesimumquintum imperii diem de medio sustulisset. Alba Pompeia in Liguribus huic patria, genus humile ac sordidum: virtus atque innocentia summa: militiæ clarus, & in ea ad summas dignitates euectus: vnde & *pilæ* dictus est *ludus*. Hic quum summam de se exspectationem omnibus daret, Læti insidiis, qui imperium illi astruxerat, & militari factione, Iuliano, qui successit, non inscio, LXXI ætatis anno periit.

DIDIVS IVLIANVS MEDIOLANENSIS.

IMperium quod per scelus necis imperatoriæ conscius, primus etiam licitatus esse dicitur, intra septimum mensem cum vita simul amisit. neque enim militi gratus, ob non integrum donatiuum datum, & populo etiam inuisus ob perfidiam in principem optimum. Quare inter vtriusque odia destitutus, Septimii Seueri iussu, qui Imperatorem se appellauerat, damnatorum more necatur: vocesque in illum graues a populo sæpe iactatæ.

SEPTIMIVS SEVERVS.

AFrica illa olim imperii Romani æmula, hunc genuit Imperatorem, magis necessarium quam * inutilem. Vnde etiam iactatum vulgo, *aut numquam nasci debuisse aut numquā mori*. Nam & imperium fortiter administrauit; & sublatis in oriente Pescennio Nigro, in Galliis Clodio Albino, quem & Cæsarem dixerat, orientem omnem, Parthis, Arabibus, Adiabenis deuictis, Romanæ maiestati restituit.

Arcus

Arcus adhuc Romæ victoriæ monimentum titulis magnificentissimis visitur. Britannos tumultuantes compescuit, vallo per XXXII passuum milia a mari ad mare ducto: vbi etiam duodeuigesimo imperii anno, septuagenario maior, ex articulari morbo decessit. Bellicis artibus clarus, pacis, nisi sæuitia ac perfidia eas inquinasset, non contemnendus. Ceterum litterarum non ignarus, matheseos peritus, a Latinis non abhorrens, nisi Punicum quid redderet. Cædibus illustrium virorum adeo infamis, vt Punicas clades in toga cæsorum ciuium Romanorum sanguine rependerit.

ANTONINVS CARACALLA.

VEstis huic, quam talarem e Gallis aduectam, Romano pop. donarat, cognomen addidit. Seuero patri adhuc viuenti contumax; nec minus in fratrem Getam impius, quem patre mortuo statim occiderit: militi tamen gratus, cum ob ingens donatiuum his datum, tum quod in castris gregarii pene militis vices ageret. Alexandri Magni admirator; quem collo in læuum humerum detorto, reddere cuperet. Hic orbe peragrato, Alexandrinorum dicacitatem vltus ingenti eorum cæde, Persas dolo magis quam virtute fudit. Sexto demum imperii anno, militum dolo, Carris, dum ventris oneri leuando intenderet, interficitur, XXX ætatis anno.

OPILIVS MACRINVS,

OBscurissimis parentibus ortus, Maurusii generis, malis artibus ac pudendis ad præfecturam euectus; a iuris tamen scientia non alienus, sed venali fide, ac vita semper sordida: post interfectum Antoninum, imperium cum Diadumeno filio formosissimo Macrinus inuasit. quod quum per annum & menses duos obtinuisset, victus ab Heliogabalo, cum filio, quinquagenario maior, fugiens obtruncatur. Data est dictio consulenti super imperio talis; ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί, Σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ἱκάνει.

VARIVS HELIOGABALVS.

ASsyrium (quis credat?) principem, nescio maiorine fortunæ ludibrio an Romanæ maiestatis suggillatione, orbis hunc per duos & amplius annos tulit, & eum incestum: siquidem verum erat Caracallæ filium ex * Scenide consobrina natum. Qui ex oriente Romam profectus, interfecto (vt dixi) Macrino, tralato etiam inde Heliogabali numine ad vrbem, in summa omnium exspectatione venit: sed illi mox omnia in ludibrium aut odium conuersa sunt. Nullus enim principum ad hanc diem maiore libidinis flagrauit infamia, vti se in muliebrem sexum exsecari curarit: nullus maiore luxu opes prodegit imperii: nullus denique contaminatius aut impurius vixit: omnium religionum contemptor, præter patrii numinis Heliogabali. Hunc tamen in cloacam proiectum, mox in Tiberim cum matre Scenide tractum per milites, populus Romanus ita vltus est, vti nomen eius ex publicis monimentis traderet. Vixit annos XVI.

ALEXANDER SEVERVS.

MEliore orbis fato ex Mammæa consobrinus Heliogabalo Alexander, iampridem ab impura illa bellua adoptatus, in imperium successit, optimis principibus æquandus innocentia, in viros bonos beneuolentia, & (quæ præcipua dos principum) singulari in omnes clementia: vt ἀναίμακτον eius dicatur imperium. Hic expeditione Persica ex animi sententia cõfecta, dum ad septemtrionem vertit arma Germanis tumultuantibus, factione militari, tertiodecimo imperii, vitæ anno vndetrigesimo, Maximini perfidia cum matre in tentorio necatur. primus post Adrianũ principem, qui veræ pietatis lumen acceperit. Nam Christum in larario suo semper habuit. Quin illa ex sacris litteris sententia, frequens ei in ore esse; QVOD TIBI NOLIS, ID IN ALTERVM FACERE CAVEAS. Locum etiam Christianis adiudicauit, quibus popinarii litem intendebant; rescribens, *Deum multo melius quoquo modo illic coli quam popinariis assignari.*

De Parthorum & Persarum imperio.

NOn alienum ab instituta serie fuerit, quando posthac Persarum arma in oriente, post Parthica toties erunt referenda, si breui imperium vtriusque populi, tum

ad nostram ætatem in eo terrarum tractu regnorum seriem, perstringam. Primus igitur Parthis *Arsaces* libertatem asseruit, ad eam diem cum ceteris orientis populis, regibus Macedonum obtemperantibus: a quo ad *Artabanum* regem perpetua Arsacidarum gloria per quadringentos & amplius annos floruit, dissidentibus inter se Syriæ regibus. Parthis vero per hæc tempora varia admodum fortuna cum Romanis contendentibus, *Artaxerxes* Persa, vir obscuris admodum parentibus ortus, genti suæ veterem, imperii gloriam restituit: tripliceque prœlio Artabano cum tota Arsacidarum familia cæso, Persas orienti iterum imposuit. quorum imperium ad Chosroen vsq; regem & Heraclium. Imperatorem, per quadringentos annos mansit, grauibus prœliis, alternante fortuna, cum Romanis interim gestis. Qua tempestate Saraceni ex Arabia profecti *Mahomete* duce, noui delirii auctore, Persas primum, mox Romanos variis & ingentibus cladibus afflixere: floruitque Saracenicum nomen, Persico sublato; adeo vt non contenti Asiæ imperio, maximam Europæ partem sibi subiecerint, ipsam etiam terram Italiam (quod horreat meminisse animus) mari terraque fœde per ducentos & amplius annos populati. Mox præualentibus Turcarum rebus, diuisum in oriente imperium est, Saracenis Ægyptum & Asiam ad orientem sibi vindicantibus, Turcis propiores Europæ prouincias per nostrorum principum segnitiem occupantibus: repressaque interim gentis in Christianum nomen infestissimæ rabies Gallorum armis, Europæ principum communi expeditione, auctoribus tamen Francis, in eos sumpta, & Hierosolyma nobis restituta. Ceterum nostrorum discordia rebus in Asia labentibus, & modo Tartaris, modo Saracenis de imperio contendentibus, Asiæ pars, quæ a Tauro ad Euphratem protenditur, Saracenorum imperio; reliqua, ad Hellespontum Turcis cessit. Interim centesimum ab hinc & amplius annum, *Tamberlanes* inter Scythas humili loco natus, ex gregario milite ordinis primo, mox exercituum ductor, Parthis imperium astruens, victis omnibus finitimis gentibus, Syriam cum tota Ægypto populatus est. Inde in minori Asia Paizeti Turcarum principi congressus, eum captum cum tota gente ad internicionem cæsa, in vinculis habuit: victorque domum reuersus, vrbe etiam Marchanti populosissima a se condita, & victarum gentium spoliis ornata, imperium moriens duobus filiis reliquit. Quorum dissidio, res tanta indole parta retro facile abiit. Stetit tamen regnum trans Euphratem filiis incolume ad Vsuncassanum vsque, qui cum Mahomete etiam conflixit. Variatum demum in his terris, re Ægyptiaca interim florente; donec auditum est ætate nostra *Psophus* nomen, vnius ex Vsuncassani heredibus (vti credi volunt) fortuna seruati: qui magno hominũ fauore ad imperium ascitus, veluti hereditarium odium cum Turcis exerceat.

IVLIVS MAXIMINVS.

Redit nunc stylus ad institutam seriem. Nam Alexandro interfecto, successit Maximinus cum filio eiusdem nominis; Thrax gente, & sæuitia insignis; aduersus quem quum senatus Pupienum & Balbinum Imperatores declarasset, immanitatem hominis ac barbariem pertæsus, ille statim in Italiam cum Germanico ac Pannonico exercitu descendit: Aquileiaque incassum obsessa, a militibus fame laborantibus cum filio necatur. Memorabilis militum vox fuit quum vtrumq; interficerent; *Ex pessimo genere ne catulum quidem habendum.* Imperarunt ambo annos tres: pater, sexagenario maior, filius, vigesimum annum agens obiit.

BALBINVS ET PVPIENVS.

Imperatores hi primum ex s. c. duo aduersus Maximinum creati. Balbinus, nobilitate generis præstans; Pupienus, qui & Maximus militari disciplina clarus, a quo & Maximini victi. Ceterum quum parum inter se concordi animo remp. regerent, a militibus vterque interficitur, Gordiano puero summæ rerum imposito.

GORDIANVS.

Optimum ac nobilissimum principem terris dii dederant, si diu rebus illum præesse voluissent. Nobilitatem eius, auus paterq; Imperatores, & Scipionũ stemma generi insertum; bonitatem, Romani populi ac militũ, & orbis totius in adolescentem

tem amor attestatur. Sed quum bellum ingens aduersus insolescentes Persas conflasset, iamque Misithei soceri diligentia feliciter confecisset, Philippi præfecti dolo socer primo, mox princeps, interficitur. Haud tamen inulta mors optimi principis fuit. omnes qui in illum coniurauerant, crudelibus suppliciis affecti, & Philippi non diu imperium tenuere. Vixit annos XXII: imperauit sex.

PHILIPPI.

DVobus principibus, audita Gordiani morte, a senatu creatis, Marco primum; mox, eo breui absumpto, Seuero Hostiliano, qui & ipse non diu superuixit, Philippus imperium occupat: nec ei gentis humilitas obstare potuit quo minus imperaret. Nam per omnes militiæ gradus ob virtutem euectus, tamdem præfectus a Gordiano in Misithei locum factus, optimo adolescenti insidias comparauit: eoque per dolum cæso, Imperator ab exercitu dictus, Romam quum venisset, filium Philippum imperii participem declarauit. Ipse post quintum imperii annum, Veronæ, medio capite supra ordines dentium præciso; filius, duodenatius Romæ necatur: quem adeo tristis ingenii ferunt, vt numquam riserit, & semel ridentem patrem auersatus sit. Sub his sæculares ludi magnificentissimi millesimo ab vrbe condita anno dati. Sunt qui a Christiana pietate non abhorruisse Philippum tradant: quorum testimonio hominis perfidia fidem abroget.

DECIVS.

INuitum ac pene reluctantem Philippi socordia hunc imperio præfecit, haud dubie tamen nobilissimis parentibus Bubaliæ (inferioris Pannoniæ vrbe) natū. Nam Philippus, nuntiata Marini ducis & Mœsici exercitus rebellione, quum Decium ad comprimendos eos motus mitteret, recusauit primo Decius: mox etiam admonuit non esse ex Philippi re vt ipse eo contenderet. Ceterum fatis rem ita trahentibus, vt primum prouinciam attigit, Imperator omnium consensu dicitur: & interfectis (vt dixi) Philippis, quum aduersus Gotthos cum filio audacius quam consultius pugnaret, cæsus cum toto exercitu ab his est; corpusque paludis voragine absorptum, nusquam inuentum. Hic carissimus senatui fuit: & qui a nobis etiam inter optimos principes adnumerari posset, si iniuriam a Christiana pietate abstinuisset: in quam plus nimio Philippi etiam odio sæuiit, Fabiano ac Cornelio pontificibus Romanis martyrio affectis. Vixit tamen annos L: imperauerunt vterque biennium.

GALLVS PATER, ET VOLVSIANVS FILIVS.

HI post Decium imperium adepti, infelicissime illud per annos duos & menses octo rexere. Nam cum Scythis tributo annuo drachmarum centum transegere, primi qui Romani maiestatem imperii tam fœda pactione suggillarint: & Armeniam amisere, expulso a Parthis Tiridate eorum rege. Tam sæua deinde lues orbem inuasit, quæ ex Æthiopia ortum habuit, vt per annos quindecim terras pene omnes exhauserit. Tamdem, Æmiliano Imperatore facto, victi prœlio, a militibus occiduntur: pater ætatis anno XLVII.

ÆMILIANVS.

TRimestrem & hunc Imperatorem Mauritania nobis dedit, virum (quod fatendum est) militiæ peritum, sed ignobilem: qui victis ad internicionem pene Gotthis, astu etiam adhibito, quum omnem prędam militi promisisset, Imperator ab exercitu dicitur. Mox Valeriano ab Alpino exercitu Imperatore nobilissimo ac censorio viro, creato, qui Æmiliano fauerant, ne ciuili bello rempublicam conflictarent, Æmilianum necant, soloque ducis capite res peracta est, anno ætatis eius XL.

LICINIVS VALERIANVS.

NVllum principem maiore vmquam fauore orbis accepit: nullus eo calamitosior ad hanc diem imperio pręfuit: vel quod a Sapore Persarum rege victus acie, siue dolo suorum, siue eius imprudentia id acciderit, (nam vtrumque traditur) miserabili captiuitate apud eos consenuit, vel quod Gallienum filium post se reliquit, qui Caligulæ ac Vitellis simillimus, orbem terrarum pene perdidit: externis hostibus adeo nobis insultantibus, vt fœminæ imperium in Gallieni cōtemptum occuparint.

Triginta certe tyranni nescio remp. magis afflixerint, an aduersus hostes nostros necessarii tutati sint, qui per ea tempora in pronum rem imperii labentem per Gallieni luxum sustinerent. Vixit Valerianus septuagenario maior: imperauit annos xv. Vir ante imperium summis honoribus functus, & in his cum summa laude ac virtutis opinione versatus.

GALLIENVS.

AD Valeriani calamitatem accessit Gallieni filii imperium: qui nequissimus omnium mortalium, adeo per luxum ac socordiam imperium afflixit, vt per totum terrarum orbem grauissima externa bella senserimus: neque vero minus a xxx tyrannis vexatæ fuere res. Is Gallienus, quum aduersus Aureolum comparato exercitu Mediolanum vsque contendisset, Aureoli commento iam pene victi, certe intra Mediolanum obsessi, interficitur quinquagenarius. Imperauit annis xv, cum patre septem, solus octo. Affuit huic principi (quod mireris) animi quandoque vigor; & ad se vlciscendum audacia: nec minus in eo liberalitatis effulsit, quum nihil vmquam petenti denegaret.

CLAVDIVS.

OStenderunt & hunc terris numina verius quam concesserunt. quippe cuius principatu restitui ad integrum res potuerit, nisi intra biennium fato occubuisset. Is enim Gotthorum arma late vagantia primus compescuit naualibusque ac terrestribus bellis eorum opes attriuit, vt per omnes prouincias nulla nisi Gothica mãcipia essent. Alemannorum ad Benacum lacum infinita millia profligauit. Illud memorabile, quod Græcię vastitate quam Gotthorum arma intulerant, Athenis captis, quum librorum ingentem vim coaceruassent, de his comburendis barbari iam consilium ceperant tum vnus ex his, *Abstineamus*, inquit, *hanc iniuriam ab his codicibus; quibus Graii homines dum studiosius incumbunt, minus ad bella idonei fiunt*. Illud etiam in Claudio memorabile, quod accepto imperio, quum in senatu variarent sententiæ, vtri prius bello occurreret, tyrannorum an Gotthorum, Gotthos censuit prius aggrediendos; quod ii reipubl. hostes; tyranni, principis essent. Præfuit biennio non integro.

QVINTILLVS.

HIc, quum dies septem ac decem imperiũ auctore senatu tenuisset, Aureliani Imperatoris nuntio exterritus, sanguine e venis emisso obiit.

AVRELIANVS.

HVnc inter principes necessarios magis quam bonos multi reponunt. Nam quãtum illi gloriæ triumphi hostiles & militaris peritia vindicat, tantum sæuitia domi etiam in sororis filium exercita, laudis detrahit. Princeps tamen dignus qui Claudii etiam prærogatiua, rempublicam ea temporum calamitate susciperet. Barbaros enim in terra Italia vagantes, triplici prœlio afflixit. Monetariorum bellum non sine ingenti cæde sedauit. Zenobiam insolescentem, duplici prœlio victam, & per obsidionis moras tamdem fractam, in triumphum duxit. Aureolum & tyrannorum non paucos aut interfecit, aut sibi conciliauit, Tetrico vno ex his etiam Lucaniæ correctore instituto. Imperauit annis v: domesticorum fraude inter Byzantium & Heracleam oppressus.

TACITVS.

INterregnum per septem menses Aureliano interfecto fuit, quum miles ad senatum, senatus ad militem prærogatiuam Imperatoris deferret eligendi. tamdem patres militari consensu victi, Tacitum Augustum dixere: ex quo tantum publicæ gaudium fuit, vt litteras senatus ad municipia Italiæ super ea re dederit. Quam vero amplissimi ordinis iudiciũ a militari tumultu distet, Taciti declaratio ostendit, quum in curia testati sunt, neminem aut iustius quam grauem virum, aut prudentius quam doctum imperare posse. Verum hic tantus vir sexto quam imperare cœperat mense, militari scelere periit.

FLORIANVS.

HIc Taciti frater, quasi hereditarium imperium esset, intra LX imperii diem, tamquam ad fortunę ludibrium, solutis sibi venis, ad Probi imperantis nuntiũ obiit.

PROBVS.

NOn fefellit omen nominis, quum hoc illi cognomen esse potuerit: vt si non illi fuisset Probi nomen, cognomento hoc appellari potuerit. Huic nec Taciti frater obstitit quo minus orbis totius consensu Imperator diceretur; nec generis humilitas, quum patrem Dalmatici sanguinis, & eum agrestem, habuerit. Vir pacis bellique artibus longe clarissimus. Huic per sex annos quibus imperauit, victi Sarmatæ debētur. Tyranni per hunc omnes sublati: pax vniuerso terrarum orbi restituta. Celebris vox eius excepta, inuidiam peperit apud milites. neque enim necessarios amplius dicebat fore milites vbi hostes deessent: quos nusquam virtute sua futuros mox sibi promittebat.

CARVS.

NArbo Marcius hunc genuit Imperatorem bonum, sed ad posteros etiam commendatiorem multo futurum, nisi CARINVM flagitiosissimum principem reliquisset. Hic bello Persico capta Seleucia & Ctesiphonte, dum ad Tigrim fluuium castrametatur, fulmine ictus periit. NVMERIANO filio ab Apro socero mox interfecto, adolescente tum probitatis, tum eruditionis egregiæ, maxime autem ad poeticen nato: & Carino Romæ per Diocletianum principem cæso. Hi tres vix triennium explerunt.

DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS AVGG.

SVbeat forsitan admiratio multos hac nostra principum relatione, quod paucissimos Quiritii sanguinis, omnes fere externos, & pudendæ quosdam etiam originis, non tamen pœnitendos, recenseam. Sic hactenus Decium Pannoniæ, Aurelianum Daciæ, Claudium Dardani, Probum Dalmatæ, Carum etiam Galliæ sibi vindicant. Quid quod eadem Dalmatia alterum etiam nobis imputet, omnibus æquandum principibus, si a piorum sanguine abstinuisset, DIOCLETIANVM? Is enim Salonis ortus, libertini etiam sanguinis, quum molem imperii grauiorem animaduerteret quam vt vnius esse vniuersæ par posset, MAXIMIANVM Augustum creat: amboque duos sibi Cæsares, GALERIVM ARMENTARIVM cognomine, & CONSTANTIVM Constantini Magni patrem, dicunt. Diocletianus igitur, quando per partes rem tutius confici posse ratus est, Maximianum Galliis præfecit: eoque confecto bello, in Africam aduersus * *Quinquagenarios* transire iubet: vtrobique sedati tumultus. Africanus certe aliquanto difficilius, quod Quinquagenarii, & supra eum annorum numerum veteranus miles, ad obsequium tam facile redigi non poterat. Interim Ægyptum Diocletianus inuadit: *Achilleum* incubatorem imperii, Alexandriæ per menses aliquot obsessum & in potestatem redactum, feris lacerandum obiicit: potentissimus quisque cædibus ac proscriptione petiti. Interim aduersus *Narseum* Persarum regem Galerius infeliciter primo, mox reparatis copiis, ira etiam animos illi faciente, quod ad Diocletiani carpentum post cladem acceptam per mille passus pedes currere coactus est, egregie vicit, Narseo fugato, & cæsis magna ex parte Persis, pellicibusq; cū gaza omni regia captis. Hæc victoria Galerii virtute & audacia parta: qui, exploratis prius hostium castris, noctu cum XX millibus equitum Persas aggressus, dedecus acceptum hosti rependit. Diuersa etiam parte Constantius ab *Alemannis* improuiso insultu primum victus, & eodem die mox victor, LX eorum millia cecidit: ea clade Germaniæ attritæ, Galliæ liberatæ. Sicque pacato orbe, post annorum imperium XX, Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani imperium eodem die deposuere. Rem miram & ad hanc ætatem incognitam: vt sponte, nec prægrauante saltem senecta vel rerum mole, vterque in ordinem se redegerit. Diocletianus certe constantius in proposito mansit. Nam per decem annos, quot priuatus Salonis superfuit, hortorum amœnitati vacans, iterum ad imperium sollicitatus, a priuata vita abduci non potuit, testatus, nullos sibi vnquam soles læniores affulsisse. Obiit autem duodeoctoginta natus annos, vel alienatione mentis, vel veneno hausto; veritus Licinium ac Constantium, qui illum tamquam Maxentii fautorem grauiter increpuerant. Sed & Maximianus, dum Constantio genero insidias parat imperium affectans, Massiliæ captus, Constantini iussu necatur.

CONSTANTIVS CHLORVS, ET GALERIVS MAXIMINVS AVGG.

SVcceſſere Diocletiano Iouio & Maximiano Herculio cognominibus, duo ab his antea dicti Cæſares, Conſtantius videlicet Chlorus, (quaſi virentem a colore dicas) & Galerius Maximinus. Sunt qui ex veteribus monimentis, Maximianum magis probent: ſed quocumque cognomine hic fuerit, diuerſo, quod conſtat, ingenio vixere. Conſtantius, benignus ac facilis, atque ad promerendam Gallorum gratiam, quibus præerat, propenſior, nec a vera pietate abhorrens. Galerius, trux ac prope immanis, vt qui rus, vnde venerat, oleret, noſtriq; ſanguinis appetentiſſimus. Sed quum vndecim annos Conſtantius Gallias & Hiſpanias in ſummo otio tenuiſſet; (nam Africam Italiamque ſub imperii initia ſponte dimiſerat; ratus id grauioris eſſe oneris quam vt ab vno ſuſtineri poſſet) Eboraci deceſſit; moderati principis fama, & Conſtantino filio ſucceſſore felix. Galerius imperium adeptus, molem & ipſe ſecum rei reputans, duos ſibi aſciſcit Cæſares, SEVERVM & MAXIMINIANVM iuniorem: illum Italiæ, hunc Africæ & orienti præfecit: ipſe Illyricum ſibi medius aſciſcit. Verum non multo poſt, genitalibus putreſcentibus, vitæ tædio vim ſibi gladio intulit.

SEVERVS ET * MAXIMINIANVS IMPP.

SEuerum haud multo poſt Maxentii factio Romæ * intra Tabernas opprimit, & MAXENTIVM Herculii, tyrannici virum ſpiritus, ſibi præficit. aduerſus quem dum Maximinianus feſtinat, militum ſuorum defectionem veritus, retro in Illyricum contendit: vbi vlcere inguinibus innato, quum deeſſent remedia, nec medici ob hominis immanitatem opem ferre auderent, vermibus vndique erumpentibus obiit, Chriſtiani ſanguinis vſque ad inſaniam pridem effuſi, in caſſum pœnitens. Vir belli pacisque artibus inſignis, niſi crudelitate nimia in nos, tantas virtutes fœdaſſet. Solus annos duos, cum Cæſaribus & Licinio imperii conſorte, XVI præfuit.

LICINIVS ET CONSTANTINVS.

LIcinio Dacia natale ſolum fuit. Militaris diſciplinæ ad veterem normam ſeueriſſimus exactor. Ruſticis & agrariis hominibus (ex eo enim genere fluxerat) æquus: auaritiæ & veneris ſtudio infamis, moribus plane barbaris: & litteris adeo infeſtus, vt virus ac peſtem publicam eas appellaret. Sed cur eas non odiſſet, quarum adeo expers erat, vt ne decretis quidem ſubſcribere poſſet? Illud in eo non reprehendas, quod ſpadonum aulicorumque inſolentiam mire compeſcuit, *tineas ſoricesque palatinos* appellatis. Hunc Conſtantinus nouas res molientem, primum in Pannoniæ campis fudit: mox reparantem vires, incredibili celeritate ex Europa in Aſiam expulit: maleque reconciliata iterum gratia per Conſtantini ſororem Conſtantiam, quæ illi vxor erat, quum rebelles animos homo vecors retineret, etiam contra ſacramenti fidem, Theſſalonicæ interfici iuſſus eſt. Imperauit annis XIIII, ſexagenario maior, Chriſtianis infeſtiſſimus: vnde illi diſcordiarum ſemina aduerſus Conſtantinum acriora.

M. FLAVIVS CONSTANTINVS CONSTANTII AVG.

FEliciotibus auſpiciis, ac meliore partium noſtrarum euentu, rerum tandem Conſtantinus potitur, ex Helena Conſtantii vxore ſuſceptus; & ceteris fratribus ob egregiam indolem, quum illi ſegnitiem præ ſe ferrent, patris etiam teſtamento prælatus. Hic ſub Galerio rudimenta militiæ feliciſſime auſpicatus, parta ex Sarmatis egregia victoria, veritusque ex ea laude gliſcentem inuidiam, ad patrem transfugit: eoque mortuo, Gallias Hiſpaniasque, & Cottias Alpes obtinuit, Conſtantio patre id multo ante ſomnio præſagiente, egregium Imperatorem fore, qui Dei militibus opem primus ferret. Iam primum igitur veteranis militibus agros aſſignatos, vt ad filios ſuos tranſirent, primus inſtituit. Tertio imperii anno acceſſitus in Italiam ab iis qui MAXENTII tyrannidem ferre non poterant, biennio totam Italiam vrbemque Romam priſtinæ maieſtati aſſeruit, Maxentio Tiberinis gurgitibus abſorpto. Inde abnegato idolorum cultu, Chriſtianam puritatem ita amplexus eſt, vt præter egregia dona diuorum noſtrorum templis illata, Chriſtum ab omnibus

colen-

colendum præceperit, templaque illi & aliis numinibus erexerit: nec alia magis caussa actius in Licinium exarsit quam quod ille aduersaretur nobis. Bella contra barbaros multa felicissime confecit: vnde primus Romanorum principum *Magni* cognomentum tulit. A bellis ad pacis studia conuersus, optimum principem primis annis egit: leges sanctissimas tulit: litteris & ipse impense semper studuit, & eas fouit. Religionis adeo obseruans, vt Nicæam synodum CCC & XXII patrum, multis dissidentibus, indixerit. Byzantium instaurauit, *Imperatoriam*que *vrbem & Nouam Romam* appellari voluit. Moriens, & Cõstantinopoli sepultus, tres liberos & Dalmatium fratris filium, successores reliquit, XXX & amplius annos imperans, tredecim vero ex his solus. De eo sic memoriæ proditum; decem primos annos vt præstantissimus diceretur, XII sequentibus latro; decem nouissimis pupillus, ob immodicas largitiones. De eius baptismate vti variant auctores, sic constanti fide quæ de imperii donatione circumferuntur, vti minus similia veri, non probant. Sed alii hoc viderint.

CONSTANTINVS, CONSTANS, ET CONSTANTIVS, CONSTANTINI FILII AVGVSTI.

Hi tres imperium quod per manus a patre acceperunt, ita partiti sunt, vt Constantinus maximus natu Gallias, & Hispanias, Britanniamque insulam obtineret; Constanti Italia cum Illyrico & Græcia cederet, Byzantium & Oriens Constantii esset, qui Dalmatium socium imperii haberet: quem haud multo post, dolo exceptum, militari factione oppressit, quum annos tres imperasset. Nec durauit diu fratrum concordia: siquidem in nefarium bellum rapti fratres. Nam Constantinus, Gallico exercitu fretus, Constanti fratri bellum intulit: quod dum cupidius quam cautius gerit, ad Aquileiam exceptus insidiis, nondum triennio finito, vulneribus confectus periit. Inde Constans victor, quum non sine labore prouincias Transalpinas in potestatem redegisset, egit primum optimum principem: mox aduersa valetudine, siue rerum felicitate mutatus, ingratus omnibus esse cœpit; donec & ipse MAGNENTII dolo, dormiens intra tentorium, ad Helenam opidum oppressus est, quum imperasset annos XIII, vixisset paulo plus XXX. Constantius, cædem fratris vlturus, ingenti exercitu aduersus Magnentium comparato, ingenti illum prœlio & memorabili, ad Murtium fudit. quo Romani vires imperii pene concidere, LIII millibus vtrimque desideratis. Mox quum Magnentius bellum reparasset, & ad Lugdunum iterum victus esset, gladio sibi latus aperuit: sed & DECENTIVS frater, qui Cæsar ab eo dictus fuerat, laquei morte præpostera vitam finiit. Nam *Britannioni* antea Cõstantius veniam petenti facile dederat. Is Britannion adeo expers litterarum est habitus, vt ne prima quidem elementa calleret. Ceterum Constantius, *Gallum* a se antea dictum Cæsarem, ferocientem & insolescentem supra Cæsaris nomen, interfecit; & contra Persas infeliciter conflixit, militum suorum stultitia. Quibus ad sua abeuntibus, quæ Massagetæ vastabant, dum Romam inuisit, *Iulianum* Galli fratrem, tres & viginti annos ætatis agentem, Cæsarem a se factum, in Gallias aduersus Alemannos eas vastantes misit: ipse in Persas iterum contendens, dum ægre ferret Iulianum a militibus Augustum esse dictũ, apud Mopsucrenen iuxta Tauri montis radices, æstuantissima febre decessit. Vixit annos XL: imperauit XXIIII.

IVLIANVS.

Constantio exstincto, Iuliano facile cuncta cessere. Puer hic ingenio sublimi, callido, & litterarum ardentissimo. Gallias sub primum accessum præter omnium spem, Alemannorum incursu vastatas asseruit, regemque eorum cepit: inde Augustus a militibus salutatus Parisiis, mortuo (vt dixi) Constantio, aduersus quem bellum ciuile parabat, Persis, adepto imperio, bellum indixit. vbi dum inconsultius agit, Persæ viri dolo in deserta cum exercitu ductus, conto traiectus periit. Sunt qui sagitta e cælo missa vulneratum dicant: vnde in nefariam vocem erumpens, *Vicisti Galilæe*, (sic enim Christum appellabat) occubuerit. Christianos impio quodam odio adeo insectatus, vt studia & militiam hisce interdixerit, plerosque præmiis & illecebris, quasi machinis, a vera pietate auerterit. Qui etiã Imperator (ita Deo visum) aduersus

nos libros edidit: ille vero si ingenium indolemque egregiam ad veram pietatem quam puer imbiberat, conuertisset, inter egregios principes adnumerari potuit. Decessit annos agens alterum & trigesimum: solus annum vnũ, menses tres imperauit.

IOVIANVS.

HVic Varronianus pater, Pannonia patria: statutæ proceræ, ingenii amœni, nec a litteris abhorrentis: qui a militibus primo Imperator salutatus, deceptis similitudine nominis, quasi Iulianus reuixisset, cum Persis pacẽ magis necessariam quam honestam, Transtigritanis prouinciis quinque amissis, iniit. Accessit nouæ ignominiæ dedecus grauius: vetitus Imperator Romanus Arsaci socio opem ferre. Periit octauo imperii mense Dadastanis opido, dum cubiculum ingreditur noui tectorii, prunis etiam ardentibus, siue (vt alii) stomachi cruditate, XXXIII ætatis anno.

VALENTINIANVS ET VALENS AVGVSTI.

DEdit & hos Pannonia principes Gratiano patre ortos. Primum Valentinianus ab exercitu Nicææ, inde Valens ab eo Augustus imperiique consors dictus: qui *Procopium* temere imperium inuadentem, Constantinopoli oppressere. Inde *Gotthi* & barbaræ nationes a Valentiniano Thracia exturbatæ, Septemtrioque omnis cum Saxonibus ad officium eiusdem opera redacti. *Parthi* e Syria per legatos eiecti. In quieta *Germania* Theodosii maioris auspiciis pacata. Ipse dum *Quadorum* legationẽ latrocinia excusantem audit, subito morbo venis ærefactis, vt sanguis mitti numquam potuerit, obiit, Gratiano filio prius Augusti appellatione donato, imperii accepti anno vndecimo, mense octauo, die XX, vitæ LV. Valens post fratris interitum, Arrianæ factionis fautor, dum aduersus Scythas & Gotthos prœlium ferocius quam cautius ciet, victus ab his acie, vitam imperiumque amisit, igne intra tugurium in quod confugerat, iniecto. Digni imperio fratres & inter bonos referendi, nisi Valens Arriano delirio virtutes egregias inquinasset.

GRATIANVS ET VALENTINIANVS.

HAud sane improbandum principem numina terris dederant, si quantum litteris & militari disciplinæ vacabat ac venationibus, tantum curæ ad rempubl. cognoscendam impendisset. Nam pietate in suos egregius, VALENTINIANVM adhuc puerum Augustum dixit, patre patruoque exstinctis. Mox THEODOSIVM Hispanum consortem imperii asciuit. Verum dum spicula tantum & arcus meditatur, dum Alanum militem Romano præfert, *Maximi* ducis insidiis circumuentus periit; quum imperasset cum patre annos octo, cum patruo tres, cum Theodosio IIII. Valentinianus a Maximo emissus, Theodosiiq; ductu postea restitutus in imperium, Maximo tyranno interfecto, mox *Eugenii* & ipse post Maximum tyranni dolis victus laqueo seipsum necauit.

THEODOSIVS.

HIc Honorio patre & matre Thermantia, haud dubie inter optimos principes adnumeretur; quippe qui rempub. Gotthicis armis pene oppressam, accitus ex Hispania (quæ illi patria) a Gratiano, restituerit, Maximum tyrannum & Andragathium præfectum eius subito incursu victos occiderit, Valentiniano imperium asseruerit: mox Eugenium tyrannum in Valentiniani vltionem sustulerit, non sine numinis manifesto indicio. cum multo minoribus enim copiis illi congressus, militante illi æthere, & coniuratis in eius auxilium ventis, vt poeta eleganter cecinit, victoriam insignem adeptus est. Fuit aũt hic princeps moribus & corpore Traiano principi similis: summa in eo clementia, incredibilis in suos pietas, rei militaris disciplina sagax, nec a litteris alienus, simplicium ingeniorũ admirator, pietatis nostræ adeo obseruator, vt summa ciuilitate ab Ambrosio antistite castigatum se adytisque prohibitum tulerit. Obiit Mediolani, ætatis anno quinquagesimo, imperii XI.

ARCADIVS ET HONORIVS.

HOsce pueros Theodosius viuens, imperii consortes fecerat: & moriens, quando ætas rerum moli non responderet, tres imperii tutores testamento sanxerat, Arcadio *Rufinum*, Honorio *Stiliconem* commendans: Africæ vero *Gildonem* præesse voluit.

voluit. Prior Rufinus, dum Gotthica sollicitat arma, vt imperium metu ab Arcadio extorqueret, perfidiæ pœnas dedit: parique pœna Caianus, Rufini sceleris popularis, afficitur: inde mox Arcadius, quũ Byzantii regnasset annos fere XIII, obiit Theodosio filio relicto. Maior rerum moles Honorium Romæ agentem excepit: qui rebellantem Gildonem quum Mascezelis fratris ductu superasset, eumdem quoque Mascezelem rebellem expertus, Bonifacii ductu vicit. At Stiliconis perfidia eo perniciosior quo occultior fuit. Nã magno nostro dedecore quum Gotthi Italiam vastassent vrbemque Romam cepissent, astu Stiliconis rem adiuuante, tamdem re ab Honorio cognita, Stilico cum filio sublatus est; qui genere Vandalus, & militaris disciplinæ scientissimus, Honorii etiam socer: si, quam operam in perdendo ad Fesulas Radagaso cum ducentis Gotthorum millibus præstiterat, in asserendo imperio præstitisset, nec Romam Alaricus Gotthorum rex vmquam cepisset, nec orbem totum cladibus assiduis inuoluisset. Decessit autem Romæ, quum annos duos & XXX imperasset.

Romæ captiuitas.

NOn potui non vehementer mirari, tantam vel temporum iniuriam, vel scriptorum inertiam, tum veterum tum recentium fuisse, vt, quum Romam orbis reginam captam ab Alarico Gotthorum rege, anno post eam conditam MCLXIIII, certatim omnes memoriæ prodant, seriem tamen rei aut indagandam non censuerint, aut indagatam, tamquam rem plane ignobilem nec scitu dignam, obliuione inuoluerint. Prò deûm hominumque fidem! vrbs orbis totius regina, quæq; eo auspicio condita credatur vt caput orbis semper esset, & quæ toties de barbaris gentibus orbeque triumpharat, capitur Gotthico astu; & interim rei series ordoque nescitur. Ego vero id minime patiar; & omnis antiquitatis illustrandæ studiosus, hanc quoq; rem tam memorabilem non negligam. Astu autem barbarico capta traditur in hunc ferme modum, quem Procopius solus ex omnibus quos legi, tradat: vt mirer ab interprete vel rem totam dissimulatam, vel, quum in mutilum Græcum codicem incidisset, non animaduersam. Ille igitur in hanc sententiam: Obsederat Romam Alaricus iam biennium: nec Honorius, qui Rauennæ desidebat, aut ferre suppetias poterat, aut audebat. Nam quum nihil minus quam de vrbis salute sollicitus esset, Stilicone interfecto, ducem exercitui minime præfecerat, qui rem aduersus Gotthos administraret. Vnde Gotthis obsidendæ vrbis cogitatio, Romano milite aut dilapso aut segniter rem agente. Verum eam frustra obsessam quum expugnare vi non possent, ad dolum hostis barbarus vertitur. Profectionem in patriam simulat, trecentosque iuuenes, corporis & animi vi præstantes deligit, quos Romanis principibus dono det; instructos prius vt omni obsequio dominos suos promereri studeant; & ad certam diem circa meridiem, quum Romani principes somno vel otio vacarent, ad Asinariam portam aduolent; interfectisque improuiso insultu custodibus, portam sibi præsto futuro aperiant. Interea Gotthi, quum reditum, alia atque alia deesse sibi simulantes, differrent, trecenti illi iuuenes occasione egregie vsi, portam stato die suis aperiunt: & intromissus Gotthus, maiore ignominia quam damno, vrbem omnem populatur. Sunt qui Probæ illustris fœminæ & opulentissimæ opera patefactam Gotthis portam existiment, quum plebem Romanam passim fame & morbis pecudum more cadentem, miseraretur. Duo sunt cognitu non indigna: Vnum, edictum ab Alarico fuisse vt, quicumque in templa diuorum confugerent, præcipue Petri & Pauli, his nulla vis inferretur; quod & summa fide seruatum: Alterum, quod quum nuntiatum Honorio esset Rauennæ Romam perditam, credidit ille de pugnaci Gallo, cui nomen erat Romæ, significatum esse, admiratumque vehementer, tam subito periisse eum quicum paulo ante festiuissime luserat. Adeo socordis ingenii princeps, nec quidquam omnino paternæ auitæque virtutis referens: quod & Arcadio fratri vitio datum est. Nam Eudoxiæ vxori addictus, cum alia improbe fecit, tum Chrysostomum antistitem sanctitatis & eruditionis egregiæ, vxori plus æquo inseruiens, in exsilium egit.

IOANN. BAPTISTAE EGNATII ROMANORVM PRINCIPVM LIBER SECVNDVS.

SEQVITVR abhinc ætas in qua mihi orbis totius clades, regnorum tristes exitus, imperia funditus excisa, mutationes rerum frequentissimæ referendæ sunt: vt intelligat mortalitas, nihil esse inconstantius iis quæ tantopere vt æterna miramur. Adeo enim vitæ fortunęque ista bona, in quibus opinione vulgi sita summa felicitas est, fragilia caducaque sunt, vt nihil his esse possit cladibus ruinisque magis obnoxium. quod cum vetera illa Asiæ imperia, tum vero nominis Romani maiestas facile declarat; quæ felicibus auspiciis orta, lætissimis rerum successibus aucta, viris clarissimis instructa, quorum virtute ac consiliis ad amplissimum fastigium sit euecta, legibus, institutis; deûm pietate illustrata, conciderit tamen & funditus euersa sit; vt, quemadmodum illa de toto terrarum orbe triumphos retulerat, sic nulla fere hodie in terris gens agat, aut anteà fuerit, tam immanis tam barbara, quæ non aut auitas iniurias, aut suas illi rependerit. Huc accessit quod eorum deinde qui sequentur principum partim ignauia, partim auaritia, res adeo nostræ pessum iere, vt ad rem Romanam sistendam, alienæ atque externæ virtutis eguerimus. adeo mascula illa Romuli proles & Italica virtus, simul cum imperii lapsu cõseruerat. Nec Romani postea pontifices ambitione plusquam immodica, pronam iam per se in casum rem Italicam non funditus afflixere, dum studiis suis nunc Francos, nunc Germanos, atque alios quosuis potius quam Italicos principes patiuntur: illi vero quantum Romanæ atque Italicæ maiestati semper detulerint, vel illud argumento esse potuit, quum se Cæsares aut Augustos pro Henricis & Federicis dici malint; quumque se nunc Reges nunc Imperatores Romanorum appellari gaudeant. Cæterum nec querelæ locus hic est, & ipsa nostra hæc commentatio, etiam nuda, satis allatura doloris ac molestiæ legentibus est. Quare Theodosium ipsum iuniorem aggrediamur.

THEODOSIVS IVNIOR.

QVinquaginta quot vixit annos, totidem imperio etiam præfuit. Nam puerum admodum moriens Arcadius eum reliquerat sub tutela Isdigerdis Persarum regis: quod & bene cessit. Barbarus enim rex & tutelam summa fide gessit, & pacem cum Romanis, quo ad vixit, habuit. Is vero, Honorio defuncto, *Valentinianum* ex Constantio & Placidia natum, data Eudocia filia in vxorem, Romam peropportune misit; quum turbatæ res essent tyrannorum libidine, qui rem Romanam inuaserant. Sub hoc tertia synodus contra Nestorium celebrata, Pulcheriæ sororis prudentia: nempe quoad illa est vsus Imperator, bene res gesta. Hic vxorem Eudociam Leontis Atheniensis philosophi vxorem duxit; quæ præter egregiam formam singularemque pudicitiam, etiam litteris excelluit, absoluto eo libro cui titulum Græci Ὁμηρόκεντρα faciunt. Hoc principe Venetiæ felicissimis auspiciis mediis in aquis habitari cœpere, quum Honorius adhuc viueret.

VALENTINIANVS III.

ASseri fortasse in pristinum statum sub hoc principe res Romana potuit, si eius inceptis aut fortuna fauisset, aut imprudentia postea sua rem non afflixisset. Nam recepta sub aduentum suum Italia, cum *Genserico* statim Vandilorum rege pacem sanxit, parte Africæ, vt videri voluit, contento: & aduersus *Attilam* Aetii ductu rem feliciter gessit. Inde Maximi arte, viri per ea tempora potentissimi, Aetium interimi iussit. vnde in vltionem ipse postea Romæ ab eius commilitonibus confossus periit. Hoc principe occidentis imperium, Francis Gallias, Anglis & Scotis Britanniam occupantibus, Vandalis Africam & ipsam vrbem populantibus, Hunnis Europam vexantibus & Italiam, collapsum funditus est. Periit imperii & ætatis anno XXX. De Aetio pauca dicenda hîc sunt. Hic e Dorostana Mœsiæ, quum disciplina militari excelleret, Constantio defuncto, ab Honorio principe illi sufficitur: cuius ductu Attila

in campis Catalaunicis victus est, & Burgundiones repressi. Hunc postea Valentinianus quum interfecisset, interrogaretque ciuem quempiam Romanū, an iure occisum crederet, *Iure an iniuria occideris, Imperator, Aetium, nescio: illud scio, quod sinistra tua dextram tibi abscideris*: nec falsus omnino vates. Nam eius morte Hunni rerum potiti, & imperium euersum est.

Breuis enumeratio eorum qui post Valentinianum Romæ rerum sunt potiti.

POst Valentinianum Romæ *Auitus*, senatorii vir ordinis, præfuit. Auitum inde *Maiorianus* quadriennio, hunc *Seuerianus*, Seuerianum *Anthemius*, Anthemium *Olybrius* subsequutus: cui *Glycerius*, & Glycerio *Nepos* statim successit: quo per vim pulso, *Augustulus* male ominati nominis, rerum potitur: sub quo Romani maiestas imperii conuulsa per *Odoacrem* Herulum, sero admodum ad Francos redit.

FL. VALERIVS MARCIANVS.

NVnc Imperatores Constantinopolitanos (quando illi tantum per illa tempora viguere) ad Constantinum vsque Palæologum continua serie perstringemus, initio a Marciano sumpto. qui, licet humili loco natus, militiæ tamen clarus, Pulcheriæ Theodosii sororis studio rebus præficitur, moderatus princeps, & rebus gerendis idoneus, si per senectam diutius viuere potuisset. nam pacem, quoad eius fieri potuit, coluit, illud sæpe vsurpans, *Dum in pace esse possumus, arma non induamus.* Is Tatianum Iuliumque fratres, qui olim aquilæ superuolantis eius caput auspicium retexerant, viaticoque ducentorum aureorum inopē & ægrotantem adiuuerant, statim vt princeps est dictus, alterum Illyrico, alterum Constantinopoli præfecit. Hoc principe Chalcedonensis quarta synodus celebrata aduersus Dioscorum & Eutychem, Leonis Pontificis Romani iussu. Imperauit annos sex.

LEO.

PRimus hic Græcanici vir sanguinis imperium tenuit, Asparis patricii factione adiutus. Cuius etiam filium Cæsarem quum inuitus creasset, postea cum Ardaburo fratre, vt insidiarum in se auctores, interfecit; Leonemque ex Ariadna filia & Zenone filium successorem sibi esse voluit. Is aduersus *Gensericum* Vandilorum tegem *Basiliscum* ducem misit. Qui, si Zonaram sequare, victus nauali prœlio a Vandilis, aufugit; siue illud ignauia, siue proditio fuerit. Byzantium huius imperio magna ex parte conflagrauit, præterquam quod Italia in perpetuo motu fuit. Imperauit autem annos XVII.

LEO IVNIOR.

HIc puer ab auo relictus, quum annum præfuisset, Zenoni patri manibus suis diadema imposuit, patremque pro se deinceps imperare iussit.

ZENO ISAVRICVS.

QVam varie rebus Romanis illuserit fortunæ vis, hic Zeno facile cum plerisque qui explicandi mihi principes erunt, probet. Vir obscurissimi sanguinis, & cum facie deformis, tum moribus plane tyrannicis; vt Isaurum agnoscas. Hic Theodericum Ostrogotthorum regem quum vince diligeret, in Italiam aduersus Odoacrem misit, consulem prius a se factum. Pulsus vero a *Basilisco*, factione vxoris, quum in Isauriam concessisset, non multo post reuersus, & Basiliscum expulit, (quem & inedia mori coegit) & annos XIII tyrannum verius quam principem egit. Sunt qui viuum adhuc inclusum ab vxore sepulcro tradant; frustraque resipiscentem, & opem quiritantem obiisse. Hoc principe incendium adeo graue fuit vt præter maximā vrbis partem conflagratam, centum & viginti librorū millia combusta sint: inter quæ & Homeri poema intestino draconis CXX pedum, aureis litteris descriptum.

FL. VALERIVS ANASTA-SIVS DICOROS.

DIcorum hunc cognomento Græci appellarunt, a discoloribus videlicet oculorum pupillis, quarum dextra nigricans, sinistra cærulea fuerit. Inter bonos principes vtique mihi referendus, tametsi ab humili loco ad imperium euectus Ariadnę

[illegible] haeresi adh[illegible] [illegible] conflatum *Bulgarorum* arma tum [illegible] au[illegible] graues incumbebant. Hic [illegible] al[illegible] [illegible] post octogesimum & octauum vitae annum, imperii vigesimum septimum, fulmine afflatus perit, vlciscente grauiter numine pietatem toties ab impuro principe violatam.

IVSTINVS.

QVis credat Thracem hominem, armentarium & sues agentem, sine tribu, ignotis obscurisque parentibus ortum, & rebus praefuisse, & rem tum feliciter tum optime administrasse? Rexit tamen ille summa cum laude, & pietatis studiosissimus verae Ioannem Romanum pōtificem, ad se legatum venientem a Theoderico Gotthorum rege pro Arrianis quos expulerat Iustinus restituendis, venerabundus excepit: & principatum dolo partum (quippe qui acceptam ab Amantio eunucho pecuniam, vt militi pro Theocritiano praeficiendo distribueret, in se suffragia vertetit) magna virtute postea administrauit: nonoimperii anno Iustinianum ex sorore nepotem, quū adhuc viueret, sibi succeſſorē instituens: quo facto, non multo post obiit.

IVSTINIANVS.

NEpos Iustino ex sorore, quum annum quartum & quadragesimum ageret, imperare coepit: quod per annos vndequadraginta administrans, veterem Romani imperii gloriam mirum in modum ampliauit. Primum enim *Persas* Bellisarii opera intra suos fines cōtinuit. inde eodem duce *Romam* a Gotthorum seruitute asseruit: *Africam* imperio pulsis Vandalis restituit, Narsete duce *Gotthicum* tamdem nomen deleuit. Bis triumphatum ex instituto veterum Romanorum de Persis & Vandalis a Bellisario Leges infinitis voluminibus antea dispersas, in L. Digestorum libros contraxit: Institutionum libros quatuor edidit: Codicem inuulgauit. Maximus certe princeps, nisi auaritiae & delirii Euthychiani reus fuisset. Setici vsus e Persis ad Graecos hoc tempore transiit iamprīdem desitus.

IVSTINVS IVNIOR.

HIc aemulus Iustini, & vt filius a Iustiniano in regia semper habitus, facili admodum ingenio atque ad promerendam ex liberalitate hominum gratiam nato fuit. Cum *Persis* pacem fecit, tributo quod Romani annuum his expenderent, sublato. *Longobardi*, Germanica gens, a Narsete indignato contra Sophiam, in Italiam hoc principe irrupere, quam ab Alboino rege ad Desiderium, per CCXIIII annos, in principatus diuisam tenuere. Obiit graui pedum dolore, anno X imperii.

TIBERIVS.

TIberius adoptatus a Iustino, rem per septennium foris satis feliciter gessit: domi summa cum pietatis & liberalitatis opinione. quod si, quemadmodum *Persas* grauibus afflixit proeliis, sic aduersus *Longobardos* felix fuisset, nihil illo principe fortunatius. Obiit Mauricio genero succeſſore declarato.

MAVRICIVS.

CAppadocem hominem virtus & rei militaris scientia, partaque eius ductu de Persis insignis victoria, imperio facile imposuit: quod sub initia *Persis* victis, *Scythis* afflictis, *Longobardis* tepressis, & *Hunnis* e pactio solo in solitudines pulsis, feliciter administrauit. Mox auaritiae studens, quum frustra Phocae insidias, somnio etiam admonitus praecauisset, dum miles stipendio fraudatus seditiosius agit, ab eodem Phoca imperio & vita priuatur; quum imperaſſet annos XX, vixiſſet tres & sexaginta: eius etiam omnis prosapia sublata est. *Turcarum* nomen tunc primum Asiae auditum.

PHOCAS.

ADeo praecipites in malum homines agimur, vt Phocas nec Mauricii auaritia admonitus, adepto imperio per Mauricii caedem, ab hoc vitio temperarit. Quin longe studiosius colligendae vndique pecuniae incubuit, & omnia ex Persicae seruitutis instituto egit. Vnum in hoc homine laudes, quod Romanū pontificem principem omnium

omnium iure declararit. Cetera adeo socors & ignauus, & frequentibus adulteriis infamis, vt quum Romanum imperium vndique barbari vastarent, staretque solum eius nominis vmbra, conspiratum sit in illum ab Heracleona & Heraclio & Prisco, qui captum inertissimum hominem prius interfecere quam ferre suppetias eius milites potuerint, omni stirpe principis impurissimi sublata.

HERACLIVS.

Labente iampridem imperio, & prægrauantibus Persarum armis, Syriacum ipsis Hierosolymis expugnata, Heraclius accepto diademate a Sergio pontifice, primum omnium *Persicum* bellum parat: ad quos legatis antea missis pro induciis impetrandis, contemptim ab his habitus, adeo excanduit, vt differre amplius rem non potuerit. Responderunt enim impii hostes, non prius se Romanis pacem daturos quam Christum abnegasset Imperator. Quare ingentibus copiis in Chosroen ductis, victis eius sæpe ducibus, & cum omnibus copiis cæsis: mox profligato Chosroe, Persideq; omni in vltionem nostram igni ferroque vastata, lignum salutiferæ crucis recepit. Celebris adhuc est Christianis dies festus, argumentum victoriæ insignis, pacis videlicet partæ, & Tigridis fluuii inter vtrumque imperium termini. Triumphatumque egregie cruce prælata. Imperauit Heraclius annos XXXI. Nouo morbi genere periit, virili membro semper ita distento vt quoties meieret, lotio vultum aspergeret, nisi obiecta tabula id prohibuisset. Creditum est hæreseos Monothelitarum, in quam inciderat, & nequitiæ supplicium luisse. Hoc tempore *Saraceni* Mahomete duce caput extulere. Quare breuiter de eius ortu & successu interim quædam perstringamus.

Mahometis ortus.

EX Arabia, constanti veterum scriptorum fide, hoc malum orbi prodiit. Inde enim humili loco natus, dum locandis conducendisq; camelis victum quærit, adolescens ingenii vafri, viduæ dominæ nuptiis & opibus mox auctus, Sergium monachum nostratem familiarem habuit: cuius adiutus opera, quum Christianos & Iudæos accusaret, hos vt impios, qui summum prophetam excruciassent, nos vt simpliciores, qui de Christo ridicula prodamus; paulatim latronum manum coegit; & diuinitate quadam inde sibi astructa, facileque leuissimo hominum generi persuasa, cõsilium armis addidit. Inde rerum successu prosperiore elatus, Syriam vastat, & Damascum regionis caput expugnat. Tum vero in Persas arma conuertit. quibus congressus, & primo victus, reparandis copiis intentus, Scenitas sibi Arabas adiungit, gentem per ea tempora Romanæ militiæ assuetam, & quæ ob negata ab Heraclio stipendia, rebelles animos induerat. Sicque paulatim firmato imperio, & diuinitatis cuiusdam opinione persuasa, quam armis tuendam contra aduersantes præceperit, quadragesimo vitæ anno, veneno (vt aiunt) a domesticis dato periit. In quo homine nescio magisne ingenii calliditatem admirer, an gentis eius stultitiam, an potius Christianorum principum socordiam, qui nec nascentem comprimere flammam (factu tunc facile) voluere, nec magnis postea rerum successibus auctam potuere. Vnde labes illa iam ad hoc æui non Asiam solum & Africam, sed magnam Europæ partem infecerit, vt iam de Christiana pietate tuenda in discrimen ventum sit.

CONSTANTINVS HERACLII.

HIc annum vnum quum imperasset, rectæ ac veræ pietatis cultor, Martinæ nouercæ insidiis, quæ Heracleonæ imperium astrueret, veneno tollitur. Illa vero, quum imperium male partum cum filio vix biennio tenuisset, a senatu cum decenni filio expellitur, amputata prius matri lingua, filio naribus.

CONSTANS.

COnstans ex Gregoria & Constantino proxime relato proles, rerum potitur adnitente senatu, qui Martinæ scelus exsecrabatur. Hic auitæ impietatis heres, Martinum Romanum pontificem sibi aduersantem, comprehendi iussum, in exsilio mori coegit. Cetera hominem non improbares, si impietatem & auaritiam demeres. *Saracenis* classe congressus, victus aufugit: quibus paulo post dissidio labo-

rantibus, biennii induciis impetratis, Italiam petit, vt eam a Longobardico iugo liberaret. Sed quum Romam venisset, victus a *Longobardis* acie, quidquid antiqui operis signorumue fuit, intra quintum diem inde sustulit: vt plus ornamentorum paucissimis diebus vrbi detraxerit, quam barbari per tot annos. Inde in Siciliam traiiciens, quum sextum ibi annum ageret, & auare & crudeliter tributum exigeret, dolo suorum interficitur, postquam annos V I I ac X X imperasset.

CONSTANTINVS POGONATVS.

MEliore orbis fato Constantinus imperium excepit: qui maximus natu relictus a patre Byzantii, vt imperium administraret, audita eius morte, in Siciliam venit vltusque Mizizium tyrannum, & cædis paternæ conscios, bellum aduersus *Saracenos* septem annos, terra marique feliciter gessit. Fatigati enim bello maritimo Arabes, quod ex Cyzico a se capto, Byzantio singulis æstatibus inferebant, maxime ignis miraculo territi, qui sub aqua arderet, (Callinici inuentum) tempestate etiam graui oppressi, fere omnes periere. Nec terra felicius res eorum administrata. Victi enim vna acie, X X X suorum millia amisere. Quare pax honestissima sequuta; pollicitusque Mauias eorum dux, Ioanni legato Imperatoris ad id misso tributũ annuum, auri pondo I I I millia seruorum etiam honestorum & equorum totidem. Sexta hoc principe veræ pietatis celebrata synodus Constantinopoli Pax vbique etiam floruit; prætetquam quod *Bulgari* trans Danubium repentine bellum ostentarunt: quod quum infeliciter gereretur, inhonesta pace Mysia his ad inhabitandũ data est, tributo etiam annuo promisso. Imperauit annos septemdecim, Iustiniano filio herede, quum fratribus minoribus nares amputasset. *Pogonatus* appellatus, quod imberbis in Siciliam profectus, barbatus redisset. *πώγωνα* enim Græci barbam appellant.

IVSTINIANVS.

VLtimus Heraclianæ stirpis Iustinianus imperio præfuit, praui vir ingenii & varii, atque a fide recta abhorrentis. Siquidem synodum aduersus sextam a patre celebratam, indixit, bonis omnibus aduersantibus, & in primis Romano pontifice; quem comprehendi mandauit. Bellum aduersus *Arabas & Bulgaros* contra fœdera motum, vtrumque calamitosissimum gessit. Quare & crudelitate etiam in suos inuisior factus, Leontii patricii & Callinici patriarchæ dolo deturbatur imperio, atque Chersonam relegatur, nare prius abscissa. Vnde mox fugiens, & ad Trebellium Bulgarorum regem fuga lapsus, eius opera restituitur, Tiberio, qui Leontio successerat, fugato, & Callinico patriarcha luminibus priuato. Illud sæuitiæ hominis argumentũ traditur, quod quoties truncas nares emungeret, toties vnũ ex iis qui Leontio fauerant, ad supplicium rapi iubebat. Sexto demum & decimo anno a Philippico pulsus, quem, reclamante Constantino pontifice, acrius insectabatur, (venerat autem ad illum Romanus antistes accersitus, & ab Imperatore honorificentissime exceptus) vitam & imperium pariter amisit, sexto anno post exsilium, quum X ante præfuisset.

LEONTIVS.

L X X X V I I annos ab Heraclio ad Iustinianum in vna gente imperatum: (quod nescio an vlli priorum contigerit) quum Leontius Iustiniano relegato, imperium sibi vindicauit: qui classe aduersus *Arabas* Africam occupantes ingenti parata, quum infecta re rediret, imperio expellitur, postquam tres tantum annos rerum potitus esset. Hunc ergo Tiberius capium (sic enim quam Absimarus dici voluit) adepto imperio, naribus truncatum custodiri iussit.

ABSIMARVS, QVI ET TIBERIVS.

HVnc classis in Creta Imperatorem dixit. qui Heraclium fratrem statim aduersus Arabas omnia vastantes quum misisset, eius forti opera hactenus repressit vt a nostris abstinerent. Inde Philippicum nobilitatis præcipuæ Chersonam relegauit, quod aquila caput obumbrasse videbatur dormienti. Ceterum septimo post anno cum Leontio captus, a Iustiniano interficitur.

PHILIP-

PHILIPPICVS BARDANES.

NVnquam maior principum impietas, maiorue (quod grauius doleas) socordia. Quippe hic adeptus imperium, sextæ synodi decreta altera synodo infirmare contendit, gratificaturus monacho qui imperaturum illum prædixerat, hoc prædictionis præmium petenti. quare quum loquentiæ multum huic inesset, sapientiæ parum, opesque imperii iampridem congestas dissiparet, passus etiam *Bulgaros* Thraciam populari, priuatus oculis in ordinem redigitur, anno vno & mensibus sex vix expletis.

ARTEMIVS, QVI ET ANASTASIVS.

HIc adeptus imperium, quum optime quæ ad pietatem rectam attinent, instituisset ex pontificum assensu, classem ingentem aduersus *Arabas* in Alexandriam emisit. Verum classiariis quibusdam contumacius agentibus, qui illum oderant, domum reuersi, Theodosium, ignobilem alioqui virum, imperio præficiunt: captaque Constantinopoli, monasterio Anastasium includunt; quum annum vnum, menses tres imperasset.

THEODOSIVS ATRAMYTENVS.

OBscuro licet loco natus, non pœnitendum Imperatorem egisset, si diutius illi per Leonem & Cononem orientis præfectos imperare licuisset. Verum quum Leonem exercitus Imperatorem dixisset, pertæsus belli ciuilis Theodosius, cessit imperio; monasticamque vitam amplexus, satis diu ac felix in ea vixit, quum annos duos imperasset.

LEON ISAVRVS, SIVE CONON.

OBscuritatem generis (quippe qui apud Isauros natus exercuerat sedentariam) cum aliis sceleribus, tum vero impietate in Deum ac eius imagines, facile Leon æquauit. (vnde illi cognomen εικονομάχου & θηριμάχου Græcis) quarum perdendi tantus hominem ardor inuaserat, vt Iudæis duobus gratificaretur, qui illum tanto ante imperaturum prædixerant, vt & Constantinopolitanum pontificem, Germanum nomine, aduersantem, sede extruserit, & Romanum antistitem obsistentem, comprehendi iusserit. *Saraceni* certe ducibus Masgalda & Solymano Constantinopolim triennali obsidione, terra marique fatigarunt. Verum peste fameque confecti, a Bulgaris etiam sæpe victi, classe magna ex parte igne sub aquis ardenti consumpta, paucissimis ex tanto naufragio seruatis, manifestam in se numinis iram sensere. Nec minori interim clade in vrbe sæuitũ: trecenta & amplius ciuium millia peste fameq; consumpta. Ridicula plane quidam de cælesti igne & nauium numero prodidere. Inde *Siciliam* Sergii præfecti opera rebellantem, ad officium retraxit. Circa finem imperii, quod quartum & vigesimum durauit annum, graui *terræ motu* Bithynia Thraciaque concussa: murique Byzantii magna ex parte collapsi: quo Theodosii maioris & Arcadii filii statuæ ad terram deiectæ. Et quæ res flectere impii principis animum ab impietate debuerat, tamquam in manifesta deûm ita, ille vero ad priuatum quæstũ retulit, tributo ad restituendos muros imposito, vt in singula numismata quatuor & viginti obolos ærario principis inferrent: quod postea in multas ætates abiit. Hoc principe Romani pontifices ad Francos primum respexere.

CONSTANTINVS COPRONYMOS.

IMpio patri scelestissima successit proles Constantinus cognomento Copronymi, quod infans baptismi lauacro admotus, medus sacris alimoniæ excremẽto aquam polluerat. Is non solum patris impietatem in abolendis diuorum imaginibus reddidit, verumetiam grauiore scelere reliquias eorum aut contempsit aut combussit. quam in numina impietatem, immanitas hominis inuisiorem fecerit, dum nobilissimum quemque tollendum e medio curat. Antistites certe Constantinopolitanos vnum & alterum, ignominiose prius habitos, & grauiter adhæc excruciatos, capite plectit. Hic *Bulgaricum* variante fortuna bellum terra marique gessit. Artabasdum primæ nobilitatis hominem, Imperatorem ab orthodoxis creatum, post biennium a se captum, oculorum vsu cum liberis priuat. Grauissimam hiemem, vti Pontus

Bosporusque ipse Thracius perglaciauerit, expertus, post infinita flagitia exquisitissimo cruciatu consumptus, obiit, imperii anno XXIIII, duobus mensibus minus.

LEO.

NOn imperii solum sed paterni sceleris heres, aduersante matre Bulgarici sanguinis pientissima, successit Leo; qui ad impietatem sacrilegium etiam addiderit. Nam coronam a Mauricio principe Deo dicatam, nefario capiti imponens, captus gemmarum & auri splendore, breui pœnas luit. Caput enim impium carbunculi apostemate statim intumuit: tamdem ardentissima febri subsequuta, impium spiritum nefarius exhalauit, imperii anno vno.

CONSTANTINVS LEONIS F. ET IRENE MATER.

REdditus tamdem bis principibus veteri religioni suus nitor, reddita vetus pietas, Irenes matris opera: quæ Attici sanguinis, forma insignis, sed probitatis opinione insignior, Leoni nupserat. Quare conuentu trecentorum & L patrum Nicææ indicto, quæ septima synodus habetur, templis diuisque suæ restitutæ sunt imagines. Nec multo post tamen Constantinus iam adultus, matrem haud amplius passus, imperio deiicit, eiectam in ordinem redigit. Nicephorum, imperatoris & ipsum stemmatis, in quem suffragia multorum tacite inclinabant, oculorum & linguæ vsu priuat. Et, ne quid sceleris deesset, Maria vxore monasterio obtrusa, Theodoram concubinam inducit, matris consilio, vt filium inuisum omnibus faceret. vnde mox rerum sola potita, filium in potestatem redactum excæcat, eadē die qua sexto ante anno Nicephorum ille eodem supplicio affecerat: ipsaque non multo post a Nicephoro pulsa, in Lesbum insulam relegatur. Huius imperio, quod fuit cum filio annorum X, lamina inuenta est super cadauer his verbis; *Christus nascetur ex virgine: in eum credo: Constantini & Irenes imperio ô sol iterum me videbis.* Sed & Carolus a Leone Romano pontifice imperii corona donatur, virtutis & pietatis ergo.

NICEPHORVS.

PIget plane ac pariter me pudet, tot portentis verius quam principibus referendis immorari: nisi quod, præterquam quod rei series ita exigit, nonnihil & huiusmodi homines vitæ prosunt, dum eorum exitu & deterrentur pessimi, & optimus quisque ad virtutem honestumque accenditur. Nemo enim maiore hominum opinione ad imperium venit, dum singulos aut muliebris impotentiæ aut flagitiosissimi principis tædet: nemo auarius aut crudelius administrauit: quorum scelerum mox pœnas meritas luit. A *Bulgaris* enim paulo ante a se victis, improuiso noctis assultu oppressus, ipse cum toto exercitu ad internicionem cæditur. Stauracius filius, saucius humerum, vix Adrianopolim euasit. Hic Venetam rem sociali classe aduersus Gallos iuuit. Populoniam dolo magis quam vi captam diripit.

STAVRACIVS,

ADrianopoli, in quam euaserat, post patris interitum Imperator ab amicis salutatus, non multo post a Michaele Curoplate, Rangabe cognomento, qui Procopiam sororem eius in vxorem duxerat, imperio deturbatur, & monasterio includitur, postquam cum patre annos IX imperasset.

MICHAEL CVROPLATES, RANGABE COGNOMENTO.

MElior pacis artibus, & pietate maior duobus a me proxime relatis, successerat Michael, si, quam in toga bonus, tam bellicis rebus administrandis viguisset: a quibus tantum abhorruit, vt ad vnam aduersam cum *Bulgaris* pugnam, a quibus castris etiam exutus est, ita conciderit, vt accepto nuntio de Leonis imperio, monasterio sese abdiderit, habenas regni facile concedens, post annum alterum imperii. Hic cum Carolo Francorum rege fœdus ita iniit, vt Veneti suis legibus ac iure viuerent, immunitate his seruata, quam ad eam diem in terra Italia retinuerant.

LEO ARMENIVS.

PArdi Patricii filius, magno omnium gaudio, maiore spe, rei Romanæ præficitur: nec cōceptam de se hominum animis spem frustratus esset, nisi egregias virtutes crudeli-

crudelitate in suos & impietate in Deum mox fœdasset. Quippe qui parta de *Bulgaris* insigni victoria, quum ab armis quies esset, ad cædem multorum conuersus, diuorum imagines deleri penitus iubet. Nec præsagiis aut somniis maternis cladem imminentem euadere potuit. Nam a Michaele Traulo, quem in custodia detinebat, noctu per insidias, dum sacris operatur, cæsus, obiit post annos imperii VII & menses quinque.

MICHAEL BALBVS.

AMorium Phrygiæ superioris opidulum, dedit hunc principem, non humili solum, sed sordido etiam loco natum: (ad quæ impietas quoque accesserat, ex hæresi Iudæorum atque Thinganorum hausta) linguæ præterea vitio balbutientem: vnde Græci τραυλὸν appellauere. Hic post interfectum Leonem, a quo ad tantam fortunam euectus erat, Thomam, qui tyrannidem inuaserat, vario primum rerum euentu, tandem oppressit: defectionisque socios cum ipso Thoma sustulit. *Saraceni* hoc principe ex Africa profecti, Cretam insulam occupant, totamque fere in dicionem redigunt: Græcosq; duplici prœlio vincunt. Ipse princeps, quum annos VIII, menses IX imperasset, Theophilo filio per manus imperiũ tradidit. Vetus oraculum innotuit, *tum rem Romanam in lapsum præcipitem ruituram, quum balbus & auarissimus princeps imperaret*, qualis hic vir fuit.

THEOPHILVS.

MAior iustitię cultus in Theophilo filio: (quippe qui facillimum sese statis diebus adeuntibus exhiberet; & ad seueritatem interdum propensior, acrius delicta puniret) sed par impietas, vt qui diuorum imagines ex paterna æmulatione auersatus, non paucos qui eas colerent, ad mortem vsque cædi iusserit. *Saracenis* Asiæ prouincias vastantibus bis congressus, bis victus est castrisque exutus. Quinetiam Amorium, vnde illi genus, ab iis obsessum & proditione captum diripitur. Quumque annos duodecim rebus præfuisset, dysenteriæ morbo periit.

MICHAEL THEOPHILI, ET THEODORA EIVS MATER.

FEcit Irenes Constantini matris administratio, vt fœminei non pœniteret imperii. Quare Theophilo vita functo, Michaele filio adhuc infante, & sub tutela matris ac principum virorum relicto, *Bulgari* Scythicum genus, pietatem nostram populariter sunt amplexi, quum Theodora genitrix rebus adhuc præesset. Verum impotentiam muliebrem quis æquo animo ferat, vbi præsertim impietatem afferat? Nam & illa diuorum imagines execrata est. Ceterum impietatis pœnas mox dedit, a filio monasterio inclusa: qui auõ similior quam patri, per summam ignauiam ac prodigalitatem rem afflixit, a *Saracenis* etiam castris exutus: nec minore insania circensibus ludis oblectatus est: quibus dum plus nimio indulget, Basilium Macedonem, Barda interfecto, consortem imperii adsciuit: a quo mox occisus est, imperii anno XIIII: quorum tres cum matre egerat.

BASILIVS MACEDO.

QVis crederet & hunc, captiuum inter venales Constantinopolim adductum, Romanæ rei præfuisse; qui nec patriam, nec parentes saltem ciere posset? Præfuit tamen, & eo rerum successu, vt ad eius nepotes imperii maiestas transierit. Primum igitur adepto imperio, profusissimas Michaelis largitiones reuocauit, vt dimidium eorum quæ accepissent, ærario inferrent: & tres liberos imperii heredes instituit. Inde in *Saracenos*, qui Cretam occuparant, profectus, ab his nauali prœlio superatur: quos tamen alieno ductu post vicit. Hoc imperante, *Saraceni* ex Africa soluentes, quum Italiam magna ex parte vastassent, Dalmatiam quoque populati sunt, Rhagusio etiam capto: quos Nicephori Phocæ ductu, inde post eiecit, Bario in dicionem suam redacto, tametsi Veneti vna atque altera expeditione rem Christianam iuuissent. Ceterum quum annos XX imperasset, a ceruo in venatione cornu ictus, mox periit. Vir frugi, & quem principem non contemnas.

LEO BASILII PHILOSOPHVS.

COnstantino filio maximo natu (viuente adhuc patre) vita functo, Leo cognomento Philosophus frater successit. qui *Bulgaros* desciscentes, Turcarum auxilio primo vicit: verum ab his per inanes inducias delusus, magna clade afficitur. Inde in *Saracenos* classe comparata, Nicetæ ductu egregiam victoriam peperit. Litterarum omnium, & astrologiæ in primis, peritus, & qui filium Constantinum imperaturum diuinaret. Tamdem post annos v & xx, menses tres, alui doloribus fatigatus, Alexandro fratri imperium per manus tradidit; cui filium commendauit.

ALEXANDER.

NEc Basilio patri nec Leoni fratri similis Alexander successit, vir luxu & ignauia perditus, annum & mensem rerum potitus. Qui quum nec ipse recte administraret imperium, & ignobilissimum quemque ac turpissimum rebus præficeret, erumpente naribus sanguine exstinctus est.

CONSTANTINVS.

SEptennem hunc pater Leo sub tutela matris & nobilium quorumdam reliquit: quorum diligentia *Andronicus Ducas* tyrannidis inuasor oppressus est. Inde *Bulgaris* Thraciam vastantibus bellum indictum, quod feliciter sane Phocæ ductu successerat, nisi casu quodam consternati milites iam victores, in fugam conuersi fuissent. Eadem quoque fortuna alterius in Bulgaros expeditionis fuit, ducum discordia & ambitione; vt & Constantinopolis a Bulgaro hoste sit obsessa, & *Romanus Lecapenus*, Zoe Constantini matre prius eiecta, imperii socius adscitus a Constantino necessario sit, qui Helenam eius filiam in vxorem etiam duxit. Ceterum Romano in exsilium pulso, Christophoroque eius filio cum tota Lecapenorum gente exstincto, ipse rem imperii per annos vndequadraginta satis prudēter administrauit, Beneuento de *Longobardis* expugnato, & tyrannis quibusdā oppressis, *Turcarum*que principibus aliquot Christiana pietate imbutis. Hic a litteris optimisque disciplinis non abhorrens, quas pene exstinctas ab interitu vindicauit, librum Romano filio reliquit, in quo summam totius imperii, sociorum omnium fœdera, hostium vires, rationes, consilia explicuit: quem nos in bibliotheca nostra tamquam thesaurum seruamus, in quo multa de Venetis etiam nostris Imperator ipse disserat.

ROMANVS LECAPENVS.

NOn iusiurandum sanctissimum, quod præstiterat; non gener Constantinus, obstitit quo minus imperium & sibi & Christophoro filio Romanus vindicaret, Constantinumque pene in ordinem redigeret. Is vero quum *Bulgaricum* bellum contra Simeonem eorum ducem infeliciter gessisset, & sextum ac vigesimum annum præfuisset, tamdem a Stephano filio captus, insulæ includitur: mox & eius filii a Constantino comprehensi, alter in Proconnesum, in Lesbum alter relegatur.

ROMANVS LEONIS IVNIOR.

VIr omnium ignauissimus luxuque ac otio perditus, post Constantinum patrem imperium suscepit, Romanus nomine: quod tamen alieno arbitrio rexit: ingenio alioqui non malo, sed interdum sollerti, vbi animum adiecisset. Foris aduersus *Saracenos* qui Cretam occupabant, Nicephori ductu; & aduersus *Turcas* Asiam vastantes, eiusdem Nicephori & Leonis fratris imperio felix: domi in matrem ac sorores impius, vt regia eiectæ, quæstum meretricium sint amplexæ. Ipse ludis ac crapulæ intentus, post tertiumdecimum imperii annum obiit, veneno etiam potionatus.

NICEPHORVS PHOCAS.

NObilissimus haud dubie Romano successit Nicephorus, cognomento Phocas, Phocæ Nicephori nepos, qui in Sicilia contra Saracenos res egregias gesserat. Simul ac igitur adeptus imperium est, classem in eosdem *Saracenos* occupantes Siciliam instruit: ipse in eosdem Asiam vastantes exercitum duxit. In *Sicilia* res infeliciter per duces acta: ipse *Ciliciam* & magnam *Asiæ* partem lætis auspiciis recepit: mox *Antiochiam* noctu aggressus, pulsis Saracenis, imperio subdidit. Sed quam bellicæ fortunatus, tam domi infelix; dum auaritiæ socordiæque sese emancipat. Ex quo in odium ciuium incurrens, facile a Ioanne Zimisce, adiuuante Theophania Nicephori

phori

phori vxore, noctu intra cubile interficitur, quum rerum potitus esset annos sex menses totidem.

IOANNES ZIMISCES.

CLarus hic iam antea militari laude, imperium assequutus, Basilium & Constantinum fratres, Romani iunioris filios, imperii consortes adsciscit: in *Rhoxelanos* Bulgariam sibi vindicantes felicissime rem gerit: *Phocam Nicephorum* rebellantem capit: indeque *Bulgariam* omnem imperio adiecit, eiectis inde Rhoxolanis, Sphendoslauoque eorum rege ad deditionem coacto, mox Constantinopolim reuersus, quum triumphantis specie inuectus vrbi esset, potionatus, post imperii annum sextum & menses sex decessit.

BASILIVS ET CONSTANTINVS FRATRES.

NVlli diuturnius rerum potiti: quippe qui annos LIII præfuerint. & ne sine ciuili bello rem transigerent, *Barda Sclero* ambitio fecit; quem inuasorem imperii, tandem acie victum, ad Persas fugere compulere. Nec multo post *Phocas*, *Barda* cognomento, ab exsilio reuocatus, indignatusque post rem præclare aduersus Sclerum se duce gestam, ab Imperatoribus contemni, desciuit: quem & ipsum cæsum in acie superarunt. Inde in *Bulgaros* itum: quos prœliis aliquot victos, ad deditionem tandem totius gentis Basilius compulit, vsus ad compescendam eorum perfidiam grauiore in victos pœna. Nam XV millibus eorum captis oculos effodit, vno tantum incolumi qui eis ad Samuelem eorum ducem præiret. Quare dolore animi Samuel affectus, non multo post obiit. Bulgaria igitur omni subacta, & imperii terminis vndique ampliatis, post LXX & alterum vitæ annum decedens, Constantinum fratrem successorem reliquit.

CONSTANTINVS.

HIc cum fratre particeps dignitatis potius quam potentiæ, post fratrem per summam ignauiam & luxuriam ita se gessit, vti obscurissimis & barbaris hominibus rem totam traderet. Illud eo principe dignum laude gestum, quod Diogenes qui Sirmio & Bulgariæ præerat, *Patzinacas* Istrum superantes vicit. Decessit tertio imperii anno septuagenarius, Zoe filia Romano Argyropylo in vxorem collocata.

ROMANVS ARGYROPYLVS.

HVnc Zoæ filiæ Constantinus, vt omnium nobilissimum, qui imperii heres esset, delegerat; optima de eo omnium spe: quam sub initia nequaquam frustratus est, quum multa in melius mutarit, summa etiam liberalitate in omnes vsus. Verum quum *Saracenica* Asiæ expeditio parum ex sententia illi cessisset, repente mutatus, totum se ignauiæ ac pecuniæ colligendæ tradidit: nec multo post Zoæ vxoris insidiis & Michaelis Paphlagonis adulteri dolo, intra balneas aquis immersus obiit, quum annos quinque & dimidium regnasset.

MICHAEL PAPHLAGO.

QVis non effrenem in quinquagenaria fœmina libidinem exsecretur? aut fortunæ ludum in hoc principe non admiretur? mancipium videlicet barbarũ, nec vlla re nisi forma commendatum, mente etiam commotum, labensque ad singula momenta, spuma insuper oris fœda, septem tamen annos imperauit: nec malum omnino principem egit. Nam & tricennales inducias cum *Aegyptio* rege percussit, & *Edessam* obsidione liberauit: & domi in suos facilis ac beneficus admodum fuit: vni Zoę propter expertam libidinem parum ęquus. qui quum intercutis etiam morbo laborare cœpisset, Michaelem Calaphatem heredem imperii esse voluit.

MICHAEL CALAPHATES.

HIc adoptatus a Zoe, præter sordes parentum qui naues apud Paphlagonas pice oblinerent, (vnde Calaphates etiam dictus) auare ac crudeliter rem susceptam administrauit. ingratissimus enim in omnes, patruum auctorem tantæ maiestatis primum eiecit: cæliquos deinde consanguineos exsecuit: inde Zoen matrem in insulam relegauit. Quod quum indignissime omnes ferrent, populi conspiratione restituta Zoe, fugiens cum fratre Constantino a turba capitur: & vterque oculorum vsu, familiari Græcis pœna, priuatur: mensibus quatuor & totidem dies rerum potitus.

ZOE ET THEODORA.

FLagitia principum, vt muliebre imperium æquius videretur, effecere. Quare sororibus duabus imperii fasces ac maiestas asserta. Ceterum, vt varium ac mutabile semper est fœmina, facile Zoæ ardenti adhuc libidine persuasum vt maritum asciceret. Quumque aliquot fastidisset, Constantinum Monomachum, ab exsilio reuocatum, imperatorii & ipsum stemmatis virum, sibi adiungit, & Imperatorem pronuntiat, mensibus III vix exactis.

CONSTANTINVS MONOMACHVS.

HInc prima imperii labes, hinc reliquæ quæ consequutæ sunt clades, ortum habuere; principe adeo ignauo & libidine perdito, vt concubinam egregia alioqui forma, vxoris legitimæ loco habuerit, quam efflictim deperiret. Duplex illum factio sub initia, *Maniacis* videlicet *Georgii*, & *Leonis Tornicii*, est aggressa: sed Maniacis motus, qui ex Italia in Epirum transierat, vna pugna secunda & ducis morte facile compressus: Torniciana defectio, eo grauior quo diuturnior. Sed eo post aliquor prœlia tandem capto, & oculorum vsu priuato, facile consedit. Hoc principe *Turcarum* arma tunc primum per Asiam latius euagata: victi tamen interim *Rhoxolani* & *Patzinacæ*, Scythicum genus hominum. Zoeque vxore septuagenaria fato mox functa, & ipse tandem morbo prægrauante decessit, post annos imperii bissenos & menses octonos.

THEODORA.

NOn pudeat & Theodoram Zoes sororem, quæ biennio vix imperarit, nostris inserere commentariis: quandoquidem non muliebriter fœmina rebus præfuerit. Quinimmo tanta domi forisque quies & otium fuit, tanta rerum omnium vbertas, vt fœminei imperii neminem pœniteret. Verum ingrauescente cum ætate morbo, illecebris eunuchorum Michaelem iam senem in curæ partem quum aduocasset, ipsa non multo post fatis naturæque concessit.

MICHAEL SENIOR.

VIx annum vnum rerum potitus erat, quum Isaacii Comneni motus in ordinem illum redegit; virum genere & opibus clatum; cetera minus ad imperandum idoneum, ætate etiam prægrauante: qui priuatus non multo post obierit.

ISAACIVS COMNENVS.

TAmdem virum fortem, & pace belloq; illustrem Constantinopolitana res sortita fuerat, Isaacium scilicet Comnena gente nobili, si vltra biennium sceptri regnique potitus esset: verum ille lateris morbo inter venandũ subito oppressus, quum de salute desperasset, cucullam monasticam indutus, regno se abdicat, Constantino Duca de senatus populique voluntate, successore declarato. Sunt qui scribant tanta continentia eum fuisse, vti nec vxorem cognoscere vellet post prolem semel ex ea susceptam, quum tamen ad morbi remedium medici in primis consulerent vt coitu frequentiore vteretur.

CONSTANTINVS DVCAS.

ET hunc suorum conspiratio sub initia grauis exceperat. quam quum non sine discrimine compressisset, ad reip. administrationem conuersus, non pessimum principem egit. Veræ pietatis cultor, & æqui obseruantissimus; sed auaritiæ studium prægrauabat. vnde inuisus suis, hostibus etiam ludibrio fuit, imperii res vndique vexantibus. accessit ad externa mala, familiaris Constantinopoli clades, grauis terræ motus, quo templa ædesq; multæ corruere. sed morbo inualescente, Eudociæ vxori & filiis sceptrum tradens, anno septimo & mense sexto imperii, quum LX & amplius vixisset, excessit.

EVDOCIA ET FILII.

POterant res domesticę fortasse muliebri prudentia non incommode administrari, si a bellis externis quies affuisset: sed imminentibus vndique barbaris, vicit eorum sententia qui virum idoneum præficiendum rebus esse contendebant. Quare iurisiurandi oblita, quo marito morienti sese obstrinxerat, non superinducturam se

imperii

imperii rebus maritum alium, siue etiam coacta, Romanum cognomento Diogenem, filiis etiam non improbantibus, post menses VII imperii, virum sibi adiunxit, qui remp. prudentia ac fortitudine tueretur.

ROMANVS DIOGENES.

HVic Diogenes pater fuerat, haud dubie domi militiæque clarus; qui postea tyrannidis affectatæ reus, seipsum præcipitauit. Paternæ igitur laudis æmulator filius, quum victoriam egregiam retulisset ex hoste barbaro, dignus est habitus quem Eudocia in tori curæque partem acciperet: quam tamen non multo post facile pœnituit, quum insolentiæ hominis pertæderet, qui rem ad se totam traheret. Prior expeditio in barbaros Asiam vastantes vario rerum successu illi administrata: altera funestissima, Romano milite vel fugato vel cæso, ipso certe Imperatore (quod ad eam diem numquam contigerat) capto. Ferunt *Azan Turcarum* principem, ad primum nuntium capti Imperatoris Romani, vix credentem constitisse: mox ad se adductum & cognitum, in summo honore a barbaro habitum, & amplis donatũ muneribus, pace inita dimissum. Sed Byzantii omnia ad primum cladis acceptæ nuntium mutata erant; ipsa Eudocia relegata, Romano abdicatum imperium, & Michael maximus Constantini filius rebus præpositus. Ipse Romanus, quum bellum frustra pararet, tamdem deditus, præter iurisiurandi religionem oculis immanem in modum prius effossis, deportatur in insulam: vbi non multo post decedens, ab Eudocia vxore sepelitur post annos tres, menses autem octo.

MICHAEL CONSTANTINI DVCÆ F. PARAPINACEVS.

IGnauissimum principem numina nobis (vt arbitror) iampridem infesta, dedere: quem a fame quæ sub eo inualuit, Parapinaceum appellauere. Quum igitur imperii res pari ignauia ac sæuitia vexarentur, principe sub Psello magistro versibus tantum factitandis intento, Nicephorus Botaniates cognomento, haud dubie nobilissimus, imperium sibi asseruit: quem in socordis principis inuidiam ciues facile admisere, Michaele prius cum vxore & filio post sextum imperii annum, & menses sex, cœnobio incluso.

NICEPHORVS BOTANIATES.

A Phoca Imperatore stemma huic ductum. quare tamquam omnium nobilissimus, Michaele facile reiecto surrogatur. qui, Comnenorum fratrum forti primum fideli que opera vsus, qui *Bryennium* tyrannidis inuasorem, & *Basilacium* sustulerant, mox ab illis defectionem meditantibus, imperio deturbatur anno III quam imperare cœperat, ipse monasticam vitam sequutus. Alexius autem Comnenus, minor natu, militari turbæ acceptior, imperator salutatur: qui Byzantium ingressus, die dominicæ cœnæ sacratissimo magnæ hebdomadis, hostilem in modũ vrbem totam diripuit, nullo non iniuriarum genere in ciues edito.

ALEXIVS COMNENVS.

SVccessit iam hinc familia, vnde hereditarium ac prope iustum in Græcam gentem odium ad nos transmissum sit. Nam etsi iampridem sub Photio schisma cœperat, manebat tamen qualiscumque Romani pontificis maiestas, & male sartam gratiam affinitates quædam cum principibus nostris initæ focillabant. Alexius autem, veluti ex professo hostis Latini nominis prĕter bellum quod cum *Roberto Viscardo* infeliciter gessit, Venetis etiam armis adiutus, Gallorum memorabilem illam expeditionem, quam suspectam semper ab initio duxerat, perturbare conatus est. Ceterum non succedente consilio, his conditionibus commeatu & aliis necessariis rebus adiuturum se Gallos recepit, si quæcumque cepissent ex hoste, sibi restituerent. Ex ducibus certe nostris plurimum *Boamundo Normano* deferre visus est. Conuersus inde ad pacis artes, orphanotropheion erexit & museum: in altero pueros puellasque parentibus orbos alendos, in altero erudiendos instituit: sumptusque bis ex regio vectigali datus. Ipse vero morbo fatigatus, post VII & XXX imperii annum, menses quatuor cum dimidio, moriens, Ioanni filio, reluctante in primis matre, imperium reliquit.

IOANNES.

IOannes, quem nostrorum quidam *Caloianem* appellant, vbi imperium adeptus est, suos omnes dignitatibus ornat, in Isacium fratrem propensissimus, quem incredibili caritate dilexit. Variis expeditionibus in Asiam vsus, *Turcas Persasque* prœliis aliquot vicit, vrbesque illis non paucas ademit: Latinorum militum fortem fidelemque operam semper expertus. Legatos ad Innocentium pontificem & Lotharium Imperatorem, victoriam de Rogerio gratulaturos misit. Tamdem memorabili exitu in venatione sagitta venenata digitum dextræ saucius, post quintum & vigesimum imperii annum & menses octo, natu minori Manueli sceptrum reliquit, quum Isacium vt minus ad imperandum idoneum reiecisset: non contemnendus omnino princeps.

MANVEL.

NVllus infestior in nos fuit, nulli inuisiores successus nostrorum fuere; vt *Corradum Germanum & Ludouicum Francorum regem*, variis insidiis fatigarit. quare coacti intempestiue Bosporum traiicere, quum in locorum angustiis a Græcis nostri cæderentur, fame quoque laborare cœperunt: sed famem morbus etiam subsequutus, gypso per summum scelus farinæ immisto. Quare indignatus Siciliæ rex *Rogerius*, bellum illi indixit, indictum fortiter gessit: vastata omni ora Græciæ, & Byzantio etiam per suos duces adeo insultatus, vt sagittas argenteas aureasque hortis regiis immiserint. *Venetis* etiam non minus infestus, contra ius gentium Henricum Dandulum eorum legatum violat: negotiatores, quos simulata pace euocarat, vno die comprehendit. ex quo Venetis armis pressus, tamdem promissa bonorũ restitutione, æquis pensionibus pacem impetrat. Prœlium cum *Turcis* funestissimum gessit; in quo pene captus est. *Federicum Aenobarbum* etiam Italicis auxiliis exercuit. Rectæ fidei dogmata perturbare per insaniam adortus, non prius abstinuit ab incepto quam omnes aduersantes sibi vidit. Demum quum astrologiæ peritissimus haberetur, sponderetque sibi multos adhuc vitæ & imperii annos, totiusque orientis imperium agitaret animo, post XXXVIII principatus annos monasticam vitam sequutus, morbo periit, Alexio filio paruulo relicto.

ALEXIVS.

PAtri puer Alexius adhuc successit: qui fatigatus multorum insidiis, *Andronicum* maxime infestum habuit, virum callidum & impium; qui ex Isacio Comneno Ioannis fratre natus, nobilissimus haud dubie habebatur. Is Constantinopolim ingressus, primum tutorem egit, inde participem imperii. Demum præter iurisiurandi fidẽ, dominici etiam corporis & sanguinis haustu sacratiorem, Alexium XV tantũ annos natum, quum tres annos a patris morte rerum potitus esset, miserabiliter excruciatum necari iubet: capiteque abscisso reliquum cadauer in mare proiecit.

ANDRONICVS COMNENVS.

CAllidissimus mortalium ac sæuus, cetera non improbandus, si regnandi libidinem demeres, biennium rebus præfuit; omnibus ob insitam sæuitiam inuisus. Quare bello etiam a *Gulielmo Siculo* appetitus, quum vndique premeretur, tamdem ab Isacio Angelo præter suam omniumque opinionem, imperio deiicitur: captusque, ac per vrbem camelo sedens circumuectus, manu abscissa, oculoque effosso, turbæ vulgique tumultu lacer periit.

ISACIVS ANGELVS.

COmnenorum sublata stirpe, ad Isacium cognomento Angelum summa rerum præter omnium spem defertur. qui quum prudenter se gerere sub initia videretur, classem ad recipiendam *Cyprum* frustra comparauit. Bellum etiam cum *Mysis*, qui & *Valachi* dicuntur, Petro & Asane fratribus defectionis auctoribus, infeliciter gessit. Varias interim multorum tyrannides oppressit. *Federicum Aenobarbum* in Syriam properantem magnifice excepit. Ipse vero, quum in nostros beneuolo animo esse videretur, ab Alexio fratre, quem captum a Turcis redemerat Isacius, per summum scelus imperio oculisque priuatur.

ALEXIVS FRATRICIDA.

NOn ingratus in fratrem solum, sed plane impius Alexius videri possit: qui non solum maiori fratri imperium per scelus ademerit, verumetiam nepotem extorrem pateretur. Sed affuit non multo post grauis vltio. Restitutus enim nepos, patrem adhuc viuentem rebus præficit. Ipso autem Alexio fuga dilapso, nepos Alexius Isacii filius, post subitam patris mortem Imperator est dictus, Gallorum Venetorumque armis præualentibus.

ALEXIVS IVNIOR, ISACII FILIVS,

PVer annorum XII, quum Pannonas Gallosque per matrem vxoremque attingeret, Venetorum Gallorumque ope in imperium restituitur. Id vero præter alia in fœdere sanciendo diserte cautum, vt patriarcha Constantinopolitanus Romano pontifici, tamquam maiori, subesset: & damna Francis Venetisque a Manuele illata compensaret. Qui mense post restitutionem suam vix exacto, quum satageret rerum quas promiserat, a Murziphlo quodam ignobili, quem tamen ad summum dignitatis gradum extulerat, fraude puer necatur. Sed Murziphlus & ipse, non multo post in Peloponneso captus, & Constantinopolim retractus, per summam ignominiam & cruciatus obiit.

BALDVINVS FLANDRENSIS.

EXcellens Veneti sanguinis virtus, adiuta Gallicis armis, imperium, quod tot annos factiosissima & turbulentissima Græcorũ natio possederat, Latino nomini facile asseruit. Capta enim vrbe post Murziphli fugam, Balduinus Flandriæ comes, XV virûm suffragio Imperator eligitur. Veneti priuo suffragio Thomam Maurocenum (quando ita conuenerat vt ipsi antistitem darent, si Gallus imperaret) patriarcham designant. qui statim ad Romanum pontificem profectus, eum dignitatis suæ auctorem fecit: moxque reuersus, celeberrimo gentium conuentu, Balduinum imperii corona donat. qui vix anno circumacto, quum præter Adrianopolim cuncta recepisset, moriens fratrem Henricum successorem habuit. Sunt qui annos V imperatum prodant.

HENRICVS.

BAlduino fratri successit Henricus. qui pace cum *Valachis* firmata, & filia ducis eorum in vxorem ducta, domi forisque quum prudenter se gereret, in Thessaliam profectus, *Gulielmum* filium Bonifacii, regem Thessaliæ declarat: mox moriens, Iolantam filiam Petro Antisiodorensi nuptam, reliquit heredem, anno imperii XI.

PETRVS ANTISIODORENSIS.

HIc vxorio iure (quando mascula nulla supererat proles) innixus, ab Honorio pontifice ad Laurentii fanum extra vrbem insignia imperii accepit. inde Venetis nauibus soluens, quum Dyrrachium in Venetorum gratiam frustra tentasset, a *Theodoro Lascare*, qui se Græcorum Imperatorem gerebat, per assimulationem pacis, præter iurisiurandi religionem & fidem, medio conuiuio obtruncatur. Sunt qui circa nemorosa Thessaliæ loca (Tempe ea vocant) insidiis captum, & in vinculis asseruatum prodant.

ROBERTVS FILIVS.

NVlli dubium esse potest, tres a me principes relatos pietate ac fortitudine eximios fuisse, quibus tamen fortuna haud sane arriserit: tum quod rerum diu potiri nõ est datum, tum quod in tanta imperii nouitate obnoxiam ac plane precariam potestatem agerent. Eadem prope sors Roberto affuit: qui ad paternæ captiuitatis nuntium Byzantium aduolans, quum sese optime gereret, Veneti nominis obseruãtissimus, inuidiam vnius ex purpuratis suis sensit; qui abductam sibi ab illo sponsam iniquissime ferens, impotens animi, cum domesticis in regiam irrupit, dehonestatamque naribus puellam cecidit. Quam iniuriam vlturus Robertus, dum Romam contendit atque inde reuertitur, in Achaia morbo decessit, re interim Veneto prętori demandata.

BALDVINVS.

QVasi fato euenisse dicas, vt quemadmodum a Balduino auspicia regni cœperant, sic in Balduino conciderent: patri Roberto sufficitur Balduinus filius. Cui,

quod per ætatem tantæ rerum moli non videbatur idoneus, *Ioannes Brennus* socer adiutor datur. Qui, prævalentibus Græcorum armis, quum Venetorum auxilio sæpe rem tutatus esset, tamdem oppignerato filio & crucis dominicæ parte, quin etiam templorum donariis omnium ablatis, quum ingentem exercitum ad Bospori fauces obiecisset, per eius absentiam a Michaele Palæologo proditione recipitur Byzantium. ita, dum externam vim formidat, domestica opprimitur. Anno igitur LX fere quam imperari a nobis cœptum est, Byzantium amissum est.

Lascarorum stemma.

DEtur & hoc ipsum cum studiosis omnibus, tum Lascareæ familiæ haud dubie clarissimæ; vt qui interim ad Adrianopolim rei præfuerint, non ignorentur, quousque Michaelis Palæologi virtute Græcis iterum vindicatum imperium est. Imperator Alexius cognomento Angelus, quem fratricidam superius ostendimus, Theodoro Lascari filiam despondit, dotisque nomine imperii titulos genero tribuit. Huic mascula proles ex vxore nulla, fœmina tantum Irene filia fuit: quam *Ioanni Diplobatazo* in matrimonium iunxit, imperiumque illi per manus tradidit. Cui postea *Theodorus* filius successit: ex quo *Ioannes*: quem *Michael Paleologus* puerum quum interfecisset, ipse sibi & posteris per summum scelus imperium vindicauit.

MICHAEL PALÆOLOGVS.

VEhementis spiritus vir, quum illum fiduciariæ quodammodo tutelæ pertæderet, imperiumque sibi ac suis destinasset, *Gulielmum* Achaiæ principatu primum spoliat: inde Byzantio capta, cum *Venetis* bellum diu gessit: a quibus facile imperio deturbari potuit, nisi Genuenses obstitissent. Quare induciis initis, Lugdunum ad concilium venit, quod Gregorius pontifex indixerat: facileque illi cum Romano pontifice cōuenit. ex quo tantam inuidiam Græcanicæ gentis contraxit, vt nec mortuo iusta persoluerint, & locum sepulturæ negarint. Hunc annos quadraginta & amplius rebus præfuisse, nisi annales dubia prodant, certum est.

ANDRONICVS, ET MICHAEL FILIVS.

EX tribus maribus natu maximus Andronicus, imperium arripuit: qui Michaelem matre Vngarica natum, consortem imperii sibi asciuit. quo mox vita functo, præ dolore amissæ filiæ & generi, pater Andronicus *Constantinum Despoten* iuniorem ad imperii successionem inuitat. quod Michaelis filius Andronicus ægre ferens, in auum insurgit; Genuensiumque auxilio fretus, ius omne ad se trahit. sed Veneti seniorem Andronicum quum restituissent, tamdem prægrauantibus Bulgaricis auxiliis & Genuensium, auus coactus Venetos destituit, partesque Ligusticas a nepote coactus amplectitur, & septuagenario maior tamdem moritur.

ANDRONICVS IVNIOR.

SEx annos & amplius bellum varium & anceps hic cum auo gessit: sæpe tamen reconciliatis animis amicorum interuentu, & gratia male sarta nequaquam coeunte. Tamdem quum Byzantium nepos clam ingressus esset, in auum nihil vltra molitus, illum secum imperare, quoad vixit, passus est. Eo mortuo quum aduersus hostes Romani nominis res egregias gessisset, multisque victoriis clarus esset, vndequinquagesimo ætatis anno moritur, febre capitisq; dolore intra quadriduum confectus.

IOANNES PALÆOLOGVS, ET IOANNES CANTACVZENVS.

MOrtuo Andronico iuniore, quum Cantacuzeni arbitrio, qui Magni domestici dignitatem supremam obtinebat, omnia prudenter gererentur, *Apocauci* fraude, viri obscurissimi, sed sollertia & calliditate inter principis amicos præcipuæ dignationis, & patriarchæ ambitione, in exsilium truditur. ille vero, iniuriæ impatiens, bellum quinquennale aduersus reginam & Ioannem gessit, *Turcarum* arma Europæ primus inferens. Ceterum rebus in dies pessum euntibus, proditur illi Byzantium. quod quum occupasset, nulli fere molestus, imperii tantum participem egit, filia in vxorem Ioanni tradita. Inde in *Genuenses*, socius Venetis & Arragoniis, bellum varia

fortuna

fortuna gestum, cui Nicolaus Pisanus dux præfuit. Nec multo post, bellum a *Paleologo* exsule Cantacuzeno indictum, *Turcarum* in primis ope geritur: quibus etiam in Europa locum inhabitandum primus tradidit. Et quum ex Tenedo soluens, improuisus Byzantium ingressus esset, tamdem Cantacuzenus imperio se abdicans, monasticam vitam sequitur. Hic Ioannes *Matthæum* Cantacuzeni filium, consortem imperii agentem, tamdem imperium deponere coegit. Et quum multa fortiter administrasset bella, moriens filio Manueli imperium reliquit.

MANVEL.

DE hoc nihil aliud memorabile proditum; nisi quod septem filios mares reliquit: quorum Ioannes natu maximus morienti successit.

IOANNES.

AVidus hic concordiæ pacisque, principibus cum sacris tum profanis Græciæ totius comitatus, Italiam petit, Eugeniique auctoritatem sequutus, Florentino concilio interfuit: paceque ac concordia perpetua (vt spetabatur) inita, mox domum reuersus, non diu superuixit, Iosippo etiam patriarcha Florentiæ defuncto.

CONSTANTINVS.

HOrret animus tantæ cladis recordatione, & luctu adhuc, tamquam in nouo malo, mens refugit. Vrbem totius orientis amplissimam, in qua Christiana pietas millesimum ac centesimum supra nonagesimum primum annum floruerat, vbi tot principes Christiani, tanta religio, tot diuorum templa, tot reliquiæ conditæ erant, paucis diebus quam oppugnari cœpta sit, ab immanissimis ac nefariis *Turcis* captam fuisse, in qua nullæ scelerum facies defuerint; non dignitatis, non sexus, non ætatis habita ratio: stupra cædibus, cædes stupris additæ, ipsa diuorum templa diruta, ipsa ossa martyrum canibus suibusque obiecta. Constantinus Imperator, dum ad portam trepidus se recipit, fugientium trepidatione oppressus obiit: cuius caput hostis ad ludibrium pilo affixum totis castris gestauerit. Redemptor ipse Christus (pro pudor & dedecus nobis æternum) iterum cruci affixus, luto limoque vexatus est: eaque omnia repræsentata quæ in illum Iudæorum gens olim impia patrarat. Elogium inde additum cruci, HIC EST CHRISTIANORVM DEVS. Triduum ciuitas vexata, atque ad arbitrium impotentissimi victoris direpta: inde quidquid regii sanguinis mares fœminæque illustres superfuere, aut inter epulas prægrauante vino, Othomani iussu fœde iugulantur, aut victoris libidini (quod grauius morte fuerit) reseruantur. Incidit autem clades hæc in annum salutis millesimum CCCCLIII, quarto Calend. Iunias: qui dies funestissimus ac religiosissimus esse nobis semper debeat. Qua in re subeat ea reputatio, a Constantino magno Helenæ filio constructam vrbem esse, Romæ semper æmulam; sub Constantino, qui eiusdem hominis matrem haberet, captam, Turcarumque iugo ad hanc diem subditam; quum Nicolaus pontifex Romanæ præesset ecclesiæ, Fridericus Germanis imperaret. Nostri interim Veneti, quum classem ductu Iacobi Lauretani emisissent ad subitæ oppugnationis nuntium, hostis Turcæ celeritate præuenti, nullam opem lapsis iam rebus afferre potuerunt. Regnatum a Palæologis annos fere ducentos.

De Byzantio.

FVerit & hoc institutæ rei consequens, vt qui Byzantium primi condiderint, quæque vrbis tam celebris incrementa a prima eius origine ad ætatem nostram fuerint, & quam varia fortuna, perstringam. Nam si castelli vnius originem diligentius perscrutari non ineptum ducitur, cui, quæso, ingratum esse possit, vrbis tam vetustæ, tam ampla, in qua imperii Romani maiestas qualiscumque tot annos viguerit, ortum casumq; percepisse? *Byzantium* primo in angustissimo Europæ Asiæque euripo posuere Lacedæmonii Pausania duce, *Lygos* ante dictum. quod variante deinde fortuna, dum incerti iuris possessio adhuc esset, Atheniensibus Spartanisque id sibi certatim vindicantibus, tamdem libertatem sibi asserere, & dum neuter populus, tamquam propriam vrbem auxiliis iuuat, liberæ conditionis esse cœpit. per quæ tempora res eorum admodum floruit, agro fœcundo feracique in primis, & mari admodum op-

portuno; vnde vectigalia, vectigalibusque eorum augendis piscium vis ingens ad eorum litora deferebatur. Quam commode posita esset, oraculi Pythii ambages arguit. nam consulentibus Græcis vbi vrbem conderent, data sors exciderat, sedem opido cæcorum aduersam quærerent; Chalcedonios haud dubie innuens, qui priores in ea loca profecti Megaris, peiora legerant. Pisces etenim, ex Euxino in Propontidem illati, vbi ad Chalcedonense litus incurrêre, territi candicante saxo, quod a vado ad summa pellucear, aduersum Byzantii promontorium, ex ea caussa *Chrysoceras* appellatum, præcipiti petunt agmine. Itaque omnis captura Byzantiis, Chalcedonensibus penuria. Primum cum Romanis fœdus aduersum Pseudophilippum a Byzantiis initum est: inde semper forti fidelique opera eorum multis variisque bellis vsi sumus; quousque Seuerus Imperator occupatam a Pescennio Nigro, eo occiso, funditus euertit, & in vici formam redegit, agro etiam eorum Perinthiis adiudicato. Fuit autem vrbis murus *Milesio quadrato lapide, adeo indiscreta laterum structura, vt vna prope muri compages spectantibus videri posset. In huius ruinis Constantinus Magnus, aquilæ præpeti volatu ex Chalcedone illuc regulares funiculos terque acquater inferentis admonitus, vrbem ampliore mœnium circuitu construxit, Romæ operibus & nomine etiam æmulam futuram. quam quum variis signis ac monimentis vndique conquisitis ornasset, ante v iduum Maii, Deiparæ virgini dicauit. Quin & Valens mathematicæ prædictionis consultissimus, annos DCXCVI potituram rerum prædixit, quæ tamen adhuc duret. Portus duos habet, quos ductis vtrimque catenis, & turribus erectis, munitissimos reddidit. Illud est quod Dion grauis in primis auctor memorabile prodiderit, septem turres eo artificio fuisse constructas, vt si quis vni inclamasset lapidemue immisisset, sonitus ex omnibus redderetur æqualis; ita vt ex singulis proprius exaudiretur. Et quum multa ad ornatum nouæ vrbis conquisisset, cochlidem insuper porphyretici lapidis ex vrbe Roma aduehendam curauit: cui statuam suam, & clauum vnum Christi redemptoris cruciatu insignem, superimposuit; quæ Alexio Comneno viuente corruerit. Palladium etiam ex Ilio comportatum. *Principes* a Constantino cum diuersa fortuna, tum rerum vario successu, multi præfuere: magna tamen eorum pars ambitiosi, crudeles, auari, & obscurissimi, quodq; grauissimum sit, ab orthodoxa fide aut abhorrentes, aut etiam infesti, donec vrbs terræ motibus, incendiis, seditionibus intestinis obnoxia; quibus alimentum leuitas genti insita præberet, adde etiam principum instabilitate, in nefariæ gentis Turcicæ libidinem deciderit: in qua, non sine nostro graui dedecore, septuagesimum prope annum dominati fuerint, *Mahometes* primus, inde *Pazaetes* eius filius, & qui nunc omnibus formidolosus Syriæ Ægyptoque imminet, *Selimus*. Et quoniam Turcarum proxime meminimus, quinam illi fuerint, vndeue terrarum profecti, per quos duces eorum aucta res sit, breuibus explicandum est mihi: tum quia res memorabilis admodum sit, tum quod diuersa quædam quam nostri hactenus tradiderunt, & (ni fallor) similiora veri, proditurus sim: quum alii præter eorum nuda nomina, vix quidquam memoria dignum in multis retulerint.

De origine Turcarum.

TVrcæ, partim Caspio mari proximi, qui Asiam orientemq; vastarunt, Caucasiiq; veteres incolæ, qua parte ad Arctum vergit, partim inter Scythicas gentes relati, & Hunnici sanguinis, qui postea Vngari dicti sunt, existimati: quod ex Græcis auctoribus & Latinis aliquot colligas, Veteres scriptores (quod sciam) de his nihil, præter Melam & Plinium. ille præter nudum Turcarum nomen, in Scythiæ relatione nihil aliud addidit. Siue igitur veteres illi a Mela relati, siue recens aliquod genus hominum, eorum certe qui Caspii maris accolæ fuere, tenuissima memorantur primordia, &, vt ceterarum gentium, plane obscura. Nam septingentesimum ab hinc annum, natali solo relicto, in Persidem atque Asiam minorem primum impetum fecere. sed nec vnus dux illis, nec certum imperium: vagi dispalatique, quoue cuique sors affuit, latrocinantes magis quam belligerantes, prouincias vastarunt. Prima stipendia, Basilio Macedone imperante, sub *Muchumetio* Saracenorum principe meruere: quorum præcipue opera Babylonios Indosq; ille vicerit. Sed peperit his virtus inuidiam:

inuidiam: prohibitique ad sua redire, indignati primo secedunt: inde vno altero que prœlio, *Tangrolipicis* Mucaleti ducis eorum auspiciis, feliciter aduersus Saracenos gesto, tandem egregie vincunt. Muchumetiumque profligatum acie obtruncant: ex quo res Turcica ad Tangrolipicem delata. Is aliis Turcis ad se accersitis, Cucumetium nepotem aduersus Arabas cum paratissimis copiis misit: qui prœlio ab his victus, quum a patruo per summum contemptum exceptus esset, eius iracundiam veritus, ab illo deficit, & Pasata Chorasmiorum vrbe munitissima sese includit. Tangrolipix interea prœlio genti funestissimo in Mediæ finibus cum Romanis Asahi alterius nepotis ductu conflixit. Quo victo & cæso, indignatus ille, Alenium fratrem iterum in Romanos misit. qui egregiam victoriam, capto Lipatite Græcorum duce, & cæsis etiam Iberis Romanorum sociis, retulit. Sed quum Liparitem primum, mox & dona a principe missa facile Turca reddidisset, nec præstarent Romani quod promiserant, ingentibus copiis accinctus Tangrolipix, Asiam omnem ad Euxinum mare aut vastat aut subigit. Variarum deinde in gente factionibus exortis, ad Gallorum vsque memorabilem illam expeditionem, qua fracti ab his sæpius, magna etiam imperii parte mulctati sunt, donec *Othomanus* ab hoc Selimo qui rerum nunc potitur, nonus, veterem gentis gloriam asserere ausus est. Is obscuro loco & parentibus agrariis natus, virtute ac calliditate singulari, conflata per seditionem manu, circumferre Turcica cœpit arma, in suæ gentis homines non minus infestus quam in nostros. Paulatimque rerum successu & imperandi libidine inflammatus, castellum quod Othomanum de suo nomine appellari voluit, cepit: distabat id a Prusia Trapezuntem versus itinere dierum sex. Agebatur autem annus salutis nostræ millesimus trecentesimus, præeratque in Barionæ sede Bonifacius octauus, circa exitum Michaelis Palæologi, & Andronici nepotis initia: quo tempore Germanis Albertus imperabat. Othomanus igitur his auspiciis intra octo & viginti annos, quibus rerum potitus est, incredibile dictu quantum rem suam auxerit. magnam certe Bithyniæ partem breui subegit, opidaq; ad Euxinum posita non pauca cepit. qui moriens, *Orchani* filio regnum per manus tradidit. Sub quo, dissidio Græcorum, Cantacuzeno & Palæologis contendentibus, adeo res Othomanica creuit, vt Prusiam Græcis ademerit: & dum Cantacuzeno magis quam Palæologis fauet, primus in Europam ab eo accersitus traiecit. Caramanum etiam, perfidia in illum vsus, cuius filiam in vxorem duxerat, interfecto eius filio adolescente, nō exigua principatus parte exuit. Qui post vigesimumsecundum imperii annum, *Ammuratem* filium heredem reliquit. Is auitam paternamque felicitatem æmulatus, in Caramanum auum maternum non minus infestus quam pater fuit. Mox ab Imperatore Palæologo sollicitatus in Bulgaros, fratremque Peloponnesi principem, qui bellum mouerant, XII Turcarum millibus in Europam transportatis, egregie Bulgaros hostesque Imperatoris vltus est. Hinc Europæis opibus illectus, dum vlcisci imperii hostes simulat, vsus Genuensium nauibus, Hellespontum ad Abydum superat, Callipolimque cum aliis opidis occupat. Is fuit annus millesimus trecentesimus sexagesimustertius. Nec multo post, Seruiam Bulgariamque ingressus, quum Adrianopolim prius occupasset, occurrentes sibi cum paratissimis copiis hostes ingenti cæde profligat, Lazaro Seruiæ principe in acie cæso. Sed mox a seruo in domini vindictam Ammurates occiditur, quum annos viginitres imperium tenuisset, Pazaite & Solimano liberis superstitibus. *Pazates*, interfecto per insidias fratre patris mortem vltutus, Marcum Craieuicium Bulgarorum principem prœlio superat & interficit inde magnam Bulgariæ partem sibi subiecit. Nec tanto rerum successu quietus, Bossinam, Croatiam, vlterioresque Illyrici partes vastat. Constantinopolim annos octo obsidet: facileque obsessam iam tunc expugnasset, nisi Vngarorum Gallorumque aduentum formidans, iis ad Nicopolim occurrisset: vbi memorabili prœlio nostros superauit, cæsis captisque magna ex parte Gallorum ducibus, in primis Ioanne Burgundiæ duce, & Sigismundo Vngariæ tunc rege tumultuaria pugna fuso: qui facile in hostis potestatem venisset, nisi Venetæ classis occursu seruatus e fuga esset. cui tum Thomas Mocenicus, qui postea Michaeli Steno successit, preerat. Inde ad Constantinopolitanam obsidionem spei plenus regrediens, quum eam biennio obsessam tenuisset, trepidissi-

mis Tamberlanis Scytæ nuntius, qui infinita pene multitudine Turcarum terras inuaserat, excitus, illi ad Stellam montem congreditur, in Galatiæ Bithyniæque confinio. Cæsa sunt in ea acie Turcarum ducenta millia: viuus ipse Pazaites in hostis potestatem venit: qui aureis catenis caueæ vinctus, ad mortem vsque a Tamberlane circumductus est. Incidit hæc clades Turcis in annum millesimum trecentesimum nonagesimumseptimum salutis nostræ, Bonifacio nono pontifice Romano. Huic duo fuere liberi mares, Orchanes, quem alii Calepinum, & Mahometes, quem nostri Moysem, magno (vti video) errore dicunt. Orchane intra biennium per insidias a fratre interfecto, *Mahometes* rem Turcarum solus occupat: qui, Turcia auito regno Asiæ recepto per Tamberlanis interitum, Bulgaros & Valachos prædis & cladibus afflixit: Adrianopolique recepta, regiam ibi sedem statuit. Ipso post annos septem & decem mortuo, *Ammurates* filius regnum init, Ioanne XXIII Banonæ sedem tenente. Hic maiorum gloriam non solum æquauit, verum etiam longe superauit. Prima illi expeditio in Mysorum principem, qui nunc Seruii dicuntur, fuit: de quibus Scopiam & Nouemontum post longam obsidionem cepit. Duos reguli filios captos oculis priuat: postea sororem eorum vxorem sibi adsciscit: restitutoque per has nuptias Nouemonto, in Valachos, Vngaros, & Germanos, incursiones graues facit: inde Epirum deflectens, Croiam expugnat. Venetorum arma in se sollicitat, Thessalonica his per vim adempta. Interim vna ab Vngaris ingenti pugna victus, inducitsque ab his decennalibus impetratis, iterum ab iisdem Vngaris præter iurisiurandi fidem, Eugenii pontificis hortatu, bello petitur. quos duplici prœlio, ducũ nostrorũ discordia & ambitione, vicit: in altero ad Varnam Ladislaus rex Poloniæ, & Iulianus cardinalis obiere. in altero ad Basila victus Hunniades, cæsique principes Vngari non pauci, præter gregarium militem, qui ad internecionem occubuit. Nec moratus, Peloponnesum, fratrum discordia iniuriç obnoxiam, in dicionem redegit. Exinde reputans animo regni molestias, & fortunæ inconstantiam animo agitans, in Asiam abiit, solitariam vitam sequutus, & Mahometæ filio cura rerum demandata sub Calibassæ tutela. quam non multo post repetere suasus, (ætas enim filii non satis idonea rei administrandæ adhuc videbatur) Epirum ingenti exercitu repetit: (defecerat enim fere vniuersa, Scanderbechio auctore) & Croia frustra per aliquot menses oppugnata, mœrore animi obiit, quum annos quatuor & XXX regnasset. Longum esset, si *Mahometus* eius filii res gestas explicem: quæ quantæ fuerint, nouum Othomanicæ familiæ Magni cognomentum ab eo quæsitũ, & in heredes iam transmissum arguat. Is enim duo Christianorum imperia, Constantinopolitanũ & Trapezuntium subuertit: regna duodecim nobis ademit, ducentas vrbes Christianam pietatem sequutas cepit: & in his Chalcidem insulam armis, & Scodram deditione Venetis extorsit: bellum marinum per multos annos cum maioribus nostris gessit. Capham Ponticam vrbem expugnauit: Rhodum insulam frustra tentauit, Italiæ, capto Hydrunte, arma intulit: & dum plusquam ciuile bellum in maiorem filium meditatur, quum annum vnum & XXX præfuisset, obiit anno salutis nostræ MCCCC octogesimoprimo, quinto Non. Maii. Quo mortuo, res Turcica ciuilibus armis aliquamdiu iactata est. Sed minore fratre victo & fugato, solus imperium *Pazaites* obtinuit. qui Valachiæ castella quædam quum expugnasset, inde in Sultanum Ægyptium copias eduxit: a quo sæpe victi Turcæ, tamdem pacem fœdusque iniere. Ceterum quum otii appetentior a natura videretur, nec tamen per suorum hominum ferociam feriari a re bellica posset, paratis terra mariq; ingentibus copiis, anno MCCCC nonagesimo secundo, Cerauniorum montium accolas inuadit: tractumque illum liberatum semper ad eam diem gentium, Turcicæ seruituti subdit. inde septimo post anno, terribili classis apparatu Venetis Methonen Naupactumq; ; mox inde & Dyrrachium adimit. Quin & in Foroiuliensi agro trepidatum, Turcis fœde terram eam magno nostrorum damno vastantibus. Nec multo post pax sequuta, Andreæ Gritti patricii clarissimi opera. post quam non diu superstes Pazaites fuit regno a *Selimo* filio pulsus, qui rerum nunc potitur, ex quo annos ferme XXX imperitasset.

IOANNIS BAPTISTAE EGNATII VENETI ROMANORVM PRINCIPVM LIBER TERTIVS.

VENTVM iam est mihi ad tertium atque vltimum institutæ commentationis librum: quæ mihi vt laboris & operæ minus, ita certe multo plus voluptatis allatura sit. Nam & a continuis imperii cladibus tantisper auertitur animus, dum lætiora persequor, & hi mihi principes posthac erunt referendi, quorum res gestæ, & domi forisque felicitas in plerisque tanta est, vt veterum Romanorum, gloriam non pauci ex his æquent, certe recentiorum memoriam, eorum videlicet qui supra millesimum annum a me repetiti sunt, adeo obscurent, vt iniquissime propemodum faciat, siquis hosce illis conferat. Nam vt in plerisque sordes & generis pudendam originem sileam, quotus eorum, quæso, fuit, qui aut augendæ reipubl. studuerit, aut auaritia non flagrarit, aut sæuitia in suos, in externos perfidia infamis non vixerit? adde veræ pietatis in hisce contemptum, tot hæreses ab illis, aut per summum scelus excogitaras, aut ad insaniam vsque & pontificum Romanorum exsilia & cædem, pertinaciter assertas accessit odium plusquam hostile in Latinum nomen. Quid dicam quoties insultatum sit Romanis pontificibus? quoties eorum violata maiestas? Nam schismatis crimen eo grauius existimari debet, quo & concordiam nostrorum pontificum sæpius expetiere, & expetitam pari leuitate reiecere: donec paulatim vetere labente disciplina, reque magis ac magis in lapsum prona, tum demum in præceps nostris temporibus acta, imperium tanta indole partum & auctũ ad Turcas transierit. quo factum est vt gens olim in terris ingeniorum acumine, tot artium sollertia, tanto rerum vsu celeberrima; addo legibus, institutis domesticis, eloquentiæ studio, & tot vrbibus ac coloniis per orbem deductis frequẽtia & amplitudine optime de humano genere merita, nunc aris focisque patriis expulsa, inops, egensque alienæ opis, aut erret profuga, aut immanium barbarorum iugo subiecta seruiat: vt iam in ipsa Græcia quæramus Græciam. Quod si verum est fruges & arbores pro soli terrarumque ingenio mutari, & de cælo mortales quod hauriant, naturam & mores induere: simile veri certe videri possit, Thracicam illam feritatem, & Bithynicam barbariem, quando hæc loca recentiores Græci tenuere, esse ab his haustam. & alioqui Thraces homines & Phryges, & (quod præcipue pudeat) Macedonum Cappadocumque mancipia, rerum potiti sunt: ne aliquot Isauticæ gentis ingeram, qui tametsi vsu consuetudineque Græcam linguam imbiberant, patrios tamen mores, quibus innutriti fuerant, retinerent: vnde illis fortasse cuncta perdendi libido, tamquam non propria tuentibus, & Romani nominis Latinique contemptus ac odium; quod a principibus suis acceptum semigræci homines, nec quidquam auitæ indolis ac prudentiæ redolentes, si linguam vestitumque demas, in posteros transmisere. Siquidem diuinitus a Platone dictum, *quales essent principes, tales fere esse eorum qui his obediant, mores.* Ceterum querelæ, ne tum quidem gratæ futuræ, quum necessariæ essent, certe ab his nostris libris absint: quibus id tantum agimus vt rem obscuram ac prope obsoletam illustremus, & variis monimentis traditam, nec Græcis Latinisque hominibus satis exploratam, breui hoc volumine cõplectamur. Sumemus igitur auspicium, diis fauentibus, a Carolo Francorum rege, cui res egregie gestæ Magni cognomentum iure peperere.

CAROLVS MAGNVS.

IRene Constantini matre Byzantii rerum potiente, quum Imperii Romani maiestas, omnia sibi barbaris vindicantibus, obsolesceret, nec in fœmina, quamuis altæ indolis, inesse præsidii multum videretur, Leo pontifex, scito Romani populi, cleriq; rogatu, Carolum Francorum regem, ob egregia in Christianum nomen & Romanam sedem merita, Romanorum Imperatorem primus appellat, iunctumque cum Pipino filio Augustum consecrat, anno ex quo in Italia imperari desitum post Augustuli interitum trecẽtesimo ac trigesimo, salutis nostrę octingẽtesimo, regni vero eius

ex quo Francis præfuerat, trigesimotertio. Dies tantæ rei iduum Decembrium delectus. Subsequutaque mox POP. RO. acclamatio, *Carolo Augusto magno & pacifico vita & victoria.* Huic Pipinus pater fuit; qui primus *Christianissimi* cognomentum tulit, ob nauatam Romano pontifici aduersus Longobardos egregiam operam. Carolus autem paternæ virtutis æmulus, sub regni initia bello defunctus Aquitanico, Italiam, Adriani pontificis adhortationem sequutus, ingreditur: *Longobardorum* regnum, capto eorum rege *Desiderio*, Francico nomini subigit. *Saxones* sæpius rebellantes, tricennali tandem bello vincit, &, quod ab initio semper egerat, vera pietate imbuit. *Saracenos*, Hispaniam fere omnem vastantes, intra Bæticæ angulum compellit: & præsidiis Pompeiopoli ac Cæsaraugustæ impositis, dum in Franciam redit, *Vasconum* insidias passus, non paucos ex suis, & in his fortissimum quemq;, amittit. *Sclauos*, *Danos*, & *Bauarios* tumultuantes, in dicionem suam redigit. Iterum Italiam ingressus, vt Romanæ ecclesiæ patrocinium semel receptum constanter tueretur, Beneuentanorum ducem *Aragisum*, Longobardorum reliquias adhuc fouentem, ad officium cogit. *Hunnicum* bellum octauo post anno felicissime conficit: quum eorum regiam, quæ Rhingus appellabatur, expugnasset, & thesauros opulentissimæ omnium gentis asportasset. Inde tertio in Italiam contendens, pontificis Leonis iniuriam vlturus, simul & eius caussam cogniturus, omnia ex sententia componit. Vnde illi post ingentia merita Imperatoria maiestas & posteris quæsita. Quare compositis Italiæ rebus, quum nihil grauius in Longobardos statuisset quam vt æquo cum Italis iure viuerent, & partito imperio cum Irene, in quo diserte cautum vt Veneti suis vterentur legibus, & bello paceue neutrius censerentur iuris, in Gallias redit: filioque *Ludouico* consorte imperii declarato, tandem moritur Aquisgrani quinto calend. Februarii, ætatis anno septuagesimoprimo, regni quadragesimoseptimo, post Longobardos debellatos quadragesimotertio, ex quo vero Augustus a Leone pontifice dictus est, XIIII. Fuit in hoc principe (quod incredibile multis videatur) pacis bellique par studium, insignis pietas, beneficẽtia singularis, humanitas quanta in superiorum principum nullo: in rebus bellicis maiorne virtus an felicitas exstiterit, nescias. Nullus certe ferociores gentes debellauit; nemo collatis signis sæpius dimicauit, nemo bonarum artium studia indulgentius fouit: ipse Parisiense gymnasium & Papiense, viris vndique doctissimis accersitis, instituit: templa diuis erexit: veræ religionis obseruator etiam in minimis fuit. Iniurias illatas ciuili animo tulit: in hostes raro acerbius sæuiit. Italicæ gloriæ ita studuit & quieti, vt præter Florentiam vrbem instauratam, classes quoque paratas habuerit, quibus Maurorum populationes arceret. His meritis ad hæc vsque tempora a multis vt cælitum vnus colitur. Eius monimenti elogium huiusmodi fuisse traditur; CAROLI MAGNI CHRISTIANISSIMI ROMANORVM IMPERATORIS CORPVS HOC CONDITVM EST SEPVLCRO.

LVDOVICVS PIVS.

IAm vti Carolo patri res egregiæ domi forisque gestæ *Magni* cognomentum peperere; sic Ludouico facilitas ac clementia, religionisque summum studium, *Pii* tertio ad hoc æui dedit. Qui sub patris mortem Aquisgranum ex Aquitania contendens, diuersarum primo gentium legationes audiit. inde *Dacicum* bellum ex sententia conficit: nec multo post, *Bernardum* ex Pipino filio nepotem, in Italia res nouas molientem, capitali pœna afficit: in antistites rerum nouarum auctores mitius actum: inclusi cœnobiis vita donantur. Et quum *Britones* reliquosque pacis turbatores compressisset, a filiis tribus captus, tamquam in Carolum natu minimum propensior esset, imperium eiurare cogitur: sed tumultuante optimo quoq;, restitutus pristinæ dignitati non multo post partito imperio decessit Maguntiæ, quum imperasset annis vigintiseptem, vixisset LXIIII. Hic Stephanum Romanum pontificem magna Gallorum frequentia exceptum, & cruce magni ponderis donatum, a se dimisit. Quin & Paschali ius eligendorum præsulum remisit, sanxitque vt sacri ordinis homines a gemmis cultioreque vestitu temperarent. Quid facturus pientissimus Imperator, si luxum nostri temporis aduerteret?

LOTHA-

LOTHARIVS.

TRes superstites liberi Ludouico fuere. Lotharius natu maximus, præter Italiæ regnum, Narbonensem Galliam & imperii decus assequitur: Carolo Gallia omnis citra Mosam data: Ludouicum Germani regem fortiti. Sed non diu mansit fratrum concordia (violatus, credo, ab his pater, tanti sceleris pœnas exposcebat) quippe qui ardentibus animis inter se, dum paternam imperii diuisionem æquo animo non ferunt, infestis signis concurrere ad Fontanicũ Altissiodorensis agri vicum: qua acie tot Gallorum millia vtrimque cecidere, vt conuulsæ prope imperii vires sint: victus tamen Lotharius & Ludouicus a Carolo: & quum bellum iterum repararent, iterum fusi, pacem petiere. Quæ his prope conditionibus data; vt imperii titulo Lotharius cum Italia & Narbonensi Gallia frueretur, Ludouicus Germaniam possideret, Carolus Francis a Mosa ad oceanum præesset: addita & ea Galliæ pars quæ Scalden inter & Rhenum iacet: ea nunc Lothoringia est. Lotharius, quum Ludouicum filium regni consortem adsciuisset, & imperii socium declarasset, XV post anno monasticam vitam sequutus est, tædio rerum aduersarum (vt opinantur) affectus.

LVDOVICVS.

HIc Lotharii filius, eo viuente (vti diximus) regni imperiique consors efficitur, Romæque a Sergio pontifice inungitur & coronatur. reuersusque ex Italia in Germaniam, post patris mortem cum Carolo Caluo Francorum rege discordibus animis fere semper vixit propter Austrasiæ regnum, quod Lotharii fratris fuerat, & Caluus id sibi totum vindicarat. sed mox compositis rebus, quum annum vnum & XX rebus præfuisset, moritur, Ludouico filio superstite.

CAROLVS CALVVS.

REdierat Ludouico mortuo summa imperii ad Carolum Francorum regem, minimum natu Ludouici Pii: qui cum *Britonibus* & *Nortmannis* varia fortuna dimicauit: postea audita Ludouici morte, in Italiam profectus, a Ioanne pontifice corona donatur imperii. Quare mox in *Saracenos* mouens, facile conatus eorũ repressit: inde in Galliam reuersus, breui Italiam repetit aduersus quẽ Ludouici Germani filii dum bellum parant, ipse curis confectus, veneno a Sedechia medico Iudaici sanguinis dato obiit, Ludouico Balbo herede. Notata in hoc Imperatore ambitio immodica.

LVDOVICVS BALBVS.

LVdouico Calui filio Ioannes pontifex imperii titulum, præter Italiæ multorum principum voluntatem, solus asseruit: qui e custodia fugiens, cui Romani illum incluserant, & in Galliam cõtendens, ratum Balbo imperium suo assensu fecit: quod tamen valetudinarius princeps biennio vix obtinuit. Obiit anno salutis octingentesimo octogesimo, Carolo Simplice herede.

CAROLVS CRASSVS.

HVnc Crassum a corporis (vt arbitror) habitudine dixere: qui Ludouici Germanici regis filius, a Ioanne obtinuit, mortuo Balbo, imperii coronam. Hic *Nortmannos Pannonas*que variis prœliis afflixit. Robertum autem Nortmannorum ducem de sacro fonte leuauit, data illi in vxorem filia. Sed mox quum inutilis imperio, nec in eo satis præsidii videretur ad Nortmannos Gallia exturbandos, ob subitam vim morbi, abrogato illi imperio, post decennium decessit. Laudatur in hoc principe religionis studium, & in litteratos homines beneuolentia, quos ad scribendum adhortari soleret.

ARNVLPHVS.

VT nihil certi affirmare de Arnulphi origine habeam, facit scriptorum incõstantia. mihi tamen similius vero videatur, ex Carolo Magno Ludouici Balbi prognatum. nec enim video qui fieri potuerit vt obscurissimus homo (quod quidam asserant) imperio præfuerit, Gallis præsertim suos reges tanta veneratione colentibus, & ignobiles auersantibus. Huius igitur virtus effecerat, vt quando Carolus Simplex parum idoneus haberetur, iste imperaret. qui aduersus *Nortmannos* res egregias primo gessit: mox in rapinas, templorumque spoliationes conuersus, iusta numi-

num ita plectitur. Nam & prior illum felicitas deseruit, & breui pediculari morbo confectus obiit. Illud accessit grauius, quod imperii maiestas in eo defecerit; quæ per annos centum tanta indole a Carolo Magno quæsita, nescias maiore Gallorum dedecore & infamia, an Italiæ damno, ad Germanos tralata sit. Terra certe Itala sub Gallorum principatu adeo floruit, vt vetera Romanorum principum tempora non sane desiderates. Sed & anni sexaginta vsque ad Othonem primum Saxonum regem, quibus nullum nō calamitatis genus sensit illa olim gentium alumna & parens Italia, fecere vt Gallicum nomen desiderabilius foret. Ceterum de his alias.

OTHO PRIMVS.

SExagesimus fere agebatur annus ab Arnulphi morte, *Berengariis* interim Longobardici sanguinis Italiam vexantibus, & *Vgone, Rodulpho, & Lothario* Gallis principibus rem sibi interdum asserentibus. Ceterum quum Berengarius tertius cum Adalberto filio tyrannū verius quam principem ageret, accersitur a Romanis Otho: cuius tunc nomen ac pietas celebris erat, Boleslao Boemo capto, & Vngaris prœliis aliquot afflictis. Ille igitur Saxonia egressus cum L millibus armatorum, Italiam per patentem Foriiulii portam ingreditur, facileque Berengarium & eius filium ad obsequium retrahit: quos, data venia, magna etiam Galliæ Cisalpinæ parte donat. Inde abiens, Ludouicum Franciæ regem, factione suorum carceri inclusum, eripit. Nec quiescere diutius datum, Berengario & Adalberto res nouas molientibus: quos facile victos & captos, alterum in Austriam, alterum Byzantium relegat. Inde Romam profectus, a Ioanne pontifice, primus Germanorum principum, corona donatur imperii: quem tertio Italiam repetens, quum grauissimorum criminum reus ageretur, sæpe tamen antea vt resipisceret admonitum, coacta synodo officio deiicit, Leone suffecto. Hunc quum Ioannis pontificis necessarii, illo sub Othonis profectionem redeunte, vrbe eiecissent, statim vlturus insignem iniuriam ex Vmbria Otho aduolat; ac Romanis COSS. in Germaniam relegatis cum præfecto Leonem restituit: *Saracenis*que ac *Græcis* qui illis adhæserant, Calabria Apuliaq; fugatis, in Germaniam reuersus Viennæ obiit. vir pacis bellique artibus insignis, pietatis autem assertor præcipuus. rebus præfuit annos XXX & amplius.

OTHO SECVNDVS.

HVnc ex Adelaida Lotharii vxore susceptum, pater successorem sibi instituit, & inungendum a Romano pontifice curauit: cuius etiam opera Saracenos Græcosque Calabria expulit. Hic mortuo patre, Henricum Bauariæ ducem nouis rebus studentem armis domuit: & aduersus Lotharium Francorum regem, qui sibi Lothoringiam asserebat, Galliam ingressus, fœdis populationibus vastat. Ceterum dum reuertitur, in Axonæ fluuii transitu graui incommodo a Francis affectus est, plerisque militum fluminis impetu, aliis ferro enectis: & dum in Italiam festinat ad famam Græcorum principum, qui Saraceno etiam milite instructi, Italiam sibi vindicabant, his congressus ad Basantellum vincitur: ipse scapha conscensa ad mare delatus, Romamque ex Sicilia profectus, Beneuentanos in primis vltus est, quos vti desertores oderat. Beneuento autem incensa, Bartholomæi reliquias inde asportatas Romæ componit: vbi non multo post fato vita decessit, decimoseptimo imperii anno.

OTHO TERTIVS.

NOn pœnitet adhuc Germanorum principum: quippe quorum virtute Christiana pietas & res Italica respirarit. Cui restituendæ, auitæ paternæque virtutis æmulus Otho tertius incubuit: qui a principibus Germanis Imperator Romæ dictus, Brunonem Saxonem pontificem creat, Gregorium quintum appellatum. Inde Saxoniam inuisens, Romam, ingentibus mox copiis accinctus, minarum iræque plenus, aduolat. ferebat videlicet iniquo animo Gregorium ab his expulsum. Capta igitur Roma, & Crescentio auctore discordiæ a multitudine cæso, Ioanne adulterino pontifice luminibus priuato, Gregorius restituitur: qui statim sanctionem eam tulit, quæ per quingentos annos adhuc durat; *Imperatorum nullus hereditariam dignitatem vindicato: Principes sex, sacri ordinis tres, profani totidem eum deligunto: Hi si*

discordes

discordes fuerint, Boemiæ regem cooptando. Nec multo post Otho vndeuigesimo imperii anno naturæ concessit. Fuit hic Veneto principi Vrseolo familiaris: in cuius gratiam quum Venetias inuisisset, voti reus, pallium aureum, quod annuum Veneti pendebant, remisit.

HENRICVS PRIMVS.

IN Othonis locum ex Gregorii formula Henricus Bauarici sanguinis imperium adipiscitur, vir pietate insignis, nec armis vlli priorum principum minor: par sanctimonia ac innocentia *Kynegundæ coniugis, quacum Henricus cælibem perpetuo vitam duxit: vnde etiam mortui diuorum numero adscripti, miraculis illustres fuere. Henricus igitur post Germaniæ res compositas, Italiam ingressus, Capua *Saracenos* expulit: *Græcorum* ducem *Troia a se munita spoliat. quibus gestis octauo imperii anno in humanis esse desiit.

CORRADVS SVEVVS.

POst trium annorum interregnum legitimo tandem suffragio Corradus Francus eligitur, virtute ac militari disciplina ad tantum fastigium euectus: qui comparato exercitu, Mediolanum diu obsedit, & quum supremum exitium vrbi minaretur, deterritus oraculo, omnem grauiorem iniuriam abstinuit: Romamque profectus, coronam imperii a pontifice accepit. In *Sclauos* inde ac *Pannonas* feliciter pugnatum, qui rebellantem Italiam socialibus armis adiuuerant: neque non *Rodulphum* Burgundiæ regem suis conciliat. *Leopoldum* etiam pacis & otii turbatorem, bello petitum compescit. Mouendi belli caussa, quod sub initia imperii, legem seuerissimam tulerat, siquis pacem turbasset. Corrado autem post annum XV vita functo, Henricus successit.

HENRICVS II.

GEner hic Corradi, imperium accipit; & ante omnia Odelricum Boemiæ bello fatigatum, tributum annuum sibi pēdere cogit. Inde Petrum regem ab Vngaris eiectum restituit. Ceterum pertæsus eorum quæ Romæ circa pōtifices per summum scelus agerentur, Romam contendens, abdicatis adulterinis pontificibus aliquot, Bambergensem præsulem pontificiæ sedi præficit, quem Clementem secundum dixere: & vt caueret in posterum summorum pōtificum securitati, iureiurando Romanos adigit, neminem creationi eorum interfuturum sine eius permissu. Capuaq; aduersus Saracenos nouo præsidio firmata, in Germaniam abiens, duodeuigesimo imperii anno, Henrico filio superstite, ad superos abiit, quum Leonem nonum primo, mox eo defuncto Victorem secundum pōtifices suo priuilegio declarasset: vnde Victor, in beneficii gratiam, Henricum adhuc puerum Cæsarem creari passus est.

HENRICVS III.

IS si, quam bello magnus, tam pacis artibus ac pietate insignis esse curasset, haud dubie Carolis & Othonibus æquari potuit. Nemo bellacior hoc vno fuit: nemo collatis signis ad hanc diem pluries cum hoste conflixit: quippe qui Marcum Marcellum & Cæsarem dictatorem supergressus, bis & sexagies pugnarit. In *Saxones* tamen & Rodulphum eorum regem arma sæpius intentata: quibuscum congressus, semper fere victor abiit. Quin nouissimo prœlio fugatum etiam Rodulphum interfecit: Mathildem pontificis partes in terra Italia tuentem vicit Henrici filii opera. Sed quam bello clarus, tam insectatione pontificum infamis: a quibus diris etiam pontificiis primus Imperatorum post Arcadium petitus est. Nec caussas in præsentia exquirere libet. Certe numquam laudes Gregorium pontificem ab eo obsessum: adulterinum pontificem vnum & alterum superinductum: dolis & veneno etiam in illos grassatum. matrem, fœminam optimam, a filio expulsam atque in exsilio mori coactam: Gallorum memorabilem illam expeditionem sæpe impeditam. Sed luit mox pœnas. ab Henrico enim filio captus, & Leodii custoditus, pedore carceris post annum XLVIII imperii miseram animam efflauit.

HENRICVS IIII.

QVis non Henrici prolem agnoscat, impietatem paternam redolentem ex continua pontificum insectatione? Sed cui parceret homo nefarius, qui impias manus in qualemcumq; parentem intulerit? Accessit ad impietatem animus dolo magis

quam virtute, præter Germanorum morem, instructus. Quare Paschalem pontificem per summam perfidiam, in potestatem redactum, non prius dimisit quam ille cuncta rata quæ voluit, faceret: a quo coronam quoque imperii per vim expressit. Quæ mox, vti extorta sibi, quum irrita pontifex denuntiasset, Henricum in Italiam statim exciuit. Romæ ergo agens (quando pontifex in Apuliam vitabundus hominis furorem contenderat) ab Bracbarensi antistite iterum corona insigniri voluit. Tertio quoque Italiam inuadens, Gelasium pontificem vrbe pellit. Cuius aduentum reformidans Henricus (quippe qui Nortmannicis armis instructus aduentare dicebatur) in Germaniam redit: vbi post annum imperii x v obiens: maiorum sepulcro infertur.

LOTHARIVS II.

NOn est cur Saxonum principum pietatem ac constantiam in asserenda pontificia dignitate, præter alias egregias eorum virtutes, nõ magnopere commendes. Nulli certe ex his principibus qui Germanici sanguinis fuere, plus pontificum maiestati detulere; nulli religionem constantius fouere: id quod Lotharius a maioribus acceptum, velut hereditarium in Innocentio præstitit. Quem in Galliis pene exsulem, quum venerabundus excepisset, breui, vti pollicitus est, Barionæ sedi restituit: & in Germaniam ad componendos tumultus, qui exorti erant, mox profectus, breui Italiam in pontificis gratiam repetiit: eumque, pulso ex Italia Rogerio Nortmanno & pseudopontifice, ita confirmauit, vti nihil inde mouere pontificis aduersarii sint ausi. Sed breue imperium annorum vndecim, effecit ne res felicibus auspiciis cœpta conualescere admodum potuerit. Satis constat hunc, quum principes Imperatorem dicerent, diu reluctatum esse, indignum se professum qui tantæ rei præficeretur.

CORRADVS II.

LVdouico Francorum rege contra *Saracenos* arma parante, Corradus gente Sueuus, legitime Imperator creatur. qui eamdem militiam æmulatus, pia & ipse arma induit: sed Bosporum Thracium immature a Græco Imperatore traiicere coactus, quum deesset commeatus, & quia Græcis comportabatur, gypso infectus esset per summum scelus, ille Iconii obsidionem, in qua diu fuerat, soluere cogitur: decimoque vix milite ex tanta nuper multitudine superstite, ipse in Germaniam retro abiit, & imperii anno x v inglorius obiit.

FRIDERICVS AËNOBARBVS.

PEssimo iampridem exemplo pontificiæ cum Imperatoribus contentiones inoleuerant, dum pontifices imperatoriam maiestatem, quam illi suo suffragio ratam facerent, contemptim pene habent; & Romani principes ambitionem in sacerdote præposteram æquo animo ferre non possunt. Vnde omnium malorum fons & origo, his inter se decertantibus, quorum ope ac concordia res Christiana florere diutissime potuit. Id quum alias experti maiores nostri sunt, tum vero hoc tempore vtinam non extrema cum nostra pernicie sentiamus. Certe Friderico ingentes animi corporisq; virtutes affuere; statura procera, robur & agilitas par; disciplinæ militaris & gloriæ appetens, periculorum contemptor animus, non tamen vt ad ea subeunda prudentia deesset: multarum rerum peritia, liberalitas egregia, felicitas summa. Quibus virtutibus instructus, in Italiam ex more descendens, primum omnium Dertonam portas sibi claudere ausam, obsessam capit: inde Romam ad Adrianum pontificem profectus, coronę insignia accipit. dumque Cremonam inter redeundum obsideret, nuntiis Alexandri pontificis opem postulantis, ita respondit vti rem in dubium trahere velle videretur. Hinc primum Alexandro timor, inde apertæ inimicitiæ exortæ; indignante Friderico suum arbitrium declinari, pontifice vero rem certam in disquisitionem venire recusante. Quapropter Imperator Octauianum ad se venientem complexus, concilio habito, vt verum pontificem adorat, & Alexandrum Alexandrique fautores insectatur: euersaque prius Dertona, quæ in partibus Alexandri stabat, Mediolanum inde solo ęquat; Galliamque omnem Cisalpinam eadem sententem vastat. mox in Germaniam abiens, tertio Italiam maximis copiis cinctus inuadit: Anconemq; expugnat, & Alexandrum Roma fugere compellit. Ex vrbe autem pestilentia coactus abscedere, postquam iterum suos Germanos inuiserat, Italiam repetit, &

rii & Asta vrbe capta, Alexandriam frustra obsidet: & quum Papienses ac Nouocomenses obnoxios sibi inprimis haberet, eorum auxiliis fretus, prœlioq; Mediolanensibus congressus, multos ex suis amisit: ipse fuga elapsus, quinto post die Papiæ est visus. Ceterum Alexandro pontifice Venetias ex diutino errore confugiente, victo etiam nauali prœlio a Venetis Othone filio Friderici, (quod varia monimenta nobis attestantur, etsi scriptorum variet fides) tamdem pax Venetiis sancita, Imperatorque ac pontifex ex diutina discordia amicissimi facti. Nec multo post Fridericus, dum rebus *Syriacis* opem maximo apparatu ferret, iamque Saladinum & Turcarum principes in maximum sui nominis terrorem coniecisset, minore etiam *Armenia* recepta, lauandi caussa amnem ingressus, periit, quum annos XXXVII imperasset: *Aenorbabus* a colore barbæ rufæ appellatus.

HENRICVS FRIDERICI F.

ASperum, a moribus, appellatum hunc a quibusdam video: qui rex Siciliæ, accepta Cōstantia Rogerii Nortmanni filia in vxorem, mox etiam Imperator a pontifice dictus, vt maior illi auctoritas accederet acquirendi regni, ductis in Tancredum copiis, qui impari matre natus regnum sibi vindicabat, reclamantibus etiam pontificibus, Neapolim frustra obsidet. Sed & pestilentia quæ grassabatur, auertit ab incepto hominem, retroque in Germaniam ad suos abire compulit. Tancredo autem breui mortuo potitus Henricus regni, Maguntinum antistitem Philippumque fratrem in *Syriam* cum non contemnendis copiis misit. Dedit autem id magis pontificum gratię quam quod animum haberet Christianę rei iuuandæ. Quare quum imperii anno octauo Messanæ mortuus esset, Germanus miles, qui Berytum iam in Syria munierat & Ioppen obsidione leuarat, tumultuose (vt mos est gentis) ex Syria in Italiam rediit, nec vllis pontificis adhortationibus in officio contineri potuit.

PHILIPPVS.

HOc primum tempore in Germania seditione laboratum est, aliis imperii nomen ad Othonem Saxoniæ ducem, aliis ad Philippum Henrici fratrem trahentibus. Stabant autem pro Philippo ii qui Germanum hominem Saxoni pręferebant; recens insuper Henrici fratris & Friderici patris memoria Philippum adiuuabant: &, ne quid ad alendam discordiam deesset, Othoni Anglus rex, Philippo Francorū Philippus, ex professo fauebant: præualuit tamen Philippus, & fugato sæpius Othone, rerum tamdem potitur, indignante etiam Innocentio pontifice, qui Othonem imperii infulis redimiuerat. Philippo autem occiso a Palatino comite, postquam annos nouem imperasset, Otho successit.

OTHO IIII.

PHilippo mortuo, facile a Germanis proceribus ad tollendam discordiam sufficitur Otho, pro quo haud dubie pontificis fauor stabat: quem & confestim corona donauit, quum Romam petiisset. Ille vero, quum & pontificiæ dicionis quædam opida capere, & Friderici iunioris regnum inuadere vellet, diris pontificis petitus, imperii titulis priuatur: Fridericusque illi ex professo hostis, adnitente etiam Innocentio, creatur Imperator. Quo nuntio in Saxoniam profectus, vt res componeret, bellum Philippo Francorum regi indicit: nec sine manifesta vi numinis & Gallorum virtute, memorabili clade affectus Otho, in patriam se inglorius recepit, quum annos tantum IIII rerum potitus esset.

FRIDERICVS II.

VIguere in hoc principe, quod negari non possit, egregiæ corporis animique virtutes. Namque auo simillimus, militaris laudis appetentissimus fuit. Corpus laborum non minus patiens quam strenuum: plurimum audaciæ ad pericula subeunda, non minus tamen cōsilii inter ipsa discrimina: nullo vmquā labore fatigatus, nullis casibus victus, linguarum peritus, munificentiæ singularis, regii splendoris & ornatus ambitiosissimus; vt in ea profectione qua euocatus ad conciliū ab Innocentio fuerat, ostendit. Namq; tot & tales secum eduxit, vt togatum agmen exercitui par esset. Sed & vrbi Victoriæ a se conditæ ea omnia affuere quæ nulli vmquam principes habuerint, nulla postea ciuitas simul viderit. Vestis varia & pretiosa, animantes feræ

cicuresque diuersi generis hominum portentosæ formæ, & in his Saracenicus miles illi in primis acceptus. Tanta præterea incolarum frequentia, cõmerciis etiam multarum gentium aucta, vt nihil ad amplissimæ vrbis formam deesset. Ceterum has ingentes in principe virtutes calliditas ingenii ac perfidia, & sæuitia in *Guelphum* nomen, neque non in pontifices odium, obscurarunt. Accessit ad hæc libido hominis immensa, qui præter gentis morem concubinas multas & scorta aleret, scriptoribus etiam adnitentibus, ne is qui toties exsecratione pontificia petitus erat, quique Italiæ adeo infestus imminebat vti eam prope ad internicionem redegerit, nõ omni insectatione dignus haberetur. Cum hac igitur vitiorum virtutumque indole Aquisgrani coronatus, quo se adolescens adhuc receperat, primum Othonem adhuc sibi obsistentem facile profligat: deinde paratissimis copiis de *Syria* vindicanda sollicitus, Gregorii etiam pontificis adhortatione Brundusium appulit: indeque soluens quum Anconem peruenisset, anathemati subiectum se a pontifice accipit: vtide irarum plenus abiens, ad Gregorium tamen supplex accessit: impetrataque ab eo venia, mox illum ludibrio habuit. Quare iterum diris pontificis obnoxius, in Italiam descendens, Mediolanenses pro pontifice sentientes prœlio vincit, & captum Petrum Teupolum Venetum eorum ducem, carceri inclusum crudeliter necat. In Venetos quoque fines incassum arma mota. Mox Pisas sese recipiens, *Guelphos* ac *Gibellinos*, perniciosissima Italiæ nomina, primus inuexit: quibus adeo Gregorium exercuit, vt ille non multo post obierit, prægrauantibus curis. Cælestino autem intra XII diem vita functo, successit Innocentius: qui, pertæsus hominis calliditatem atque animum in se hostilem, primum imperio abdicat; deinde anathematis spiculum in illum distringens; HENRICVM Thuringiæ Landgrauium (ea est dignitas apud Germanos) Imperatorem dicit: mox magnam Italiæ partem in illum armat. Parmaque per eius absentiam illi adempta, quum eam frustra Fridericus obsideret tamdem eruptione victus a Montelongo legato est: captaque vrbs Victoria, ac direpta. nec interim ea cladea pontificum iniuria temperauit. Ceterum Panormum profectus, Manfredi filii nothi dolo necatur, quum annos duos ac XXX rebus præfuisset. Hic Bononiensegymnasium, quia ciues imperata non statim fecissent, Patauium transtulit: ex Florentia etiam Guelphos populariter eiecit.

RODVLPHVS.

INterregnum a Friderici morte ad Rodulphum Habsburgensem per duodeuiginti annos fuit: quo spatio Manfredus Friderici filius, & Corradinus, regno Neapolitano pariter & vita a Gallis spoliati sunt. Interim Rodulpbus ex Comite (vti nunc vocant) Imperator declaratus, Alpbonso Castellæ posthabito, qui eam dignitatem ambierat, Otbocarum Boemiæ regem acie victum occidit: Pseudofridericum captum, qui se pro Friderico iuniore Sueuis ostentabat, Nouesii combussit, Ciuitates Hetruriæ libertate, accepta pecunia, donauit. quam rem Honorius pontifex, vti infamem, sibi tamen & Italiæ non inutilem, magis nõ probauit quam prohibuit. Obiit autem Rodulphus XVIII imperii anno, & Spiræ sepelitur. in quo si auaritiam non accuses, cetera non reprehendas. Italia certe tum primum aliquid sibi polliceri potuit, Luchino Italici sanguinis vicarii nomine tunc Mediolani præfecto. Floruit huius imperio Albertus cognomento Magnus.

ADOLPHVS NASSAVIÆ.

DOnatus imperii titulis hic, primum in Columbarienses mouit: inde in Albertum Austriæ ducem dum bellum parat, quem proceres Germaniæ, pertæsi Adolphi sordes & ambitionem, eo reiecto, Imperatorem declararant, ab eodem apud Vangionas prœlio superatur, & occiditur, quum annos octo rerum potitus esset.

ALBERTVS.

ROdulphi superioris filius, & Austriæ dux, a patre Othocato occiso, declaratus principum suffragio, & Bonifacii pontificis assensu dicitur Imperator: & Bonifacius eo libentius assensit, quum id obstinatissime antea negasset, quod Philippum Francorum regem oderat. Quare ea conditione Alberto ratum imperium fecit, vt regnum quoq; Francorum sibi vindicaret. Ille vero, post Adolphum in Spirensi agro cæsum,

cæsum, quum copias tantæ rei idoneas parat, a Ioanne fratris filio interficitur, post decimum imperii annum.

HENRICVS LVCELBVRG.

HEnricus ex Lucelburgo Romanorum Imperator designatur. Cui Clemens pontifex ea conditione ratum imperium fecit, vt primo quoque tempore in Italiam transcenderet. Quam prouinciam eo libentius Henricus obeundam suscepit, quod *Guelphici* nominis hostis, præualentes eius factionis opes infringere optabat. Per Taurinos igitur saltus Italiæ insinuatus, Mediolani factionem Turrianam oppressit, vicecomiti summa rerum demandata: inde Romam profectus, accepta imperii corona, & ab Vrsinis breui expulsus, adiuuante etiam Roberto rege, Hetruriam repetit: Aretiique agens post Robertum regno priuatũ, dum Florentinis imminteret, qui iam de salute desperarant, veneno in eucharistia dato periit anno imperii v.

LVDOVICVS BAVARVS.

HIC Rodulphi Imperatoris ex filia nepos, Fridericum Austriæ ducem aduersarium habuit; quicum per octo annos bellum varia fortuna gessit. Ceterum Friderico capto & occiso, Bauarus rerum potitur; parique temeritate Imperatorem se citra pontificis assensum appellat. Qua iniuria offensus Ioannes XXII, illi sacris interdixit: verum homines iuxta ac numina contemnens, Italiam mox petit: atque in vicecomites ingratissimus, quorum ope adiutus præcipue venerat, Castrutii filios pari improbitate, qui *Gibellinæ* factionis fautor acerrimus fuerat, paterno principatu exuit: Romæque coronatus a Stephano Columnio, Petrum Corbariensem pseudopontificem creat, minoritanæ familiæ vnum, quem & Nicolaum appellari voluit: & ne quid ad serendas discordias malorũ deesset, tyrannos in iis opidis quæ pontificii iuris erant, priua auctoritate instituit, pontificẽ æmulatus, qui & ipse Galliæ Cisalpinæ multos auctoritate sua regulos præfecerat: imperii tandem anno XXXII, quum varia tentasset ad reconciliandam pontificis gratiam, obiit.

CAROLVS IIII.

PRius quam hic imperium adiret, Germani principes Edoardum Anglum, & Misnensem principem, ac Guntherum Montis nigri regulum, Cæsares declararant. Ceterum altero post alterum vita functo, res ad Carolum Boemum deuenit: qui Ioanne Henrici Imperatoris filio natus, adolescens adhuc, egregiam in terra Italia patri operam nauarat: quo ab Anglis interfecto ea acie qua Philippus Valesius Francorum rex ab iisce profligatus est, imperiũ adipiscitur: literis ac linguarum multarum cognitione instructus, sed qui Boemiæ suæ quam Germanis aut Italis consultum mallet. nam quum Pragam (Boemiæ id opidum, totius regni metropolis) variis operibus excoluisset, imperii maiestatem adeo neglexit, vt coronam tantæ maiestatis auctoramentum, turpissima pactione acceperit ab Innocentio, qua cautum erat expresse vt ab acceptis insignibus confestim Italia abscederet: additum & grauius facinus, quod Venceslaum filium adolescentem a principibus Germanis Cæsarem dici obtinuit, exemplo maxime improbando. Imperauit annos XXXII.

VENCESLAVS.

AVo patrique absimilis, per ignauiam ac socordiam imperii res afflixit: afflixissetque diutius, nisi a fratre Sigismundo captus, mox etiam procerum consensu abrogato illi imperio, Robertus Bauarus ei surrogatus esset. Hic Galeatium ex comite Mediolanensibus primus ducem dedit; quæ dignitas ad nepotes postea transiit, quoad res Insubriæ ad Francorum regem rediit. Præfuit annos XXXII.

ROBERTVS BAVARVS.

QVum Venceslao suffectus esset Robertus Bauariæ dux, nihil ille antiquius habuit quam vt Florentino populo gratificaturus, ad comprimendam Galeatii vicecomitis potentiam in Italiam transcenderet. Ceterum ad Benacum Galeatii copiis congressus, facile repellitur: vnde mox ad Venetos deflectens, magno ab his honore excipitur: inde soluẽs, incassum Florentinis adnitẽtibus ne Italia excederet, in Germaniam retro abiit, paci religioniq; vacaturus. vita functus est anno imperii X.

SIGISMVNDVS.

OPtimum haud dubie principem ac nobilissimum Germania nobis imputet: &

qui, si ad pacis artes, quibus excelluit, parem belli felicitatem addidisset, Carolis & Othonibus æquari potuit. nam puer adhuc, per Mariam vxorem ad Pannonici regni spem euocatus, mox adolescens Venceslao fratre, quod parum vtilis haberetur, a se capto, Boemiæ regnum hereditarium assequitur: sed & * Alberto vita functo, omnium votis Imperator designatur. Hic igitur Pannonia potitus a Ludouici morte, cui Maria superstes filia fuit, duos ac XXX regulos securi percuti iubet, quod regiæ puellæ aduersati essent. vnde illi tanta mox gentis inuidia conflata, vt post vxoris mortem captus, necandusq; magis quam asseruandus, fœminæ, cuius maritum interfecerat, sit traditus: ille vero, maiestate oris & blanda oratione dimissus, hinc Boemiam petit; quam non sine labore vix tandem obtinuit, longo ab his bello ac difficili petitus, sæpe etiam acie victus. Nec Italica expeditio vna alteraue in nos Taurisino agro peruastato felicior. nam Pippus eius dux, & ipse, mox tota Venetia ac Foroiulio Venetis armis expellitur. Hinc, quia grauius periculum a *Turcis* imminebat, qui iam magnæ Europæ parti sese insinuarant, Gallicis etiam Philippi Burgundi copiis accinctus, ab Amurate Turcarum principe graui prœlio victus, castris etiam exuitur. Cæsis magna ex parte ducibus & Philippo capto, ipse Byzantium fugiens, mox Venetæ classis occursu, cui Thomas Mocenicus præerat, incolumis de fuga vix euasit. Quæ clades ignominiosiorne an funestior fuerit, haud satis explicem. Discordia certe nostra victor hostis, Adrianopolim se recepit. & hæc foris. Quantum autem pace præstiterit, præter generis nobilitatem (quæ haud dubie clarissima fuit, tot summorum principum serie) & præter insignem corporis proceritatem ac imperatoriam plane indolem, affuit illi liberalitas ac munificentia quanta in nullo antea principum: religionis ac pietatis augendæ studiũ incredibile: multarum etiam linguarum scientia, & in his linguæ Latinæ studium excelluit: quare doctos homines in primis fouit, & dignitatibus etiam amplis honestauit. Accusauit sæpe Germanos principes qui Latinas odissent litteras. A quibus reprehensus quandoque, quod doctos homines foueret, sed humiles genere: *Ego*, inquit, *eos amo quos natura alios antestare facile voluit*. Illud autem nulla vnquam ætas obliuiscatur, quod triennium magnam Europæ partem ipse peragrarit, dum principes Christianos ac pontifices adit quo schisma Christiano nomini calamitosissimum tolleretur. nec alterius principis opera magis enituit in vera pietate vindicanda. Quare ita effecit vt reiectis adulterinis tribus qui Barionæ sedem inuaserant, Oddo Columnius magno omnium consensu pontifex declararetur. Parem operam Eugenio in Basilensi synodo tollenda præstitit, a quo tamen prius contemptim pene habitus, ac vix post sextum mensem quam Senis fuerat, imperii corona donatus est. Hic vero princeps egregius, quum sine virili prole decessisset, Albertum Austriæ ducem, filiæ maritum, & vtriusque regni heredem reliquit, anno imperii XXVII.

ALBERTVS.

NEmo vnquam maiore spe ad imperium venit. Et sane conceptam animis hominum opinionẽ haud frustratus esset. siquidẽ toto biennio quo præfuit, *Morauos* ac *Sarmatas*, qui hodie *Poloni* sunt, intra suos fines quiescere compulit. Prasconem Boemum, factionis hæreticæ caput, ita attriuit vt tota *Boemia* sibi cederet. In *Turcas* autem profectus, Synderouiam castellum ad Danubii ripam munitissimum obsidentes, dum copias in itinere maiores exspectat, opidani deditionem fecere; ipse Austriam repetens, apud locum cui Longauilla est nomen, dysenteriæ morbo confectus est, Ladislao filio superstite.

FRIDERICVS III.

PAcis atque otii studiosissimus Fridericus exstitit: quam tenore perpetuo annos quatuor ac L (toto enim rerum potitus est) coluit; seu fatũ id fuerit, quietiore Germania quam multis retro actis ætatibus, seu prudentia verius id principis effecit. Ille vero nihil ab initio antiquius habuit quam tuendæ pacis studio, tumultus qui oriebantur, sedare. quare & seditionẽ mouentes *Austriales* facile compescuit, & bellum a Matthia *Pannonum rege* illatũ composuit. Quinetiã in *Flandros* mouens, qui Maximilianum Cæsarem asseruarant, recepto filio, paucorũ pœna contentus, omnem discordiarũ fomitẽ sustulit. Ducta igitur Heleonora Lusitanici sanguinis, quum in Italiam

ſiam tranſcendiſſet, ad Nicolaum pontificem profecturus, ab eo nullo non honoris genere excipitur, illi & vxori corona imperii impoſita. Hinc Neapolim diuertit in Alphonſi gratiã, cuius Heleonora perneceſſaria erat. Nec minore apparatu a Venetis (eius enim vrbis inuiſendæ incredibili deſiderio flagrabat) obuiam illi itum: quos exinde ſumma ſemper amoris ac beneuolentiæ ſignificatione dilexit. Eius etiam opera Amadeus Allobrox, qui ſe pro pontifice gerebat, Baſileenſi concilio innixus, in ordinem ſe redegit. Iterum Paulo pontifice, priuati pene more voti reus Romam petiit: quo damnatus, retro ad ſuos abiens, quieſcente Germania, tandem imperii anno quarto ac quinquageſimo naturæ conceſſit, Maximiliano filio Cæſare prius declarato.

MAXIMILIANVS.

SV pererat mihi Maximilianus Imperator, quem pater octauo antequã moreretur anno Cæſarem deſignandum curarat: magnus bello princeps, & pace præclarus: cuius eximia bonitas, liberalitas ſumma, & Chriſtianæ pietatis cultus præcipuæ commendantur. Accedunt ad haſce animi dotes, oris probitas, ſtatura quadrata, in qua tamen imperatoria maieſtas eluceat, corpus validum ac robuſtum, idemq; laboris atq; operis patientiſſimum: par victus frugalitas, & ex eo valetudo proſperrima. De hoc autẽ, quum adhuc viuat Tranquillũ Plutarchumq; ac veteres alios ſcriptores æmulatus, nihil eſt quod addam. Deus faxit vt quod illum agitare ſemper animo Vincentius Quirinus aſſerebat, qui legatum Venetum egit apud illum, ſumma cum laude ex ſententia conficiat. neq; enim iuſtius vllum eſt bellum quam quod pro religione ſumitur: & ea deniq; vera æternaque gloria principum noſtrorum exiſtimari debet, quam res præclare in hoſtes fidei geſtæ commendant.

D. MAGNI AVSONII BVRDIGALENSIS, VIRI CONSVLARIS, AVGVSTORVM PRÆCEPTORIS, CARMINA IN CÆSARES ROMANOS.

AVSONIVS HESPERIO FILIO S. P. D.

CAeſareos proceres, in quorum regna ſecundis
Conſulibus dudum Romana potentia ceſſit,*
Accipe biſſenos; (ſua quemq; monoſticha ſignãt)
Quorum per plenam ſeriem Suetonius olim
Nomina, res geſtas, vitamq; obitumq; peregit.

AVSONII MONOSTICHA de ordine XII Cæſarum.

Primus regalem patefecit Iulius *aulam*
Cæſar, & Auguſto *nomen tranſcripſit & arcẽ.*
Priuignus poſt hũc regnat Nero Claudius: *a quo*
** Cæſar cognomen Caligæ cui caſtra dederunt.*
Claudi⁹ *hinc potitur regno: poſt quẽ* Nero *ſæuus,*
Vltimus Aeneadũ. Poſt hũc tres, nec tribus annis:
Galba *ſenex, fruſtra ſocio confiſus inerti;*
Mollis Otho, *infamis per luxum degener æuo;*
Nec regno dignus nec morte Vitellius *vt vir.*
His decimus, fatoque acciitus Veſpaſianus;
Et Titus, *imperii felix breuitate: ſequutus*
Frater quem caluum dixit ſua Roma Neronem.

AVSONII MONOSTICHA de tempore imperii XII Cæſarum.

Iulius (vt perhibent) diuus trieteride regnat.
Auguſtus poſt luſtra decem ſex prorogat annos:
Et ter ſeptenis geminos Nero Claudius addit.
Tertia finit hiems graſſantia tempora Caii,
Claudius hebdomadem duplicem trahit: & Nero dirus
Tantumdem ſummæ; ſed conſul defuit vnus.
Galba ſenex, Otho laſciue. & famoſe Vitelli,
Tertia vos Latio regnantes neſcit æſtas,
Interitus dignos vita properante probroſa.
Implet fatalem decadem ſibi Veſpaſianus:
Ter dominante Tito cingit noua laurea Ianum,
Quindecies ſæuis potitur dum frater habenis.

AVSONII MONOSTICHA de mortibus eorumdem.

Iulius interiit Cæſar graſſante ſenatu.
Addidit Auguſtum diuis matura ſenectus.
Sera ſenex Capreis exſul Nero fata peregit.
Exegit pœnas de Caio Chærea mollis.*
Claudius ambiguo concluſit fata veneno:
** Matricida Nero proprio ſe perculit enſe.*
Galba ſenex periit ſæuo proſtratus Othone:
Mox Otho famoſus, clara ſed morte potitus.
Prodiga ſuccedunt perimendi ſceptra Vitelli.
Laudatum imperium, mors lenis Veſpaſiano.
At Titus orbis amor rapitur florentibus annis:
Sera grauem perimunt, ſed iuſta, piacula fratrem.

EIVSDEM AVSONII TETRASTICHA DE CÆSARIBVS SEV IMPERATORIBVS, a IVLIO CÆSARE vsque ad tempora sua.

(Sed amissa sunt quæ de posterioribus Imperatoribus scripserat tetrasticha)

NVnc & prædictos, & regni sorte sequentes
Expediam, series quos tenet imperii.
Incipiam ab diuo, percurramque ordine cunctos,
Noui Romanæ quos memor historiæ.

IVLIVS CÆSAR.

Imperium binis fuerat solenne quod olim
Consulibus, Cæsar Iulius obtinuit.
Sed breue ius regni, sola trieteride gestum,
Perculit armatæ factio sæua togæ.

OCTAVIANVS AVGVSTVS.

Vltor successorque dehinc Octauius, idem
Cæsar, & Augusti nomine nobilior.
Longæua & numquam dubiis violata potestas,
In terris positum credidit esse deum.

TIBERIVS NERO.

Prænomen TiberI nactus Nero, prima iuuentæ
Tempora laudato gessit in imperio:
Frustra dehinc solo Caprearum clausus in antro,
Quæ prodit vitiis, credit operta locis.

CAIVS CALIGVLA.

Post hunc castrensis caligæ cognomine Cæsar,
Successit, sæuo sæuior ingenio:
Cædibus incestisque dehinc maculosus, & omni
Crimine pollutum qui superauit auum.

CLAVDIVS CÆSAR.

Claudius irrisa priuato in tempore vitæ,
In regno specimen prodidit ingenii.
Libertina tamen nuptarum & crimina passus,
Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.

NERO CLAVDIVS.

Æneadum generis qui sextus & vltimus heros,
Polluit & clausit Iulia sacra Nero. (vitæ:
Nomina quot pietas, tot habet quoq; crimina
Disce ex Tranquillo quæ meminisse piget.

SERVIVS GALBA.

Spem frustrate senex, priuatus sceptra mereri
Visus es, imperio proditus inferior.
Fama tibi melior iuuenit: sed iustior ordo est,
Complacuisse dehinc, displicuisse prius.

M. OTHO.

Æmula polluto gesturus sceptra Neroni
Obruitur celeri raptus Otho exitio.
Fine tamen laudandus erit; qui morte decora
Hoc solum fecit nobile, quod periit.

A. VITELLIVS.

Vitæ sors, mors fœda tibi, nec digne Vitelli
Qui fieres Cæsar. sic sibi fata placent.
Vmbra tamen breuis imperii: quia præmia regni
Sæpe indignus adit, non nisi dignus habet.

D. VESPASIANVS.

Quærendi attentus, moderato commodus vsu,
Auget, nec reprimit Vespasianus opes.
Olim qui dubiam priuato in tempore famam,
Par aliis princeps, transtulit in melius.

TITVS VESPASIANVS.

Felix imperio, felix breuitate regendi,
Expers ciuilis sanguinis, orbis amor.
Vnum dixisti moriens te crimen habere:
Sed nulli de te, non tibi credidimus.

FL. DOMITIANVS.

Hactenus ediderat geminos gens Flauia iustos,
Cur duo quæ dederant, tertius eripuit?
Vix tanti est habuisse illos: quia dona bonorum
Sunt breuia; æternum, quæ nocuere, dolent.

COCCEIVS NERVA.

Proximus exstincto moderatur sceptra tyranno
Nerua senex, Princeps nomine, mente parens.
Nulla viro soboles, imitatur adoptio prolem,
Quam legisse iuuet, quam genuisse velit.

VLPIVS TRAIANVS.

Aggreditur regimen viridi Traianus in æuo,
Belli laude prior, cetera patris habens.
Hic quoq; prole carens, sociat sibi sorte legendi
Quem fateare bonum, diffiteare parem.

ÆLIVS HADRIANVS.

Aelius hinc subit, mediis præsignis in actis:
Principia & finem fama notat grauior.
Orbus & hic, sociatq; virum, documenta daturũ
Adsciti quantum præmineant genitis.

ANTONINVS PIVS.

Antoninus abhinc regimen capit, ille vocatu
** Consultuque Pius, nomen habens meriti.*
Filius huic fato nullus; sed lege suorum
A patria sumpsit qui regeret patriam.

M. ANTONINVS.

Post, Marco tutela datur, qui scita Platonis
Flexit ad imperium, patre Pio melior:
Successore suo moriens sed principe prauo:
Hoc solo patriæ, quod genuit, nocuit.

COMMODVS.

Commodus insequitur, pugnis maculosus harenæ,
** Threicio princeps bella mouens gladio:*
Eliso tamdem persoluens gutture pœnas,
Criminibus fassus matris adulterium.

*ÆLIVS

*ÆLIVS PERTINAX.

*Aelii iudicio & consulto lecte senatus,
Princeps decretis prodite, non studiis:
Quod doluit malefida cohors errore probato,
Curia quod castris cesserat imperio.

DIDIVS IVLIANVS.

Dii bene, quod spoliis Didius non gaudet opimis,
Et cito periuro præmia adempta seni:
Tuq; Seuere pater, titulum ne horresce nouatis:
Non rapit imperium vis tua, sed recipit.

SEPTIMIVS SEVERVS.

Impiger egelido mouet arma Seuerus ab* Istro,
Vt parricida regna adimat Didio.
Punica origo illi, sed qui virtute probaret,
Non obstare locum quum valet ingenium.

BASSIANVS ANTONINVS Caracalla.

Dissimilis virtute patri, & multo magis illi
Cuius adoptiuo nomine te perhibes:
Fratris morte nocens, punitus fine cruento,
In risu populi tu Caracalla* iaces.

OPILIVS MACRINVS.

Princeps hic custos sumptum pro Cæsare ferrum,
Vertit in auctorem cæde Macrinus iners.
Mox cum prole ruit, grauibus pulsare querelis
Cesset perfidiam: quæ patitur, meruit.

ANTONINVS HELIOGAbalus.

Tunc etiam augusta sedis penetralia fœdas,
Antoninorum nomina falsa gerens?

Cætera desiderantur.

IMPERATORVM ET CAESARVM ROMANORVM SERIES, AD ANNOS MVNDI, ROMÆ, ET CHRISTI ACCOMMODATA:

Ex Nicolai Reusneri descriptione.

Mundi	Romæ	Christi	Ordo	IMPERATORES.	Ætatis	Imperii	
						Anno	Mense
		ante					
3919	706	46	1	Iulius Cæsar	56	4	
3923	711	42	2	Octauianus Augustus	76	56	
		post					
3979	767	17	3	Tiberius Claudius Nero	76	23	
4001	789	39	4	C. Caligula	28	3	10
4005	793	43	5	Ti. Claudius	64	13	9
4019	807	57	6	Domitius Nero	32	13	8
4031	819	69	7	Ser. Galba	74	0	7
			8	Saluius Otho	58	0	3
4032	820	70	9	A. Vitellius	57	0	8
4033	821	71	10	Fl. Vespasianus	69	10	
4043	831	81	11	Titus Vespasianus	41	2	3
4045	833	83	12	Domitianus	45	15	
4062	849	98	13	Cocceius Nerua	68	1	4
4063	851	100	14	Vlpius Traianus	64	19	6
4080	868	119	15	Ælius Adrianus	63	21	
4101	889	139	16	Antoninus Pius	70	23	3
4125	913	163	17	M. Antoninus Philosophus,	61	19	
			18	& L. Annius Verus Antoninus.	42		
4143	931	182	19	Commodus Antoninus		12	9
4156	944	194	20	Ælius Pertinax	61	0	3
			21	Didius Iulianus	56	0	2
4157	945	195	22	Septimius Seuerus	89	18	
4175	963	213	23	Antoninus Bassianus	43	7	

Mundi	Romæ	Christi	Ordo	IMPERATORES.	Ætatis	Imperii Anno	Mense	Die
4182	970	220	24	Opilius Macrinus		1	2	
4184	972	222	25	Varius Heliogabalus		2	7	
4187	975	225	26	Alexander Seuerus	29	13	3	
4200	988	238	27	Maximinus, cum		3		
			28	Maximino filio	21			
			29	Gordianus pater &	80	1		
			30	filius	46			
4201	989	239	31	Pupienus, &		2		
			32	Balbinus				
4203	991	241	33	Gordianus III	22	6		
4209	997	247	34	Philippus pater &		5		
			35	filius				
4214	1004	252	36	Decius pater &	50	2		
			37	filius				
	1004	254	38	Gallus Hostilianus cum		2		
			39	Volusiano F. } *secundum Eutrop.*				
			40	Æmilianus				
4218	1006	256	41	Licinius Valerianus		4		
4223	1011	261	42	Gallienus		11		
4233	1021	271	43	Fl. Claudius		1	9	die
4234	1022	272	44	Quintillus				17
4235	1023	273	45	Valerius Aurelianus		6		
4241	1029	279	46	Claudius Tacitus			6	
			47	Florianus			2	20
4242	1030	280	48	Aurelius Probus		6	3	
4248	1036	286	49	Carus cum filiis				
			50	Carino &		2		
			51	Numeriano				
4250	1038	288	52	Diocletianus Iouius		20		
			53	Maximianus Herculius				
4270	1058	308	54	Galerius Maximianus		2		
			55	Constantius Chlorus				
			56	Seuerus		2		
			57	Maximianus iunior		7		
			58	Maxentius		6		
			59	Licinius		14		
4272	1060	310	60	Constantinus Magnus	66	32		
4303	1091	341	61	Dalmatius				
			62	Constantinus II	25	3		
			63	Constans	30	13		
			64	Magnentius				
			65	Constantius	41	24		
			66	Gallus		4		
4327	1115	365	67	Iulianus	32	1	7	
4329	1117	367	68	Iouianus			7	
4330	1118	368	69	Fl. Valentinianus, &	55	11		
			70	Fl. Valens fratres		14		
4344	1132	382	71	Gratianus		16		
			72	Valentinianus II		9		
4345	1133	383	73	Theodosius Magnus	65	17		
4362	1150	400	74	Arcadius	31	13		

Honorius

Mundi	Romæ	Christi	Ordo	IMPERATORES.	Ætatis	Imperii Anno	Imperii Mense
			75	Honorius		31	
4374	1162	412	76	Theodosius II	51	42	
4392	1180	430	77	Valentinianus III		30	
4416	1204	454	78	Marcianus		6	6
4423	1211	461	79	Leo pater, &		17	
			80	Leo filius		1	
4441	1229	478	81	Zeno Isauricus		17	
4456	1244	494	82	Anastasius	88	27	
4483	1271	521	83	Iustinus		8	4
4490	1278	528	84	Iustinianus		38	
4528	1317	566	85	Iustinus II		12	
4539	1327	577	86	Tiberius Constantinus		7	
4546	1334	584	87	Mauricius		20	
4566	1355	604	88	Phocas		7	
4573	1363	611	89	Heraclius		30	
4603	1393	642	90	Constantinus III			6
			91	Heracleonas		2	
4605	1396	644	92	Constans II		27	
4632	1423	670	93	Constantinus IIII		17	
4649	1440	687	94	Iustinianus II		16	
4659	1450	697	95	Leontius		3	
4662	1453	700	96	Tiberius Absimarus		7	
4675	1466	713	97	Philippicus Bardanes		2	
4676	1467	715	98	Anastasius II		1	3
4677	1468	717	99	Theodosius III		1	
4680	1471	718	100	Leo III		25	
4704	1495	742	101	Constantinus Copronymus		35	
4739	1530	777	102	Leo IIII		5	
4744	1535	782	103	Constantinus VI, &		7	
			104	Irene mater.		14	
				IMPERATORES GERMANICI.			
4762	1553	800	105	Carolus Magnus	72	14	
4776	1567	814	106	Ludouicus Pius	64	27	
4803	1594	841	107	Lotharius		15	
4818	1609	856	108	Ludouicus II		19	
4837	1628	875	109	Carolus Caluus		2	
4840	1630	878	110	Ludouicus Balbus		2	
4842	1632	880	111	Carolus Crassus		7	
4850	1639	888	112	Arnolphus		12	
4862	1651	900	113	Ludouicus IIII		12	
4873	1663	911	114	Conradus I		7	
4881	1670	919	115	Henricus Auceps	60	17	
4996	1687	937	116	Otho Magnus		37	
4933	1724	974	117	Otho II		10	
4944	1734	984	118	Otho III		19	
4863	1653	1001	119	Henricus II		24	
4887	1677	1024	120	Conradus II		15	
5061	1692	1039	121	Henricus III	40	17	

Mundi	Romæ	Christi	Ordo	IMPERATORES.	Ætatis	Imperii Anno	Imperii Mensi
5018	1809	1056	122	Henricus IIII	56	49	
5068	1858	1106	123	Henricus V		19	
5087	1877	1125	124	Lotharius Saxo		13	
5100	1880	1138	125	Conradus III		15	
5114	1895	1152	126	Fridericus I		37	
5151	1933	1189	127	Henricus VI		7	
5160	1941	1198	128	Philippus		10	
5170	1952	1208	129	Otho IIII		4	
5175	1957	1213	130	Fridericus II	54	38	
5212	1994	1250	131	Conradus IIII		4	
5216	1997	1253	132	Vilhelmus Batauus		9	
				Interregnum annorum 22.			
5236	2017	1273	133	Rodolphus	74	19	
5253	2036	1291	134	Adolphus Nassouius		6	
5260	2042	1298	135	Albertus Austriacus		10	
5270	2052	1308	136	Henricus VII		6	
5275	2058	1313		*Interregnum*		1	2
5276	2059	1314	137	Ludouicus Bauarus, &		33	
			138	Fridericus Austriacus		8	
5309	2092	1347	139	Carolus IIII, &		28	
			140	Guntherus			6
5338	2121	1376	141	Wenceslaus		24	
5362	2145	1400	142	Rupertus		10	
5372	2155	1410	143	Sigismundus	70	27	
5399	2182	1437	144	Albertus II		2	
5401	2184	1439	145	Fridericus III	78	53	4
5455	2237	1493	146	Maximilianus I	60	32	11
5481	2269	1520	147	Carolus V	58	38	
5519	2307	1558	148	Ferdinandus	61	6	
5525	2313	1564	149	Maximilianus II		12	

Εἰς Ῥώμην, Κριναγόρου ἐπίγρ.

Οὐδ' ἢν ὠκεανὸς πᾶσαν πλημμῦραν ἐγείρῃ,
Οὐδ' ἢν Γερμανίη Ῥῆνον ἅπαντα πίῃ,
Ῥώμης οὐδ' ὅσσον βλάψει σθένος, ἄχρι κε μίμνῃ
Δεξιὰ σημαίνειν Καίσαρι θαρσαλέη.
Οὕτω καὶ ἱεραὶ Ζηνὸς δρύες ἔμπεδα ῥίζαις
Ἑστᾶσιν, φύλλων δ' αὖα χέουσ' ἄνεμοι.

P. VICTO-

* P. VICTORIS DE REGIONIBVS VRBIS ROMÆ LIBELLVS.

REGIO PRIMA, PORta Capena.

VICVS & ædis Camœnarum.
Vicus Drusianus.
Vicus Sulpicij vlterioris.
Vicus Sulpicij citerioris.
Vicus Fortunæ Obsequentis.
Vicus Puluerarius.
Vicus Honoris & Virtutis.
Vicus Trium ararum.
Vicus * Fabriti.
Ædis Martis.
Ædis Mineruæ.
Ædis Tempestatis.
Area Apollinis.
Area Spei.
Area Galli, siue Thalli, siue (Galliæ.
Area Pinaria.
Area Carsuræ.
Lacus Promethei.
Lacus * Vispsani vel Vespasiani.
Balneum Torquati.
Balneum Vectij Bolani.
Balneum Mamertini.
Balneum Abascantiani.
Balneum Antiochiani.
Thermæ Seuerianæ.
Thermæ Commodianæ.
Arcus diui Veri Parthici.
Arcus diui Traiani.
Arcus Drusi.
Mutatorium Cæsaris.
Almo fluuius.
Vici IX.
Ædiculæ X.
Vicomagistri XXXVI.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ IIII mil. CCL.
Domus CXX.
Horrea XIII.
Balneæ priuatæ LXXXII.
Lacus LXXXIII.
Pistrina XX.
Regio in ambitu continet pedes XII mil. CCXXII.

REGIO SECVNDA, Cœlimontium.

Templum Claudij.
Macellum magnum.
Campus Martialis.
Lupariæ.
Antrum Cyclopis.
Castra peregrina.
Caput Aphricæ.
Arbor sancta.
Domus Philippi.
Domus Vectiliana.
Regia Tulli Hostilij templumque, quod is in Curiam redegit ordini a se aucto, id est, patribus minorum gentium.
* Mansiones Albanæ.
* Mica Aurea.
Armamentarium.
Spolium Samarium.
Ludus matutinus.
Ludus Gallicus.
Cohortes quinque vigilum.
Vici VII.
Ædiculæ VIII.
Vicomagistri XXVIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ III mil.
Domus CXXXIII.
Horrea XXIII.
Balneæ priuatæ XX.
Pistrina XII.
Regio in ambitu continet pedes XII mil. CC.

* REGIO TERTIA, Isis & Serapis.

Moneta.
Amphitheatrum, quod capit loca LXXXVII mil.
Ludus magnus.
Ludus Dacicus.
Domus Bryttiana.
Samium choragium.
Prætura præsentissima.
Thermæ Titi Cæsaris Augusti.
Thermæ Traiani Cæsaris Augusti.
Thermæ Philippi Cæsaris Augusti.
Lacus Pastoris.
Schola Quæstorum.
Schola Capulatorum.
Porticus Liuiæ.
Castra Misenatium.
Subura.
Vici VIII.
Ædiculæ VIII.
Vicomagistri XXIIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ II mil. DCCLVII.
Domus CLX.
Horrea XVIII.
Balneæ priuatæ LXXX.
Lacus LXV.
Pistrina XII.
Regio in ambitu continet pedes XII mil. CCCCL.

REGIO QVARTA, Templum Pacis.

Templum Remi.
Templum Veneris.
Templum Faustinæ.
Templum Telluris.
Via Sacra.
Basilica Constantini.
Basilica Pauli Æmilii.
Sacriportus.
Forum Transitorium.
Balneum Daphnidis.
Porticus * Absidata.
Area Vulcani cū Vulcanali; vbi lotos a Romulo sata, in qua area sanguine per biduum pluit.
Buccina aurea, vel Buccinum aureum.
Apollo sandalarius.
Horrea Chartaria vel Testaria.
Sororium tigillum.
Colossus altus CII & semis, habens in capite radios VII; singuli pedum XXII & semis.
Meta sudans.
Carinæ.
Domus Pompeii.
Auita Ciceronum Domus.
Vici VIII.
Ædiculæ VIII.
Vicomagistri XXXII.
Curatores II.
Denuntiatores II.

Insulæ II mil. DCCLVII.
Domus CXXXVIII.
Horrea VIII.
Balneæ priuatæ LXXV.
Lacus LXXVIII.
Pistrina XII.
Regio in ambitu continet pedes XIIII mil.

REGIO QVINTA, Exquilina cum turri & colle Viminali.

Lacus Promethei.
Macellum Liuiani.
Nymphæum diui Alexandri.
Cohortes VII vigilum.
Ædis Veneris Erycinæ ad portam Collinam.
Horti Planciani, vel Plautiani.
Horti Mæcenatis.
Regia Seruii Tullii.
Hercules Sullanus.
Amphitheatrum castrense.
Campus Exquilinus, & Lucus.
Campus Viminalis sub Aggere.
Lucus Petelinus.
Templum Iunonis Lucinæ.
Iugus faguralis.
Domus Aquilii iureconsulti, Q. Catuli, & M. Crassi.
Ara Iouis Viminei.
Mineruâ medica.
Isis patricia.
Lauacrum Agrippinæ.
Thermæ Olympiadis.
Vici XV.
Ædiculæ totidem.
Vicomagistri LX.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ III mil. DCCCL.
Domus CLXXX.
Lacus LXXIX.
Horrea XXIII.
Balneæ priuatæ LXXV.
Pistrina XII.
Regio in ambitu continet pedes XV mil. DCCCC.

REGIO SEXTA, Alta semita.

Vicus Bellonæ.
Vicus Mamuri.
Templum Salutis in colle Quirinale.
Templum Serapeum.
Templum Apollinis, & Clatræ.
Templum Floræ, & Circus.
Floralia.
Capitolium vetus.
Diuus Fidius in Colle.
Forum Sallustii.
Fortuna publica in Colle.
Statua Mamuri plumbea.
Templum Quirini.
Domus Attici.
Malum Punicum; ad quod Domitianus dd. Templum gentis Flauiæ, & erat domus sua.
Horti Sallustiani.
* Senatulum mulierum.
Thermæ Diocletianæ.
Thermæ * Constantinianæ.
Balnea Pauli.
Decem Tabernæ.
Ad Gallinas albas.
Area Calidii.
Cohortes III vigilum.
Vici XII.
Ædiculæ XVI.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ III mil. DV.
Domus CXLV.
Horrea XVIII.
Balneæ priuatæ LXXV.
Lacus LXXVI.
Pistrina XII.
Regio in ambitu continet pedes XV mil. DC.

REGIO SEPTIMA, Via Lata.

Lacus Ganymedis.
Cohortes VII vigiliũ, aliter Primorum vigilum.
Arcus nouus.
Nymphæum Iouis.
Ædicula Capraria.
Campus Agrippæ.
Templum Solis.
Castra Gentiana; aliter Gipsiana.
Porticus Constantini.
Templum nouum Spei.
Templum nouum Fortunæ.
Templum nouum Quirini.
Sacellum Genii Sangi.
Equi ænei Tiridatis.
Forum Suarium.
Forum Archemorium.
* Horti Argiani.
Pila Tiburtina.
Ad Mansuetos.
Lapis pertusus.
Vici X.
Vicomagistri XL.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ III mil. CCCLXXXV.
Domus CXX.
Horrea XXV.
Pistrina XVI.
Balneæ priuatæ LXXV.
Lacus LXXVI.
Regio in ambitu continet pedes XIII mil. DCC.

REGIO OCTAVA, Forum Romanum.

Rostra * populi Romani.
Ædis Victoriæ, cum alia ædicula Victorię virginis dd. a Porcio Catone.
Templum Iulii Cæsaris in foro.
Victoriæ aureæ statua in templo Iouis Opt. Max.
Ficus Ruminalis, & Lupercal virginis.
Columna cum statua M. Ludii.
Græcostasis.
Ædis Opis & Saturni in vico Iugario.
Miliarium aureum.
Senatulum aureum.
Pila Horatia; vbi tropæa locata nuncupantur * Curia.
Templum Castorum ad lacum Iuturnæ.
Templum Concordiæ.
Equus æneus Domitiani.
Atrium Mineruæ.
Ludus Æmilius.
Iulia porticus.
Arcus Fabianus.
Puteal Libonis.
Iani duo, celebris mercatorum locus.
Regia Numæ.
Templum Vestæ.
Templum deûm Penatium.
Templum Romuli.
Templum Iani.
Forum Cæsaris.
Stationes municipiorum.
Forum Augusti cum æde Martis Vltoris.
Forum Traiani cum templo & equo æneo, & columna cochlide, quæ est alta pedes CXXVIII: habetque intus gradus CLXXXV, fenestellas XLV.
Cohortes sex vigilum.
Ædicula Concordię supra Gręcostasin.
Lacus Curtius.
Basilica argentaria.
Vmbilicus vrbis Romæ.
Templum Titi & Vespasiani.
Basilica Pauli cum Phrygiis columnis.
Ficus Ruminalis, in Comitio; vbi & Lupercal.
Ædis Veiouis inter Arcem & Capitolium prope Asylum.
Vicus Ligurum.
Apollo translatus ex Apollonia a Lucullo, XXX cubitûm.
Delubrum Mineruæ.
Ædicula Iuuentæ.
Porta Carmentalis versus circum Flaminium.

Templum

Templum Carmentæ.
Capitolium, vbi omnium deorum simulacra celebrantur.
Curia Calabra, vbi pontifex minor dies pronuntiabat.
Templum Iouis Optimi Maximi.
Ædis Iouis Tonantis, ab Augusto d d. in cliuo Capitolino.
Signum Iouis Imperatoris a Præneste deuectum.
Asylum.
Templum vetus Mineruæ.
Horrea Germanica.
Horrea Agrippina.
Aqua cemens quattuor Scauros.
Forum Boarium.
Sacellum Pudicitiæ patriciæ.
Ædes Herculis Victoris duę, altera, ad portam Trigeminam, àliera, in foro Boario, cognomine Rotunda & parua.
Forum Piscarium.
Ædis Matutæ
Vicus Iugarius, idem & Thurarius, vbi sunt aræ Opis & Cereris cum signo Vortumni.
Carcer imminens foro, a Tullo Hostilio ædificatus media vrbe.
Porticus margaritaria.
Ludi litterarii.
Vicus vnguentarius.
Ædis Vortumni in vico Thusco.
*Elephantus Herbarius.
Vici XII.
Ædiculæ totidem.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ III mil. DCCCLXXX.
Domus CL.
Balineæ priuatæ LXVI.
Horrea XVIII.
Lacus CXX.
Pistrina XX.
Regio in ambitu continet pedes XII mil. DCCCLXVII.

REGIO NONA, CIRcus Flaminius.

Stabula IIII factionum.
Ædis antiqua Apollinis cum lauacro.
Ædis Herculi magno custodi circi Flaminii.
Porticus Philippi.
Ædis Vulcani in circo Flaminio.
* Minutia vetus.
Minutia frumentaria.
Porticus Corinthia Cn. Octauii, quæ prima duplex fuit.
Crypta Balbi.
Theatrum Balbi. capit loca XXX mil. XCV. Cl. Cæsar dedicauit, & appellatur a vicinitate.
Iupiter Pompeianus.
Theatrum Marcelli. capit loca XXX mil. vbi erat aliud templum Iani.
Delubrum Cn. Domitii.
Carcer CLX virûm.
Templum Bruti Callaici.
Villa publica, vbi primum populi census est actus in campo Martio.
Campus Martis.
Ædis Iuturnæ ad aquam Virgineam.
Septa trigaria.
Equiria.
Horti Lucullani.
Fons Scipionum.
Sepulcrum Augustorum.
Ciconiæ nixæ.
Pantheon.
Theatrum Pompeii.
Basilica Macidii.
Basilica Marciani.
Templum diui * Antonii cum cochlide columna, quæ est alta pedes CLXXV. habet intus gradus CCVI, & fenestellas LVI.
Thermæ Hadriani.
Thermę Neronianæ, quę postea Alexandrinæ.
Thermæ Agrippæ.
Templum Boni euentus.
Ædis Bellonæ versus portam Carmentalem. ante hanc ædem columna index belli inferendi.
Porticus Argonautarum.
Meleagricum.
Iseum.
Serapeum.
Mineruium.
Minerua Chalcidica.
Insula * Phelidii, siue Phelidis.
Vici XXX.
Ædiculæ totidem.
Vicomagistri CCXX.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ III mil. DCCLXXXVIII.
Domus CXL.
Balineæ priuatæ LXIII.
Horrea XXII.
Pistrina XX.
Regio in ambitu continet pedes XXX mil. D.

REGIO DECIMA, Palatium.

Vicus Padi.
Vicus Curtarum.
Vicus Fortunæ respicientis.
Vicus salutaris.
Vicus Apollinis.
Vicus cliuusque dei.
Roma quadrata.
Ædis Iouis Statoris.
Casa Romuli.
Prata Bacchi; vbi fuerunt ædes Vitruuii Fundani.
Ara Febris.
Templum Fidei.
Ædis matris deûm. huic fuit cõterminum delubrum Sospitæ Iunonis.
Domus Ceioniorum.
Suelia.
Iouis cœnatio.
Ædis Apollinis, vbi lychni pendebant instar arboris mala ferentis.
Ædis deæ Viriplacæ in Palatio.
Bibliothecæ.
Ædis Rhamnusiæ.
Pentapylon Iouis Arbitratoris.
Domus Augustana.
Domus Tiberiana.
Sedes imperii Romani.
Auguratorium.
Ad Mammæam, hoc est, Diætæ Mammææ.
Ara Palatina.
Ædis Iouis Victoris.
Domus Dionysii.
Domus Q. Catuli.
Domus Ciceronis.
Ædis Diiouis.
Velia.
Curia Vetus.
Fortuna Respiciens.
Septizonium Seueri.
Victoria Germaniciana.
Lupercal.
Vici VI.
Ædiculæ totidem.
Vicomagistri XXIIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ II mil. DCXLIIII.
Domus LXXXVIII.
Latus LXXX.
Horrea XLVIII.
Pistrina XX.
Balineæ priuatæ XV. XVI.
Regio in ambitu continet pedes XII mil. DC.

REGIO VNDECIMA, Circus Maximus.

Circus Maximus, qui capit loca, CCCLXXXV mil XII portæ.
Templum Mercurii.
Ædis Ditis patris.
Ædis Cereris.
Ædis Veneris, opus Fabri Gurgitis.

Ædis Portumni ad pontem Æmilii, olim Sublicii.
Porta Trigemina.
Salinæ.
Apollo Cælispex.
Ædis Portumni.
Hercules Oliuarius.
Ara Maxima.
Templum Castoris.
Ædis Cereris.
Ædis Pompeii.
Obelisci duo; iacet alter, alter erectus stat.
Ædis Murtiæ.
Ædis Consi subterranea.
Forum Olitorium. in eo columna est Lactaria, ad quam infantes lacte alendos deferunt.
Ædis Pietatis in foro Olitorio.
Ædis Iunonis Matutæ.
Velabrum maius.
Vici VIII.
Ædiculæ totidem.
Vicomagistri XXXII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ MDC.
Domus LXXXIX.
Balineæ priuatæ XV.
Horrea XVI.
Lacus LX.
Pistrina XII.
Regio in ambitu continet pedes XI mil. D.

REGIO DVODECIMA, *Piscina Publica.*

Vicus Veneris almæ.
Vicus piscinæ publicæ.
Vicus Dianæ.
Vicus Ceios.
Vicus Triarii.
Vicus aquæ salientis.
Vicus Laci tecti.
Vicus Fortunæ Mammosæ.
Vicus Colapeti pastoris.
Vicus portæ Raduscuianæ.
Vicus portæ Næuiæ.
Vicus Victoris.
Horti Asiniani.
Area radicaria.
Caput viæ nouæ.
Fortuna Mammosa.
Isis * Athenodoria.
Ædis Bonæ deæ subsaxanæ.
Signum delphini.
Thermæ Antoninianæ.
Septem domus Parthorum.
Campus lanatarius.
Domus Chilonis.
Cohortes III vigilum.
Domus Cornificii.
Priuata Hadriani.
Vici XII.
Ædiculæ totidem.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores II.
Denuntiatores II
Insulæ II mil. CCCCLXXXVI.
Domus CXIIII.
Balineæ priuatæ XLIIII.
Lacus LXXX.
Horrea XXVI.
Pistrina XX.
Regio in ambitu habet pedes XII mil.

REGIO DECIMATERTIA, *Auentinus.*

Vicus Fidii.
Vicus frumentarius.
Vicus trium viarum.
Vicus Cesetii.
Vicus Valerii.
Vicus Laci militarii.
Vicus Fortunati.
Vicus capitis canteri.
Vicus trium alitum.
Vicus nouus.
Vicus Loreti minoris.
Vicus armilustri.
Ædis Consi.
Vicus columnæ ligneæ.
Minerua in Auentino.
Vicus materiarius.
Vicus mundiciei.
Vicus Loreti maioris; vbi erat Vortumnus.
Vicus fortunæ dubiæ.
Armilustrum.
Templum Lunæ in Auentino.
Templum commune Dianæ.
Thermæ Varianæ.
Templum Libertatis.
Doliolum.
Ædis Bonæ deæ in Auentino.
Priuata Traiani.
Remuria.
Atrium Libertatis in Auentino.
Mappa aurea.
Platanón.
Horrea Aniceti.
Scalæ Gemoniæ.
Porticus Fabaria.
Schola Cassii.
Templum Iunonis reginę a Camillo d d. Veiis captis.
Forum pistorium.
Vici XVII.
Ædiculæ totidem.
Vicomagistri LXXIIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ II mil. CCCCLXXXVIII.
Domus CIII.
Balineæ priuatæ LXIIII.
Lacus LXXVIII
Horrea XXVI.
Pistrina XX.
Regio in ambitu habet pedes XVI mil. CC.

REGIO DECIMAQVARTA, *Trans Tiberim.*

Vicus Censorii.
Vicus Gemini.
Vicus Rostrati.
Vicus Longi aquilæ.
Vicus statuæ Siccianæ.
Vicus Quadrati.
Vicus Raciliani maioris.
Vicus Raciliani minoris.
Vicus * Ianiculensis.
Vicus * Bruttanus.
Vicus Larum ruralium.
Vicus statuæ Valerianæ.
Vicus Salutaris.
Vicus Pauli.
Vicus Sex. Luceii.
Vicus Simi publici.
Vicus Patratilli.
Vicus Laci restituti.
Vicus Saufeii.
Vicus Sergii.
Vicus Plotii.
Vicus Viberini.
Caianum.
In Insula Ædis Iouis & Æsculapii, & Ædis Fauni.
Naumachiæ.
Corniscæ.
Vaticanus.
Hortus Domitii.
Ianiculum.
Mamæ sacellum.
Balineum Ampelidis.
Balineum Priscillianæ.
Statua Valeriana.
Statua Sicciana.
Sepulcrum Numæ.
Cohortes VII vigilum.
Caput Gorgonis.
Templum Fortis fortunæ.
Area Septimiana.
Ianus Septimianus.
Hercules cubans.
Campus Bruttanus.
Campus Codetanus.
Horti Getæ.
Castra Lecticariorum.
Vici XXII.
Ædiculæ totidem.
Vicomagistri LXXXVIII.
Curatores II.
Denuntiatores II.
Insulæ IIII mil. CCCCV.
Domus CL.
Balneæ priuatæ LXXXVI.
Lacus CLXXX.
Horrea XXII.
Pistrina XXII.
Regio in ambitu habet pedes XXXIII mil. CCCCLXXXVIII.

SENATVLA

SENATVLA TRIA: vnum, inter Capitolium & Forum; vbi magistratus cum senioribus deliberant: alterum, ad portam Capenam: tertium, citra ædem Bellonæ in circo Flaminio, vbi dabatur senatus legatis quos in vrbem admittere nolebant: quartum senatulum matronarum in Quirinale, *Antoninus Pius Bassiani filius fecit.

BIBLIOTHECÆ vndetriginta publicæ. ex iis præcipuæ duæ, Palatina & Vlpia.

OBELISCI MAGNI SEX: duo, in circo maximo: maior, est pedum CXXXII: minor, pedum LXXXVIII & semis. vnus, in Vaticano, pedum LXXII. vnus, in campo Martio, pedum LXXII. duo in Mausoleo Augusti pares, singuli ped. XLII & semis.

OBELISCI PARVI, XLII, in plerisque sunt notæ Ægyptiorum.

PONTES VIII, *Moluius, Ælius, Vaticanus, Ianiculensis, Fabricius, Cestius, Palatinus, Æmilius, qui ante Sublicius.

CAMPI VIII, Viminalis, Exquilinus, Agrippæ, Martius, Codetanus, *Bruttanus, Lanatarius, Pecuarius: vnus vltra Tiberim campus Vaticanus, extra numerum.

FORA XVII: Romanum, quod dicitur Magnum, Cæsaris, Augusti, Boariũ, Transitorium, Holitorium, Pistorium, Traiani, Aenobarbi, Suarium, Archemoriũ, Diocletiani, Gallorum, Rusticorum, Cupedinis, Piscarium, Sallustii.

BASILICÆ XI, Vlpia, Pauli, Vestini, *Nepiumnii, Macidu, Marciana, *Vastellaria, Floselli, Sicinini, Constantiniana, Basilica Porcia a Porcio Catone facta.

THERMÆ XII, Traiani, Titi, Agrippæ, Syriacæ, Commodianæ, Seuerianæ, Antoninianæ, Alexandrinæ, quæ Neronianæ; Diocletianæ, Decianæ, Constantinianæ, Septimianæ.

IANI per omnes regiones incrustati & adornati signis, duo præcipui ad arcum Fabianum, superior inferiorque.

AQVÆ XX, Appia, Marcia, Virgo, Claudia, Herculanea, Tepula, Damnata, Traiana, Annia, Halsia siue Halsientena, quæ Augusta, Cærulea, Iulia, Algentiana, Ciminia, Sabbatina, Aurelia, Septimiana, Seueriana, Antoniniana, Alexandrina.

VIÆ XXIX, Appia, Latina, Labicana, Campana, Prenestina, Tiburtina, Collatina, Nomentana, quę *Figulẽsis, Salaria, Flaminia, Æmilia, Claudia, Valeria, Ostiensis, Laurenntna, Ardeatina, Setina, Quintia, Gallicana, Triumphalis, Patinaria, Ciminia, Cornelia, Tiberina, Aurelia, Cassia, Portuensis, *Gallia, Laticulensis.

CAPITOLIA II; vetus & nouum.

AMPHITHEATRA II.

COLOSSI II: Columnæ cochlides II.

MACELLA II: Theatra III, Ludi V, Naumachiæ V.

NYMPHÆA XI. Equi ænei inaurati, XXIIII: equi eburnei, XCIIII: tabulæ, signa, sine numero: Arcus marmorei, XXXVI: Lupanaria, XLV: Latrinæ publicæ, CXLIIII: Cohortes prætoriæ, X. Cohortes vrbanæ, IIII: Cohortes vigilum, VI: Excubitoria, XIIII: vexilla II communia: castra peregrina, castra Misenatium, castra tabellariorum, castra lecticariorũ, castra victimariorum, castra salgamariorum, castra salicariorum, castra equitum, singulorum II. Mensæ oleariæ XXIIII mil.

ROMAE DESCRIPTIO;
Ex Notitia vtriusq; Imperii.

REGIO PRIMA,
Porta Capena, continet

AEdem Honoris & Virtutis,
Camenas, &
Lacum Promethei,
Balneum Torquati & Vespasiani,
Thermas Seuerianas & Commodianas,
Aream Apollinis, & Spei, & Galli,
Vicum *vitriarium,
Aream *panariam,
Mutatorium Cæsaris,
Balneum Bolani & Mamertini,
Aream Carsuræ,
Balneum Abascanti & Antiochiani,
Ædem Martis & Mineruæ & Tempestatis,
Flumen Almonis,
Arcum diui Veri Parthici, & diui Traiani, & Drusi.
Vici X.
Ædiculæ X.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores II.
Insulæ tria milia CCL.
Horrea XIII.
Balnea LXXXVI.
Lacus LXXXIIII.
Pistrina XX.
Continet pedes duodecim milia, CCXIX

REGIO SECVNDA,
Cælimontium, continet

Templum Claudii,
Macellum magnum,
*Lupanos,
Antrum Cyclopis,
Cohortes vigilum,
Castra peregrina,
Caput Africæ,
Arborem sanctam,
Domum Philippi & Vectilianam,
Ludum Matutinum & Gallicum,
Spoliarium Samarium,
Armamentarium,
*Micam auream.
Vici VII.
Ædiculæ VII.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores duo.
Insulæ tria milia DC.

Domus CXXIII.
Horrea XIIII.
Balnea LXXXII.
Lacus LXII.
Pistrina XII.
Continet pedes duodecim milia CC.

REGIO TERTIA, *Isis & Serapis, continet*

Monetam,
Amphitheatrum, quod capit loca octoginta septem milia,
Ludum Matutinum & Dacicũ,
Domum Brytti,
*Præsentissimum choragium,
Lacum pastoris,
Scholam Quæstorum & Capulatorum,
Thermas Traianas & Titianas,
Porticum Liuii,
Castra Misenatium.
Vici XII.
Ædiculæ XII.
Magistri XLIX.
Curatores duo.
Insulæ duo milia septingentæ quinquagintaseptem.
Domus sexaginta.
Horrea XIIII.
Balnea octoginta.
Lacus LXV.
Pistrina XVI.
Continet pedes duodecim milia trecentos quinquaginta.

REGIO QVARTA, *Templum Pacis, continet*

Porticum apsidatam,
Aream Vulcani,
Aureum bucinum,
Apollinem sandaliarium,
Telluris templum,
Horrea chartaria,
Tigillum sororium,
Colossum altum pedes centum duos semis: habet in capite radia numero septem, singula pedũ vigintiduorũ semis:
Metam sudantem,
Templum Romæ & Veneris,
Ædem Iouis Statoris,
Viam sacram,
Basilicam Constantinianam,
Templum Faustinæ,
Basilicam Pauli,
Forum transitorium,
Suburram,
Balneum Daphnidis.
Vici octo.
Ædiculæ octo
Vicomagistri XLVIII.
Curatores duo.
Insulæ II milia septingẽtę quinquagintaseptem.

Domus octogintaocto.
Horrea decem & octo.
Balnea LXXV.
Lacus LXXVIII.
Pistrina XII.
Cõtinet pedes tredecim milia.

REGIO QVINTA, *Esquiliæ, continet*

Lacum Orphei,
Macellum Liuiani,
Nymphæum diui Alexandri,
Cohortes duas vigilum,
Herculem Syllanum,
Ortos Pallantianos,
Amphitheatrum castrense,
Campum viminalẽ sub aggere,
Mineruam medicam,
Isidem patriciam.
Vici XV.
Ædiculæ XV.
Vicomagistri quadragintaocto.
Curatores duo.
Insulæ tria milia octingentæ quinquaginta.
Domus CLXXX.
Horrea XXII.
Balnea LXXV.
Lacus LXXIIII.
Pistrina XV.
Continet pedes quindecim milia DC.

REGIO SEXTA, *Alta semita, continet*

Templum Salutis & Serapis,
Templum Floræ,
Capitolium antiquum,
Statuam Mamurii plumbeam,
Ædem Quirini,
Malum Punicum,
Ortos Salustianos,
*Gentem Flauiam,
Thermas Diocletianas & Constantianas,
X Tabernas,
Gallinas albas,
Aream Candidi,
Cohortes III vigilum.
Vici XVII.
Ædiculæ XVII.
Vicomagistri XVIII.
Curatores duo.
Insulæ tria milia quadringentæ tres.
Domus centũ quadragintasex.
Horrea XVII.
Balnea LXXV.
Lacus LXXIII.
Pistrina XVI.
Continet pedes quindecim milia DCC

REGIO SEPTIMA, *Via Lata, continet*

Lacum Ganymedis,
Cohortes VII vigilum,
Arcum nouum,
Nymphæum Iouis,
Ædiculam caprariam,
Campum Agrippæ,
Templum Solis & * Castra,
Porticum Gypsiani & Cõstantini,
Templa duo noua, Spei & Fortunæ,
Equum Tiridatis regis Armeniorum,
Forum suarium,
Ortos Largianos,
Mansuetas,
Lapidem pertusum.
Vici XV.
Ædiculæ XV.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores duo.
Insulæ tria milia octingentæ quinque.
Domus CXX.
Horrea XXV.
Balnea LXXV.
Laci LXXVI.
Pistrina XV.
Continet pedes XV milia septingentos.

REGIO OCTAVA, *Forum Romanum & magnum, continet*

Rostra,
Geniũ populi Romani aureũ, &
Equum Constantini,
Senatulum,
Atrium Mineruæ,
Forum Cæsaris, Augusti, Neruæ Traiani,
Templum diui Traiani, & columnam cochlidẽ altam pedes CXXVIII semis: gradus intus habet CLXXXV, fenestras XLV.
Cohortes VI vigilum,
Basilicam argentariam,
Templum Concordiæ,
Vmbilicum Romæ,
Templũ Saturni & Vespasiani,
Capitolium,
Miliarium aureum Iuliæ,
Templum Castorum, Vestæ;
Horrea Germaniciana & Agrippina,
Aquam cernentem quatuor Scauros sub æde;
Atrium Caci,
Vicũ iugarium vnguentarium,
Græcostasim,
Porticum margaritariam,
Elephantum herbarium.
Vici trigintaquatuor.
Ædiculæ XXIX.
Vicomagistri XLVIII.

Cura-

Curatores duo.
Insulæ tria milia octingentæ octoginta.
Domus CXXX.
Horrea XVIII.
Balnea LXXXIII.
Laci CXX.
Pistrina XX.
Continet pedes tredecim milia LXVII.

REGIO NONA,
Circus Flaminius, continet

Stabula numero IIII factionum,
Ædem Herculis,
Porticum Philippi,
Minutias II, veterē & frumentariam,
Cryptam Balbi,
Theatra quatuor, in primis Balbi, quod capit loca triginta milia LXXXV:
Campum Martium,
Trigarium,
Ciconias nixas,
Pantheum,
Basilicam Matidii & Marciani,
Templum diui Antonini, & columnam cochlidē altam pedes CLXXV semis: gradus intus habet CCIII, fenestras LVI:
Hadrianium,
Thermas Alexandrinas & Agrippinas,
Porticum Argonautarū & Meleagri,
Iseum & Serapeum,
Insulam Feliculæ.
Vici XXXV.
Ædiculæ XXXV.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores II.
Insulæ duo milia septingentæ LXXIIII.
Domus CXL.
Horrea XXII.
Balnea LXIII.
Lacus LXIII.
Pistrina XX.
Cōtinet pedes triginta duo milia D.

REGIO DECIMA,
Palatium, continet

Casam Romuli,
Ædem Matris deûm & Apollinis Rhamnusii,
Pentapylum,
Domum Augustanam & Tiberianam,
Ædem Iouis Victoris,
Domum Dionis,
Curiam veterem,
Fortunam respicientem,
Septizonium diui Seueri,
Victoriam Germanicianam,
Lupercal.
Vici XX.
Ædiculæ XX.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores duo.
Insulæ duo milia DCXLIII.
Domus LXXXVIII.
Horrea XLVIII.
Balnea XIIII.
Laci LXXXIX.
Pistrina XX.
Continet pedes XI milia sexcentos.

REGIO VNDECIMA,
Circus maximus, qui capit loca quadringenta octoginta quinque milia, continet

XII portas,
Templum Mercurii,
Ædem Ditis patris,
Cererem,
Portam trigeminam,
Apollinem Cælispicem,
Herculem Oliuarium,
Velabrum,
Arcum diui Constantini.
Vici XVIII.
Ædiculæ XIX.
Vicomagistri XIX.
Curatores duo.
Insulæ duo milia sexcentæ.
Domus LXXXIX.
Horrea XVI.
Balnea XV.
Laci XX.
Pistrina XV.
Continet pedes vndecim milia quingentos.

REGIO DVODECIMA,
Piscina publica, continet

Aream radicariam,
Viam nouam,
Fortunam mammosam,
Isidem Athenodoriam,
Ædem Bonæ deæ subsaxanæ,
Signum delphini,
Thermas Antoninianas,
Septem domos Parthorum,
Campum lanatarium,
Domum Chilonis,
Cohortes IIII vigilum,
Domum Cornificii,
Priuatum Hadriani.
Vici XIIII.
Ædiculæ XVII.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores duo.
Insulæ duo milia quadringentę octogintaseptem.
Domus CXIIII.
Horrea XVII.
Balnea LXIII.
Laci LXXXI.
Pistrina XX.
Continet pedes duodecim milia.

REGIO DECIMATERTIA,
Auentinus, continet

Templum Dianæ & Mineruæ,
Nymphæa tria,
Thermas Varianas & Decianas,
Doliolum,
Mappam auream,
Platanones,
Horrea Galbæ,
Porticum fabariam,
Scholam Cassii,
Forum pistorium.
Vici XVII.
Ædiculæ XVII.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores duo.
Insulæ duo milia quadringentæ octogintaseptem.
Domus CXXX.
Horrea XXV.
Balnea LXIIII.
Lacus LXXXVIII.
Pistrina XX.
Continet pedes ducenta nouem milia.

REGIO DECIMAQVARTA,
Transtiberina, continet

Gaianum,
Vaticanum,
Frygianum,
Naumachias V,
Ortos Domitios,
Balneum Ampelidis & Prisci, &
Dianæ molinas,
Ianiculum,
Statuam Valerianam,
Cohortes septem vigilum,
Caput Gorgonis,
Fortis fortunæ Templum,
Aream Septimianam,
Herculem cubantem,
Campum Brytianum & Codetanum,
Ortos Getæ,
Castra lecticariorum.
Vici LXXVIII.
Ædiculæ LXXVIII.
Vicomagistri XLVIII.
Curatores III.
Insulæ quatuor milia quadringentæ quinque.
Domus CL.
Horrea XXII.

Balnea LXXXVI.
Lacus CLXXX.
Pistrina XXIII.
Continet pedes trigintatria milia, quadringentos octoginta octo.

BIBLIOTHECÆ XXIX. Ex iis præcipuæ duæ, Palatina & Vlpia.

OBELISCI V: in Circo maximo vnus, altus pedes LXXXVIII semis: in Vaticano vnus, altus pedes LXXI: in Campo Martio vnus, altus pedes LXXXII semis: in Mausoleo Augusti duo, singuli pedum XLII semis.

PONTES VII; Ælius, Aurelius, Moluius, Sublicius, Fabricius, Cestius, & Probi.

MONTES VII, Cęlius, Auentinus, Tarpeius, Palatinus, Esquilinus, Vaticanus, Ianiculensis.

CAMPI VIII; Viminalis, Agrippæ, Martius, Codetanus, Octauius, Pecuarius, Lanatarius, Bryttatus.

FORA XI, Romanum, Magnũ, Cæsaris, Augusti, Neruæ Traiani, Aenobarbi: Forum boarium, Suarium, Pistorum, Gallorum, & Rusticorum.

BASILICÆ X; Iulia, Vlpia, Pauli, Neptuni, Matidii, Marciana, Bascellaria, Floscellaria, Sicinii, Constantiniana.

THERMÆ XI; Traianæ, Titianæ, Agrippinæ, Syræ, Cõmodianæ, Seuerianæ, Alexandrinæ, Antoninianę, Decianæ, Diocletianæ, * Constantinianæ.

AQVÆ XIX; Traiana, Annia, Alsia, Claudia, Marcia, Herculea, Iulia, Augustea, Appia, Alsetina, Setina, Ciminia, Aurelia, Damnata, Virgo, Tepula, Seueriana, Antoniniana, Alexandrina.

VIÆ XXIX, Traiana, Appia, Latina, Lauicana, Prænestina, Tiburtina, Nomẽtana, Salaria, Flaminia, Æmilia, Clodia, Valeria, Aurelia, Campana, Ostiẽnsis, Portuensis, Ianiculensis, Laurẽtina, Ardeatina, Setina, Quintia, Cassia, Gallica, Cornelia, Triumphalis, Patinaria, Asinaria, Ciminia, Tiberina.

HORVM BREVIArium.

Capitolia II: Circi duo: Amphitheatra duo: Colossi duo: Columnæ cochlides duæ: Macella duo: Theatra III: Ludi IIII: Naumachiæ V: Nymphæa XV: Equi magni XXIII, deaurati, LXXX, eburnei, LXXXIIII: Arcus marmorei XXXVI: Portæ XXXVII: Vici CCCCXXIIII: Ædes CCCCXXIIII: Vicomagistri DCLXXII: Curatores XXIIII: Insulæ per totam vrbem numero quadraginta sex milia sexcentæ duæ. Domus mille septingentæ octoginta: Balnea DCCCLVI: Lacus mille CCCLII: Pistrina CCLIIII: Lupanaria XLV. Latrinæ publicæ XLIIII: Cohortes Prætoriæ, decem, Vrbanæ, quatuor; Vigilum, septem: quarum Excubitoria XIIII: Vexilla communia duo: Castra equitum, salgamariorũ, peregrinorum.

THEODORI

THEODORI PVLMANNI CRANEBVRGII, IN C. SVETONII TRANQVILLI XII CÆSARES, ANNOTATIONES, ATQVE LECTIONIS VARIETATES, ex doctissimorum hominum scriptis, & ex vetustis vulgatisque libris collectæ.

NOTAE LIBRORVM QVIBVS VSI SVMVS.

C. Corsendoncensis collegii liber manu scriptus.

N. Aluari Nonnii, medici nō vulgari doctrina & prudentia, codex membraneus.

R. Iacobi Susii, viri clariss. & doctissimi liber Romę impressus, anno cIↃ CCCCLXX.

A. Aldi Manutii exemplar; quod ab Egnatio emendatum, ex eius officina prodiit anno cIↃ IↃ XXI.

S. Roberti Stephani Suetonius, ex vetustissimo exemplari emēdatior multis in locis, anno cIↃ IↃ XLIIII Parisiis excusus.

[Ora G. sæpe citatur a Pulmanno. cuius libri cum neque hic neq; in sequentibus expressa fiat mentio, coniiciat aliquis innui Ioannis Gymnici editionem a Gisberto Longolio adornatam; cuius testimonium citatur Annot. in vitam Claudii, cap. XXV.]

EX IVLIO CÆSARE, I.

I. ANNVM agens Cæsar XVI] Iulius Cæsar annum agens sextumdecimum, C. Annum agens Iulius Cæsar sextum decimum, N. Annum agens Cæsar sextum decimum, R. *An Iulius Cæsar Suetonii integer sit, addubitatum video. sed cum in antiquissimis exemplaribus*, Annum agens sextum decimum, *sine Cæsaris nomine reperiam, nihilque de eius natalibus & gente loquatur, sine controuersia puto mutilum, & absq; capite principium esse. Adrianus Turnebus Aduersariorum lib. XXIIII, cap. XIIII.*

IIII. Apollonio Moloni] Molonis, A. S. *locutione Græca; vt filio subintelligatur. sed priorem lectionem huic præfero.*

Mithridate] Mithradates *in Fastis Consularibus Hub. Goltzii cum a in secunda syllaba scriptum inuenitur.*

V. auctores restituendæ] actores, N. *Lego actores, vt & scriptam habet antiquissimus & optimus liber. nec dubium quin, hac actio cum fuerit, actores vocandi sint potius, quam auctores: quamquam, si quis auctores tueatur, nō magnopere dissentiam. Turneb. lib. XXIIII, cap XIIII.*

confecit] fecit, N.

VII. mandato Prætoris, *& S. & Carolus Sigonius de Iure antiquo prouinciarum recte legunt.* populi Romani, C. N. R. reip. A. *quorum librorum vtraq; lectio ex compendiaria scriptura* P. R. *a librariis parum bene intellecta, ni fallor, corrupta est.*

dicundo] dicendo, N. A. S.

occasiones. In vrbe etiam] occasiones in vrbe. Etiam, R.

quando mater] quoniam mater, C.

VIII. Ciliciam] Siciliam, R.

IX. P. Sulla, & P. Autronio, *lege e Fastis Magistratuum Romanorum, non, vt in omnibus, quos viderim, libris*, P. Sylla, & L. Antronio.

Tanusius Geminus] Tanisius, C. N. R. *Tanusium agnoscunt codices Tranquilli, inquit Turneb. lib. XV, cap. XXII.*

ad Axium epistola] *Lego* ad Axium, *non* Atticū, *assertoribus bonis & fidelibus antiquitatis monumentis. Hic est Axius, cuius mētio est in Epistolis ad Atticum, & apud Varronem de Re rustica. ad eum, quod refert Tranquillus, in quadam epistola Cicero scripserat. Turneb lib. XXIIII, cap. XIIII.* Auxium, C. N. Atticum R. A. S. *quibus libris assentiendum non est.*

Lambranos] Ambranos, C. N. R. Ambrones, *Beroaldus.*

X. gladiatorium munus, *non* gladiatorum, R. *& Turneb. lib. XXIIII, cap. XIIII.*

XIII. multumq; ætate ac dignitate] multumque & ætate, & dignitate, C. N. R. A. S.

XIIII. D. Silanum, *non* Syllanum, *vbique legendum, vt in lapidibus scribitur.*

Sed etiam in reliquum] sed in reliquum, C. sed & in reliquum, N. R. A. S.

XVII. & apud Nouium Nigrum Quæstorem. Quæstor *heic non est qui pecuniam publicam tractat, sed qui iudicium publicum exercet, &* Quæsitor *sæpius dicitur: apud quem nominare maiorem potestatem, vt Prætorem, (id enim est compellare maiorem potestatem) non oportuit. Turneb. lib. II, cap. XXVIII.*

Vettio, *non* Vectio, *scribendum; vt in lapidibus legitur, vtque etiam in Iuuenale, Sat. VII,* Declamare doces ô ferrea pectora Vetti.

Vettium pignoribus captis] *In pignoribus capiendis, interdum supellex concidebatur, vt libro III de Oratore: interdum diripiebatur; vt apud Tran-*

quillum, Vettium pignoribus captis, & direpta supellectile. *Pignora autem capiebantur multa caussa. Turneb. lib. xxiiii, cap. xiiii.*

XVIII. Prouinciæ ordinarentur. *Prouinciæ ordinari dicebantur, non cum Magistratibus decernebantur, sed cum statuebat Senatus quo militum numero, & quibus cum hostibus, bellum gereretur. Turneb. lib. xxiiii, cap. xiiii.*

XIX. filuæ callesque decernerentur. *Scribit prouincias minimi negotii, siluas & calles, decretas Consulibus: quo sane existimo significari siluarum publicarum administrationem & saltuum publicorum; in quibus professi pecoris sui capita pecuarii pascebant, scripturamque soluebant. nam callis ex eo appellatur, quod pecudum callo calcetur, estque via a pecore durata sed & loca quæ pecudes calcant. Vide Turneb. lib. iii, cap. ix, & xxii.*

XX cum per iocum testandi gratia signarent. *Testationes heic intelligit, quæ erant quædam præscriptiones, & tabulæ testificandi gratia factæ & obsignatæ. Vide Turneb. lib. ii, cap. xxvii.*

Campum Stellatem maioribus consecratum. *Scribit Tranquillus, Campum Stellatem, maioribus consecratum, a Cæsare diuisum fuisse. in quo existimo eum dicere, maiorum opinione sacrum fuisse Stellatem agrum, cum tamen iam illa tempestate, qua diuisus est a Cæsare, pro sacro non haberetur. atque id ex commentariis quibusdam reconditis, aut annalibus, eruit Tranquillus. Cicero nescit alioqui contra Rullum, huius consecrationis meminisset. Turneb. lib. iii, cap. xxii.*

XXII. in Assyria] in Syria, N.

XXIIII. acceperat, alias publico, alias priuato] alias priuato N. *non habet.*

XXV. a saltu Pyrenæo. *Saltus Pyrenæus, in eo montes Pyrenæos significat; vt apud Liuium*, saltus Graios *Alpes Graias. Vide Turneb. lib. iii, cap. xxii.*

eique in singulos annos stipendii nomen imposuit] eique in singulos annos L L S X L stipendii nomine imposuit; *Petrus Pithœus Aduersariorum subsecinorum lib. ii, cap. vii.*

Arunculeio] Auruncul eio, R.

XXVI. super L L S millies constitit. *Vide Henrici Loriti Glareani Annotationes in Suetonium.*

Neptem] nepotem, N.

XXVIII. auxilia submittens: superque] auxilia submittens: similiterque, R. A. S.

Rep.] reip. *ad oram* G.

quando ne plebiscito, Pompeius postea abrogasset. *Sic distinguo; hoc sensu: Abrogauerat Pompeius lege sua & antiquauerat plebiscitū, quo Cæsari iusserat absenti Consulatum petendi. igitur ne plebiscito ratio absentis comitiis haberetur, Pompeius abrogauerat lege sua imprudens. Turneb. lib. xxiiii, cap. xiiii.*

XXX. Asinius Pollio] *Asinius Pollio, historicus & poeta. Vide Turneb. lib. x, cap. xxi.*

Hæc voluerunt] Hoc voluerunt, C. R. A. S.

Pensitatisque] pensatisque, N.

semper in ore habuisse, εἴπερ γὰρ, *&c non*, semper in ore habuisse eos in Phœnissis, εἴπερ γὰρ, C. N. *Lego*, semper Cæsarem in ore habuisse istos. *quod enim sequitur*, in Phœnissis, *adiectitium est. Turneb. lib. xxiiii, cap. xiiii.*

XXXI. Formam qua ludū gladiatorium erat ædificaturus, considerauit, *cum dicit, simulacrum significat, & adumbratam vel effictam speciem (ichnographiam vocat Vitruuius, atque orthographiam) qua ludum erat ædificaturus gladiatorium. Vide Turneb. lib. iii, cap. xxii.*

cum luminibus exstinctis decessit via, *cum scribit, vtrum dicit Cæsarem faces habuisse ardentes in itinere, quæ exstinctæ sunt? Et sunt qui non putent, cum enim dicat occultissimum iter ingressum esse: & cum pars noctis proxima crepusculo*, luminibus accensis *dicatur: quam* περὶ λύχνων ἀφάς *Græci vocant, Latini* primam facem. *censent enim luminibus exstinctis appellari* concubium noctis, *cum exstinctis lucernis omnes cubant, tenebræque intensiores sunt. Verius tamen videtur, viatores noctu gerere faces solitos esse. Vide Turneb. lib. iii, cap. xxii.*

XXXII. æneatores] Æneatores *cornicines dicuntur, id est, cornu canentes. Festus.* Æneatores, *cornicines, liticines, tubicines: Turneb. lib. xxviii, cap. v.*

Iacta est alea] *Suspicor legendum*, Iacta esto alea, *sic enim citatur a Plutarcho*, [ὁ κῦς] ἀνερρίφθω κύβος *Erasmus.*

XXXIII. qui pulsi superuenerant] qui & ipsi superuenerant, *ad oram* G.

XXXVII. axe defracto] axe diffracto, C. N. R. S.

lychnuchos, *non* lychnos, *legendum. Vide Ioannis Baptista Egnatii Annotationes in Suetonium.*

XXXVIII. Veteranis legionibus prædæ nomine. *Vide Glareani Annotationes*

trecenos, C. N. *Lego*, trecenos nummos, *non* tricenos, *quod e Dione intelligi potest Turneb. lib. xxiiii, cap. xiiii.*

XXXIX. A. Calpenus] Q. Calpenus, C. N. R. S.

Decimus Laberius, *non* Decius Laberius, C. N. *& Turneb. lib. iii, cap. xxii.*

scena per orchestram, *non*, scena per solium orchestram, N. R. A. S. *lego*, Sessum in XIIII, e scena per orchestram. *nam* solium *irrepticium est, & insititium.* e scena *autē dicit, quod in ea mimum egerat Laberius. Vide Turneb. lib. iii, cap. xxii. & lib. xxiiii, cap. xiiii.*

Euripo addito] Euripus, *maris pars est inter Aulidem Bœotiæ portum, & Eubœam insulam: a cuius prodigiosa quadam reciprocandi celeritate, aquæ olim Romæ in profanas ædes, Circum, Theatra, per fistulas aut tubos*, Euripi *nomen lucrantes, mutabantur. Vide Ioann. Brodæi Miscell. lib. v, cap. vi.*

Nauali prœlio in morem cochleæ defosso lacu] *Hic locus mihi semper dubiæ & sublestæ fidei (vt verbo comico vtar) fuit: nec perinde congruus. Denique scriptura vetustas aliud quiddam multo & verius & accommodatius reponit; de quo aliquid aliquando me audisse recordor de Ranconetto*, in minore codeta defosso lacu. Codeta, *inquit Festus*, ager, in quo frutices exsistunt in modum codarum equinarum. *Ex hoc autem Tranquilli loco coniicimus, & maiorem & minorem codetam fuisse Turneb. lib. xxiiii, cap. xiiii.*

XL. æstate] æstati, C. N. A. S.

XLI. circum tribus] cuique tribui, R. A. S.

XLII. vi-

XLII. vrbis] vrbi, *ad oram* G.

deducto summę ęris alieni] *Pro* deducta summa æris alieni, *nonne ad sententiā longe aptius erit, quod antiqua memoria libri hodieque incolume & saluum retinent?* deducto summæ æris alieni, si quid vsuræ nomine. *Exige hanc scripturam ad sensum & grammaticorum normam; & eam probabiliorem emendatioremq; reperies. Turneb. lib. xxIII, cap. xIIII.*

XLVIII. sagati, palliatiq;] Sagati, *Galli sunt: sagum enim, Gallorum vestis erat:* palliati, *Græci:* togati, *Romani. Vide Turneb. lib. III, cap. xxvII.*

XLIX. eductum] inductum, C. S. deductum, *ad oram* G.

orti] ortæ, N. R. A. S.

Quondam etiam in Senatu defendenti Nysæ caussam, C. defendenti et Nysæ caussam, R. defendenti enixe caussam, N. A. S. *Aduerbiū hoc in proprii nominis locum velut per oppressionem inuasit; cum in antiquis libris* Nysæ caussam *plane perspicueque scriptum reperiamus.* Nysa *enim, vt opinor, Nicomedis filia vocabatur, vel potius filius, si Sallustio fidem habemus, ita scribenti in epistola Mithridatis:* postremo totam Bithyniam, Nicomede mortuo, diripuere, cum filius Nusa, quem regem appellauerat, genitus haud dubie esset. *Turneb. lib. xxIII, cap. xIIII.*

quando] quoniam, C. A.

tu dederis] tute dederis, N. R. S.

L. minimo] nummo, C. R. *& sic Beroaldus corrigendum esse existimat.*

Quo melius, inquit, emtum sciatis, Tertia deducta est] *In loco Ciceronis,* Quo melius emtum sciatis, Tertia deducta est, *ambiguitate quæsita est vrbanitas; tum quod ad Imperatorem deduxerit Seruilia filiam suam Tertiam; tum quod tertia pars deducta esse & detracta intellegatur. nam cum lege Cæsaris, creditoribus debitores satisfacere iuberentur per æstimationem possessionū, quāti quasque ante bellum ciuile comparassent, deducta summa æris alieni, si quid vsuræ nomine numerassent, aut perscripsissent, in tanta vilitate prædiorum Seruiliæ addictorum, talem quamdam deductionem factam esse, alludens Cicero dixit: quæ tamen illic hastæ auctionibus locum habere nō potuit.* Melius *autem* emere, *est emere carius. Martialis,* Adeo bene emit, inquis; immo non soluit. *Turneb. lib. III, cap. xxII.*

LI. stuprum emisti] effutuisti, *pro* stupro emisti, *in* C. *annotatur.* effutuisti, *Glareanus: cuius vide Annotationes.*

LII. Eunoen] Eunoen, *pro* Eunen *male scriptū esse existimo. Turneb. lib. III, ca. xxII.* Camoen, C. Euricem, N.

Naso, *non* Vasa, *Beroaldus, Sabellicus,* A. S. *cuius supra meminit cap. IX.*

similem quoque Cæsaris] Cæsari, C. N. R. A. S.

quæ scire C. Matium] *pro* Martium, N. S. *scribo,* C. Matium. *Is familiaris Cæsaris fuit, & quædam Ciceronis ad eum exstant epistolæ. citatur & a Gellio lib. xv, cap. xxv, in mimiambis. & a Varrone proferuntur eius versus. Vide Turneb. lib. III, cap. xxII & lib. xxIII, cap. xIIII. Lege & Glareani Annotationes.*

Heluius Cinna, *pro* Helius, N. *& Turneb. lib. III, cap. xxII.*

LVI. libro] Bruto, C. N. R.

illa volunt] volent, C. N. R. S.

Macrum, *pro* Marcum, C. N. R. A. S. *& Turneb. lib. III, cap. xxII.*

LIX. Saluitoni, C. N. *male scriptum. lego* Salutioni, *pro* Saluitoni, *qui etiam apud Plinium mendosus error, contra fidem librorum veterum & auctoritatem. Turneb. lib. III, cap. xxII.*

LXII. aquilifer, *non* aquilifero, *Egnatius in Annotationibus legendum esse docet.*

LXIII. vectoria nauicula, *non* victor nauicula, N. *Reperio* vectoria nauicula; *quod, qui aliquid in pectore aceti habet, aut aliquid nasi, haud paullo melius intelliget, quam quod peruulgatum est. Turneb. lib. xxIII, cap. xIIII.*

LXVIII. hostilium sagittarum] hastilium ac sagittarum, *ad oram* G.

vmbone] *De clypei orbe simpliciter accipiendum est. Vide Turneb. lib. xIII, cap. xv & xIx.*

LXX. Quirites] *Cum milites exauctorat & dimittit, appellat Cæsar* Quirites. *eo verbo ciues vrbanos, nec iam milites, intelligimus. nam sic Romæ in concionibus vocabantur ab oratoribus. Plutarchus* πολίτας *vertit. Turneb. lib. xxIII, cap. xIIII.* [*Sic Iulius Capitolinus in Alexādro Seuero, 220, 36*]

LXXII. sub diuo accubuerit, *non* dio, C. N. *E veteribus libris,* sub diuo cubuerit, *legendum censeo, inquit Turneb. lib. xxIII, cap. xIIII.*

LXXIIII. nocere sustinuit] Sustinuit, *pro* voluit, *siue* animum induxit; *aut certe* potuit; *vt Græci* ἔτλη *sine* ἐτόλμησε *non numquam dicunt. Erasmus.*

LXXV. Aulique Cæcinæ criminoso libro. *Lege epist. vII, lib. vI, Ciceronis Epistolarum familiarium.*

Pitholai] *Hic dictus est,* M. Votacilius Pitholaus; *cuius mentio fit a Macrobio Saturnaliorum lib. II, cap. II.*

LXXVI. Lupercos] *Germani* Luperci *erant; velut agrestem pastoriciamque quamdam sodalitatem colentes; qualis fuerat Lupercorum Romuli & Remi. his tertia de Cæsaris nomine addita sodalitas est Iulia atq; idest quod Tranquillus refert Cæsarē sibi passum esse decerni maiora fastigio humano, in quibus enumerat Lupercos:* & Luperci Iuliani *in Philippicis nominantur, quibus ablatum vectigal conqueritur Antonius. Vide Turneb. lib. vII, cap. III.*

Peculiares] *id est, proprios, non publicos. Vide Turneb. lib. II, cap. xxvII.*

Rufini] *non, vt inualuit,* Rufioni. *Turneb. lib. xxIII, cap. xIIII.*

LXXVII. T. Ampius] *Huius meminit Cicero I Familiarum Epist. III.* T. Lampirius C. N. *habent:* T. Amprius R. A. S.

Sullam nescisse litteras] *Sullam dixit Cæsar nesciuisse litteras, qui Dictaturam deposuit: in quo allusit ad litteratores & grammaticos, qui dictant quo modo sit scribendum, quo modo loquendum; & dictata dare dicuntur. Turneb. lib. III, cap. xxII.*

LXXVIII. inexpiabilem] exitiabilem, N. cum pluribus] cum plurimis, N. R.

LXXX. Bonum factum, ne quis Senatori nouo Curiam monstrare velit, *quo modo dictum accipimus? Veteres, boni ominis caussa,* bonum factum *præfari solebant in edictis. Tertullianus,* O edictũ, cui adscribi non poterit Bonũ factum! *Plautus Pœnulo,* Bonum factum est, edicta vt seruetis mea. *Igitur libellus ille edicti forma scriptus, propositus est. Turneb. lib. III, cap. XXII.*

Gallos Cæsar in triumphum ducit: iidem in Curia Galli bracas deposuerunt, latum clauum sumserunt] *Versus duo trochaici sunt: in quorum posteriore* sumserunt *penultima breuis est, vt* steterunt *apud Maronem AEn. II, & III: &* emerunt *apud Terentium prologo Eunuchi. Turneb. lib. III, cap. XXII.* idem in Curiam, C. N. iidem in Curiam, R.

D. Bruto] Decimo Bruto, R. A. S. Decimo Brutis, *quidam libri vulgati.*

LXXXI. disiucerent] discinderent, C.

Quando ossa] Quandoq, ossa, R. *id est, quandocumque. Sic Horat. IIII Carm.* I, Et, quandoque potentior Largis muneribus riserit æmuli. *Et IIII Carm. II,* Concines maiore poeta plectro Cæsarem, quandoq; trahet feroces Per sacrum cliuum, merita decorus Fronde, Sicambros. *Et Arte,* & idem Indignor, quandoq, bonus dormitat Homerus.

fore vt Iulo prognatus] fore vt illo prognatus: *quamquam* Iulo *etiam, quod excusum est, damnare non possum. Turneb. lib. XXIIII, cap. XIIII.*

Rubicone flumine] Rubiconi flumini cõsecrarat. *sic enim fluminis dicatas fuisse intelligimus, si dandi casu legamus. at hodie auferendi, vsitatum est. quod, qui volet, per me sequatur. E veterum religione dixit Tranquillus, equos consecratos, vagos esse dimissos. quæ enim animalia sacrabant Diis, ea e manu dimittebant, mancipioque suo abdicabant, ac ea suo iure libertatique reddebant: quæ & ζῶα ἄφετα a Græcis ideo vocabantur. Vide Turneb. lib. II, cap. XXVIII. & lib. XXIIII, cap. XIIII.*

Spurina] Spurinnam, R.

dextras] dexteram C. N. R. A. S.

Spurinamque] Spurinnamque, R.

Cimber Tillius, *non* Tullius, *legendum. Vide Petri Victorii Scholia in Epistolas Ciceronis, vocatas Familiares, epist. XIII, lib. VI.*

alter Cassius, C. N. R. alter Casca, A. S. alter e Cassiis, *scriptum in antiquis membranis est. Turneb. lib. XXIIII, cap. XIIII.*

Cæsar Cassii, C. N. R. & *Turneb. lib. XXIIII, cap. XIIII.* Cæsar Cascæ, A. S.

abteptum] abrepto, C. arrepto, N.

LXXXIII. pluresque] plerosque, C. N. R.

LXXXIIII. ex Electra Atilii, N. Acilii, C. Acilii, R. Accii, A. S. *Vide Egnatii Annotationes.*

LXXXV. Apud eam] Apud eandem, N. R. A. S.

LXXXVI. Alii e diuerso opinantur, insidias vndique imminentes subire semel confessum satius esse, quam cauere semper. Alii ferunt dicere solitum, nõ] Alii e diuerso opinantur, insidias vndique imminentes maluisse subire semel, quam cauere semper: dicereque solitum ferunt, non, C. Alii e diuerso opinantur, insidias vndique imminentes subire semel, quam cauere, solitum ferunt dicere, non, N. Alii e diuerso opinatum, insidias vndique imminentes subire semel, quam cauere, satius ferunt. Non, R. Alii e diuerso opinantur, insidias vndiq, imminentes subire semel satius esse, quam cauere semper. Alii ferunt dicere solitum, non, *libri quidam vulgati, omisso* confessum; *quod, quia in editione Gryphii & Gymnici aliis characteribus expressum est, suppositicium esse existimo. De hac lectionis varietate iudicet æquus lector, & eam quam putabit optimam, retineat: mihi indicasse satis est.*

LXXXVII. prætulerat] retulerat, *ad oram* G.

EX OCTAVIO, II.

II. magna vi] magno interuallo, N.

inter minores gentes allecta, *scribendum est, non,* inter Romanas gentes; *quod mendosum est. quis enim nescit patres fuisse maiorũ & minorum gentium? Vide Turneb. lib. XXIIII, cap. XV. & Petri Pithœi lib. II, cap. VIII.*

Ser. Tullio, *non* Seruilio Tullo, *lego. Seruius enim Tullius sextus Romanorum rex appellatur.*

at rursus magna vi per D. Iulium in patriciatum redit] ac rursus magno interuallo per D. Iulium in patriciatũ redit, N. *Vide Pithœi lib. II, cap. VIII.*

III. inter diuisores, operasque campestres] *Vide Beroaldi librum Annotationum, & Budæi Annotationes in Pandect.*

Q. fratrem eodem tempore] *Videtur Tranquillus memoria lapsus, qui Q. Ciceronem Asiam Prætorio imperio obtinentem, Proconsulem nominet. Turneb. lib. XXIIII, cap. XV.*

IIII. Ancharia, *non* Antonia, *quod* R. *habet,* C. N. A. S. & *Turneb. lib. XXIIII, cap. XV.*

quos ex Atia tulerat. Atia M. Atio Balbo, C. & *Turnebus. mater enim Augusti,* Atia *appellata est, quod Atii Balbi filia esset; inquit Turneb. lib. XXIIII, cap. XV. Verg. AEn. V, vers.* IↃLXVII: Alter Atis; genus vnde Atii duxere Latini. *Vide Caroli Sigonii lib. de Nominibus Romanorum.* Accia, Accio, N. R. A. S. *perperam.*

VI. obuciatur] aduciatur, *ad oram* G.

IX. sigillatim, *non* singulatim, *quod in nonnullis vulgatis est, vbique* C. N. *habent; neque lapides dissentiunt.*

X. translaticium ius vlla in re, N. tralaticium ius vlla in re, S. Ius, *desideratur in* R. A. *Vide Glareani Annotationes.*

XI. Pansaque post] & Pansa paullo post, N.

XII. Pro patribus, *non,* pro partibus, N. R. *quæ vera lectio. sunt enim* patres, *optimates. Vide Pithœi lib. II, cap. VIII.*

XIII. verborum] verberum, *ad oram* G.

iam istam in volucrum potestatem fore] iam istam volucrum potestatem fore: *vt dicat in alitum potestate id fore. Turneb. lib. XXIIII, cap. XV.*

collocandos] conuocandos, *ad oram* G.

neque possessorum] neque priorum possessorum, C.

XV. consulto] conspecto, *habent diserte & plane scriptum antiqua exempla: quod ideo adscribendum putaui, non supprimendum. quid ni enim, vt* consulto & composito, *sic &* conspecto *dici possit?*

possit? Turneb. lib. xxiii, cap. xv. e conspectu, e. ex proposito, N.R.

xvi. ad remum datis] Ad remum dare, *est damnare ad remos. Vide Ioannis Brodæi Miscell. lib. ii, cap xxx.*

supinum cælum] supremum, N.R.A.

Circeus] Cerceios, C.N.R. Circeos. A. Circeios, S.

focillatam] fulcitam, *ad oram* G.

gratiam fecit coniurandi Bononiensibus, *dixit, pro, eis permisit ne cum tota Italia pro partibus suis coniurarent, quod in Antoniorum essent clientela Turneb lib. xxiii, cap. xv.*

xvii. repetit Italiam, tempestate] repetit alia tempestate, C.N. repetiit tempestate, S. repetit. Alia tempestate, N.R. repetiit. Alia tempestate, A. *Hanc lectionum varietatem hic adscribere volui, ut ex ea lector ingenii acutioris id quod verum esse putabit, eligat.*

xviiii. Genucii, exin Plautii] *lego,* Genucii, exin Plautii. *Turneb. lib. xxiii, cap. xv.* Genatii, exin Plautii, C. Egnatii, exin Planci, N. Genatii, exin Planci, R. Egnatii, exin Plautii, S. *sed eæ lectiones, quod aliquid mendi subest, mihi parum probantur.*

Audasii, C.A.S. *& Turneb lib. xxiii, cap. xv.* Andasii, N.R.

item Asinii Epicadi ex gente Parthina hybridæ, *Turneb. lib xxiii, cap xv.* item Asinii Epicadi ex gente particia hybridę, N. Themasini Epicadi ex gente Parthica hybridæ, R.S. Thenasini Epicadi ex gente Parthica hybridę, A. *Hæc nomina propria quam immutata sint & in antiquis, & in excusis libris, facile cognitu est comparando.*

mulieris serui nomenclatoris] mulieris serui, cui nomen circulatoris, N.

xx. excepit] accepit, *ad oram* G.

xxi. gentes Inalpinas, *non* gentes Alpinas, N. gentes Inalpinas *lego, ut Plinius aliiq. loquuntur: Turneb. lib. xxiii, cap. xv. Vide & Glareani Annotationes.*

Pignora] pignera, C.

xxii. pace parta tertio clausit, A. ter, C.N.S. ter, *vel* tertio, *deest in* R. pace parta ter clausit, *libri veteres magno cõsensu habet* tertio *tamẽ mallẽ. Turneb. lib. xxiii, cap. xv. Vide Glareani Annotationes.*

xxiii. continerentur] commouerentur, C.

Adeo namque] Adeo denique, N.

xxiiii. dimisit, *pro* diuisit, C.N.R.A.S.

xxv. periculosioribus] pecuniosioribus, C.N.R.A.S. *quod malim.*

Dona militaria] Donaria militaria, C.

Cilicia] Sicilia, N.

Nihil autem minus in perfecto duce, C.N.R; *non ut quidam,* Nil autem minus in imperfecto duce. *Sunt in hoc Augusti apophthegmate tres sententiæ quarum prima,* Σπεῦδε βραδέως, *est Augusti propria, auctore A. Gellio, Macrobio, & Polyæno Macedone secunda* ἀσφαλὴς γὰρ, *&c. versus trochaicus ex Euripidis Phœnissis tertia,* Sat celeriter, *&c. Catoniana est. Vide Pauli Leopardi Emendationum & Miscellanearum lib. xx, cap. xx.*

præditos] præditus, R.A.S.

xxvi. Consulatum] Consulem, *ad oram* G.

xxvii. decorauit] honorauit, N.

Perterruit] conterruit, C.N.R.A.S.

xxviii. quam voluntatem cum præsidens identidem prę se ferret, quodam] quam voluntatem quodam, C. quam voluntatem cum præ se identidem ferret, quodam, N.R.A.S.

xxix. perstrinxisset] præstrinxisset C.

xxxi. Iano supposuit] Iano superposuit, C.S. Iano superimposuit. *Vocabantur autem &* Iani *perviæ transitiones, quia ad unum ingressus & exitus Iano dicabantur. Suet. in Domitiano cap. xiii;* Ianos arcusq. cũ quadrigis & insignibus triumphorũ, per regiones vrbis tãtos ac tot exstruxit. *Vide Lucii Ioannis Scoppæ Collectaneorum cap. ii. Vocantur* Iani *numero plurium, ædificia quadriformia & pervia, seu stata illa lapidea, seu ex materia pro tẽpore excitata. Lilius Gregorius Gyraldus de Deis Gentium, Syntagm. iiii. Vide & Turneb. lib. vi, cap x. & lib. xxii, cap. xvi.*

xxxii. vel præcipuam] velut præcipuam, C.

exussit] excussit, C.N.R.

amplius] ampliatos, *ad oram* G.

Ad tres iudicum decurias. *Tres erant decuriæ equitum, quæ iudicabant. una tribus ærariorum: altera, selectorum iudicum: tertia, nongentorum. his etiam cistas in comitiis servabant. Ad has tres equitum decurias ex inferiore censu hominum, qui ducena in professionem censualẽ deferebant sestertia, nõ ut equites quadragena, quartam fecit D. Augustus centuriam. Vide Turneb lib xxix. cap. xvi*

xxxiii. Patrem] patentem, *ad oram* G.

signatores] Senatores, C.N.R.A. *quam lectionem non probat Beroaldus.*

delegauit] delegabat, C.N.R.A.S.

xxxv. quos abortiuos] Orciuos *hos Plutarchus in Anton. e, Latinum nomẽ exprimens, appellauit* χαρωνίτας. *Vide Victorii Variarũ lect. lib. xvi, cap. xvi: & Sigonii de Antiquo iure civium Romanorũ lib. ii.* Orchinos, *Turneb. lib. xxv, cap vii.*

neque ordine] atque ordine, C.N.R.S.

prærogabat] prorogabat. C.N. perrogabat, R.A.S.

censendum] Censere, *pro nõ assentiri. Budæus.*

xxxvii. viarum, aquarum] viarum & aquarum, *quidam libri vulgati.*

xxxviii. super xxx] supra triginta, R.

& triginta] & quadraginta, A.

xxxix. a Senatoribus decem adiutoribus] adiuratoribus, *ad oram* G. a Senatu decem adiutoribus, C.N.R.

traditio coram pugillarium, quos] traditio coram pugillari, quo, *ad oram* G.

xl. matrimonio] patrimonio, C.N.R.A.S.

quaternûm] quaternorum, C.N.R.A.S.

Fabianis] Sabatinis *Beroaldus: quod etiam in* N. *eodem atramento ad oram annotatum est.* Sabotinis, R.

a se diuidebat] asse diuidebat, C.

ciuitatem Romanam] ciuitates Romanas, C.R.A.S.

difficultatibus a libertate iusta] difficultatibus a seruitute, & multo pluribus a libertate iusta, N. difficultatibus a libertate, & multo pluribus a libertate iusta, S.

destinarat] destinasset, N.A.S.

aratorum] arantium, *adoram* G.

deduceret] duceret, S.

XLIII. edidit] dedit, R.

Esernini, A. S. Assernini, C Asernini, N. R. *Tacitus Annalium lib. xi*, meminissent C. Asinii, & Messallæ, ac recentiorū Aruntii & Æsernini: ad summa prouectos, incorrupta vita & facundia.

Lucium] Licium, C. Lycium, N.

superque] supraque, *adoram* G.

XLIIII. spectandum] spectaculi, C. N. A. S.

muliebrem sexum omnem] muliebre sexus omne, *in neutro genere, antiquis, vt Plauto, quorum interdum sectator est, vt antiquarius Tranquillus, vsitato. Turneb. lib. xxiiii, cap. xv.*

XLV. togatarum, cum] togatarum, cui, A. S.

LI. de se epistolam] de eo epistolam, C. R.

de eadem re sedulo violentius] de eadem re sedulo lentius. violentius, *excusum est. sed veterem testor scripturam. Turneb. lib. xxiiii, cap. xv.*

LIII. vespere] vespera, C. N.

adoperta] adapetta, *adoram* G.

LVI. testamentorum licentia] scommatorum licentia, *Sigonius lib. 1 Disputat. Patauinarum.*

LVII. sandaliarium] sandaliatum, C. S.

fauscis omnibus] festis omnibus, *adoram* G.

LVIII. sicut Messalla, posui] sicut Messallæ, apposui, C. N. A. S.

LXII. Vt ex necessitudine aliqua iungerētur] vt & necessitudine aliqua iungerentur, C. S. vt etiam necessitudine aliqua iungeretur, N. ei, *pro* ex, *adoram* G.

ac probauit] & probauit, C. N. R. A. S.

LXIII. tantumque] tantum, N.

nuptui] nuptum, N.

multis, ac diu] multis diu, C. R. S.

LXIIII. Caium, Lucium] C. & L. C. N. R. A. S.

LXV. Phœbe, *ex Dionis epitome LV lego. quam lectionem, vt germanam, retinendam esse censeo.* Fede, C. R. Phede, N. Fœde, A. S. *sed corrupte.*

LXVI. Saluidenum, C. A. *quam scripturam veram esse, Fasti Romanorum comprobant.* Saluidenum, N. R. Saluidienum, S. *Hic, ni fallor, ille fuit cuius cenam describit Horatius in Serm. viii.*

LXVII. Cosmum, *non* Cosinum, C. N. R. & *Turneb. lib. xxiiii, cap. xv.*

Proculum] Polum, *Turneb. lib. xxiiii, cap xv.*

grassantes] grassatos, S.

Oneratos] oneratis, *adoram* G.

LXIX. viri] viro, *Beroaldus.*

conditiones] conditione, *Sabellicus.*

Tritisceniam, *non*, Citisceniam, C. N. & *Turneb. lib. xxiiii, cap. xv.*

in quam] in qua, A. S.

LXX. annumerantis] enumerantis, C. S. enumerantes, N. numerantes, A. nominantis, R.

LXXI. est vt] est & vt, C. N. R. A. S

LXXII. Lanuuium] Laniuium, S. Lauinium, C. N. A. Lauinum, R.

LXXIII. quorum] quarum, C. N. R. A. S.

LXXIIII. Proditam] perditam, N.

Speculator] spiculator, *Beroaldus. vtramque lectionem agnoscit Sabellicus.*

LXXV. Forpices] forfices R. forcipes *Beroaldus.*

LXXVI. bucceas] buccas, C.

LXXVII. acidum] aridum, C. S.

LXXIX. remollitum] remolitum, A.

LXXX. contractis] concretis, C. N. A. S remedio arenarum atque arundinum. *Augustus, cum coxendice, & femore, & crure sinistro non satis valeret, immo sæpe ea parte claudicaret, deambulatione in arena, & maxime profunda, ad desiccandas fluxiones confirmabatur; atque remedio arundinum ad continendum & claudicationem impediendum vtebatur. Vide Hieronymi Mercurialis de Arte gymnastica lib. v, cap. xii.*

LXXXI. iocinore, N. R. A. S. iecinore, C. *in quo etiam* iocinore *annotatur. Carisius Institutionum grammaticarum lib. 1* quidam dicunt hoc iocinor, huius iocinoris. *Infra cap. xcv.* victimarum iocinora replicata intrinsecus. *In Vitellio cap xiii,* In hac scarorum iocinora.

LXXXII. Peristylio] peristylo, R. A. S.

dio] diuo, C. N. S.

calefacta] tepefacta, A. S.

LXXXIII. sestertio, N. R. sextertio, A. S. sesticula, *aut* xysto, *Beroaldus.*

Oscillatis, nucibusque] officulis, *lege.* ἀσπραγαλίζα *enim* officulorum ludus *a Græcis nominatur. Vide Bredæi Miscell. lib. iiii, cap. vii,* occellatis nucibusque, C. N. R. *sed in* C. *etiam* ocellatis *annotatur.* ocellatis nucibus, A. ocellatis nucibusque S. castellatis nucibus, *in quodam vetustissimo codice legimus, id est, castellatim dispositis. sed* oscillis, nucibusque, *legendum videtur, sicut in sinceriore codice scriptū e latere obseruaui. Beroaldus. Sunt autem* oscilla, *parua sigilla, in effigiem humanam arte simulata. de quibus lege Macrobii Saturnaliorum lib. 1, cap. xi. Sunt* oscilla *quoque imagunculæ, quæ infantibus ad lusum præbentur. Sed &* oscillum, oscillatio, αἰώρα, *pensilis motio, lusus genus, pueris rusticisque familiare, priscæ ætatis in Latinis feriis vsitatum, quo religatis altrinsecus de tigno arboreue restis finibus, in aere librati subuectantur: quod* oscillo iactari *vocat Arati interpres. Vide Seruii Comment. Georg. ii. Hadriani Iunii Nomenclatorem in vocabulo* Oscillum, *& Turneb. lib. vii, cap. xx: & lib. xx, cap. xxiii.*

facie] facilitate, *adoram* G.

pumilios] pumilos, C. N. C.

LXXXV. prosa. *Orationem quam nos* prosam *dicimus, Appuleius* prorsam *appellat. Vide Turneb. lib. x, cap. xii: & M. Antonii Mureti Annotationes in Terentii vitam.*

LXXXVI. Sed ne] Sed nec, C. N. R. A. S.

Verrius] Veranius, C. N. R.

C. Sallustius, *scribe, non* Crispus Sallustius, *vt in libris impressis legitur.*

LXXXVII. Contenti simus, C. R. A. S. Contenti sumus, N. Contenti sumus, *vt veteres libri; vel, vt excusi,* simus hoc Catone, *valet, hac feramus modice, & æquo animo, nec nobis mortem consciscamus, sitque satis vnum fuisse Catonem, qui sibi manus Vticæ attulerit. Turneb. lib. xxiiii, cap. xv.*

velocius quam asparagi coquantur] celerius quam asparagi coquuntur, C. N.

baceolum]

baceolum] *Lege Erasmi Chil. I. Cent. vi, Adag. xi.* pro stulto, baceolum: *vt sit tamquam diminutiuum a bacelo, qui stultum & amentem significat Turneb. lib. xxiiii, cap. xv.*

baceolum, & pro pullo, pulleiaceum] baceolum apud pullum pulleiaceum, c. n. *Ne pullus equi intelligeretur. quandocumque pullum gallinae significare volebat,* pullum pulleiaceum *appellabat proinde in veteribus libris legitur,* apud pullum pulleiaceum, *quod est, in mensa ad pullis ferculum & parapsidem. Turneb. lib. xxiiii, cap. xv.*

LXXXVIII. loquendum] loquimur, c. loquamur, n. r.

LXXXIX. Sperarchi] Sperarei, c. n. r. a. s. Speracci *in* c. *annotatur.*

sectabatur] spectabat, *ad oram* g.

excerpta] excepra, c.

exercituum] exercitum, a.

XCI. medici] amici, c. n. r. a. s.

XCII. omina quidem] omina quædam, c. n. r. a. s.

ne aut postridie nundinas] *Postriduani dies iccirco male ominosi erant, quod sequebantur ferias Kal. Nonarum & Iduum, & quod postriduani dicerentur. In eo enim vocabulo malum omen inest, quod postridie omnia sera & intempestiua sunt. itaque cum dixisset Tranquillus, numquam Augustum postridie nundinas quoquam profectum, addit in eo vitasse eum δυσφημίαν nominis, vt & in Nonis· vnde quodam diximus loco, Idus & Kalendas ante Nonas nominari solitas ex Asconio. Hæc Turneb. lib. xxiiii, cap. xv. Nonæ, Idus, Kalendæ, quæ ferte numerandæ, vide Turneb. lib. xv, cap. xiiii.* postridie Nonas, a. s.

ominis] nominis, c. s.

XCIII. præceptas] receptas, *ad oram* g.

XCIIII. Marathus] Macothus, c. Marachus, r.

eximi] exigi, *ad oram* g.

Laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus] *Ad currum Iouis censebant equos niuali candore iunctos esse. Vide Turneb. lib. xxiiii, cap. xxxi.*

& diu] diuque, c. n. a. s.

volasset] euolasset, c. n. a. s.

XCV. iocinora, *pro* iecinora, c. n. r. a. s

XCVIII. fausta omnia] fausta omina, c. n. r. a. s.

XCIX. labentes] labantes, n.

ἄπι χρόνι] *Ante* ἄπι χρόνι, *hæc verba exolescentia & fugientia e vetere libro eruimus, & tamquam fugitiuarii retraximus,* mimum vitæ commode transegisse. *& mox,* εἰ δὲ πᾶν ἔχει καλῶς, τῷ παιγνίῳ ἄπι χρόνι, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς προπέμψατε. *Turneb. lib. xxiiii, cap. xv.*

C. præcedente Victoria, quæ est in Curia. *ea est, cuius aram de senatu sublatam dolenter tulere gentes Christianismo conualescente: de qua Symmachus sic queritur:* Quis est ita familiaris barbaris, vt aram Victoriæ non requirat? *de qua re elegantissima ei respondit epistola D. Ambrosius, in qua & hoc scribit:* Huius aram (*de Victoria loquitur*) sibi in vrbis Romæ Curia petunt, hoc est, quo plures conueniunt Christiani. *Turneb. lib. xxiiii, cap xv.*

transferendam] transferrent, *ad oram* g.

iurasset] iuraret, c. n. r. a. s.

CI. De tribus voluminibus] Tribus voluminibus, n.

vbique essent] vbique esset, s.

EX TIBERIO, III.

I. Atta Claudio] Tatio Claudio, c. n. r. Appio Claudio, a. s. *Lego* Atta Claudio gẽtis principe. Attæ *autem vocabantur, qui propter vitium crurum vel pedum, plantis insistebant, & terram magis attingebant quam ambulabant. Turneb. lib. xiiii, cap. xvii.*

Sexto fere anno, a patribus in patricios cõoptata. Agrum] sexto fere anno, a patribus in patricios cooptata. Agrum. n. r. sexto fere anno, atq; a patribus in patricios coaptata. Agrũ, a. sexto fere anno, atque a patribus in patricios cooptata. Agrum, s.

locumque, c. r. a. s. lucumque, n. *vtrum rẽctius sit, iudicet lector.*

II. secus admissa *Etsi nihil heic habeo quod hanc dictionem culpem, tamen* sequius *quod reperi, non possum dissimulare. Sic & Varro apud Nonium vocabulo* Ruminare *loquitur:* Nõ modo absens quidquã sequius de se cogitabit, sed etiã ruminabitur humanitatem. *Vide Turneb. lib xiiii. cap. xvii.*

Claudius Nero] Tiberius Nero, n. r. s.

demersis, vt biberent] demersis, quasi vt biberent, c. n. r.

crimini publico, Iliciam] discrimini publico; Iliciam, c. n. r. a. s. discrimini publico, Glauciã; *Beroaldus & Sabellicus.*

adhærentem] obhærentem, c. n. r. a. s.

notissimum] notatissimum. n.

Etiam virgo Vestalis fratrem] *Cicero pro Cælio non fratrem, sed patrem appellat. Turneb. lib. xiiii, cap. xvii.*

interdicere] intercedere, c n. r. a. s.

III. vt fama] vt fama est, c. n. r. a. s.

IIII. Narbona] Narbo, c. n. r.

Tiberium enixam] filium enixam, c. n. r.

V. iterum, & Munatio Planco] iterum, L. Munatio Planco, n. iterũ, Munatio Planco, r. a. s. *Reperio,* Lucio Numatio Planco, *in vetere libro:* Munatium *tamen appellat Dio, quod & verius videtur. Turneb lib. xiiii, cap xvii.*

post bellum] per, *pro* post, *ad oram* g.

VI. funali equo] *Funalis equus dicitur, qui extra iugum est, & iugali opponitur: is σειραῖος & σειραφόρος a Græcis dicitur. Hæc Turneb lib. xiiii, cap. xvii. Vide & lib. xxii, cap. xxiiii.*

Actiacis ludis] Atticis ludis, n. r. *Pro* Actiacis ludis, Atticis *reperio, sed &* Asticis. Actiaci ludi *fiebant in memoriam Actiacæ victoriæ: de quibus Maro Æn.* III, Actiaque Iliacis celebramus litora ludis. Attici *tamen ludi essent, vt &* Astici: (*nam satis constat Athenas* Astu *appellatas fuisse. hinc in Isocratis vita scribitur,* διδάσκαλος ἀστικὸς χορῶν) *similes illis, qui olim Panathenæis & Liberalibus Athenis fiebant. In* ludicro *autẽ* Troiæ, *cuius heic meminit, turmæ erãt duplices, vna minorũ puerorũ, altera maiorũ. Hæc Turneb. lib. xiiii cap. xvii. Vide & lib xviii, cap. v. & lib xxvii, cap. xx.*

VII. centum millium] centenum millium, C.N.R.A.S.

Pomponii Attici] Cæcilii Attici, C.N.S.

tumentibus] contumacibus, C. contumentibus, N.R. *Forsasse* continentibus, *praefixu. vide num sit legendum* conniuentibus, *ad oram* G. tumentibus oculis prosecutus est. *hæc lectio assertione indiget, propterea quod in dubium vocatur a doctis. ego* tumentes oculos *accipio, velut erumpentes e capite & prominentes, quod in ea penitus defixi essent. quo modo* κυλοιδιόωντας *a Theocrito dicuntur. Turneb. lib xiiii, cap xvii.*

IX. Breucos] Brennos, C.N.R.S. Breunos, A. Brencos & Dalmatas subegit. *hanc lectionem potius, quam veterum librorum auctoritatem sequor, in quibus* Brennos *lego. nam* Breucos *& Plinius asserit, lib iii, cap. xxv. & Dio confirmat lib lv.* Brennos *reperio in Strabone lib. xxvii. Horatius iiii Carm. xiiii,* Breunos *nominat, sed fortasse alios* Breunosque veloces, & arces. *Turneb. lib xiiii, cap xvii.*

percucurrit] percurrit, N.R.A.S.

X. paucosque admodum in digressu osculatus] exosculatus, N.R. paucos admodum in digressu exosculatus, A.S.

XI. increbrescente] increbescente, C.N.

quodam] quondam, A.S.

exceptum est] est, *non habetur in* C.N.R.A.S.

tamen singulos] tamdem singulos, C.N.

dimitteret] dimittere, C.N.R.A.S.

XII. & trepidum] se *pro* &, *ad oram* G.

XIII. Nemausenses] Remausenses, N.R. Neumasenses, A.

XIIII. subitis] subductis *agnoscit Beroaldus: sed alteram lectionem dicit esse veriorem.*

assedit] adsidit, *ad oram* G.

XV. adoptione amiserat] adoptione, C.N.R. *non habent.*

XVI. inter Italiam, N. *Lego* inter, *non* intra. *Turneb lib. xiiii, cap. xvii.*

dicionem] deditionem, C.

XVII. decretus est, multique & magni honores] decretus est, multi & magni honores, C.N.A. decretus est multi & magni honoris, R. decretus, & multi & magni honores, S.

eo contentū repromittens] eo contentū eum promittens, *in antiquo codice legitur, ad oram* G.

XVIII. vehiculorum] *Reperio* vehiculatorum onera. *itaq; quamuis illud non improbem, tamen quidni hoc etiam defendere possim? præsertim cum ut* nauiculator, *sic etiam* vehiculator *dici probe possit. Turneb. lib. xiiii, cap. xvii.*

XIX. Rhuteno] Ructero, C. Rutero, N. Bructero, S.

XX. Batonem, C.N.S. *Pro* Batione Pannonio, *Batonem restituo, tum veterum librorum adstipulatione, tum Dionis approbatione adductus. Turneb. lib. xiiii, cap. xvii.*

passus esset] passus est, C.N.R.A.

dein] dehinc, C.N.R.A.S.

trecenos, *non* tricenos, *Glareanus in Annotationibus suis ex vetusto codice legendum esse docet.*

XXI. maxillis erit] maxillis edit, R. maxillis ederet, A.S.

diritatem] duritatem, N.R.

ἐμοὶ καὶ] *Græca sic reperio,* ἐμοὶ καὶ ταῖς μούσαις καὶ τῇ στρατηγίᾳ. *reperio etiam* ἄρισι στρατηγῶν. *ut sit* optime Imperatorum. *Turneb lib. xiiii, cap. xvii.*

vale, & ordinem æstiuorum tuorum. Ego vero, mi Tiberi, & inter] Vale Ordinem æstiuorum tuorum ego vero, mi Tiberi, laudo, & inter, S. Vale. ordinem æstiuorum tuorum. Ego vero, mi Tiberi, inter, C.N. *Vide Glareani Annotationes.*

ῥαθυμίαν] *Pro* ῥαθυμίαν *inuenio non ineleganter* [illegible]. *Turneb. lib. xiiii, cap. xvii.*

tu non] tu modo, C.

XXII. ea conscio] eane conscio, S.

XXIIII. occupare confestim] occupare aperte confestim, A.S.

verba sunt hæc] hæc, *non habent* C.N.R.

XXV. Prætoriani Germaniciani. Quidam etiam] Prætorianis Germaniciani. Quidam, A. *quam lectionem Glareanus in Annotationibus ex antiquo codice comprobat.* Prætorianis. Germaniciani quidem, S.

XXVI. omnino] mox, A.S.

XXVIII. Si hanc fenestram aperueritis] Sed hanc fenestram auditus si aperueritis, C. Si hanc fenestram auditus aperueritis, N.

Siquidem locutus aliter] Si quid locutus alter, C. Siquidem locutus alter, N. *atq; ita ex vetusto codice Glareanus legendum existimat.*

XXIX. Q. Haterio] *Tacitus Annalium lib. iiii:* Fine anni excessere insignes viri, Asinius Agrippa, claris maioribus quam vetustis, vitaque non degener, & Q. Haterius familia Senatoria, eloquentię quoad vixit celebratę. monumenta ingenii eius haud perinde retinētur scilicet impetu magis, quā cura vigebat. Vtq; aliorū meditatio & labor in posterū valescit, sic Haterii canorū illud & profluēs, cū ipso simul exstinctū est.

Et inde] Et deinde, C.N.R.A.S.

alloquens dixit, Et nunc] alloquens, Dixi & nunc, S.

XXX. legum] regum, A.S.

XXXI. censente] eo censente, A.S.

XXXII. Boni pastoris] *Illam merito laudatam, & in omnium ore versari solitā Tiberii sententiam,* Boni pastoris esse tondere pecus, nō deglubere, *paullo aliter extulit Dio*, κείρεσθαί μου τὰ πρόβατα, ἀλλ' οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι: *quod est,* tonderi pecus meum volo, non radi. *Turneb. lib. xiiii, cap. xvii. Vide Erasmi Chil. iii. Cent. vii. Adag. xii.*

XXXIII. Paullatim principem exercuit] *aliquanto elegantius est*, principem exeruit, *vt in omnibus bonis libris; quod est, exeruit vim principatus, & se principem fecit. Turneb. lib. xiiii, cap. xvii.* se principem exercuit, N.

mistim] iuxtim, C.N.A.S.

XXXIIII. mullos, S. *duplici* ll: *quomodo in antiquis meis Horatii & Iuuenalis exemplaribus scribitur.* mulos, *vnica* l, C.N.R.A. *de qua scriptura iudicet lector.*

XXXV. & Quæstura] e Quæstura, C.N.R.A.

vxorem pridie sortitione ductam, *non satis intelligo; arbitrorque legendum,* pridie sortitionem, *vt* pridie Kalendas *dicimus. significat enim, eum vxorem, quam pridie duxerat, dimisisse postridie quam sortitus est prouinciam. nam e sortitione*

tione cum amplissimas sperarat diuitias, vxoris vt pauperis contubernium despicere cœpit. Turneb. lib. xiiii, cap. xviii.

XXXVI. vestes, C. N. R. A. S. *& Brodaeus Miscell. lib. iiii, cap. viii. quos sequor, non Sabellicum, qui* vestas *sine vllo veterum librorum testimonio legendum esse contendit.*

desituros] deserturos, C. destituturos, N.

XXXVII. & ius moremque] & vim moremque, R. A. S.

meruerant] meruerunt, C. N. R. A.

Maraboduum] Marabodum, C. R. Marobodum, N.

Thrasypolim] Trascipolum, C. Trasipolim, N. Rascupolim, A. S. Rascupolis *ab Appiano de Bellis ciuilibus lib. iiii appellatur.* Rascipolim *Caesar de Bello ciuili lib. iii, & Lucanus lib. v, nominant.* Rescuporis *a Tacito,* Rascuporis *a Dione, quod & verius puto, vel* Thrascuporis *vocatur. Vide Turneb. lib. xiiii, cap. xviii.*

XXXVIII. nusquam] numquam *ad oram* G.

Callippides] *Vide Erasmi Chil. i, Cent. vi, Adag. xliii.*

XXXIX. incenante] inibi cenante, *ad oram* G.

XL. maris] mari, *ad oram* G.

XLII. correptione] correctione, N. R. A. S.

Sextio Claudio] Sestio Claudio, R. Sexto Claudio, A. S.

equite R. & Censorio] equite Romano, & Caesanio, C. equite Romano T. Caesonio, N. R. A. S.

XLIII. sellariam] sellaria, A.

Spintrias] *Vide in Vitellio cap. iii.*

imparatae scenae] impetratae scenae, N. A. impetratae cenae, R. imperatae lasciuiae, S. *Pro* imperatae scenae, *lego* impetratae schemae. *nã* schema schemae *a Latinis dicitur. heic forma concubitus significatur. quam &* impetratae *codices optimi habent. vt forma ea concubitus & complexus significetur, quam a portentosis illis & extrema libidinis hominibus impetrarat Imperator; quibus intentis & auidissimis oculis talem impuritatem spectabat. Turneb. lib. xiiii, cap. xviii.*

XLV. Ecquid] Etquid, C. N. *Vide Diomedem lib. i, de coniunctione.*

arripuit] abripuit, S. abripuit *malim, quam* corripuit. *Turneb. lib. xiiii, cap. xviii.*

notain Atellanico exodio] morain Atellanico exodio, C. N. *In optimae fidei libro reperi,* mora in Atellanico exodio: *atque vtrumque defendi videtur posse illud, quod notatus infamia sit Tiberius obiecta oris obscenitate: hoc, quod histriones id de Tiberio intelligentes, & tractim pronuntiantes, aut etiam iterantes, attulerunt moram exodio: quam etiam histrionum moram secuta est mirifica populi assensio.* Exodia *autem quae sint, explicat Aristoteles in arte poetica. sunt enim ea quae praeter argumentum inseruntur fabulis. Ergo cum histriones fabulas Romae agebant, vt tragoedias, interponebantur scena quaedam extra argumentum, quae a iuuentute agebantur, exodiaque vocabantur: quemadmodum Satyra Graeca actioni Graecarum fabularum olim interponi solebat; vt ex Horatio notum est. ea autem exodia postea contulerunt, Atellanas fabulas fecere. Turneb. lib. xiiii, cap. xviii.*

XLVI. vna modo liberalitate ex indulgentia vitrici prosecutus, S. *quam lectionem hominibus doctis probat Turneb. lib. xiiii, cap. xviii.* Vnam modo liberalitatem ex indulgentia vitrici prosecutus, C. N. R. A. Vnam modo liberalitatem ex indulgentia vitrici consecutus, *quidam libri vulgati.*

gratorum] Graecorum, N. R. A. S. *Quanto melius* gratorum, *vt in veteribus exemplaribus? gratos enim ab amicis heic distingui accipimus; eosque intelligimus, quos etsi non in amicis numerabat, iucunde tamen & libenter videbat, cum eorum consuetudo sibi grata esset. Turneb. lib. xiiii, cap. xviii.*

XLVII. susceperat, Augusti] susceperat, id est, Augusti, C. A. S.

Actium] accitum, C. N. Accium, A. *quod etiam in* C. *annotatur.*

XLVIII. peracto] pacto, C. S.

millies sestertiûm] millies sestertio, N. R. *Vide Glareani Annotationes.*

XLIX. Sat] Satis, C. N. A. S.

L. Liuiam grauatus] grauatus, C. R. *non habent.*

& aegre vti] & egere, & vti, C. N. R. A. S. *& Turneb lib. xiiii, cap. xviii.*

Tulit etiam perindigne actum a Senatu] Tulit & perindigne actum in Senatu. *Turneb. lib. xiiii, cap. xviii.*

admonuit, maioribus] admonuit, quod & non maioribus, N. admonuit, quod non maioribus, R. A. S.

LI. adfuit] abfuit, N. R. A. S.

die, ac paucissimis] die paucissimis, C. N. R. A. S.

aegre abesse] aegre adesse, C. N. R. A. S.

Testamentumque] Testamentum quoque C. N. R.

viro & in antliam condemnato] antliã *Tranquilli genuinam esse scripturam, non dubito. existimo autem veteres, quemadmodum ad triremis publicae remum, ita & ad rotas aquarias, & antlias publicas, reos aliquando damnare solitos. Vide Petri Pithoei Aduers. subsecivorum lib. i, cap. xvii.*

in latomiam condemnato] *Plurimum hunc demortit vetus scriptura,* & in andiam condemnato. *quam repraesentare malui, quam praetermittere: vt haec, quae huius loci incubatrix est, eiiciatur possessione. quamquam de Andia nihil quidquam legi: sed occurret sagacioribus fortasse & doctioribus, ex his tamquam vestigiis, quod commode reponant. nam Pandataria veniebat in mentem & Aenaria, sed & insula Dia: sed his coniecturis errantibus & vagis parum confido reperi tamen pro Andia tamdem in alio nobilissimo & vetustissimo libro* antliam *quam germanam scripturam reor: vt eum in sentinam nauis damnatum vel haustum aquae intelligamus, vel potius ad aquae haustum, quae antlia trahebatur. Turneb. lib. xiiii, cap. xviii.* & in Antliam, C. A. S. *corrupte.* & in Media, R. *mendose.* viro ad mediam, N. & in latomiam, *vel,* & in Anticyram, *Beroaldus: qui vtramq. hanc lectionem se in veteribus codicibus legisse dicit.*

LII. sed tantum non statim post a funere] sed non statim a funere, C. sed tamen non statim a funere, N.R.A.S.

caussa mortis] caussam mortis, A.

eleuaret] elueret, C. R. eluderet, N. eleuarit, A.S.

LIII. se veneni crimine accersitum] veneni se crimine arcessitum, C. se veneni crimine accersiri, N. veneni se crimine accersi, R. veneni se crimine arcessi, A.S.

LIIII. congestis] coniectis, *ad oram* G.

reliquiis dispersis] reliquias dispersas, C.N.R.A.S.

LVI. Cynariam, R. *ea est quæ* Cynara *a Plinio vocatur, Sporadum vna. Audius qui* Cinyriam *vrbem Cypri emendandum. vel* Ænariam *putarent. qui audiendi non sunt. Turneb. lib. xiiii, cap. xvii* Cinariam, N.

LVII. προεχομένων pro συμπροφερομένων, S. *Reperio in bonis libris,* πηλὸν αἷμα προεχομένων· *quod haud paullo melius est quam quod receptum video. Turneb. lib. xiiii, cap. xvii.*

fauorem moderationis] fauorem hominum moderationis, N.

LVIII. Paullatim hoc] cõfestim, *ad oram* G. hoc, C.N.R.A.S. *non habent.*

cecidisse] sedisse, *ad oram* G.

honores in colonia sua eodem die decerni sibi passus est, quo decreti & Augusto olim erãt] honorem in colonia sua eodem die decerni sibi passus est, quo decretus & Augusto olim erat, N. honorẽ in colonia sua eo die decerni sibi passus est, quo decretus & Augusto olim erat, R. houorem in colonia sua eo die decerni sibi passus est, quo decreti & Augusto olim erant, A.S.

LIX. Nec semel] Non semel, C.N.R.A.S.

impatientibus Romæ domini] impatientibus Romæ domini, C. impatientibus domini, R. impatientibus remedii, S.

LX. puniit] puniuit, C.N.R.A.S.

LXI. quam Seiano] quam Seianum, C.N.R.A.S.

est generarum] esset: genera, C.N.R. est. genera, A.S.

receptum] receptum est, C.N.R.A.S.

aliquot ante annos, etiam] ante aliquot etiam annos, C.N.R.S. etiã aliquot ante annos, A.

quondam] quodam, C.N.R.

LXII. periisse] perisse, C.A.S.

diuulgaret] vulgaret, C.N.R.S.

& nisi eum] nisi eum &, N.S. & C. *non habet.*

LXIII. Quam vero] vero, *in* C.N.R. *non exstat.*

LXV. identidem: signaque] identidem signa, quæ, N.R.A.

quidque foret factum, mandauerat] quidque factum foret, mandauerat, N.R. quidque factum præsentiret, A.

LXVII. pœnis perdant, quem quotidie perire sentio, si scio. Existimant] peius perdant quã quotidie perire sentio, si scio. Existimant, S. & *Turneb. lib. xiiii, cap. xvii.* pœnis perdant, quem quotidie perire sentio. Scio existimant, C.N.R. *Vide Glaream Annotationes.*

LXVIII. subtiles] subtiti, A.S.

LXIX. ceruice] capite, *ad oram* G.

LXX. Conquestio de L. Cæsaris morte, *lego: vt nepotis Augusti Lucii Cesaris deploratam ab eo mortem carmine putemus. Turneb. lib. xiiii, cap. xviii.* Conquisitio de L. Cęsaris, N.S. Cõquisitio de I. Cæsaris, R. Conquisitio de Iulii Cæsaris, A.

Rhianum *lego, non, vt vulgo,* Arrianum. *nam Rhianus poeta nominatur a Suida: eiusque hodie multi exstant versus in Stobeo. Turneb. lib. xiiii, cap. xviii.* Syanum, C. Hianum, N. *hanc veterum librorum scripturam, quod paullulum a vera esset diuersa, non omittendam existimaui.*

LXXI. alias] alioqui, C.N.A.S.

postularit] postularet, C.N.R.A.S.

vetuit] voluit, C. noluit, R.

LXXII. prope Campaniam] propere Campaniam, R. propere in Campaniam, S.

LXXIII. Luculliana, A.S. *pro* Luculliana, *quod habent* C.N.R. *vel,* Luciliana, *quod in quibusdam libris impressis legitur.*

LXXIIII. Temenitem. *Vide Gyraldum de Deis Gentium, Syntagm. vii: & Turneb. lib. viii, cap. xii.*

LXXV. Senatusconsultum actum esset] Senatusconsulto actum esset, C.R. Senatusconsulto cautum esset, N.

EX CALIGVLA, IIII.

III. Vectatione. Post cibum hostem] vectatione post cibum. Hostem, N.R.A.S.

VI. moraretur] morarentur, N.A.S.

etiam atrocitas] & atrocitas, C.N.R.A.S.

VIII. Ambiatino] Ambitarino, C.N.R.A.S. *Pro* Ambiatino, *reperio in iurata fidei libris,* Ambitarino: *nec tamen quidquam immutare ausim, lectoremq; suo hac de re iudicio relinquo. Turneb. lib. xxviii, cap. xx.*

de Caio hoc] de Caio hæc, N.

parere, C.N.R.A.S. *In veteribus libris,* Abunde arbitror parere, *quod est* apparere, *lego. quod negligendum non puto. antiquarius enim est Tranquillus, & verbis vti antiquis non reformidat.* parere *etiamnum in iurisconsultorum & iudiciorum formulis remanet. Hoc igitur ne indignum admonitu credidi: etsi vsitatam tritamque scripturam condemnare nõ ausim. Turneb. lib. xxii, cap. xxxi.*

IX. loco] ioco, S.

ablegari] obligari, C.N.R.

X. & in Syriaca] & R.A.S. *omittunt.*

inde vicesimo, C.N.R.S. & *Turneb. lib. xxviii, cap. xx* vndeuigesimo, A.

tirocinio] Tirones *appellabantur qui sumserant togam virilem idque* tirocinium *vocabatur. Turneb. lib. xi, cap. xxiiii.*

transmittens, *id est, præteriens, tacens.* transmutans, C.N.R.

XI. capillamento celatus, & veste lõga] *Quispiam credat, esse capillamentum non quamcumq; appositam comam, sed prolixiorem, similemq; propè femineæ. nam capillus est coma paullo longior, vt cum etiam virilis promittitur. Iuuenalis Sat. v.* Ille capillato diffusum Consule potat. *Vestem igitur longam gessisse Caligulam censeret, vt stola mulier solet ad pedes demissam, ne agnosceretur; & capilla-*

pillamentum sumsisse virilis coma longius, similéque muliebri, aut Maurorum & Hispanorum promissis crinibus. nam hi populi capillati erant. Turneb. lib.s,cap.xvii.

XII. augur in locum fratris Drusi destinatus] Destinatus augur *dicitur, vt flamen Dialis destinatus, qui delectus & creatus & designatus est, etsi nōdum inauguratus. cumque nondum iustum sacerdotium sit ante inaugurationem, sed tantum destinatio: ideirco eo dicendi genere veteres vsos fuisse suspicio est. Turneb.lib xxvii,cap.xx.*

Seiano vero] Seiano hoste, C N.A.S.

XIII. quod infantem] qui infantem, C.R.A.S.

lætissimo] lentissimo, C.N. *sed & in* C. lætissimo *annotatur.*

XV. Ferculis] *quidam codices habent* forulis: *Beroaldus.*

vt omnibus sacramentis adiceretur; Neque me, liberosq, meos cariores habeo, quā Caium & sorores eius, S. *Id addi voluit militari iureiurādo, aliūq;. Turneb.lib.xxvii,cap xx.* afficerentur, C.N.R.A. addicerentur, & adicerentur, *vt in libris impressis legitur, mendosa sunt.*

XVI. Spintrias monstruosarū] Spintrias monstrosarum, C.R.S. *Vide in Vitellio cap iii.*

Ducentesimam auctionem] *Quam autem ducentesimam auctionem Italia dicit Tranquillus sublatam, eam non* ducentesimā, *sed* centesimam *Dio vocat: ac fortasse sic verius in Tranquillo scriberetur. Turneb lib.xxvii,cap.xx.*

adiecit, S. *& Beroaldus ex codice antiquo manu scripto.* affecit, C.N R.A. *Lego* adiecit & fructum, *non, vt in omnibus, quos viderim, excusis libris,* affecit. *nō enim tantum eis regna restituit, sed & medii temporis fructus vectigaliorum, quos amiserāt, nec perceperant; & redituum medii temporis. Turneb.lib xxvii, cap xx.*

115 millies] *Vide Glareani Annotationes.*

octingenta] octoginta, C.N.R.A.S. *Lege Glareani Annotationes.*

XVIII. quondam etiam &] quondam, &, C.S. quosdam &, N R. quosdam etiam &, A.

Africanarum] Africanorum, C N.R. *sed prior lectio Beroaldo & Sabellico magis placet.*

quosdam autem precipuos] & quosdam precipuos, C.N.R.A.S.

cum e Geloriana apparatum, *lego vt* domus, *aut nescio quid tale subaudiatur. nā quod de* lege Luciana, *aut* elegantia *hic cōmiscuntur, vt bellum sit, certe verum nullo modo arbitror.* Geloriana *domus erat, vt ex inscriptione vetere liquido cōstat, in qua scriptum est;* Symphoro tesserario Ser. Cæsaris de domo Geloriana. *Hac Turneb. lib.xxii,cap xxxi. & lib xxvii,cap.xx.* cum lege Lotiana appararum, C. N. S. cum lege Luciana apparatum, R. cum elegantiam apparatus, *ex codice manuscripto Egnatius.*

XX. hasticos ludos] Hastici ludi *simulacro quodam belli hastis celebrabantur, vt sese Romana pubes exerceret. Vide Franc. Lusini Parergon lib iii,cap xxviii.* Articos, C.N.R.A.S. Actiacos *legit Sabellicus.* Astici ludi *in Caligula non sunt grammaticorum confessus voluptatis & oblectationis, vt spectacula principum, sed molestia & sollicitudini. nam qui sint quærunt: ac plerique* Actiacos *legunt, & ludos ab Augusto intelligunt institutos in honorem Actiacæ victoriæ, sed sine librorum adstipulatione; in quibus per vetustis partim* Attici, *partim* Astici *exaratum reperio.* Asticos *autem ludos interpretor vrbanos, quod sint etiam* ludi rustici; *vel potius Atheniensium ludos, quorum vrbs* Astu *dicebatur. producitur ab Athenæo in Dipnosophistis Charicles περὶ ἀστικοῦ ἀγῶνος. Quod si quis ludos Atticos malit, e consuetudine Atheniensium explicabit; qui Liberalibus, Lenæis, Chytris, & Panathenæis, id est Quinquatribus, ludos scenicos dabant. Actiacos tamen ludos, ab omnibus interpretibus probatos, vix ausim improbare, malimque legere, cum præsertim in Italia etiam celebrarentur. Vide Turneb.lib xiii, cap.xviii: lib.xviii,cap.v: & lib xxviii, cap xx.*

XXI. Samii] Sami, C.R A.S.

primipilarem, C.N.R. primipilarem Caium, A.S. *Emendo,* Miseratque iam ad dimetiendum opus primipilarem. *nam* Caium *de nomine huius Imperatoris huc inculcatum arbitror. Turneb lib. xxvii, cap.xx.*

XXII. apportarentur e Græcia, A.S. apportarentur egregia, N.R. *Vide Egnatii Annotationes.*

iconicum, *non* iconium, N.A.S. Imago iconica *est, quæ magnitudinem, formam, omniaque ad vnguem alicuius lineamenta reddit. Athenæus,* ἱδρύσασθαι τῆς τῶν βασιλέων συγγενείας ἀγάλματα εἰκονικὰ λίθου λυχνίου. *Turneb. lib.xxvii, cap. xx, & xxvi.*

tetraones] erythrotaones, *Sabellicus.*

Εἰς γαῖαν Δαναῶν περάω σε] *Græca sunt corrupta, vt fere in Latinis libris. nam & veteres librarii formas litterarum male fingebant, & chalcographi deterius legerunt. lego igitur e Dione, & veteri libro;* Nam vox comminantis audita est, ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σε. *estque Homericus versus commatium; hoc sensu;* aut me tolle, aut ego te. *Vide Turneb.lib. xxii, cap. xxxi: & lib.xxvii, cap. xx. item Petri Victorii Explicationes in Epistolas ad Atticum lib.xvi.*

XXIII. Actiacas, singulasque] Actiacas Siculasque *Beroaldus, & Sabellicus. Vide Glareani Annotationes.*

secutus] continuo secutus, *ad oram* G.

oboluisset] aboluisset, N.R.S.

XXV. Liuiam Orestillam, *non* Horestillam, R.S. Corneliam Orestillam *nominat Dio lib.lix.*

comatam] ornatam, C.N.A.S. armatam, R.

XXVI. Selena, N. Selene, S *non* Helene *habent.* ex Helenæ filia nepos, *non vsquequaque mendo vacat. nam cum e Plutarcho & Dione filiam Antonii* Selenen, *id est Lunam, vocatam fuisse intelligam, & ita repersam in veteribus libris, quid nō Selenam restituam? Turneb lib.xxvii, cap.xx.*

decimas maturius dabat] *Hic ego crediderim decimas esse missilia, & tesseras quas spargebant ludis scenicis: atque ita velut quamdam decimam populo R dabat, vt qui decimam bonorum suorum Herculi pollucebant & profanabant, aut qui decimam aliis consecrabant Diis. Nam quin ab huiusmodi quadā notione deuerterit significatio in alium deflexa sensum, haud equidem dubitem. Decima quoque ab aliquibus vxoribus dabantur. hinc*

illa Trachalis inuidiosa exclamatio; placet hoc ergo? & leges, diligentissimæ pudoris custodes, decimas vxoribus dari, quartas meretricibus iubent? *Turneb. lib. xviii, cap. v.*

indixit] induxit, c.

XXVII. ingenii] ingenitam, *ad eram* G.

elogio] *Multis nomen hoc suspecti sermonis est; immo vero peregrinitatis damnatum, vrbe Quiritium expellitur. quorum ego iudicio non accedo. in caussa est, quod extrita vna littera* C, *pro eclogio elogium dici animaduerti.* Eclogium *autem ab eclogo deducitur, hodieque* ἐκλογεῖον *apud Suidam legitur. atque hæc sententia haud paullo plus ponderis habet, ratione præsertim nixa, quam illorum condemnatoria tabella, qui ob ignorationem originis, vocem exterminare malunt, quam Latinam agnoscere. alii quasi ellogium interpretantur, & vnam deperisse litteram censent, & elogium deriuant ab* ἐλλογεῖν, *quod titulus & testatio sit, oratione cuiusque vel vitia vel virtutes, vel recte facta vel flagitia & scelera commemorãs. Hæc cum probabilia sint, temere me iudice faciat, qui tantum sibi iuris sumat, vt e tam multis libris vocem tam diu receptam, velut quodam Prætoris interdicto eiciat, nisi meliorem reponat. Turneb. lib. xviii, cap v. Legi & in antiquo Lexico* elogium *esse contextum malorum gestorum, quod* notoriam *dicunt: atque ita in iure ciuili accipitur. Vide Turneb. lib. xv, cap. xx.* Elogia, & Eulogia, *carmina, versiculi, prouerbia. veteris Lexici explicatio. Turneb. lib. xxviii, cap vi.*

verbenatum, *qua germana lectio est, pro* verberatum, *in* C. *annotatur. Me reum culpæ multo piaculo subeundæ existimarem, nisi studiosis testatum relinquerem, quid in codice vetustatis vltimæ legerim*, verbenatum infulatumque. *nam verbena & infula, sacris & votis conueniunt, non verbera: ausimque omni sponsione contendere, & (quod stultissimum sacramentum nostri dicunt) in capitis periculum iusiurandum dare, hanc veram esse scripturam. Turneb. lib. xxii, cap. xxxi.*

per Genium suum deierassent] *Maximum fuit apud veteres iuramentum, per principis Genium iurare. Gyraldus de Deis Gentium Syntagm. xv.*

abscissaque] abscisaque, C. R.

XXVIII. contrucidarent, N. trucidarent, C. R. A. S.

XXIX. ἀδιατρεψίαν] *Latina interpretatio*, hoc est, inuerecundiam, *quam* N. R. S. *habent, supposititia est.* inuerecundiam, *pro* ἀδιατρεψίαν, A. *sed hæc lectio retinenda est, illa repudianda. Vide Egnatii Græcorum versuum ac dictionum in Latinum tralationem.*

cui tam diu non prodesset] cui ita diu non prodesset, C. *in quo etiam* profuisset *annotatur.* cum tam diu non prodesset, R.

rationem] Romam, *in* C. *annotatur.*

XXX. Ita feri, S. Ita fieri, N. R. A. *Aliquanto melius*, Ita feri, (*quod est, ita percute & cæde*) vt sentiat se mori. *nec vero commentum hoc meum est, sed librorum antiquorum testimonium. Turneb. lib. xxii, cap. xxxi.*

XXXII. abscissis] abscisis, C. R.

a collo] e collo, C. N. R. A. S.

rudibus, C. N. R. A. S. rudentibus, *quod quidam habent, mendosum est.*

poparum] pomparum, *corruptum est.* Popæ, *qui victimas immolabãt, alio corpore nudo, ab vmbilico ad pedes inuoluti erant veste, qua* limus *decebatur. qui proinde heic* succincti *dicuntur, & a Propertio*; Succinctique calent ad noua sacra popæ. *Seruius*, limus, *inquit*, est vestis qua ab vmbilico vsque ad pedes teguntur pudenda poparum. *Turneb. lib. xviii, cap. v.*

XXXIII. seuel fidiculis, C. N. A. S. semel fidiculis, R. *Vide Egnatii Annotationes.*

cur eam tantopere, *pro* cur tantopere, C. N. R. A. S.

XXXIIII. omnis æui homines] omne genus hominum, C. N. R. A. S.

valuerint] potuerint, C. N.

possit præter æquum] possint præter eum, C. N. R. A. S.

XXXV. colosseros] colosseos, A S. κολόσσους, *Turneb. lib. xxviii, cap. xx.*

Thraci] Threci, N.

Nemorensi] *qui a nemore Aricino, non multum a Roma distante, nuncupatus. Vide Gyraldi de Deis Gentium Syntag. xii.*

XXXVI. Mnesterem, *non* M. Nestorem, S. *Suetonius infra cap. lv*; Mnesterem pantomimum etiam intra spectacula osculabatur. Mnesterem, *non* M. Nestorem, *e Dione & libris veteribus legendum esse contendo. Turneb. lib. xxiii, cap. xxxvi: & lib. xxvii, cap. xx. Vide & Pauli Leopardi Emendationum & Miscellan. lib. ix, cap xiii.*

numerans] annumerans, C. enumerans, N.

XXXVII. Nepotinis] Nepotatus, *in vetusto codice legit Beroaldus.*

δεκήρεις] de cedris, N. R. A. S. *Ego bonorum librorum testimonio adductus lego*, decéris Liburnicas, *vel (si Græce manu)* δεκήρεις, *id est decemremes. Naues enim ingentis magnitudinis intelligit, quæ thermarum & tricliniorum capaces essent: quales a regibus Ægypti & Macedoniæ fabricatas refert Athenæus. laxitas autem & capacitas decemremis, triclinia & conclauia & thermas complecti potest. Emendatores, cum* deceris *legissent, nec animaduertissent vocabulum esse Græcum, d litteram interseruere, pretium materiæ secuti, cum amplitudinem significaret Tranquillus. Turneb. lib. xxii, cap. xxxi.*

XXXVIII. census, quibus, C. N. R. A. S. *Vulgo*, & quibus *edunt, coniunctione sensum perturbante, cum dicat, eos argutos fuisse, quod male fortunarũ suarum censum in professione dedissent, quibus post lustrum conditum & censum actum aliqua accessio postea bonorum accreuisset. Turneb. lib. xxii, cap xxxi.*

Testamenta primipilarium] *Testamenta primipilarium, fere Imperatoribus, a quibus promoti fuerant & ditati; & amicis, & bene meritis, aliquid honoris caussa legabant: sæpe etiam Imperatores heredes faciebant. Vide Turneb. lib. xxviii, cap. xxxv.*

macteas] mactea & mattea, *vel* mactya & mattya, *est omne scitamentum, & omnis cupedia, iucundumque & pretiosum edulium. Vide Turneb. lib.*

neb lib.xxii,cap.vii: & Hadriani Iunii Nomenclatorem, cap. de cibis.

XI. statumque] statutumque, N.R.A.

mereret] mereretur, C.N.

quæue lenocinium] quiue lenocinium, C. & quæ lenocinium, A.S.

XLI. Huiusmodi] Eiusmodi, N.R.A.S.

populo R. proposuit] populo proposuit, C. N.R.A.S.

distinctisque] destructisque, N.R.A.S. distructisque, *quidam libri impressi.*

XLII. sæpe super] sæpe, C.N.R. *non habent.*

XLIII. impetum cepit] impetum fecit, C.N.R. *sed* cepit *etiam in* C *annotatur.*

vndique acerbissime] vbique acerbissime, C.N.R.

quantum numquam ante, iter ingressus est] quantos numquam ante alter, ingressus est, C. quanto numquam ante alter, ingressus est, N. quãtum numquam ante alter, ingressus est, R.

XLIIII. Adminio Cinobellini Britãnorum, C.N. *& ita Britannorum rex a Dione lib. lx vocatur, & cum y in prima syllaba scribitur. Vide Turneb lib.xxvii, cap.xx.* Adminiocino Bellini Britannorum, R. Minocynobellino Batauorum, A. *De Minocynobellino Britannorum regis filio, lege Orosium lib. vii, cap. v.* Adminiocino Bellini Batauorum, S.

moniis sæpe latoribus] moniis speculatoribus, C.R. *& Turneb. lib.xxvii, cap.xx.*

XLV arboribus] nemoribus, *ad oram* C.

nimio] vnoc vino, N. nimio, R. minimo, A.S. *Lego* mimo, *cum receptum sit* nimio. *Mimum enim appellat, quod ea res scena, cui & fabulæ fictæ, persimilis videretur. Turneb lib.xxvii, cap. xx. Vide & Pithœi lib.i, cap.xviii.*

XLVIII. potuit modo] modo potuit, C. N.S.

gladiis dispositis, equitatu armato circumsedit] gladiis depositis, equitatu armato circumdedit, C.N.S. *& Turneb. lib.xxvii, cap xx.* gladiis dispositis, equitatu armato circũsedit, R. gladiis dispositis, equitatu armato circumdedit, A.

profugit concione] profugit concionem, C. N.R.A.

animaduertendos] ad vertendos, N. ad auertendos, S.

XLIX. omisso] obmisso, C.N.

L. Pallido] *In veteribus membranis reperio* expallido *ex enim præpositio, vim & potestatem verbi amplificat, vt apud Plinium,* in exalbido. *Turneb.lib.xxii, cap.xxxi.*

deuexione ingredi] defectione gradi, C.N. R.A.S.

LI. fulgura conniuere, caput obuoluere] fulgura communire caput, & obuoluere, C.N.

Ætnæi verticis] *Pro* Ætnæi verticis, *quod sane non reprehendo, atque adeo vehementer laudo, lego in peruetusto libro,* Ætnæi crateris. *neminem autem paullo doctiorem fallit, spiracula ignem euomentia,* crateras *dici. verum hoc adeo magis ne prætermitterem, quam quod inserere vellem, annotaui. Turneb.lib.xxviii, cap.xx.*

sibi superfuturas] certe sibi superfuturas, C. N.S.

LII. speculatoria] *Quæ* speculatoria *dicitur* caliga, *eam esse* spiculatoriam *existimo nam etsi inter speculatorem & spiculatorem multum interest, tamen interdum sic mutatis elementis pronuntiabant sic in euangelio Marci,* ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτωρα, *id est, misso spiculatore. & Suidas,* σπεκουλάτωρες, *inquit,* δορυφόροι, *id est, spiculatoris. Speculatoriam autem caligam, spiculatoriam Tertullianus de Corona militis appellat, id est, caligam militarem. eius verba sunt,* spiculatoriam morosissimam pedibus absoluit. *sic* here *&* heri *sine discrimine in auctoribus reperimus. Hæc Turneb. lib.xxiiii, cap. xli. Vide & lib.xxviii, cap.xx.*

aurea barba] *Vide Turneb.lib.i, cap xvi.*

LIII. E disciplinis] Ex disciplinis, C.N.R.A.S.

vt Senecam] Senecam *cum dicit* commissationes meras componere, *intellige Senecæ scripta vilia & lenta videri, similiaque scriptis extemporalibus & subitariis eorum oratorum, qui ludis aliquando committebantur. nam certamina poetica & eloquentiæ edita legimus fuisse, & scriptores inter se compositos de præmio decertasse. Turneb. lib.xxviii, cap xx.*

LIIII. videretur, videtur, N.A.S.

LV. Thraces] Threces, C.

Cythico] Eutycho, *Sabellicus.*

Incitato] Incitatus *est omnino equi nomen; vt liquet ex Dione, lib. lix. Vide Leopardi lib. ix, cap.xviii.*

LVI. animus] consilium, C.

Cumque placuisset Palatinis ludis] Cum placuisset Palatinis ludi, N. *quod Sabellico nullo modo placet.* Cum placuisset Palatini ludi, R. Cum placuisset Palatinis ludis, A.S. *Ludi Palatini, cum scribitur,* Cum placuisset Palatinis ludis spectaculo egressum meridie aggredi, *qui sint quæritur; qui velut adductis habenis lectorem inhibent properantem sed ita ludi vocabantur, qui in Palatio fiebãt in honorem Cæsaris, qui primus Romæ imperauit, vt ab Iosepho scribitur lib xix. sunt tamen, vt idem scribit, cum occisus est Caligula, in honorem Augusti celebrabantur. Turneb.lib i, cap.xvi.*

formatam commotamque] foriatam commistamque, *ad oram* C.

LVII. Cassius quoque nomine, iussum] Cassius nomine, visum, C. Cassius nomine, visum, N. Cassius quoque nomine, visum, R.A.

Palatini atriensis, *non* Palatina atriensis, N. *Lego,* cella Palatini atriensis. *Cella atriensis de cœlo tacta, portendere periculum domino videbatur. quod emendationem nostram cõfirmat quamquam nostra non est, sed veterum librorum neque id cum affirmo, antiquorum codicum auctoritatem ementior, in quibus perspicue planeque sic scriptum reperitur. Turneb.lib.xxii, cap.xxxi.*

fortes Antiatinę] Fortunę Antiatinæ, C.N.R. A.S. *Scribit Macrobius Saturnaliorum lib.i. cap. xxiii, se apud Antium vidisse simulacra Fortunarum, ad danda responsa. Gyraldus de Deis Gentium, Syntagm.xvi*

LIX. crematum] & crematum, A.S.

LX. possit] posset, C.N.A.S.

EX CLAVDIO, V.

I. scelerata sunt appellata] appellata sunt scelerata, C. N. R. A. S.

stato die quotannis miles decurreret] statuto die, C. N. R. A. *In funeribus clarorum virorum, decursiones militares fieri solebant: milites enim, suis instructi armis, & tamquam in procinctu, gradu militari & exercitatione quadam ludicra decurrebant. Tacitus*, Princeps ipse cum legionibus decurrit. *Vide Turneb. lib. v, cap. viii.*

quandocumque] quandoque, R.

insculpsisse] exsculpsisse, C. N. R. A.

prosa] *Vide in Octauio cap. lxxxv.*

II. Iulo, *non* Iulio, *lege. ita enim is Consul appellatur.*

Augustis] Augusti, C. N. R. A. S.

post tutelam receptam] *Cum dicit*, post tutelam receptam, *interpretor, cum excessisset e tutorum potestate, factusq. esset suiiuris, & (vt Cicero loquitur) sua tutelæ. Turneb. lib. xxviii, cap. xix.*

III. socordiæ] secordiæ, C.

IIII. ἀπρωτοκειμένοις, *non, vt assolet*, ἀπροσκειμένοις*: quod, etsi non magnum est, magnum tamen parit errorem. Turneb. lib. xxii, cap. xxxii.*

Silani *lege:* Siluani, C. N. R. A. S. *quod corruptum est.*

conspici] despici, *ad oram* G.

ἀπωχεῖ πίνειν] *Græca quadam, rimatus vestigia, vtcumque effata a librario Latino, huiusmodi fere inuestigaui;* ἀπωχεῖ καὶ μὴν ἐν ταῖς σπουδαῖς. *ab iis quæ increbuere, aliquantum diuersa sunt etsi non admodum vt heic palmarium quærere non debeam. Turneb. lib. xxviii, cap. xix.*

e parte, R. ne parte, N. A. ex parte, S. & *pro* e, ne, *vel* ex, *ad oram* G.

V. Sigillaria] *Heic* Sigillaria, *Sigillariorum dies Saturnalibus adiectos explico, (quibus imagunculæ in vico Romano, cui Sigillaria nomen, venibant) non symbola, aut tesseras. Vide Brodæi Miscell. lib. iii, cap. xii.*

& suburbano, modo in] & suburbana modo domo, modo in, C. & in suburbana domo; modo in, N. & suburbana domo, modo in, R.

VI. Cum interim] Cum interim, *ad oram* G.

adiceretur, R. S. adiceretur, C. addiceretur, N. A. *Sine controuersia legendum* adiceretur, *non* addiceretur *hinc obrepsit menda, quod in vetustis exemplaribus* adiceretur, *pro* adduceretur, *plerumque scribi consueuit. Turneb. lib. xxii, cap. xxxii: & lib. xxvii, cap. xix.*

VIII. prædictam] prædictæ, C.

obdormisceret] addormisceret, C. R.

a tropæis] a tropeis, C. N. A. S. *sed &* copreis *in* C. *annotatur.* a tropeis, *omittitur in* R. *Locus iste miserum in modum & interpretes, &, ne quid dissimulem, meipsum cruciauit de quibus in equuleo per tormenta quæritur, non miserius habentur. Sed cum in exemplari fidelissimo legerim* a copreis, *sic existimo legendum;* a copreis solebant & manibus sterteniis socci induci. *id est, stercorarius. vt Græco verbo Tranquillum vsum opinemur, ob rei fœditatem, quod stercore obliti eius manibus socci inducerentur, vt etsi diritate odoris non expergisceretur, tamen ab aliis experrectus, sibi alui proluuie faciem sublineret, cum soccis defricans. Turneb lib. xxii, cap. xxxii* excitabatur a tropæis. *Heic* tropæos *intelligunt de ventorum quorumdam nomine, qui tropæi vocantur, hominis qui ad dissimulandum quod fecerant, se statim auertebant. vetus tamen lectio,* cropæis *habet, si cui ad sagacem coniecturam, viam patefacere forte potest. quod si ab ea paullum recedere liceret, libenter,* a crepis, *legerem. nam cum constet Lupercos* crepos *esse vocatos a crepitu plagarum, quas infligebant obuiis, quidni eos, qui per ludum idem facere solebant, sic vocare potuit? id tamen, vt facere iudices solent in rebus obscuris, nondum satis mihi liquere pronuntio. Turneb. lib. xxvii, cap. xix.*

faciem sibi] faciem sibimet, N. A. S.

IX. cum obligatam ærario fidem] *Scribit Claudium, cum obligatam ærario fidem liberare non posset, in vacuum lege prædiatoria venalem pependisse sub edicto præfectorum. quem locum sic censeo explicandum. cum præfectis ærarii suam fidem obligasset, & oppignorasset omnia sua prædia, ea lege, vt nisi ad certum diem solueret, vendi possent vt vacua: neque, cum dies cessisset, soluisset* lege prędiatoria, *id est, lege ea & conditione, qua obligata & opposita prædia fisco vel ærario fuissent. sub titulo pependisse venalem Claudium ait.* pependisse: *id est, venalia eius prædia pendenti erant titulo & libello proscripta nam* vendi *videtur, cuius fortuna & bona veneunt. Sic* comedi *senem dicit Plautus, cuius bona comeduntur* Proscripta *autem* sunt in vacuum, *id est, sic proscripta sunt, quasi in nullius mancipio & dominio essent, & tamquam vacua, vt qui emerent, velut in vacua irent. Turneb. lib. xxviii, cap. xix.*

venalis penderit] *debitorum enim, & alieno are obstrictorum nomina in tabula scribebantur; qua columna affigebantur. Vide Franc. Lusini Parergωn lib. i, cap. iii.*

X. serui] sui, C. N. R. A. S. *quod, vt scribit Sabellicus, ne Latine quidem diceretur.*

Postero vero] Verum postero, A. S.

XI. Augusteo] Augustino, C. N. R. A. S.

decernendum] decernenda, C. N. R. A. S.

quod, *non* quo, C. R. S. *& Turneb. lib. xxii, cap. xxxii.*

docuit, C. N. R. dedit, A. S. *Lego* docuit. Certamen *autem est, quod Græce dicitur* ἀγών. *Turneb. lib. xxii, cap. xxxii.*

festos, C. N. fastos, R. A. S. *Malo* festos, *quam* fastos: *Turneb. lib. xxviii, cap. xix.*

XII. Ac in semet] At in semet, C. N. R. S. Et in semet, A.

consiliariis] consularibus, R.

XV. modo inconsultus] interdum inconsultus, C. N. R.

negantemque cognitionis rem] *Quid est,* negantemque cognitionis rem, sed ordinarii iuris esse? Ordinarium ius *est, cum Prætor, aut qui iurisdictioni præest, dat iudices, neque de re ipse cognoscit. Igitur sibi dari iudices ille a Cæsare volebat, vt ordinarium ius postulat neque enim rem esse, de qua deberet extra ordinem cognoscere nam de quibusdam rebus maioribus, aut ad remp. aut exemplum pertinentibus, iudicem non dabant, sed ipsi* cognosce-

cognoscebant: quæ res cognitionis *dicebatur. Turneb. lib. xxvii, cap xix.*

Absentibus secundum præsentes facillime dabat, nullo delectu culpæ, nisi quis in aliqua necessitate cessasset] culpę, ne quis in aliqua necessitudine cessasset, C. R. *sed in* C *etiam* nisi *annotatur, & in* R, dabat pœnas facillime, *legitur.* culpæ, ne quis in aliqua necessitate cessaret, N. *in quo etiam scriptum reperi,* facillime dabat pœnas: *quæ phrasis insolens est, &* pœnas, *ni fallor, supposititium.* culpæ, ne quis in aliqua necessitate cessasset, A. *sed,* si quis, *verior lectio inquit Sabellicus.* culpa ne quis, an aliqua necessitate cessasset, S. *qua scriptura, modo ex veteri cõdice afferatur, omnium optima esse videtur.* Absentibus secundũ præsentes facillime dabat, nullo delectu culpæ, ne quis in aliqua necessitate cessasset. *in quo,* absentibus *absolute accipio, id est, cũ quis ad vadimoniũ nõ occurrebat, & absens erat. ac ita cessatores & transgressores plectebantur. at secundum præsentes se daturum Claudius, vt Dio scribit, edicto proscripserat. Turneb. lib xxvii, cap. xix.*

Excusans quidam] Excusans quidem, N. R. A. *Vide Glareani Annotationes.*

Puteolis, N A. *quos sequor.* puteo licuit R. *corrupte* puto licuit, S. *Vide Glareani Annotationes.*

retinerent] detinerent, C. N. R.

καὶ οὐ γέρων εἶ, καὶ μωρός. Equitem, C. R. A. S. *Latinam horum verborum interpretationem, vt ineptissimam, e contextu omnino eiiciendam censeo.*

impotentibus] imponẽtibus, *Gisbertus Longolius, in editione Ioannis Gymnici: atque id habet etiam Frellonis editio in margine.*

perstrinxerit] pertruderit, *in* C. *annotatur.* pertinxerit, *ad oram* C.

XVI. inuenem probri plenum, C. N. S. iuuenem plenum probri, R. A.

Græciæq; prouinciæ] *Quod de Græciæ prouinciæ principe Tranquillus scribit, de quodam e Lycia prouincia Dio narrat. sed & Lycii Græcis adnumerabantur. Turneb. lib. xxvii, cap. xix.*

XVII. tentatam vlli] deprædatam vlli, C. tentatam vel deprædatam vlli, N.

Gessoriacum] *opidum est Belgicum in Morinorum finibus munitissimum & firmissimum, quod* Audomari fanum *dicitur, situm in humili & lata planitie, lateribus cliuo pæne fallente assurgentibus. ea planitie reducto intimoq; recessu vicum attollit* Soiacum. *incolæ hodieq;* portum Soiaci *vocant. quod si audias, mirabere profecto portũ dici locum tam longo a mari interuallo disiunctum. sed ita se res habet: loci facies in sicco sinus imaginem præ se fert, & tota illa vallis, olim æquore inundata, cedẽtibus aquis terra accreuit. Cuius rei hæc etiam sunt argumenta. Nam municipes opidum suum non modo nouum fatentur, verum etiam prædicãt & narrant locum mari mersum fuisse, & ab aratoribus terrã vertentibus exaratas aliquando ancoras esse.* Gessoriacum, *quod vbi terrarũ fuerit quærimus, mihi reperisse videor vnde olim traiectus in Britanniam esse solebat. ausim enim affirmare* Soiacum *esse. eius meminit Suetonius (ne multos testes adhibeam) in Claudio, his verbis* Quare a Massilia Gessoriacum vsq; pedestri itinere confecto, inde transmisit. *Vide Turneb. lib. viii, cap. xxi.*

inter paucissimos] intra paucissimos, C. N. R.

XVIII. diribitorio] Diribitorium, *locus contubernii. veteris Lexici explicatio. Turneb. lib. xxvii. cap. vi.*

repræsentaturus] repræsentans, C. N. S.

instratus] infestatus, C. N. S.

XIX. magna commoda. Constituit pro conditione cuiusque ciuis vacationem legis Papiæ Poppęæ, Latinis ius Quiritum, feminis ius quatuor liberorum: quæ constituta hodieque seruantur] Constituit pro conditione cuiusque, vacationem legis Papiæ, Pompeiæ, Latinæ, ius, &c. quæ constituta hodie quoque seruantur, N. Constituit pro conditione cuiusque ciuis, vacationẽ legis Papiæ, Pompeiæ, Latinæ, ius, &c. quæ constituta hodie seruantur, R. Constituit pro conditione cuiusq; ciuis, vacationẽ legis Papiæ, Poppæę, Latinę ius, &c. quę constituta hodieq; seruantur, A. magna commoda constituit pro conditione cuiusque: ciui, vacationem legis Papiæ Poppææ; Latino, ius Quiritum, feminis, ius quatuor liberorum: quæ constituta hodieq; seruantur, S. *Vide Turneb. lib. xxvii, cap. xix. & Caroli Sigonii de Antiquo iure ciuium Romanorum lib. ii. Lege & Glareani Annotationes.*

legis Papiæ Poppęę] *Vide Egnatii Annotationes.*

XX. noui, S. *non* nouo, *vt* N. R. A. *Credo legendum* noui: *erat enim Anio nouus, & Anio vetus. Turneb. lib. xxvii, cap. xix.*

Alexãdrini Phari] Alexãdrinę Phari, *Beroald.*

XXI. ibidem extraordinarium, *nõ,* ibidem per extraordinarium, C. N. R. A. S. *& Turneb. lib. xxvii, cap xix.*

quia primum] *quidam codices, inquit Beroaldus, habent* præmium.

condictamque, *non* conditamque, A. S. *& Turneb. lib xxvii, cap. xix.* dictamque, C.

accersitis] arcessitis, C.

essedario] *Essedarii heic a Trãquillo in gladiatoribus numerãtur. Vide Turneb. lib. xxx, ca. xxxiii.*

indulsisset rudem, tabulam illico misit, A. S. *non,* indulsisset, rudem tabulam illico misit. *male enim posita interpunctio sensum corrumpit. Turneb. lib. xxii, cap. xxxii.*

XXII. vtque ob dira aut in vrbe, aut in Capitolio visa, obsecratio haberetur, eamque ipse iure Max. Pont. commonito pro Rostris populo præiret. Submotaq; operariorum seruorumque turba, rerum actum diuisum, A. vtq; dira aut in vrbe aut in Capitolio, &c. præiret, summotaq; operariorum seruorumq; turba, rerum spatium actum diuisum, C. spatium actum diuisum, N. vtq; cum dira aut in vrbe, aut in Capitolio, &c. præiret, summotaq; operariorum seruorumq; turba, rerum actum diuisum, R. vtq; ob dira aut in vrbe, aut in Capitolio, &c. prǣiret; summotaque operariorũ seruorumq; turba. Rerũ actum diuisum, S. *Lego,* vtq; dira aut in Capitolio visa, obsecratio haberetur, eamq; ipse iure Pontificis Maximi pro Rostris populo præiret, summotaque operariorum seruorumq; turba. *Obsecrationem appellat precationẽ; quam Pontifex ipse præibat populo subsequenti verba præeuntis. Atque hinc Valerio lux affertur, de cærimoniis antiquis differenti. Turneb. lib. xxii, cap. xxxii.*

XXIII. Capiti Papiæ Poppææ legis, scribe, *non*, Capiti Papiæ Pompeiæ legis, *vt* N. *habet, neque*, Capiti Papiæ legis, *vt* R.

edito, abrogauit] edicto abrogauit, N. R. A. *quibus non assentior.* addito, obrogauit, S. obrogauit, *etiam in* C. *scriptum reperi.*

XXIIII. Procuratoribus ducenariis] *Sed qui sunt* procuratores ducenarii? *ego eos crediderim, qui ducenariæ, id est ducentesimæ, colligendæ præerant, quam* διακοσιοστὴν *appellat Dio. fortasse quis a numero vocari censeat, cum* ducenarius *sit* διακόσιος. *alius a salario ducenario. quæ videtur esse sententia Dionis lib. iii. Turneb. lib. xxii, cap. xxxii.*

proauctorem] productorem, C.

aut vtique nunc Prætura, C. aut vtique Prætura, N. R. A. S. aut vti nunc Prætura, *Turneb. lib. xxii, cap. xxxii* aut vtique tunc Prætura, *quidam libri excusi: quod non ita placet.*

Plautio, N. R. S. Plancio, A. Planco, *ad oram* G. *In huius nominis scriptura neq; hic, neque in Nerone cap. xxxv, neque in Vespasiano cap. iii. libri sibi constant: quod ex eorum comparatione facile cognoscitur. quare eam lectionem, quam optimam esse quis didicerit, per me licebit amplectatur. Vide Egnatii Annotationes.*

Caucis] Chaucis, C. N. S. Cauchis, R. Καῦκοι *Straboni, Ptolemæo* Καῦχοι, *populi Germaniæ. hos Tacitus* Cauchos *nominat.*

XXV. Chresto, C. S. *non* Christo. *Veteres gentiles, veri nominis ignoratione* Chrestum & Chrestianos, *non* Christum & Christianos. *Vide Pithœi lib. ii, cap. iii.*

XXVI. quatenus] quia, C. quod, *ad oram* G.

ius] eius, *ad oram* G.

Officium nuptiarum] *Sic* officium *solebant plerumque vsurpare, cum ad nuptias officii caussa veniebant. Iuuenalis Sat. ii,* —— officium cras Primo Sole mihi peragendum in valle Quirini. *sequitur enim,* —— nubit amicus. *Sic in* officio Consulis *dicitur, cum in officii caussa quis in comitatu Consulis est, deductionis caussa. Turneb. lib. xxvii, cap. xix.*

Pompeium atque Silanum] Sullam, *non* Silanum, *legendum putat Glareanus. Vide Annotationes.*

XXIX. sigillatim minima quæque, R. A. sigillatim minora quæque, C. N. singulatim minima quæque, S. *Ne illud quidem prætermittam, etsi pluma leuius,* ac ne singulatim minora quoque enumerem: *non quod mihi non probetur recepta lectio, sed quod latere diutius in vmbra & situ veterem scripturam nolim. Turneb. lib. xxii, cap. xxxii.*

rescissa] recisa, *in* C. *annotatur.*

liberalitates, R. *Lego* liberalitates, *non, vt circumfertur,* libertates: *quod auctoribus antiquis libris confirmo. Turneb. lib. xxvii, cap. xix.*

Iuliasque, *non* Liuiasq;, C. N. R. A. S. *Vide Glareani Annotationes.*

coactus. Die ipso Claudii & Agrippinæ nuptiarum, in quinque] coactus, die ipso Claudii & Agrippinæ nuptiarum. In quinque, S.

vt de nece] vt cum de nece, C. N. S.

XXX. præterea, *pro* plectra, C. N. S. *quod & probat Turneb. lib. xxii, cap. xxxii: & lib. xxvii, cap. xix.*

XXXI. perprospera] prospera, C. S.

XXXII. Conuiuatus & super] Conuiuatus est & super, C. N. S.

daret flatum, N. R. A. S & *Turneb. lib. xxii, cap. xxxii* daret & flatum, C. daret efflatum, *libri nõnulli vulgati. quæ lectio mihi minus placet.*

XXXIII ictusque] victusque, C. N. R. A. S.

proxima Martis, *non*, maxima Martis, C. N. & *Turneb. lib. xxii, cap. xxxii.*

adscendit ad] descendit ad. N. abscessit ad, R.

triclinio abscessit] triclinio abscedit, R.

pinna] penna, N.

Alea] Aleam, S.

gestatione, C. R. A. S. & *Turneb. lib. xxii, cap. xxxii* gestatorio, N.

XXXIIII. meridianisque] *Hic quærunt, qui* meridiani *sint. ego eos gladiatores interpretor, qui tempore prandii depugnabant inermi corpore: proinde multi cadebant. Seneca,* Casu in meridianum spectaculum incidi. *Vide Turneb. lib. xxvii. cap. xix.*

vt etiam prima] vt a prima, C. N. R.

persederet, *non* presideret, C. R. A. S. *nam* præsideret, *quod succidaneum est in eius locum, minus ad sententiam accommodatum est, si quis propius inspiciat. Turneb. lib. xxii, cap. xxxii.*

si αὐτόματον, vel pegma, vel quid tale aliud, N. A. S. & *Turneb. lib. xxii, cap. xxxii.* si aut ornatus, aut pegma, vel quid tale aliud, R. si aut αὐτόματον, vel pegma, vel quid tale aliquid, *libri quidam vulgati. sed hoc, vt & illud, corruptum est.*

XXXV. vt speculatores] vbi, *pro* vt, *ad oram* G.

XXXVI. delatas, *non* delectas, C. N. R. A. S. *Turneb. lib. xxii, cap. xxxii.*

XXXVII. accersi] arcessi, C. R. A. S. accersiri, N.

XXXVIII. tantum non satisfacientibus veniam modo dedit. *quidam libri excusi hæc modo omittunt.* tamen nõ satisfacientibus veniam modo dedit, N. tantummodo satisfacientibus veniam dedit, R. A. S. *Vide Glareani Annotationes.*

Item, *pro* Idem, N. R. A.

cocta, *non, vt passim,* coacta, S. & *Turneb. lib. xxii, cap. xxxii: & lib. xxvii, cap. xix.*

coertionem] coercitionem, S.

XXXIX. admoneri, *non, vt hodie,* admoueri, N. & *Turneb. lib. xxii, cap. xxxii.*

XL. Theogonius videor, & λογώματος?] Telegonus videor? & ἄδικα τ' ἀλλὰ τιμά, S. *Lego in peruetusto codice,* Quid, ego tibi telæ genius videor? *vbi alii libri partim* Telegonius, *partim* Theogonius *habent. Omnibus rebus Genium antiqui præficiebant. erit igitur* telæ Genius *dictum, pro infimo & abiecto. vt Iouis contra Genius diceretur de eximio & præstantissimo. aut, si nomen proprium est, (quod & magis placet) Telegonius viri nomen erit humilis & despicandi: nisi quis a Telegono parricida, Tusculi conditore, deducat. Lego mox,* λάλει, καὶ μὴ δέρε, *ex antiquis & archetypis libris, quod est,* loquere, sed verberibus parce. *cuius in locum subdidere,* λογώματος. *parum autem pro dignitate & imperio loquebatur Claudius ista vsurpans: quasi plagas & verbera vereretur: vt*

tur: vti iure inconsiderati hominis verba a Tranquillo notentur. Turneb. lib. XXII, cap. XXXII. Telegonius *est in libris scriptis: a Telegono ne, qui scripsit domesticum augurium, an a Telegono Vlyssis filio, nondum satis compertum habeo. Quid si* Togonius *legatur, pro ignobili? qualis est apud Tacitum Togonius Gallus, qui & ea de caussa per ridiculum additur. quamquam fortasse* Telegonius Gallus *scribi in Tacito debet. certe videtur dicere Claudius, me putas ignobili & ridiculo Togonio similem, vel Telegonio? Illud* λεγιώτατος, *est corruptum. neque tamen veterem scripturam assecutum me confido, quamuis eam diligenter scrutatus sim: Græcas enim litteras male effinxit librarius. fere tamen scriptum videbatur,* ἀεὶ καὶ μηδέπω *quasi suum consilium laudaret plus æquo Claudius. Hæc Turneb. lib. XXVII, cap. XIX.*

XLII. peritus] paratus, *ad oram* G.

Homericis] heroicis, R.A.S.

Tyrrhenicon] Cyrenicon, *Beroaldus, & Sabellicus.* Cyrenaicon, *in Frellonii editione annotatur*

XLIII. ὁ τρώσας δὲ ἰάσεται. *Legi debere videtur,* ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται. *id est:* qui vulnerauit, & medebitur. *in antiquo sane quodam libro, vt coniecturæ locus vnicuique relinquatur, ita scriptum inuenitur* ὁ φθάσας πείσεται *Vide Victorii Variarum lectionum lib. XXIII, cap. XIII. Lego,* ὁ φθάσας πείσεται· *hoc sensu*, qui te læsit, pœnas dabit *non male etiam,* ἰάσεται *quis legeret. Turneb lib XXII, cap. XXXII: & lib. XXVII, cap. XIX.*

XLIIII. Non multoque] Non multo, C.N.

XLV. desiderantem] desidentem, *ad oram* G.

EX NERONE, VI.

II. Cui esset os ferreum, cor plumbeum] cui os ferreum, cor plumbeum esset, C.N.R.A.S.

de mediis N.R.A.S. *habent non* de Medis.

III. Percucurrit] percurrit, C.R. promeruit, N.

IIII. ex Germanico] in, *pro* ex, *ad oram* G.

V. potare] pottare *etiam agnoscit Beroaldus.*

VI. natus est Antii post IX menses, *non*, natus est ante IX menses, S. *Hæc ego in priscis libris reperio*, ante post IX menses. *vt mihi dubium non sit, quin legendum sit*, natus est Antii post IX menses. *itaq;, quod Antium eius esset natale solū, sic dilexit, vt eo imperii sedem transferre cogitarit. Turneb. lib. XXIIII, cap. VI.*

tantum quod, *non*, iam tum quidem, C N.S. *germanū fuerit*, tantum quod. *nam* tantū quod pro commodum *dici a Latinis, nemini fore ignotum est. Turneb lib. XXVII, cap. XVIII.*

fabulæ est, eosdem] fabulæ, eosdem, N.R. fabulæ, & eosdem, A.S.

VII. indictaque, *non* indicta, N.R.A.S. *& Turneb lib XXVII, cap. XVIII.*

Præfecti vrbis, sacro Latinarum] Præfectis vrbis, atq; Latinarum, C.N. Præfecti vrbis, atq; Latinarum, R.S. *Vide Glareani Annotationes.*

X. certiorem] interiorem, C.N. *sed &* minorem *in* C. *annotatur.*

nec comitatis] neque comitatis, C.R.A.S.

Papiæ legis] Papia lege, *ad oram* G.

quadringenis] quadragenis, C.N.R.A.S.

XI. Iuuenalibus] Ludos Iuuenales, *quos Tranquillus vocat*, Iuuenalia *neutro genere Dio appellat, & interpretatur* νεανισκεύματα. *eos ludos Nero dedit tum, cum barbam primum posuit. Turneb. lib. XXVII, cap. XVIII.*

catadromum] *Nos* catadromum, *funem prætensum, exponimus, per quem histriones ingrederentur, saltarent, ac decurrerent. Si catadromum heic hippodromum denotat, nihil mirum fuisset, hominem elephanto insidentem per eum decurrare. Vide Brodæi Miscell. lib. III, cap. VII.* De catadromo *disputari video, quid sit. ego eo vocabulo funem intelligo, qui summo Theatro alligatus, declinis ad imum Theatri pertinebat solum, defigebaturque. per quem descendere, maximi periculi, & artis, atque adeo miraculi erat. hanc interpretationem si quis parum firmam putat, vt ex meo sensu depromtam, fallitur. est enim Dionis, qui eadem de re agens, sic scribit* ὅτι δὴ καὶ ἐλέφας ἀνήχθη εἰς τὴν ἀνωτάτω τοῦ θεάτρου ἀψῖδα, καὶ ἐκεῖθεν ἐπὶ σχοινίων κατέδραμεν ἀναβάτην φέρων. *Sed & vocabulum ipsum notionem descendentis & decurrentis præ se fert. quo sensu & apud iurisconsultos accipi debere censeo. Turneb. lib. XXVII, cap. XVIII.*

tesseræ] *Tesseras in Tranquillo accipimus globulos inscriptos quarūdam rerū notis & nominibus vt frumenti & aliarum rerum: quas qui ceperant, res illas ferebant. Vide Turneb lib XXVII, cap. XVIIII & Brodæi Miscell. lib III, cap. XII.*

XII. noxium] noxiorum, C.N.R.A.S.

obruit] edidit, *ad oram* G.

Neronia] Neronia *Romæ Nero instituit, quinquennalia certamina pro salute sua, & imperii sui mansione & incolumitate. Turneb. lib. XXVII, cap. XVIII.*

buthysiæ] *id est, bouis immolationis, vel magni sacrificii. Est & verbum* βουθυτεῖν, *id est, bouem immolare, vel maiori vti sacrificio. Grammatici a* βου *particula intentiua deriuant. Vide Gyrald. de Deis Gentium Syntagm XVII: & Erasmi Chil. II, Cent. III, Adag. I.*

XIII. Tiridatis, S Mithridatis, C.N.R. Tyridatis, A. *vtrumque deprauatum est.* Tiridates *enim Neronis temporibus vixit, de quo Tacitus & Plinius. Infra cap. XXX*, In Tiridatem, quod vix credibile videatur, octingenta nummûm millia diurna erogauit.

quo opportunissime] quam, *ad oram* G.

XV. In cognoscendo] *Quædam cognitionis caussæ ad Cæsarem pertinebant qui plerumque vices suas alios, qui de his caussis cognoscerent, eligebat. Vide Turneb lib XI, cap. IX.*

secederet, C.N.R. sederet, A.S. *Scribunt libri meliores aut* secederet, *non, vt editur*, sederet. *Turneb lib. XXIIII, cap. VI.*

circa] *quidam codices habent* citra, *quod significat ante diem Kalendarum. Beroaldus.*

COS. A, S. Consulem, N.R. COSS. *libri non nulli impressi.*

XVIII. Cottio, *non* Coctio, R.S. *& Turneb. lib. XXVII, cap. XVIII. Suetonius in Tiberio cap. XXXVII,* & aliam a Cottii regno.

XIX. Alexādrina ipso profectionis die destitit,

c. R. & Turneb. lib. xxvii, cap xviii. Alexandriam ipso profectionis die destituit, N.

corbulæ, non corbulo, C. N. R. A. S. & Turneb. lib xxvii, cap xviii.

XX. imbutus tempore, N. tempore imbutus, C. R. A. S.

Terpnum, A. S. non Thermum, vt N. Suetonius in Vespasiano. cap. xix, Terpno Diodoroq; citharœdis ducena.

sustinere] sustinuit, ad oram G.

Fuscæ] Fusca vox est quam Græci μέλαιναν vocant, quæ nec candida nec clara est. Vide Turneb. lib. xxiiii, cap vi: & lib. xxvii, cap xviii.

νόμον] hoc est, cantilenam ad aliquem musicum modum intonatam. Vide Glareani Annotationes.

sufferri, N. R. sufferum, A. S. In antiquo codice, quod dissimulandum non arbitror, aliquid sufferi tinniturum dixit, reperio. erit autem sufferum, ὑπάγροικον, quod non delicatum & molle, sed subagreste & subrusticum, & prope ferũ, quod in cantu nos interdum magis delectat, quam blandus & eneruatior modulus. Scio ego hæc legi a multis sufferri: quod & improbare non est meum: immo vero antea probaui, & ὑποπινόμενον esse dixi, vt & subbibere est, quod Græci ὑποπίνειν dicunt. hanc tamen tamquam testificationem veteris lectionis prætermittere non debui. Turneb. lib. xxiiii, cap vi. Aliquid sufferti tinnire est, quod Græce dici potest, ὑποκωφόν τι ἠχεῖν. suffertum enim intellige plenum, densum, confertum, oppletum: quod auditoris aures impleat: quamquam suffertum minus aliquanto est, quam refertum & confertum. Sed & subbibere, quod Græce ὑποπίνειν dicitur: ita enim a Græcis vsurpatur, quorum verba expressit Suetonius, nam ita dixerat Nero, cum produxisset Neapoli: quæ vrbs & Græca erat, & Græce loquebatur. Hæc Turneb. lib. xxvii, cap. xviii.

Adolescentes] Adolescentes illos & iuuenes, qui Neroni plaudebant cantanti Αὐγουστείους, id est augustales, dicit vocatos Dio. Turneb. lib. xxvii, c. xviii.

XXI. effictis] effectis, C. N.

excæcatum] obcæcatum, ad oram G.

ornari] onetari, ad oram G.

XXII. quondam tractum Prasinum] quendam tractum Prasini, ad oram G.

minimos] mimos, A.

XXIII. me celeriter reuerti] celeriter reuerti me, C. N. S.

clausis] clasis, in C. annotatur.

secreto non numquam, ex, A. secreto: non numquam ex, C. N. R. S.

hortantibus] orantibus, C. R. hortantibus etiam in C. annotatur.

XXV. Albanum. Albam, ad oram G.

ceterarum, A. S. Pro ceterorum, lego antiqui assertione libri, ceterarum: vt ad coronas, de quibus perspicue agit, referatur, non ad homines. & hanc scripturam facile sensus approbat. Turneb. lib. xxiiii, cap vi.

clamantibus] clamitantibus, C. N. R. A. S.

Palatium & Apollinem] Palatinum Apollinem, ad oram G.

XXVI. assumeretur] Lego in veteri libro absumeretur, non, vt nunc circumfertur, assumeretur. Turneb. lib. xxiiii, cap. vi.

laticlauio] Lego laticlauio potius, quam laticlauo. vapulasse Neronem a quodam laticlauio narrat; vt existimo, non Tribuno militum laticlauio sed Senatore. nam a Dione is Iulius Montanus nominatur, & Senator appellatur. Lege Turneb. lib. i. cap. ii lib xxvi, cap. xi: & lib xxvii, cap. xviii. Vide in Othone cap. x: & in Domitiano cap x.

XXVII. Ambubaiarumque] Ambubaias nomen adeptas esse existimo, quod circum Baias, quarum lauacra calida delicatis hominibus studio & voluptati erant, versarentur: fuisseque mulieres lasciuas & impudicas arbitror, quæ Romam vsque tamdem permanarint, ibiq; cœtus habuerint. Ambu autem pro am, quod est circum, dixisse veteres existimo. Non assentior iis qui e Syria vsque hanc vocem repetunt. Vide Turneb. lib. xi, cap xxiii.

aut Baianum] aut ad Baianum, R.

matronarum institorio copas imitantium, C. N. institorio malim, quam institorias. vt institorium neutro genere dicatur. Sunt autem copæ mulieres quæ copanam exercent, vt in illo versu; Copa Syrisca caput Graia redimita mitella. Vide Turneb lib. xxiiii, cap vi: & lib xxvii, cap. xviii. matronarum instar loco passim inuitantium, R. matronarum institorum loco passim inuitantium, A. S. insignes ganeæ & matronarum institorias operas imitantium, quidam libri excusi: in quibus etiam, & insignes ganeæ matronarum, ad oram legitur.

mellita quadragies IIS. constiterunt] mitellita quadragies sestertium constitit, C. mitelita quadragies sestertium constitit, N. myrtelica quadragies sestertium constitit, R. Scribitur in bibliothecis antiquis, mitellita quadragies IIS. constitit. genus videtur esse placentarum tamquam mitellatarum. est & medicis micleta, tamquam fortasse miculata, antidotus. Edunt publici libri mellita: nec damno: sed ea quam proposui, mystica, vt ita dicam, scriptura est. Turneb. lib. xxiiii, cap. vi.

aliquanto ab Sirtio rosaria] aliquanto absirtio rosaria, R. aliquanto rosaria, C. N. A. S.

XXVIII. pædagogia, non proagogia, C. N. R. Eo vocabulo turpius interdum etiam vtebantur, cum eo cœtum puerorum qui in deliciis habebãtur, significarent. Tranquillus, Super ingenuorum pædagogia. quo in loco corrupte perperamque scribitur proagogia. Vide Turneb. lib. xxiii, cap. xviii: & lib. xxvii. cap. xviii. item Glareani Annotationes.

Acten, legendum ex Tacito, non Accen, quod N. R. habent. Infra cap. L, Reliquias Ecloge & Alexandria nutrices, cum Acte cõcubina, gentili Domitiorum monumento condiderunt.

persollenne] persollenni, C. N. R. A. S. Cum scribitur persollenni, iniurius in Tranquillum non fuerit, qui per sollenne, legerit: etsi ab omnibus libris recedet; quorum fidem non semper sequi oportet. Turneb. lib. xxiiii, cap vi.

XXIX. prostituit] prostrauit, ad oram G.

quatenus] quo, N. A. S.

calliditate] callide, N.

XXX. deparcos] deprauatos, C. R. sed in C. etiam deparcos, annotatur.

In Ti-

In Tiridatem] *pro* in Tiridatem, *habent*, in vna datione, c. N. in Mithridatem, R. *quorum librorum vtraque lectio mendosa est.*

octingenta] octingena, C. R.

Spicillum] Spectilum, C. Spectilium, N. Spectilum, R. Spectillum, A. S. *Huius infra commemi- cap. xlvii. & in Galba Plutarchus. Verum sanem nominis huius scripturam, quod libri in his locis inter se variant, atque etiam ipsi secum dissident, mihi indicare difficile est.*

Quadrigenis] Quadringenis, C. R. S.

aurato] aureo, *ad oram* G.

Phalerata cum Mazacum, N. A. S. Phalerata cornaxacum, R. phalerata hamaxicorum, *in codice emaculatiore legit Beroaldus.* Phalerata cum amaxicorum, *quidam libri impressi. quo sane loco valde dissentiunt ab excusis libri manu scripti, in quibus* cymazacũ *legitur. ego* Mazacum *verum puto. Sunt autem* Mazaces *non populi Cappadociæ, vt multi censent, sed populi Africa. Lucanus lib. iiii,* Marmaridæ volucres, æquaturusque sagittas Medorum, tremulum cum torsit missile, Mazax. *Mazaces equos laudat Aurelius Olympius, lib. Cynegeticõn*: Quemque coloratus Mazax deserta per arua Pauit, & assiduos docuit toletare labores *Sed ne qua syllaba veteris lectionis deperiret, aliquando* phalerata acu Mazacum turba, *legendum existimaui. Vide Turneb. lib. xxiii, cap. vi: & lib. xxvii, cap. xviii.* [& lib. xxx, cap. iii.]

XXI. staret ipsius effigie. Tanta, C. S. *in* C. effigiei *annotatur.* staret. Ipsius effigiei tanta, N. R. staret. Ipsi effigiei tanta, A.

versatilibus, vt flores ex fistulis, & vnguenta] versatilibus, vt flores fistulatis, & vnguenta, C. versatilibus, vt vnguẽta, N. versatilibus, vt flores fistulis, & vnguenta, R. A. versatilibus, vt flores: fistulatis, vt vnguenta, S. vt flores fistulatis & vnguenta desuper spargerentur, *in duobus optimis codicibus legi, hoc sensu: fistulatas fuisse cenationum tabulas ad flores spargendos, & vnguenta fundenda. ex fistulis tamẽ, quod peruulgatum est, non moneo: sed illud alterum etiam accommodatum ad sententiam ostendo, iuratorum prope dixerim codicum fide & testimonio probatum. Turneb. lib. xxiii, cap. vi.*

balneæ] balneæ, C. N. R. A.

calidarum esset] calidarum aquarum esset, C. N. R. A. S.

XXXII. dextans, *non* dodrans, *vt excusum est*, C. N. S. *& Turneb. lib. xxvii, cap. xviii.*

essent, quo fuissent illæ] esset, quo fuissent illæ, N. esset, quo fuissent vllæ, R. essent, quo fuissent vllæ, A. S.

studiosissimis] *Lege* iuris, *non, vt obtinuit*, viris *Turneb. lib. xxvii, cap. xviii.*

dictaque omnia, N. R. A. S. *non* omnibus, *vt* C. *in quo tamen &* omnia *annotatur. Lege* omnia, *non* omnibus, *vt receptum video. Turneb. lib. xxvii, cap. xviii.*

creditur] dicitur, C. N. S.

XXXIIII. luxata] laxata, C. N. R. A. S.

diuersa] demersa, N.

L. Agerinum] Lagerinum, C. N. R. Agerinũ, S.

obiecto] abiecto, C. N. R. A. S.

Nam nec dum] Nec dum, C. N. R. A. S.

XXXV. Similiter interemit ceteros] Similiter item ceteros, R.

Plautium, N. R. Plancium, C. Plancum, A. S. *Vide in Claudio. cap. xxiiii.*

constuprasset] conspurcasset, C. *&* constuprasset *annotatur.*

Senecam præceptorem] præceptorem, N. R. *non habent.*

persancte] persæpe, C. N. persancte, *in* C *annotatur.*

XXXVI. promulgatis] pronulgatis, C. peruulgatis, R.

XXXVII. Orsito, C. N. R. S. Orphito, *quod in aliis legitur, corruptum est.*

restituisset] retinuisset, R.

XXXVIII. ἰμῦ ζῶντος] *Pro* ἰμῦ ζῶντος *puto legendum*, ἰμῦ δὲ ζῶντος. *Turneb. lib. xxvii, cap. xviii.*

cubicularesq; eius] cubiculario eius, C. R. A. S.

Mæcenatica] Mæcenatiana, R. S.

XXXIX. hæc fuit] hæc fuerit, N. S.

Νεόψηφον] *In optimis libris reperi* Νεόψηφον, *non, vt in [excusis] omnibus,* Νεόνομον. *& illud multo salsius est, & acrioris aceti: vt vel lata nuper sententia interfectam intelligamus; vel, quasi* ναύψηφον *scriptum esset, nauis sententia damnatam audeamus; cum præsertim in naui eam interficere tentasset solutili: de cuius machinatione & Tranquillus & Tacitus scribunt. Vide Turneb. lib. xxiii, cap. vi: & lib. xxvii, cap. xviii.*

XL. τὸ τεχνίον ἡμᾶς] *Vide Erasmi Chil. 1. Cent. vii, Adag. xxxiii. In optimis libris legi,* τὸ τέχνιον ἡμᾶς διαθρέψει· *quod haud paullo melius est, quam quod in peruagatis codicibus legimus. fere Græca a librariis Latinis male effingebantur litteris. Inde coniectura legentium secuta, qualiacumque eruerunt verba, vestigia ductusque litterarum rimantes, & vicinitatem vocum & similitudinem captãtes. quod repono, litterate satis & plane scriptum erat. vt præstare ausim ita scripsisse Tranquillum. Vide Turneb. lib. xxiii, cap. vi: & lib. xxvii, cap. xviii.*

destituo et ordinationem] destituo ordinationem, C. N. R. S.

gaudentis] gaudendi, C. N. R. A. S.

suspicionem] speciem, *ad oram* G.

XLI. appellato] adorato, *seu* appellatos, *ad oram* G.

demum euocauit] domum euocauit, C. N. S.

iamque etiam] iamque se etiam, C. N.

XLII. etiam deinde] deinde etiam, C. N. R. S.

suum Imperium] summũ Imperium, C. N. R.

XLIIII. nummum asperum] *Olim qui thesaurum parare studebant, in eo* nummũ asperum *libenter recondebant, quem interpretor, bene percussum & recentem, non veterem, neque tritum, atque ipso vsu leuem, fugientibus notis, nec forma expressa. quo sensu illud Persianum accipi censeo* Sat. iii, quid asper Vtile nummus habet. *qui enim pecuniæ amantes erant, in nummis fastidiosi erant, delectumque habebant, & nummos perfectissima & expressissima forma seruabant ac ne alios quidem recipere volebant. quod & in exactione tributorum plerumq;, vt reor, obseruabatur. Vide Turneb. lib. xxviii, cap. xxviii.*

argentum pustulatum] argentum postulatum, N R A. *Recte legitur in iurisconsultis*, veluti cum argentum pusulatum fabro daretur, vt vasa fierent. *quas enim* pustulas *vocamus*, pusulas *etiam ab antiquis vocatas inuenio: quod Plinians codices vetustissimi locis infinitis ostendunt, sed fastidio occurrens, vno contentus ero.* Est enim, *inquit*, tam feruentis naturæ, vt per se extra corpori impositum pusulas ignium modo faciat, & pro caustico in vsu sit Pusula *Columella ignis est sacer unde* pusulosa *vel* pusilosa ouis: *v autem & i sæpe inter se summutantur, vt* optimus optumus *Pusula igitur pustula est, & Pusula dicitur ignis sacer, quia pustulas passim, qua depascitur, attollit nomenq, ex eo habet pusula, quia pus cõtinet.* Pustulatum *igitur* argentum, & pusulatum *vel* pusilatum, *nihil differre existimo, recteque sic appellari suspicor quin &* postulatum; *præsertim cum vin a non raro migret. Itaque in Tranquillo reperi scriptum*, Exegitque ingenti fastidio & acerbitate nummum asperum, argentum postulatum, aurum ad obrusam: *& in veteribus libris Martialis, lib. viii, epigr. lxxxv*, Argenti tibi libra postulati. *nec illis assentior, qui a postulando deducunt freti auctoritate Iuuenalis Sat viii*, Accipe victori populus quod postulat aurum. *sed* postulatum & pusulatum *interpretor, quod purum putum est, & pusula ac igne excoctum, quodque pustulas & tumores habet Nos queque in vernaculo sermone, perinde quasi posula pro pusula interdum diceretur, mutato p in b, tumorem* bosulam *appellare solemus. Verius tamen puto* pustulatum *argentum &* pusulatum *dici, quam* postulatum. *Turneb. lib. xxiii, cap vi.*

aurum ad obrusam, C. N. R. aurum obryzum, A. S. Aurum ad obrusam, *pro*, aurum obryzum, *in veteribus lego codicibus. quo modo non raro loquitur Seneca. Turneb. lib. xxvii, cap. xviii.* Obrussa *autem cum sit exploratio & probatio perfectionis, & nota auri atque argenti, eleganter a Cicerone in Bruto scriptum est*, & adhibenda, tamquam obrussa, ratio: *hodie*, quam obtrusa, *edunt inemendate. placet etiam*, cum obrussa. *nam cum in quam facile potuit degenerare breui discrimine: atq, hoc verius puto. Turneb. lib. xiiii, cap. xxii.*

cepissent. Ex annonæ quoque caritate lucrantium accreuit inuidia, A. S. cepissent. Ex annonę quoq, caritate lucrantium accreuit inuidia, C. N. cepissent. Ex annonæ quoq; caritate lucraticia accreuit inuidia, R. *Lego e veteribus monumentis*, Quæcumque cepissent ex annonæ caritate lucrantia. *nam delatorum præmia augebantur, etiam ipsa caritate annonæ. ita præmia eorum lucrabantur, quod est, augebantur. quod enim mox sequitur, principium est alterius sensus*, accreuit inuidia: *etsi* lucrantium, *non displicet, quod nõ nulli legunt. Turneb. lib. xxvii, cap xviii.*

XLV. cirrus appositus est cum inscriptione Græca, Nunc demũ agona esse, & raderet tandem] currus appositus est cũ inscriptione Græca, Nunc demũ agona esse, & traderet tandem, C. *in quo* cirrus *annotatur.* currus appositus est cum inscriptione Græca, Nunc demum agona esse, vt traheret tandem, N. cirrus appositus cum inscriptione Græca, Nunc demum agona esse, & traderet tandem, R. Currus appositus est cum inscriptione Græca, Nunc demũ agona esse, & traheret tandẽ, A. S. *In Tranquillo quod in exemplaribus prima nota legitur*, Statuæ eius a vertice cirrus appositus est cũ Gręca inscriptione, Nunc demum agona esse, & traderet tandẽ: *vnius elementi abundantia sensum amarũ populi deridentis Neronẽ, corrũpit cũ* raderet *legendum sit ita enim eo esse loco Nerone dicit, vt cirratus esse nõ debeat, sed cincinnos ponere & radere. quod est in aliis* traheret, *diluti frigidiq, sensus est, & hebetis atq, absurdi. Hæc Turneb. lib. xxv, cap xi. In libris peruetustis*, cirr⁹ apposit⁹ est, *lego nec aspernor sed &* raderet, *non* traheret. *Quid enim vetat Neronem cirratũ fuisse, nec cirros ponere solitũ? &* raderet, *cum ludorũ comissationibus decertaret & agonibus vel dixit, non esse puerile certamen, & puerorũ cirratorum, sed verum & legitimum, & virorum, qui cirros posuerunt. nunc igitur dicit, Tandem radat, quod verum adsit certamen, in quo cirris non sit locus. Turneb. lib. xxvii, cap. xviii.*

collo & ascopera, A. S. Ascopera *sacculus est pelliceus. Lege Politiani Miscell. cap xx* collo & scopa, C. N. R. *Cum reperiam*, alterius collo ascopa deligata, *nõ dubitanter* ascoma *legam, vt sit velut culeus: quod nomẽ est neutrũ Græcis, sed Latinis etiam femininum. Dio emendationem adiuuat, qui* μολγὸν *id est* culeum, *dicit eius statuæ appensum fuisse. Hæc Turneb. lib. xxiiii, cap. vi. Vide & lib. xxv, cap xi & lib xxvii, cap. xviii.*

XLVI. circuiri] circumiri, C. N. R.

XLVII. atratus acriter, C. attractus, N. R. *quam lectionem reiicit Sabellicus.*

Spicillum myrmillonem] Spiculum vel mirmillonem, C. Spiculum ac mirmillonem, N. R. Spectillũ mirmillonẽ, A. S. *Vide supra cap. xxx.*

XLVIII. concederet] se conderet, N. conderetur, *aderam* G.

XLIX. modicella] modica, C. N. R. S.

Permisit hoc Icelus] Permisit hoc Huseus, C. *in quo* Seius *annotatur.* Permisit hoc Seius, N. Permisitq, hoc Hircius, R. Promisit hoc Seius, A. S. *Hic, vt & in Galba cap xiiii, & xxii, valde vitiati sunt codices Suetoniani: quod in aliis quoq, locis sæpius vsu venit, vbi aut dictio rara, aut nomen proprium non omnibus notũ sese ostendit, & occurrit. Pro*, promisit hoc Seius Galbæ libertus, *lego*, permisit hoc Icelus Galbę libertus. *sic enim gratiosissimũ eius libertũ vocatũ fuisse, ex eius vita cõstat. Turneb. lib. xxiiii, c. vi: & lib. xxvii, c xviii.*

L. Ecloge *lego.* Egloge, N. R. Aegloge, A. S.

· Acte *scribi debet* Accia, C. R. Actia, N. *vtrumque corruptum est. Vide supra cap. xxviii.*

colle] collo, C. N. R. colli, S.

LI. fœdo] fœtido, N. R.

synthesin] synthesinã, C. N. R. *Lego in antiquis libris*, ac plerũq, synthesinã indut⁹. *nã etsi* synthesin, *pro*, *tamẽ* synthesinam *dissimulare nẽ possum, cum veste subaudire perfacile sit. Hæc Turneb lib. xxiiii, c vi.* Synthesin *Suet pro veste elegãtissima, & parũ viris decora ponit, qua iccirco Romana grauitas, nisi certis Saturnaliũ diebus, vti non licebat. qualis aũt ea vestis fuerit, nobis explicabit e Tranquilli verbis expressa Dionis oratio, quæ ita habet:* χιτώνιόν τι ἐνδεδυκὼς ἄζωστον, καὶ σινδόνιον περὶ τὸν αὐχένα ἔχων.

Vide

Vide Turneb lib. xxvii, cap. xviii: & lege Brodæi Miscell. lib. vi, cap. vii.

LIII. Olympia] Olympiam, C. N.

LIIII. proditurum] præbiturum, *ad oram* G.

partæ victoriæ, *non*, parta victoria, *legitur in* C. N. S. proditurum se parta victoria ludis. *heic facile omnes agnoscunt esse legendum*, partæ victoriæ ludis, *quod in optimo codice reperi. tam enim securus certusque victoriæ sibi videbatur, vt iam de victoria ludis sibi cogitandum putaret ac loqueretur, disponeretque qua ludis illis facturus esset. Hoc autem aptius est, quam quod in litteras mittitur. Vide Turneb. lib. xxiii, cap. vi.*

saltaturumque, *non* saltaturum, N. & *ex optimo codice Turneb. lib. xxiii, cap. vi.*

LVI. acunculam, N. R. acungulam, C. icunculam, A. S. imagunculam, *Beroaldus & Sabellicus. sed nullo veterum librorum testimonio comprobant. Vide Egnatii Annotationes.*

LVII. Vologesus] Vologeses, A. S. *Huius meminit Tacitus lib. v.*

EX GALBA, VII.

I. Seruius, *non* Sergius, *vt in vulgatis codicibus est, hic Imperator dicitur.* Seruius *enim, prænomen est, &* Sergius, *familiæ, quod ex Fastis Consularibus patet. Vide Glareani Annotationes.*

ramum] ramulum, C. N. R. A. S.

institutam] Arborem instituere, *pro arborem in terra statuere & pangere dixit. Vide Turneb. lib. v, cap. ii.*

III. galbeo] *In origine nominis Galbæ;* galbeum *remedia lana inuoluta interpretatur Suetonius. Festus,* Galbeum, *ornamenti genus. Idem,* Calbeos, *armillas dicebant, quibus triumphantes vtebantur, & quibus ob virtutem milites donabantur. Vide Turneb lib. v. cap. ii.*

Mummiam Achaicam] Mummiam Achaiā, A.

IIII. Lucium] Liuium, *ad oram* G.

Constat Augustum] *Tacitus, Dion, & Iosephus, ad Tiberium referunt. Vide Leopardi lib. ix, cap. xii.*

παραγεύσῃ] παρέῤῥιζῃ, *quod loquuntur Suetonii codices, corruptum est: sed ex Dione & Tacito* παραγεύσῃ *emendandum. nam ita Tacitus lib. v scribit,* Et tu Galba quandoque degustabis Imperium. *mihi tamen veterum librorum notas a librariis male effictas scrutanti, videbatur scriptum fuisse,* τῆς ἀρχῆς ἔλαιον παρατρώξῃ. *sed quod fide Taciti & Dionis retulimus, verissimum esse confidimus. Turneb. lib. v, cap. ii. Vide Leopardi lib. ix, cap. xii.*

buccula, C. N. R. A. S. subucula, *ad oram* G. *alteram lectionem huic antepono.*

peruigilio] peruigili, C. N. R.

V. inter conuentum] in conuentu, N. S.

præcipuum] Legatum *quoddam per* præceptionem *a iurisconsultis nominatur: illud etiam* præcipuum *vocatur. Suetonius,* Namque quingenties I I S. cum præcipuum inter legatarios habuisset, quia notata, non perscripta erat summa. *Turneb lib v, cap ii.*

quia notata, N R quia vero notata, A. S. *Heic porro notare est, notis quibusdam & compendiis litterarum aliquid breuiter perstringere, nō omnibus litteris, integrum perscribere, vt apud Fabium,* quantum notando consequi potuerant.

perscripta, *non* præscripta, C. N. A. S. *quæ germana est lectio.*

quingenta, *pro* quinquaginta, C. N. R. *Vide Glareani Annotationes.*

VI. Saluius Otho, *non* Siluius Otho, *legendum, ex veterum librorum auctoritate, & ex Fastis Consularibus.*

A Caio Cæsare Gætulico substitutus, S. A Caio Cæsare licet substitutus, C. A Caio Cęsare ludis substitutus, N. R. A. *Pro* A Caio *certe* ludis substitutus, *reperio in bonis libris,* licus substitutus. *in aliis,* lici, *non* ludis *legitur. vt extra cōtrouersiam sit ex reliquiis vocis elisæ & contritæ legendum* Gætulico: *quod docti viri verum esse ac sincerum contendunt, atque id & trochaicus, qui subiungitur, comprobat, & e Dione in Caligula intelligi potest. Vide Turneb. lib. v, cap. ii: & lib. xxiiii, cap. xli.*

VII. Pro Consule, N. R. Proconsule, A. S. Proconsul, *Beroaldus.*

IX. cruce affecit] cruci affixit, *ad oram* G.

Cluniæ, N. Diuinæ, C. Diuiæ, R. Cluuiæ, A. S. Clunia, *Ptolemæo Hispaniæ oppidum est:*

X. Igitur cum quasi manumissioni vacaturus conscendisset Tribunal] *Hæc ego verba ex Romanorum consuetudine explicanda censeo nam cum Magistratus, vt scribit Theophilus, (eo enim appellando me liberauero) conuentus agebat, vltimis conuentuum diebus manumissionibus operam dare solebat. Turneb lib. v, cap. ii.*

Dertosa] Detorsa, N. decursu, R. A. S. *Sine controuersia emendate in libris veteribus legitur* Dertosa, *quod oppidum Hispaniæ est. Vide Turneb. lib. v, cap. ii. & lib. xxiiii, cap. xli.*

XII. Patapsidem, C. N. R. A parapsidem, S.

XIII. Venitio simus a villa, S. Venitione simus a villa, C. & *Sabellicus.* Venitiones imus a villa, N. R. Venit io simus a villa, A. & *Beroaldus.* Venitio simus a villa, *non intelligo: verum legendū arbitror,* Venit io simus a villa: *vel,* Venit io, venit simus a villa. Iō *autem interiectio exsultantis est omnibus notissima. Turneb lib. v, cap. ii.*

XIIII. Hi erant T. Iunius, A. S. *cuius sæpissime meminit Tacitus lib. xvii.* Hi erant Liuius, C. N. R. *in* C. Iunius *annotatur.*

socordiaque] secordiaque C.

Icelus, C. Icelius, N. Itellus, R. Icellus, A. S. *Vide in Nerone cap. xlix, & infra cap. xxii.*

XV. Xystici, N. R. A. S. Istrici, C. *Vide Beroaldi librum Annotationum.*

pretio addici, aut donari gratia passus est] pretio adipisci, aut donari passus est gratia, C. N. R.

Tigillino] Tigellino, N. *sed* Tigillini, *paullo ante.*

sæuitiæ] sæuiore, *ad oram* G.

XVI offensis vel præcipua, C. N. R. A. S. *non, vt circumferunt exemplaria,* offensus. *Turneb: lib. v, cap. ii.*

flagrauit] flagrabat, C. N. R.

Ceterum] Centum, C.

vt suspectos] insuspectos, A.

rumpere ausi, Kalend. Ianuarii adigi] rupere,

ac se Kalend. Ianuarii adigi, C. R. rumpere ausi, Kalend. Ianuarii addici, N.

XVII. Saluio, C. N. R. S. *non* Siluio, *vt vulgati quidam libri habent, non sine manifesto mendo. in Fastis enim Consularibus hic* M Saluius Otho *nominatur.*

XVIII. spiculator] speculator, N. *De huius vocabuli scriptura lege ea quæ in Caligula cap. lii annotauimus.*

terra tremote] terræ tremor, *ad oram* G.

excucurrisset, N. excurrisset, C. R. A. S.

XIX. dissiparant] dispersferant, C. N.

XX. opem Imperatori] Imperatori auxilium, C. N. R.

accerserentur] accersirentur, C. N. arcessentur, R.

Germaniciorum vexillatione] Germanicorum vexillatione, C. A. S. *in* C. *annotatur* Germanorum. *quo modo etiam legitur in* N. R. *Scribit Suetonius*, excepta Germaniciorum vexillatione. *quo in loco vexillationem intelligimus cohortem militum, qui confectis & emeritis stipendiis, sub vexillis etiamnum habebantur, vsque dum commoda & agros acciperent. nam hæ* vexillationes *dicebantur Tacito*, ne dimissis quidem finem esse militiæ; sed apud vexillum retentos alio vocabulo eosdem labores perferre. *Alæ etiam equitum, Vegetio* vexillationes *dicuntur. Turneb. lib. v, cap. ii.*

aduolauere] aduolauerunt, C. N. R.

Galba Cupido fruaris ætate tua] Galba cupide fruaris ætate tua, N. R. A. S. *Melius blattarius Tranquillus*, Galba Cupido fruaris ætate tua. *Senex, qui pulcer etiamnum videri vellet, per irrisionem* Cupido, *id est bellus & formosus, iocularitèr appellatur Turneb lib. xxiii, cap. xli.*

XXI. caluo] præcaluo, *ad oram* G.

caro] gibbus, C. N. R. *in* C. caro *annotatur.*

propendebatque] præpendebatque, C. N. R. A. S.

XXII. vsque ad abundantem, A. vsque eo abundanti, C. R. vsque eo abundans, N. vsque eo abundantem, S.

Ferebant in Hispania Icelum] in Hispania Ethicelum, C. in Hispaniam Hicelum, N. in Hispania Ethiceum, R. in Hispania c. Icellium, A. S. *Vide in Nerone cap. xlix, & supra cap. xiiii.*

EX OTHONE, VIII.

I. Titianum, *non, vt quidam*, Terentianum, C. N. R. A. S. *Fasti Consulares, & Tacitus lib. xvii.*

cognomine] cognomine Otho sibi, R. cognominem sibi, S.

III. Poppæam Sabinam, *non* Pompeiam Sabinam, *quod in* C. N. R. *corrupte legitur. Vide Tacitum lib. xvii.*

corripuisse] corrupisse, C. N. R.

arcessendam] accersendam, N.

enotuit] innotuit, C. N. A. S.

IIII. mathematici] magi, *ad oram* G.

aureos] *Æstimatio* aurei Romani, *qui & solidus dicebatur, cognosci potest ex comparatione locorum duorum, Suetonii & Taciti. Nam de Othone scribit Suetonius*, quoties cena principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim diuidebat. *Tacitus lib. xvii*, cohorti excubias agenti, viritim centenos nummos diuideret. *aureus igitur Romanus centum nummis taxatur. Turneb. lib. v, cap. 2. Vide Glareani Annotationes.*

V. spiculatoribus] speculatoribus, C. N. *De huius dictionis scriptura varietate vide in Caligula cap. lii.*

VI. miliarium aureum] Miliarium, *vas est longum & angustum ad similitudinem milii. Palladius*, Vas, *inquit*, æneum miliario simile, id est, altum & angustũ. *eo ad balnea vtebantur. Etiam* miliarium aureum, *Romæ in foro columna erat, in quam omnes viæ Italiæ competebant & desinebant quod ita vocabatur, quod ab eo miliariorum numerus, quibus itinera metiebantur, incipiebat. nam lapides in viis, quibus miliaria notabantur*, miliaria *etiam vocabantur. Plutarchus*, ὁ χρυσοῦς εἱστήκει κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσι. *De eadem re Suetonius*, vt se in foro sub æde Saturni ad miliarium aureum opperirentur *Turneb. lib. v. cap. 2.*

VII. Deinde] Dein, C. N. R. S.

ratione] oratione, N. R. A. S.

τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς, *id est*, quid mihi cum longis tibus? *Vide Erasmi Chil. 2, Centur. v Adag. xcvii.* τί μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς, *prouerbium esse dicit Dio, de iis qui quid sibi non vtile faciunt quod & paullo aliter effert*, τί γάρ με ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν, *puto hoc dictum, vel ex eo quod ad rem diuinam & puluinaria adhiberent tibicines, qui tibiis canebant longis, vt præcentoris & thurarius, cum tamen interdum sacrificium sibi non profuisse censerent · vel ex eo quod quis, tibias tractare commode paruas cum posset, vt puellatorias, quas Græci παρθενίους vocant, aut gingrinas, quæ breues erant, magnas longasque sumeret, quas commode non possit inflare. Turneb. lib. v, cap. 2.*

VIII. Germaniciani exercitus in Vitellii verba iurarant, A. S. Germanici exercitus in Vitellii verba iurauit, C. R. Germanici exercitus in Vitellii verba iurarunt, N.

expertus est; & placuerat per classiarios] expertus est, quando placuerat ad classiarios, *Glareanus legere maluit. de qua lectione vide eius Annotationes.*

perruperunt] proruperunt, C. N. R. A. S.

motis nec dum conditis ancilibus, *quid est? Solebant qui bello gerendo præficiebantur, vt inquit Seruius, ingredi Martis sacrarium, anciliaq; primum mouere, deinde simulacri hastam, dicentes*, Mars vigila. *Tacitus*, Fuere qui proficiscenti Othoni moras religionemq; nõ dum conditorum ancilium afferrent. *Promebantur autem indicto bello ancilia, vt mouerentur ac profectionem suscipere ante quam condita essent, ominosum & religiosum habebatur Turneb. lib. v, cap. 2.*

IX. Bryxelli] Brixelli, C. N. R. A. S.

Bebriacum] Betriacum. C. N. *Scribunt historici Othonem apud Bebriacum fraude superatum a Vitellii ducibus fuisse. Nam ita in Tacito & Tranquillo scribitur. sed & in Iuuenale Sat ii. Ego tamẽ existimo scripturam istam in auctoribus adulteratam esse. nam & Tranquilli libri scripti* Betriacum

triacum *aut* Bretiacum *habent*, & Betriacum *nominat Plutarchus in Othone. Ego igitur fideliorem Plutarchi & veterum librorum scripturam arbitror, quam peruulgatam, eamque in libros reuocandam arbitror, vel si exceptione vsucapionis hæc se tueatur Turneb. lib. xxiii, cap xxxvi.*

consalutatione] consultatione, C.N.R.

X. Lenis] Lætus, C.S.

Tribunus angusticlauius, C. *nō* Tribunus augusticlauius, *quod esset tunica angusticlaui, vt lati. Tribuni autem militum, quidam angusticlaui erant, quidam laticlaui: hique maioris dignitatis, illi minoris. Vide Turneb. lib. i, cap ii lib. xii, cap. vi lib. xxvii, cap. xi: & in Domitiano cap x.*

cohortuerit] corruerit, C.R.

XI. cœptabant] captabant, *ad oram* G.

noctem his ipsis totidemque verbis, vetuitque] noctem: his ipsis totidemque verbis: vetuitque, N.R.S.

adopertis, C N.R S. adapertis, A. *Pro* foribus adopertis, *reperio in libris lucifugis*, foribus adopertis, *quod est clausis quam lectionem confirmat quod mox sequitur*, Irrumpentibus, *quod fores clausæ essent. Turneb. lib. xxiii, cap. xli.*

papillam, *pro* pupillam, N.R.A.S.

& celeritet (nam ita præceperat) funeratus, N. & celeriter apud vlterinam ita, C. & celeriter apud culiternam ita, R. *vtrumque mendosum est* & celeriter apud Veliternam (ita præceperat) A. & celeriter ac paruo cultu (nam ita præceperat) S. *Pro*, & celeriter apud Veliternam (ita præceperat) funeratus, *reperio*, & celeriter (nam ita præceperat) funeratus: *quod & elegantia & sententia satisfacit vt illud* Veliternam, *quod in hanc viciniam immigrauit, exturbandum putem non iniuria. Turneb. lib. xxiii, cap. xli Vide Glareani Annotationes.*

XXXVIII. ætatis anno, & XCV imperii die] LVIII ætatis anno, & LXXXXV imperii die, N.I. & octauo ætatis anno, & nonagesimo & quinto imperii die, R. trigesimo & octauo ætatis anno, & nonagesimo & quinto imperii die, A. trigesimo octauo ætatis anno, & nonagesimo quinto Imperii die, S. *De hac lectionis varietate vide Glareani Annotationes.*

XII. Fuisse enim traditur & modicæ staturæ, & male pedatus, scambusque] Traditur enim fuisse & modicæ staturæ, & male pedatus, cambusque, C Fuisse enim & modicæ staturæ, & male pedatus, caluusq, traditur, N. Fuisse enim traditur & modicę staturæ, & male pedatus, caluusque, R.A.S. *Cum caluitium nec ad corporis habitū pertineat, nec officiat in rebus gerendis, quis merito hunc locum dubiæ ambiguæq, fidei esse non censeat? Consului exemplaria scripta in quibus reperi, modo* campus, *modo* cambus. *quo fit vt legendum censeam* scambus *quo nomine vocatur, cuius crura sunt deprauata & curua. is enim σκαμβὸς a Græcis appellatur quam vocem quo minus vsurparet Suetonius quid obesse potuit? cum eum tanta libertate scribendi videamus vti: & hanc appareat vocem Latinis vsitatam fuisse, cum in antiquioribus Nonii voluminib is reperiam*, Strabones sunt, quos scambos nunc dicimus: *videlicet a deprauata oculorum acie. Turneb. lib. v, cap. i.*

EX VITELLIO, IX.

I. aliquando] aliquanto prius, C.N.R.A.S.

Vitellia] *Quæ in Vitellio* Vitellia Dea *ab eo nominatur, a qua quosdam nomen & genus Vitelliorum deduxisse dicit, alia est quam Arnobii* Vibillia, *quæ, nisi me memoria fallit, dicitur fuisse Dea viarum, atque ab eo errore earum homines liberasse. Turneb. lib. xxiii, cap. xli.*

Æquiculos] Æquicolos, S.

Nuceriæ] Luceriæ: *de qua lectione vide Glareani Annotationes.*

II. cogituturis, S. futuris, C. consuturis, N.R.A. *Lutulentum, vt ita dicam, & cœnosum arbitror illum in Suetonii Vitellio locum, in quo de eius maioribus differt.* Cuius, *inquit*, filius sectionibus & cōsuturis vberius cōpendium nactus. *quæ enim, malum, sunt ista* consuturæ? *nisi forte eum censet, vt patrem, fuisse sutorem veteramentarium. sed, vt arbitror, sutor & sector non fuisset. illud accommodatius, &, vt opinor, longe verius, cuius assertores sunt libri veteres:* cuius filius sectionibus & cognituris. cognituras *enim dicit procurationes, cum hominum in foro esset cognitor & procurator. cognitiones non dixit, sed cognituras, ne de iudico loqui videretur Turneb. lib. v, cap i.*

ex muliere vulgari] Vulgaris mulier *est, quæ sui copiam facit, seque vulgat quomodo & a iurisconsultis vsurpatur. Turneb. lib. v, cap. i.*

prælautus alioqui] prælatus eloquio, N.R.A.S.

socculum] *Vt cothurnus, sic & soccus Romanum non videtur fuisse calceamentum, sed Græcum vtroque autem Romani vtebantur in palliatis comœdiis & tragœdiis. Socci etiam Romamulierum videntur fuisse: Suetonius in Vitellio*, a Messallina petiit vt sibi pedes præberet excalceandos · detractumque socculum dextrum, inter togam tunicasque gestauit assidue. *Vide Turneb. lib. xx, cap xxx.*

III, spintriæ] spinteriæ, C.R. *Quid illud est?* & ipse perpetuo spintriæ cognomine notatus. *Ego spintriam eum accipio, qui muliebria patitur, seque aliis abutendum præbet. certe pro spintria Dionis compendium πορνευόμενον dicit, id est, prostitutū & stuprum passum sed & spintrias a patientia nominatos Tacitus ostendit his verbis*, Tuncque primū ignota ante vocabula reperta sunt, sellariorum & spintriarum, ex fœditate loci & multiplici patientia. *nam* loci fœditatem, *ad sellarios refero*, multiplicemque patientiam, *ad spintrias. quare cum effeminati essent, in eis sphinter effeminatur, & spintriæ vocantur vnde origo appellationis. Turneb lib. v, cap. i. Vide & Hieronymi Magii Miscell lib ii, cap. xiii*

IIII. exorandum præbuerit] exorandumq; præbuerat, N.R. exorandumque præbuerit, S.

V. curam quoque operum] curamque operum, C.N.A.S

substitutus esset] substituisset, C.R.

VI. Petronium] Petronianum, C.N S.

VII. factionis suæ] factionis Venetæ, C.S. *in* c. suæ *annotatur.*

ablocaret] oblocaret, *Sabellicus.*

III. COS.] ter Consulis, C.N.R. ter COS. S. Vide Glareani Annotationes.

quosque] quoque, C.N.R.S.

ientassent, sincerum est. lactassent vero, quod in C, S. legitur, deprauatum esse arbitror.

VIII. conceptu] incensu, ad oram G.

alluxit] illuxit, ad oram Frellonii editio.

prius] prior, ad oram G.

X. Bebriacensi] Betriacensi, C. Vide cap. xx in Othone.

militis] militiæ, ad oram G.

quo se is] quo is se, C. N. R.

XI. Vrbem denique] Vrbem quoque, C. N. R. A. S.

XII. poscam] Poscam, quam plurimi grammatici loram esse suspicantur, ego semper apud Plinium, oxyeratum quizythum apud eum esse existimant, nugantur. ipse enim posca & zythi, vt diuersarum potionum, mentionem infert. nec vera, vt tradũt, e farina in aqua decocta, priscorum zythus conficiebatur; nec de eo posca nomine loquuntur historici. Brodæus Miscell. lib. iiii, cap. xi.

deprehendisset] reprehendisset, N.R.

XIII. quadringenis] quadrigenis, N. quadragenis, R.A.S.

Patinæ] Ingentem patinam suam clypeum poliuchi Mineruæ appellabat Vitellius, quod patina illa magnitudinem scuti Mineruæ, quam Athenis fecerat Phidias, æquaret. Cum autem illa Minerua colossea esset, amplitudinemque XXVI cubitorum æquaret, eius etiã immanis clypeus erat, multis & [illegible]erosis cælatus argumentis. vnde & patinarum paludes Vitellii memoria Mucianus exprobrauit. Turneb lib. xxiiii, cap. xli.

πολιέχου] Poliuchi communi genere, vt Suidas ait, dicuntur qui ciuitatibus imperant, eisque moderantur: nos Deos tutelares dicere possumus, seu custodes. Gyrald. de Deis Gentium, Syntagm. xi.

scarorum iocinora] sacrorum, in C. annotatur. In librorum antiquitatibus inuenio, scarorum sacrorum iocinora. quibus piscibus sacri nomen attribueretur, scribit Athenæus scarum etiam Romani deperibant adeo, vt eum Iouis cerebrum dixerit Ennius. erant & quidam in lacubus & piscinis fortasse Diis sacri. etsi fieri potest, vt optimi libri scriba iterauerit vocem antecedentem elemento vno traiecto. ita enim e scarorum fit sacrorum, omninoque scarorum, & e Carpathio, sinceriora censeo. Turneb. lib. xxiiii, cap. xli.

a Carpathio vsque, fretoque Hispaniæ, A.S. a Parthia vsque, fretoque Hispaniæ, C. N. R. sed in N. Hispanico, pro Hispaniæ, legitur. Pro lectese Carpathio, quod equidem damnare mihi nefas puto, vt & subticere auctoritatem veterum librorum, eamque supprimere· igitur pro e Carpathio, in librorum antiquitatibus, e Parthia vsque, inuenio. Turneb. lib. xxiiii, cap. xli.

XIIII. vernaculis] Scio omnium librorum cõsensu hanc lectionem testatam esse. putem tamen diuinaculis commodius aliquanto, quam vernaculis, hoc scribi posse. Turneb lib v, cap. i. veraculis vel vericolis, pro vernaculis, reponendum putat Iosephus Scaliger Comment. in Cirin.

factum] fatum, C. alterum magis placet. Vide in Cæsare cap. lxxx.

Bebriacenses] Betriacenses, C. Vide in Othone cap. ix.

Atque vbique] Atqui, ad oram G.

metuens] metuentes, C.N.R.S.

XVI. Senatui] Senatoribus, C.N.R.A.S.

XVII. & vbi] ecubi, ad oram G.

discissa] descissa, C.R.N.

reducto coma capite] reducta coma a capite, N.R.A.S. Lego in optimis libris, reducto coma capite, quod est, apprehensa coma capite retracto & resupinato. Turneb lib. xxiiii, cap. xli.

mento mucrone gladii subiecto] In optimis duobus libris, pro mento mucrone gladii subiecto, exaratum est, mento mucrone gladii subrecto: quod scilicet sub mento esset rectus gladii mucro, quo mentum erigere vultumque cogebatur Vitellius. Turneb. lib. xxiiii, cap. xli.

confectus] confectus, ad oram G.

Becco, C.N. Becca, R Beco, A.S. Vide Glareani Annotationes.

EX VESPASIANO, X.

I. Petronius. In codice vetusto Petro in nominatiuo, ac Petronis in genitiuo legitur. lector iudicet, vtrum verius legi putet. Glareanus in Annot.

publicum] publicanum, S. Vide Beroaldi librum Annotationum.

ducta] deducta, C.N.R.

II. Sabinis, S. Sannis, C.N. Samnis, R. Samniis A. Cum apud Tranquillum Vespasianus esse natus in Sannis dicitur, vbi locorum dicatur, quis non quærit? & tamen nemo, quod sciam, probe inuenit: nec inueniri potest, quod nusquam est. ego consulto antiquo libro, cum repererim Samnis, non dubito quin in Sauinis librarius scribere voluerit, vel potius Sabinis. Sabinus erat Vespasianus, vbi & æstiuare solebat, vt & plerumq; Titus eius filius. Turneb. lib. xxii, cap. xvi.

C. Poppæo, A. S. quod Fasti Romanorum confirmant. C. Pompeio in C.N.R. perperam legitur.

poculo] pocillo S.

Tribunarum] Tribunus, quidam habent codices. Glareanus in Annotationibus.

etiam non sine repulsa] pro etiam, legit ædilitatem Glareanus in Annotationibus.

III. Domitillam, C. R. S. Domitilla, cum t, non cum c, scribendum, vt Domitius, & Domitianus.

Sabratensis] Scribendum Sabratensis, pro Sabracensis, a Sabrata vrbe Africæ, veteri libro, & Plinio adstipulatoribus Turneb. lib. xxii, cap. xvi.

delicatam, delegatam, N. R. A. S Delegata quæ dicitur, delicata appellari debet, vt amica & cõcubina, quæ olim in deliciis fuerit. nam fere meretrices & concubinæ, libertinæ erant. Sic in veteri inscriptione reperio, Teiæ Euphrosynę Rufinæ v. v. delicatæ. Sic in vita Hadriani Imperatoris, Traiani delicati pueri sunt, quos in deliciis habebat Turneb. lib. xxii, cap. xvi.

& a manu, S. recte. & amauit, N. adamauit, R. A. sed inepte, teste Sabellico.

IIII. Plautii, A. S. quos sequor. Palatini, C. R. Plauti,

Plauti, *in c annotatur* Planci, N. *Vide in Claudio cap. xxiiii. & in Nerone cap. xxxv.*

cui latum, A. S. *non*, qui latum, *quod habent* C. N. R.

Percrebuerat, A. S. Percrebruerat, N. R. *hanc scripturam probat Lambinus Comment. in Hor. ii Serm. v. alteram Aldus Paulli F. in Orthographiæ Ratione.*

proximas quoq; conuertit. C. N. R. S. *& subintelligitur prouincias.* proximas quoque ciuitates conuertit, A. quasque, *pro* quoque, *ad oram* G.

V. Marti sacrata] sacra, C. N. R. A. S.

extrarius triclinio] exterius e triuio, C. extrarius e triuio, N.

medicus dentem et ostenderet tantum quod exemtum] *Illud sic scribendum est: fides autem penes optimos codices fuerit: pro quo subditicium est*, recenter quidem exemtum, *indignu medius fidius elegantia & sententia Tranquilli. Turneb. lib. xxii, cap. xvi.*

Bebriacensi] Betriacensi. *Vide in Othone cap. ix.*

VI. creandique] curandique, A.

Germaniciano, R. A. S. *quam lectionem, vt germanam, retinendam esse censeo; vt & in Galba cap. xx, & Othone cap. viii.* Germanico, C. Germano, N.

qui Vitellium fecissent, C. N. R. A. S. *non*, Vitellium Imperatorem fecissent. Imperatorem *enim irrepticium esse puto, quod aliis characteribus in non nullis libris impressis scribatur.*

officium numeris] Numeri *appellantur in re militari, centuriæ & cohortes legionesque militum. Suetonius in Vespasiano*, reuocatis ad officium numeris parumper. *quamquam sunt, qui* muneris *scribant: quod vocabulum frequentissimum est apud Marcellinum & iurisconsultos. sed & ἀριθμὸς, in eadem significatione aliquando vsurpauit Synesius. Turneb. lib. xxiiii, cap. xxxvi.*

Mucianus *cum c, non cum t, scribi debet, vt & Mucius.*

Vologesus] Vologeses, A. S. *Sic in Nerone cap. lvii, & in Domitiano cap. ii.*

VII. panificia C. N. R. S. *non vt* A. pannificia. *Celsus lib. ii, cap. xviii*; Scite igitur oportet quæ sint omnia legumina, quæque ex frumentis panificia sunt, generis valentissimi esse.

scilicet] solet, C.

debili] debilis, N.

VIII. Thraciam, Ciliciam] *Tanto ante cum in populi Romani dicionem redacta fuisset Thracia, existimo legendum* Trachîam Ciliciam. *pars enim Ciliciæ, propter asperitatem montium, vt ex geographis constat*, Trachîa *dicebatur. Turneb. lib. xxiiii, cap. xxxvi.*

ærearumque] ænearumque, *in* C *annotatur.*

suscepit. vndique inuestigatis exemplaribus, instrumentum Imperii, C. N. *quo modo etiam legit adstipulantibus veteribus libris Turneb. lib. xxiiii, cap. xxxvi.* suscepit; vndique inuestigatis exemplaribus. Instrumentum Imperii, A. S.

XIII. dominationem] damnationem, C. N. R.

XIV. ex officio] Officium *pro officialibus poni, non est infrequens, nec insolens, iurisconsultis præsertim. eodem in sensu posuit & Tranquillus. Turneb. lib. xxiiii, cap. xxxvi.*

abire Morboniam] Morbouiam, C. N. Morboniam *in* C. *annotatur.* abire in Orboniam, S. Morbonia, *vel, vt in quibusdam libris scribitur*, Morbouia, *vt nomen oppidi, quod tamen nusquam est, fingi videtur: aut adeo populi ore frequentabatur vetus oppidi nomen, sub sensu morbi & exitii. Hoc enim perinde est, ac si quis aliquem in malam crucem amandet, aut ad coruos abire iubeat. Certe Compendium Dionis pro Morbonia, ἐς κόρακας, habet. Turneb. lib. xxiiii, cap. xxxvi.*

XV. deinde & interfici] deinde interfici, C. N. R. A. S.

nuntiatum esset] renuntiatum esset, C. N. R. A. S.

cuiusque] cuiusquam, C. N. R. A. S.

XVI. quam, C. N. R. S. qua, A.

XVIII. pascere] pascere pane, C. N. R. A. S.

XIX. Terpno] *Suetonius in Nerone cap. xx;* Terpnum citharœdum vigentem tunc præter alios, accersiit. Tarpeio, C. N. R. Pterino, A. S. *vtrumque corruptum est. Pro* Pterino *citharœde*, Terpnum *emendamus: inquit Turneb. lib. xxiiii, cap. xxxvi.*

recte] recta, *ad oram* G.

Cibiotatem] Cibiotandem, C. & Cybiotandem *annotatur.* Cibiotîtem, N. R. Cibiotem, S. *Hac voce vtemur in principes summe auaros, & omnes vndique caussas exenterandis subditorum loculis venantes, nunc proponendo decimationes bonorum vel prouentuum, nunc mercimonia certa vi pecuniæ taxando, quin & quibuscumque annonæ partibus, vt frumento, vino, ceruisiæ, aliisq; ad victum spectantibus, vectigal assignando quantum libet, & quoties libet. Vide Egnatii & Glareani Annotationes, & Melchioris Neipæi Adagium xvi.*

Fauor, *non* Fauo, N. Fauor *archimimus etiam vindicibus libris antiquis asseritur; quod expunctum, locum cesserat* Fauoni. *Turneb. lib. xxii, cap. xvi.*

viiii] viri, C. N. R. A. S. viiii, *in* C. *annotatur.*

sestertia centies] sestertium centies, N. R. IIS centies, A. S. *Vide Glareani Annotationes.*

XX. infacete. Siquidem petenti] infacetus petenti, C.

XXII. comissimus] cum amicis, R. A.

prætextatis] Prætextata verba, *in Vespasiano, obscena & turpia interpretor, a fabulis prætextis, quales Afranii fuerunt, in quibus fœdissima & turpissima dicta & argumenta erant. Turneb. lib. xxiiii, cap. xxxvi.*

Mestrium, N. S. Menstrium, R. A. Menstrium Florum *liber scriptus* Mestrium *appellat, Plutarchus* Metrium *in Symposiacis; quod & verius quispiam fortasse putet. Turneb. lib. xxiiii, cap. xxxvi.*

productæ, C. N. R. A. *id est, prostitutæ, non* perductæ, *vt* S. *Vide Pithœi Aduersariorum subsecivorum lib. ii, cap. xvii.*

XXIII. ferre, *non, vt* A, efferre, C. N. R. S. & *Turneb. lib. xxiiii, cap. xxxvi.*

Nuntiantibus legatis] Nuntiantes Legatos, C. N. R. A. S.

vt continuo] vel continuo, C. N. R. A. S.

ad Iuliam Caluinam e gente, *non* ad Iuniam Caluinam a gente. *Mausoleum enim Iulia gentis sepulcrum, quod in campo Martio fuit.*

XXIIII. Cutylias] Cutilias, S. *Vide Plinii lib. III, cap XCV & lib. III, cap. XII.*

XXV. quondam] quandam, N.R.

EX TITO, XI.

I. fortunæ] naturæ, *ad oram* G.

II. afflictatus] afflictus, C.N.R.

hodieque, C.N.R. *non, vt* R.A. hodie quoque. *Suetonius in Claudio cap XIX,* quę constituta hodieque seruantur.

III. amanuensibus] Amanuenses, *serui sunt a manu, qui excipiunt & scribunt: at* serui ad manum, *alii sunt, vt apud Ciceronem lib. III de Oratore,* quem seruum sibi habuit ille ad manum. *& apud Liuium,* inde ad manum cantari histrionibus ceptum. *nam* ad manum *significat, quod presto est, quod in promtu, quod paratum est. Vide Turneb. lib III, cap. XIII & lib. V, cap. XI.*

IIII. ex imaginum eius] ex statuarum & imaginum eius, C. N. & statuarum & imaginum eius, S.

Furnillam] Fuluiam, C.R.A.S. Furnillam, N.

Taricheam, *recte* A. Tracias, C. Thracias, N. R. Trachias, S. Tarichea *enim Iudeæ oppidum est.*

V. arcesseretur] accersiretur, N.

consulit] consuluit, C.N.R.

VII.] XII, C.N.R.

vt remaneret] aut remaneret, C.N.R.A.S.

desisceret] desciscere, N.R A.S.

Apide] Api, C.N.R.A.S.

secus] secius, C. *Lego in vetere libro,* sequius, *quod deterius valet & secius. itaque quamquam mihi altera scriptura probata est, tamen hæc dissimulanda non fuit. Turneb. lib. V, cap. XI.*

dehinc] dein, C. deinde, N.R.

VI. orationesque] *Lego,* orationesque in Senatu recitaret etiam Quæstoris vice. *nam officium erat Quæstorum, orationes Imperatorum in Senatu recitare. de Quæstoribus enim illis, qui cādidati principis erant, sic refert Vlpianus,* Hi etenim soli libris principalibus in Senatu legendis vacabant. *Turneb. lib. V, cap. XI.*

aliquanto] aliquando, C. R. A. aliquanto, *in* C. *annotatur.*

inciuilius] *Quod est,* egit inciuilius? *nempe violentius, asperius, acerbius, sæuius, & tyranni more.* ciuilis *enim dicitur, qui sæuus non est, sed moderatus, parique cum ceteris iure viuit.* inciuilis, *qui se pro Principe & Imperatore non gerit, sed superbus & arrogans est, & tyrannus. Vide Turneb. lib. V, cap. XI.*

deposcerentur] deposcerent, C.N.A.S.

A. Cæcinam, *non* A. Cecinnam, *lego. Hic enim* A. Licinius Cæcina *fuit, quo bello ciuili duce vtebatur Vitellius.*

tam aduerso rumore] tam aduersa re, A.S.

VII. gratissimis, *pro* grauissimis, C.N R.A.S. *quos sequor.*

omnino cœtu, *non, vt* A. omni cœtu, C. N. R.S.

Amphitheatro] Amphitheatrum, *quod Titus ædificandum curauit, Breuiarium Dionis appellat* τὸ θέατρον τὸ κυνηγετικὸν, *id est,* Theatrum venatorium, *quod venationum caussa extructum esset. vt &* thermas, βαλανεῖον: *in quo pro quinque millibus ferarum a Tranquillo scriptarum, referuntur nouem millia. Turneb. lib V, cap. XI.*

VIII. aliter rata non haberent] aliter non haberent, C.N.R.

laudatam] laudandam, C. N. A. S. laudabilem, R.

Thracum] Threcum *in archiuis bibliothecarum reperio, pro* Thracum. *vtrumque vsitatum, & vsurpandū. sed hoc, quod vt insolentius quispiam fortasse submouendum putaret, testimonio adiuuandum fuit. Turneb. lib. XXII, cap. XVI.*

vt fautor] *fortassis legendum,* non vt fautor: *de qua lectione vide Glareani Annotationes.*

vnicum] vnice, *ad oram* G.

publice periisse testatus est] periisse testatus est publice, C. N. R.

delatores, mandatoresque] amandatoresque, *in* C. *annotatur. In Tranquilli Tito* delatores & mandatores *legimus. sed qui* mandatores *sunt? an qui accusationem alicuius cuipiam mandabant, & accusatorem instruebant? & fortasse verum sit; cum ita vsurpetur a iurisconsultis. libri tamen optimæ notæ* amandatores *habent, vel* amēdatores. *hoc quispiam putaret* emendatores *esse: vt honesto vocabulo delatores quidam vocarentur, quod scelera & crimina emendare vellent & corrigere. puto tamen verissimum esse* mandatores, *qui accusatores subornabant, & instruebant, & in exsilium homines hac ratione calumnia oppressos pellebant. Turneb. lib. XXII, cap. XVI.*

in asperrima insularum, C.N R. in asperrimas insularum, A.S. asperrimas insulas, *Beroaldus legisse videtur.*

IX. perditurum] puniturum, C. N. R. A. S. perditurum, *in* C. *annotatur.*

ornamenta, C. N. R. A. S. arma, *in Rouilii & Frellonii editione ad oram annotatur.* instrumenta, *legit Sabellicus. Vide Glareani Annotationes.*

quandoque &, N. quoque &, C.R.A.S.

X. plagulis] pallulis, C. R. paludamentis, N. diuinoris pallulis *in iuratissimis antiquitatis libris reperi. quidni enim vela obducta lectica,* pallulæ *vocari queant? quod ita a me affirmatur, vt tamen* plagulis *de suo iure nullam controuersiam faciam, ne momenti actionem mihi intendat, & a Prætore restitui petat, si a me deiiciatur. tantum doceo consortē ei esse, qui de eo Tranquilli loco ambigere possit. Turneb. lib. XXII, cap. XVI.*

XI. cucurrit] concurrit, N.A.S.

EX DOMITIANO, XII.

I. Malum Punicum, *insigne domus est. Turneb lib. IX, cap. XXI.*

tempus] tempora, C.N.R.A.S.

vanæ] *In Domitiano reperio,* inter sacrificulos variæ superstitionis; *cum hodie* vanæ *legatur, quod a me probatur. sed varia etiam esse potuit illa religio, variique cultus & cærimoniæ, variique cultores,*

cultorum: unde & facilior Domitiano latebra. Turneb. lib. xxii, cap. xvi.

atque peregrina] haud peregrina, N.

II. tantum vt] tantumque, vt, N.

ob hæc correptus] Ob hoc correctus, N. Ob hæc correctus, R. A. S.

ætatis] & ætatis, N.

in sex Consulatibus, non nisi vnum ordinarium gessit, *in Domitiano scribit Suetonius. in quo quæritur quis* ordinarius *sit* Consul. *eum sic appellatum reor, ex cuius nomine anni supputatio ordinabatur; id est, cuius nomen in litteris & instrumentis, & in fastis scribebatur, qui denique Kalend. Ianuariis honorem inibat nam ætate Imperatorum, annus in multos diuidebatur Consules sed soli, qui anni initio inibant honorem, ordinarii censebantur, honoratioresque erant. Seneca,* Consulem me fecit, sed non ordinarium. *Id a Dione lib. xliii etiam scribitur. Turneb. lib. v, cap. x.*

participem, C. N. R. principem, A. S. *Cum in Domitiano scribitur* principem, *videor non temere facturus, si & sensu, & veterum librorum fiducia,* participem *emendem. Turneb. lib. v, cap. x.*

III. inæquabili] æquabili, C. N. R. S.

IIII. venationes] venatores, N.

portentoso] portentuoso, R.

ecquid sciret cur sibi] & quid sciret quid sibi, C. & quid sciret, & quid sibi, N. ecquid sciret quid sibi, R. S. ecquid sciret, & quid sibi, A. *Lego,* ecquid sciret cur sibi visum esset, *non vt in codicibus publicatis. Turneb. lib. xxii, cap. xvi.*

circumducto] circumstructo, C. N. R. S.

inter maximos] in thermis, C.

sed olim] sed quo olim, C. N. R.

Circensium die, quo facilius centum missus peragerentur] Centum missus, *Circenses sunt, inquit Seruius, vnus dies centum enim currus mittebantur. quare Maro scribit,* Centum quadriiugis agitabo ad flumina currus. *Vltimus autem* missus ærarius *vocabatur. quamquam & centum pro multis, poetarum consuetudine, accipi possint Turneb. lib. v, cap. iiii.*

singulos a septenis spatiis ad quina corripuit, *id est, a septenis cursibus, a septenis curriculis. Turneb. lib. xx, cap. xv.*

prosa] *Vide in Octauio cap. lxxxv.*

psilocitharistæ, N. R. psallocitharistæ, A. *Quinam sunt apud Tranquillum* psallocitharistæ, *quæri video. ego vero locum esse corruptum, audacter affirmare ausim, legendumque* psilocitharistæ. *sic autem vocantur, qui solo nudoque citharæ cantu psallunt, sua ipsi voce non accinentes, nec in choro canentes. nam* citharœdi *etiam ad fides canunt* chorocitharistę *plures vna fidibus modulate concinunt. atque horum verborum hæc discrimina esse arbitror. Turneb. lib. xx, cap. xvi.*

virginum] virginis, N. R. S. A. *Scribendum* virginum: *quod e Breuiario Dionis intelligi potest. Turneb. lib. v, cap. x.*

toga Græcanica, R. S. toga Germanica, C. N. toga, Germanicam, A. toga Græcanica, *perspicue & sine controuersia verum est; cum more præfectorũ sacris certaminibus in Græcia, iũ Domitianus amictus præsideret. Turneb. lib. v, cap. x.*

Septimontiali sacrorum quidem die, Senatui equitique panariis, plebei sportellis cum opsonio distributis, initium] epulum Septimontialis sacrorum quidem Senatui equitiq; panariis, plebei sportellis cũ opsonio distributis, C. epulum Septimontiali sacrorum quidem Senatui equitique panariis, plebeis sportellis cum opsonio distributis, N. R. epulum, Septimontiali sacrorum quidem die, Senatui equitiq, panariis, plebeiis sportellis cum opsonio distributis, A. Septimontiali die Senatui, *inquit Tranquillus,* & equiti panaria; plebi, *(sic enim legendum censeo)* sportellas cum opsonio distribuit. *ab hac consuetudine dandi in sportulis opsonii, aut cenæ in sportulis ferendæ,* sportulę *nomen ortũ videtur esse, quod opsonii & cibi loco pecunia donaretur in victũ, qua cum cenam emẽtiretur, & cenæ loco daretur, recta cena opponebatur; quod* recta *sit* cena *cum clientem lante accipimus & pascimus. non recta cena, sed in locũ cenæ, asses cenæ caussa numerati id est, sportula data:* sportulas, *inquit,* publicas sustulit, reuocata cenarũ rectarũ cõsuetudine. *Turneb. lib. v. c. x.*

V. odeum] *ᾠδεῖον Græce, locus erat choro & symphoniacis attributus.* exmethodium, C. N. R. methodium, A. S. *Lege Glareani Annotationes.*

VI. partim sponte suscepit, partim necessario: sponte in Cattos, necessario vnam in Sarmatas] partim sponte suscepit, partim necessario. vnam in Sarmatas, C. partim sponte suscepit, partim necessario: sponte in Dacos, necessario vnam in Sarmatas, N. R.

VII. Sportulas publicas sustulit] *Vide Glareani Annotationes.*

gregum, A. S. Græcũm, C. N. Græcorum, R. *vtramque hanc lectionem, vt mendosam, reiicit Beroaldus.*

VIII. Recuperatores, ne se semper persuasoriis] ne se persuasoriis, C. R. ne persuasoriis, N. *Quæ sunt apud Tranquillum persuasoriæ assertiones in eo loco?* Reciperarores, ne se persuasoriis, assertionibus accommodarẽt, identidem monuit. *Olim qui in libertatem vindicabantur, cum serui essent, nec pro se iudicio liberali experiri possent, assertorem quærebant. in caussis igitur liberalibus monuit recuperatores, ne, tametsi fauorabilis libertas est, sequerentur in iudicio assertiones vel prece, vel pretio, vel persuasione eblanditas contra ius dominorum. Iurisconsultorum tamen princeps Cuiacius* perfusoriis *legendum censet, &, vt legit, in antiquissimo libro reperi, pudetque dissentire. Turneb. lib. v, cap. x.*

promiscue in equite, A. S. *id est, ordine equestri, vt interpretatur Beroaldus, qui etiam* promiscua iniquitate *agnoscit.* promiscue in æquitate, C. N. R. promiscue, & inquiete, *id est tumultuose, legendum contendit Sabellicus.*

dimissæ, *non* demisse, C. N. R. A. S.

Scatinia, *non, vt* A. S. Scantinia, *scribẽdum est. Fuit enim* Scatinia *lex, quam* C. *Scatinius Aricinus Tribunus plebis tulit in eos, qui alienam pudicitiam sollicitassent, aut suam ipsi prostituissent: quibus pœnam irrogauit x millia nummum. Vide Paulli Manutii Antiquitatum Romanarum de legibus librum.*

etiamnum] etiam tum, C. N. R.

IX. apud ærarium pependissent. *Pendere*

reos dicimus, quorum nomen in tabella pendula sit propositū. Vide Franc. Lusini Parergon lib. I, c. III.

discrimine] crimine, *ad oram* G.

Subsecíua, *non* Subsícíua, *vel* Subcisiua, *scribendum.*

X. puberem] pauperem, *ad oram* G.

Patremfamilias, quod Thracem, myrmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum e spectaculis. *Heic ego pro munerario aliquando libentissime retiarium legissem. nam persæpe retiarius cum myrmillone componebatur: vt, cum is cum esset comparatus myrmillo cum Thrace, comparari etiam optauerit cum retiario. sed Thraci cum faueret Domitianus, ægerrime tulerit, eum dici imparem retiario, cum retiariorum factioni & armaturæ non faueret. Nunc numerarius mirum in modum placet: vt Imperator intelligatur, qui gladiatorium munus dabat, infestusque ita erat armaturæ Thracum, vt pæne cum eis pugnare videretur. quare et imparem dixit paterfamilias ille Thracem, parem tamen aduersario myrmilloni. Cum autem Imperatores pæne pro Diis colerentur, & Domitianus tantos spiritus gereret, vt diuino fastigio parem se putaret, impietatē interpretatus est arrogans Imperator in patrefamilias, quod a studio & voluntate sua dissentire ausus esset, eumque arripi ad supplicium iussit.* Parmularius *autem heic est, qui Threcum vel Thracum armaturæ fauet. Thraces enim parmam gerebant. Vide Turneb. lib. v, cap. x & lib. xxvi, cap. xi.*

Thracem] Threcem, C. N.

detractum e spectaculis] dettactum ex spectaculis, C. dertactum spectaculis, N. detractum a spectaculis, *Turnebus.*

Ciuicam Cerealem] Cinicum Cerealem, C. eum tam corealem, N. *non sine mendo.*

Iunium Rusticum] *Hic Rusticus Arulenus in Dionis Epitome appellatur.*

Tribunum laticlauium] *Erant autem Tribuni laticlauii in legione maioris dignitatis, quam qui laticlauii non erant, & primi Tribuni militum legionis habebantur. De his in quibusdā inscriptionibus (vt a marmorariis fidem petamus) ita legitur,* Tribuno laticlauio leg. tertiæ Cyrenaicæ. *Iterum,* Tribuno laticlauio leg. I. adiutricis patriæ felicis. *Turneb. lib. xxvi, cap xi. Vide in Othone cap. x.*

XII. secius eo] eo serius, C. eo secius, N. R. S.

omni modo bona viuorum & mortuorum vsquequaque: quolibet & accusatore & crimine] omni modo bona viuorum ac mortuorum: vsquequaque quolibet. & accusati & accusatores crimine, C. omni modo bona viuorum ac mortuorum. vsquequaque & accusati & accusatores crimine, N. omni modo. Bona viuorum ac mortuorum vsquequaque, quolibet & accusatore & crimine, R. A. S.

Iudaicus fiscus] *Quem dicit fiscum Iudaicum fuisse acerbissime actum? significat tributum, quod Iudæi omnes, qui in imperio Romano erant, soluebant. nam viritim bine drachmæ exigebantur ab iis qui Iudaicam religionem colebant, Iouis Capitolini nomine, vt Dio refert. Turneb. lib. xxii, cap xvi.*

actus est] exactus est, *ad oram* G.

XIII. vocatam eam in puluinar] *In puluinar suum duxit Domitianus vocatam vxorem, superbe se Deum faciens: puluinaria enim Diis struebantur. Turneb. lib. v, cap x.*

epulari] epuli, C. R. S.

audit] audiuit, C. audut, N. R. S.

Formalem dictaret epistolam] *Formalem epistolam vocat Tranquillus, formatam epistolam, qua aliquid Imperator edicebat & publice imperabat, aut publice ad aliquos scribebat vt ex eius stylo & forma & exemplari, similes scriberentur. nam cum habent eam formam, quam instrumenta publica & edicta habent, formales epistolæ dicuntur. Suetonius,* epistolas orationesque & edicta alieno formabat ingenio. *Itaque epistola formalis, alia est quam familiaris. Turneb. lib. v, cap x.*

sic fieri] hoc fieri, C. N.

Ianos arcusque. *Ianos ἀψῖδας appellauit Dion in Nerua. Turneb lib. xxii, cap. xvi. Vide in Octauio cap. xxxi.*

ac tot, *non* aut tot, N. R. S.

vt cuidam Græce inscriptum arcui sit, aream, & caluitium. Consulatus] inscriptum sit arci. Consulatus, C. inscriptum sit arcui. Consulatus, N. R. *sed in* N. *post* arcui, *lacuna est.* *inscriptum* arcus sit, aream & caluitium. Consulatus, S. *cum asterisco post* aream. vt cuidam (*inquit Tranquillus*) Græce inscriptum sit, aream & caluitium: *in veteri libro reperi,* Græce inscriptum sit ἀρκεῖ, *quod verbum* tollare *significabit: & verisimile est verba Græca esse posita a Tranquillo quāquam non me fallit, aream significare defluuium capillorum. in antiquo alio reperi* ἀρκι, *in alio* ἄρκει: *idque maxime omnium placet. vt satis illi multos arcus exstructos esse dicat. Turneb. lib. v, cap x. Vide & lib. xxii, cap xvi.*

XIIII. formidine] fortitudine, C. R.

trabeati] *Trabeati equites a trabeis dicuntur, quæ tamquam quædam discolores habent pannorum trabes. inde enim nomen. Turneb. lib v, cap. x.*

XV. etiamnum] etiam tum, N. etiam tunc, R. etiam nunc, A.

mentione] emissione, *ad oram* G.

referretur] referebatur, C.

XVII. Clodianus corniculatius] *Vt in exercitu & acie dicitur* cornu, *ita in cohortibus Trib. militum* corniculum, *& fortasse in ordinibus centurionum: a quo* cornicularius, *qui corniculo Tribuni militū præest. Valerius,* Libidinosi centurionis supplicium, M. Lectorii Mergi Trib. militaris æque similis fœdus exitus sequitur: cui Cominius Trib pleb. diem ad populum dixit, quod corniculatium suum stupri caussa appellasset. *Tranquillus de claris grammaticis,* primo apparituram fecit Magistratibus: deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit. *Turneb. lib. x. cap x.*

omnia clausa] clausa omnia, N. R.

correpto] arrepto, C. N. R.

diu, modo] diu, dum modo, R. S.

conatum] conatur, S.

sandapila] Sandapila popularis, *ferētri genus, quo plebeii vilesque efferebantur. Vide Turneb. lib xxx, cap. xxx.*

vespillones]

vespillones] vispillones, C. N. R. vespilones, A. S. *Vide Festum de Verborum significatione, Fulgentiu de Prisco sermone libellum, & Turneb. lib. xiiii, cap. iii.*

XVIII. gracilitate] grauitate, *adoram* C.

hoc etiam illum simul, seque] etiam hoc simul illum, seque, C. etiam simul hoc illum, seque, N. etiam illum simul, seque, R. etiam hoc simul, seque, A.

ὀρχὰς οἷος] ὀρχῆς οἷος, *Egnatius.* ὀρχῆς ως, S. *Scribo in Tranquillo*, hoc etiam, illum simul seque consolans, inseruerit. *οὐχ ὀρχὰς οἷος κεῖνος καλός τε μέγας τε. Turneb. lib. v, c. x.*

Eadem me tamen manent capillorum fata, N. *Hanc lectionem quid attinet lectori commendare, quam deprauata satis comprobat, & conciliat intelligenti? Turneb. lib. xxii, cap. xvi.* Eadem remanent mecum capillorum fata, R. A. Eadem me tamen manent cum capillorum fata, S. *vtraque hac lectio mendosa est.*

XIX. effingeret] efficeret, C. N. R. A. S.

dispansam] expansam, C. dispassam, *Beroaldus & Sabellicus.*

XXI. Matianum, *lego* Martianum, C. N. R. A. S. *quibus non assentior.* Matiana *enim* mala *dicuntur, quod originem a Matio habent. Plinius lib. xv, cap. xiiii.*

affligi] affigi, C. N. R. *quam lectionem non esse veram Eusebii auctoritate contendit Sabellicus.* effringi, *adoram* G.

lætioremque] latioremque, A.

Hæc *summa fide collegi. qui vero ingenio feliciori, & iudicio acriori, melioribusque libris instructi sunt, multo plura, nisi me fallit animus, eruent. sed ex his tamen, vtcumque a me collectis si qua vtilitas inde ad studiosos peruenire posit, quod magis optandum mihi, quam sperandum, mercedem laboris mei amplissimam iam dudum accepi, atque id, quod maxime volui, consecutus sum.*

EX LIBRO VATICANO VARIETATES LECTIONVM

Suetonii; qui dumtaxat priores tres libros habet, sine distinctione capitum, cum notis, Lib. I. Lib. II. Lib. III. a Iusto Lipsio collecta.

EX IVLIO

Cap. I. *Annum agens Cæsar*] *Cæsar*, deest vet.

4. *circa Pharmacusam*] vet. *Pharnacusam.*

9. *ad Atticum epistola*] vet. *ad Axium.* recte.

Per Lambranos] vet. *Ambranos.*

14. *Decium Syllanum*] vet. *Decimum Silanum.*

20. *heraq nona traduxit*] vet. *transduxit.*

22. *in Assyria quoque*] vet. *Suria.*

23. *qui sibi pepigissent*] vet. *recepissent.* recte.

24. *Consulatum alterum peterent* &c. Totus locus hoc ordine in antiquo: *Peterent, & vt in quinquennium sibi imperium prorogaretur. Perfecitque vtrumque.* Monui de hoc loco Comment. v. Antiquar lection.

alias publico, alias priuato] *alias publico*, deest vet.

25. *eique in singulos annos stipendii nomen imposuit*] Vet. sic, *eique* CCCC. *in singulos annos stipendii nomine imposuit.*

Arunculeio legatis] vet. *Aurunculeio.*

26. *neptem amisit*] vet. *nepotem.*

38. *in equites vicena quaterna*] *in equites*, deest vet. recte.

39. *A. Calpenus*] vet. *Q. Calpenus.*

per solum orchestram] *solum*, deest vet.

47. *Seruitia recentiora*] vet. *retiora.*

52. *C. Marium*] vet. *C. Matium.*

Ælius Cinna] vet. *Heluius Cinna.*

59. *Salutationis cognomen*] vet. *Salutioni.*

77. *T. Amprius*] vet. *Ampius.*

80. *idem in Curia*] vet. *idem in Curiam.*

81. *Quando ossa*] vet. *Quandoque ossa.* recte. id est, quandocumque.

Spurina] vet. *Spurinna.*

LIB. II. AVGVSTVS.

1. *Velitris*] vet. *Velitris.*

2. *magna vi per D.*] vet. *magno interuallo per D.*

Æmilio Pappo] vet. *Papo.*

4. *Ex Accia*] vet. *Atia.*

5. *Cn. Lectorius*] vet. *Letorius.*

16. *Circeios in perpetuum*] vet. *Cercios.*

19 *nomenclatoris*] vet. *nomenculatoris.*

21. *gentes Alpinas*] vet. *Inalpinas.*

22 *tertio clausit*] vet. *ter clusit.*

25 *feminisque periculosioribus*] vet. *pecuniosioribus.*

27. *Quintum Gallum*] vet. *Gallium.*

40. *multis difficultatibus a libertate iusta*] vet. addit *multis diff. a libertate, & multo pluribus a libertate iusta remouisse.*

43. *Adolescentulum Lucium*] vet. *Lycium.*

LIB. III. TIBER.

1. *Appio Claudio*] vet. *Atta Claudio.* de hoc scripsi in Tacit.

a patribus in patricios] vet. sic, *sexto fere anno. Atque in patricias coopiata, agrum insuper.*

2. *multa etiam fecit*] vet. *fecius.*

Claudius Appius Regillanus] vet. *Claudius Regillianus.*

demersis vt biberent] vet. *quasi vt biberent.*

notissimum est] vet. *notaissimum.*

Trib pleb. pulsauerint] vet. *tribunus plebi.*

aut interdicere] vet. *intercedere.*

3. *A Tiberio Nerone*] vet. *Atimoro Nerone.*

Caci filii fuerunt] *filii* deest vet.

4. *Narbona & Arelate*] vet. *Narrabo.*

Tiberium enixam] vet. *filium enixam.*

5. *post bellum Philippense*] vet. *per bellum.*

6. *Actiacis ludis*] vet. *asticis.*

7. *Centum milium*] vet. *Centenum milium.*

Pomponii Attici] vet. *Caecili Attici.*

11. *tamen singulos*] vet. *tamdem.*

13. *& statuas Nemausenses*] vet. *remansisses.*

15. *adoptione amiserat*] *adoptione* deest vet.

19. *ab Rutheno quodam*] vet. *a Bruttero.*

21. *ambitione tractatum*] vet. *tractum.*

ἐπιθυμίαν] vet. ἐπιθυμίαν rectius ἀναθυμίαν

29. *Omnes alloquens dixit : Et nunc & saepe alias*] vet *alloquens; Dixi & nunc & saepe.*

31. *ut Trebianis legatam*] vet. *ut tribianis.*

Trabs sea Caesaro] vet. *transea caesare. forsan tradis se.*

37. *Thrasypolim*] vet. *Thrascypolim.*

42. *publicorum morum correptione*] vet. *correctione.*

Sextio Claudio] vet. *Sestigio Gallio.*

43. *etiam sellariam*] vet. *sellaria.*

imperata scene] vet. *imperata schema.*

51. *in Latomiam condemnato*] vet. *in antliam.*

52. *multifariam increpitum*] vet. *inscriptum.*

56. *relegavit Cynaram*] vet. *Cinariam.*

INDEX IN PVLMANNI ANNOTATIONES.

Miliarium

HENRICI LORITI GLAREANI, PATRICII CLARONENSIS, IN C. SVETONII TRANquilli Cæsares, Annotationes.

REVEREND. IN CHRISTO PATRI, AC ILLVST. PRINCIPI, D. GEORGIO A GRAVENECK ABBATI CAMPODVNI DIGNISSIMO, D. PLVRIMVM COLENDO, GLAREANVS S. P. D.

QVADRAGINTA iam elapsi sunt anni, quando primum D. ERASMVS ROTERODAMVS, præceptor noster, ad Ioannis Frobenii typographi petitionem, in C. Suetonium Tranquillum, ac reliquos qui Cæsarum vitas memoriæ olim mandassent auctores, emaculatis multis locis, præfatus est, nactus exemplar peruetustum ab WILHELMO MONTIOIO, Anglorum regulo, e bibliotheca monasterii diui Martini apud Neruios, hodie Tornacenseis. Agebat enim Regium Prætorem Tornaci, quando ea ciuitas id temporis Anglorum parebat imperio. Eum codicem, paullo ante quam e viuis hinc migraret, nobis dederat Erasmus ex quo ipse olim multa eruerat ac castigauerat in Suetonio loca. Verum, vt fieri solet, quædam tum omisit. vt erat occupatissimus, & sacris tum auctoribus emendandis magis intentus. Cum igitur ante aliquot annos heic Friburgi ipsum Suetonium publice enarrandum suscepissem, coactus sum propius eum inspicere codicem. ibi certe inueni quædam annotatione dignissima, quæ cursim, vt procedebat lectio, notaueram. Iam demum illa omnia recollegi, vt sub tui nominis auspicio emitterem fetum, vt opinor, maturum. Difficile hercle erat post tantos litterarum ac omnis eruditionis principes, qui ad hunc auctorem illustrandum suam adhibuerunt operam, aliquid adiicere, vel cogitare, nedum moliri. Neque ego ausus fuissem quidquam, nisi huius codicis fiducia fretus. ita nemo mihi arrogantiam iure obiicere queat. Quisquis autem voluerit intelligere, quantum in annotationibus post eximios illos viros effecerim, legat vel primam de area fori Cæsaris annotationem: ac videbit, haudquaquam temere hunc a nobis susceptum laborem. Ibi enim duo loci, alter Plinii, alter huius auctoris, defensi: quos vel corruptos, vel falsos, certe suspectos illi scriptis prodidere; qui meo quidem iudicio bene habent, ac item etiam sunt in vetusto illo, de quo dixi, codice. Idem dico de loco huius auctoris alio, quem secunda annotatione, eiusdem exemplaris quamquam cæcis admodum vestigiis, emendatum exhibemus, qui fœdatus omnino erat. Sed nolo pluribus. Neminem habeo digniorem diligentiæ testem, quam benignitatem tuam, cum duobus illis viris, D. Ioanne Huber, ac Georgio Gaist, qui nunc tibi ad sacra velut Timothei fidelissimi adsunt, vtrique nostrum iure cari, etiam ipsorum in me merito. Commendo tibi D. IOANN. HVLDRICHVM a Raitnau, mihi carissimum. DEVS opt. max. que clementiam tuam diutissime incolumem, ad ipsius nominis gloriam, conseruare dignetur. Friburgi Brisgoiæ, anno a IESV CHRISTI Natali CIↃIↃLIX, Kalendis Sextilibus.

EX DICT. CÆSARE.

TITVLO XXVI. Forum de manubiis inchoauit, cuius area super sestertiûm millies constitit] *Ita legitur & in vetusto codice Neruio, & in plerisque aliis codicibus.* Millies sestertiûm, *hoc est, millies centena millia sestertiûm, facerent summam vicies quinquies centenum milliũ coronatorũ: nimis magnam visam Budæo & Egnatio, qui negotium intelligebant. Commentatorum alter, cum nihil de his rebus certi afferre posset, Plinii locum ex XXXVI lib. cap. XV, adducit, amphibolo sermone, ac lectione corrupta.* Pyramides regum mirantur, *inquit,* cum solum tantum foro exstruendo sestertiis millibus ducentis Cæsar Dictator emerit. *Sabellicus vero exponit, millies sestertiûm, id est, mille sestertia: hi peccant, re & verbis. re quidem centuplo enim maior summa est millies* LLS, *quam mille sestertia: verbis autem, quia Latini decies* LLS *dicunt, pro mille sestertiis, hoc est, pro mille millibus* LLS. *Budæus autem, cum idem fateatur, apud veteres aut raro, aut numquam inueniri mille sestertia, mallit tamen hoc loco legere* mille sestertia, *quam* millies sestertiûm: *& apud Plinium loco iam dicto,* Sestertiis mille & ducentis. *etsi inquit, omnino minor summa est, quam vt Plinius inter miranda poneret. Hæc Budæus. Egnatius autem: Si* millies sestertiûm *leges, inquit, erit tanta pecuniæ vis, vt iniri ratio vix possit. Hæc ille. Ratio iniri facile potest. atqui in hoc vertitur negocium, num credibile sit Cæsarem tãtam potuisse habere pecuniam. deinde, si habere potuit, num in hanc rem tantum expendere voluerit. Duo dixi, quorum vtrumque credibile puto. Budæum plane video hæsitasse hoc loco. Nam paullo ante, vbi de numeris demus Clodii, & æris alieni Milonis locutus: Omnino igitur, inquit, oportet magnas has esse summas, quas Plinius ob insignẽ nequitiam, insaniæ regum Ægypti comparandas duxerit, qui pyramidas mundi miracula construxerunt. Quæ Budæus ver-*

dis verba propemodum innuant, bene legi apud Plinium, sestertium millies ac ducenties; conformiter sane cum Tranquillo, ut illud ducenties *apud Plinium, explicet nobis quod Tranquillus* super millies *dixit. Ipse ego, etsi ingens ac vix credibilis summa videtur, Millies sestertium pro solo tantum expendisse: tamen cum cogito, ad quam rem Plinius compararit Caesaris magnificentiam, (ita enim vocat portentosam illam profusionem) immo quam praeferre potius videatur, cum de Clodio dicat,* Regum insaniam, *de Milone,* Prodigium animi humani. *omnino eius sum opinionis, recte legi hoc loco,* super millies I I S: *& apud Plinium,* millies ducenties I I S. *Quod si quispiam dicat, unde Caesar acceperit? aio, Caesarem ex duorum oppidorum sectionibus eam, aut etiam maiorem summam habere potuisse. Quod unde luculentius probare poterimus, quam ex ipso adeo Caesare? qui lib. II Commentariorum de bello Gallico, ex Aduaticorum uno oppido capita vendita ait numero millia quinquaginta tria. Quod si in singula capita vicenos quinos coronatos constituamus, (cum tamen longe pluris olim venderentur mancipia) erit ea sectio decies ter centenorum viginti quinque millium coronatorum. Cui si alteram adiecies oppidi sectionem, quales in Gallia multas habuit, summa erit vicies sexies centenorum, ac praeterea quinquaginta millium coronatorum: quae summa superat summam millies sestertium. Quod autem Caesar voluerit, non est mihi dubium. Nam illam summam ita pro illo solo exposuit, ut praeterea multorum civium animos inescarit, occasionem quaerens de omnibus favorem captare: quod praecedentia ante haec, Suetonii verba satis evidenter declarant. Et habuit heic sane multam redimendi favoris opportunitatem: multae domus diruendae erant, quas ab invitis immensa pecunia redemerit necesse est. Sic autem insinuavit se in plurimorum amicitiam, cum triplo quadruploque plus solveret quam debebat. ut plane existimem, occultae largitionis fuisse praetextum, huius areae sive soli emtionem. Fuit enim animosissimus corruptor, qui nihil pensi habuit quantum profunderet, modo quod volebat assequeretur. Haec mea est opinio de hoc quidem loco: lector porro sequatur quod placuerit.*

XXXVIII. Veteranis legionibus praedae nomine, &c.] *Et hic locus sollicitum habuit, ut video, Sabellicum. Verum nihil certi definit, sed cum conditione loquitur: ut cui res nummaria nondum, ut hac aetate, innotuerit. At Egnatius post Sabellicum rem aggressus, primum Appianum a Tranquillo maxime dissentire ait. Deinde fatetur, locum mutilatum. & Tranquillum, equitum stipendium aliud ab Appiano tradidisse, peditum reticuisse. Ego locum Tranquilli vitiatum omissione unius vocis existimo, adiutus ex vestigiis veteris codicis, quo & D. Erasmus usus est; ex quo ego locum ita legendum existimo.* Veteranis legionibus praedae nomine in pedites singulos super bina sestertia, quae initio civilis tumult* numerauerat quaterna: in equites, vicena quaterna millia nummûm dedit. *Si locus ita legatur, omnes summae verisimiles videbuntur, & equiti quadruplo maius stipendium datum intelligitur quod & Sabellicus fatetur: cetera omnia bene habebunt. In Appiano locus mihi suspectus est: quippe in quo nulla ordinum ratio habetur. Ea depravatio, sive ex Graeco codice, (ut saepe fit) sive interpretis culpa acciderit, nescio: varie certe citatur hodie a Triumviris nostris, Sabellico, Beroaldo ac Egnatio. Si quid divinandum est, ego Appianum summas ita scripsisse existimo.* Statim post triumphum quaecumque exercitui pollicitus fuerat, ampliore adhuc pecunia exsoluit. militi drachmas Atticas mille quingentas, tria millia Decurioni, Tribunis militum equitibusque duplo maius. *ut hoc ultimum referatur ad Decurionum stipendium, atque ita fiat equitum stipendium quadruplo maius quam fuerit peditum. Denique ea summa cum Suetonio convenient. Certe si pediti quinque millia Atticarum drachmarum data intelligamus, ut habent vulgati codices, nimis magna summa erunt reliquae. Sed si (ut Tranquillus habet) intelligamus militi primum bina, deinde quaterna numerata, ut sit quadruplo maior equitum summa, constabit ratio ordinum etiam apud Appianum. Gregarium hercle militem cepisse millenas quingenas drachmas Atticas, hoc est, coronatos centenos quinquagenos, mihi oppido magnificum videtur donativum, etiam in profusissimo Imperatore maxime hoc tempore, quando bello Africano non parum attrita, etiam si victor erat, opes eius credi poterant. Ut mihi non fiat verisimile, potuisse quina millia drachmarum singulis exsoluere militibus.* [*Appiani locus de quo ambigit Glareanus, in Graeca editione sic habet, Civilium bell. lib. 2, pag. 244.* [illegible] *id est, Statim post triumphum promissa distribuit, idque ampliore in animis solutione militi quidem, in singula capita quinque millia drachmarum Atticarum, centurioni vero, eius summae duplum, ac tribuno & equitum magistro, adhuc duplum plebeiis autem, singulis minam Atticam.*]

LI. Auro in Gallia stuprum emisti, heic sumsisti mutuum] *in vetusto codice ita legitur,* Aurum in Gallia effutuisti, hic sumsisti mutuum. *Carmina sunt quadrata trochaica catalectica, non tam recta lege ut superiora Titulo XLIX; trochaeo locis paribus dominante sed pro* effutuisti, *lego* effutiuisti, *coniugationis regula; & carmen etiam sic melius habet. Sensus autem est: Quod aurum heic ex aerario sumsisti mutuum, nempe ut fures solent, numquam redditurus hoc in quem effutiuisti in Gallia, id est, turpiter cum magnatum feminis insumsisti. Hic sensus longe simplicior est, atque adeo etiam argutior, quam si dicamus, Heic sumsisti mutuum, id est, heic vicissim tuam etiam uxorem stuprari a Clodio passus es. Longe argutius est, de furto, sumere mutuum quod numquam sis redditurus, pro furari, quam pro stuprari, quod Beroaldus sentit. Qui loquendi modus etiamnunc hodie de furto, non de stupro, manet vulgo frequentissimus.*

LII. quae scire C. Martium & C. Oppium, reliquosque Caesaris amicos] *Titulus hic ostendit Caesaris libidinem in Reginas, & duas adducit: sed de Cleopatra longiorem facit sermonem, ex qua filium Caesari natum, multis verbis inducit probationes Graecorum, M. Antonii, C. Martii, C. Oppii, ac reliquorum Caesaris amicorum. In vetusto codice gro*

quę scire, scriptum est, que scire, absque diphthongo, vt, post q vulgato scribendi modo. Vnde ego coniicio legendum, sciteque C. Martium & C. Oppium, reliquosque Cæsaris amicos atque ita etiam quidam codex alius habet. Denique vt clarius fieret, scisse C. Oppium, Cæsarem ex Cleopatra natum agnouisse, ipsum Oppium librum edidisse, in quo ostendat esse Cæsaris filium, quem Cleopatra dicat. Quæ si ita sunt, vt attente totum contextum legenti patet, certe negatio non, ante verbum esse, tollenda est alioqui contraria fuerant, si C. Oppium cum C. Martio scire dicamus, quod M. Antonius Senatui affirmauerat, nempe Cæsarem agnouisse filium & nunc C. Oppium librum edidisse pro patrocinio, non esse Cæsaris filium. Omnino igitur negatio auferenda. Ceterum multum momenti est in sciteque: quod commentatores non notasse admodum miror. Sed & D. Erasmus tumultuarie hunc locum legisse videtur, cum in annotationibus ponit hæc verba Librum edidit non esse, pro eo quod est, libro testatus est. Alioqui, quo erat acri iudicio, probe vidisset hanc lectionem cordato lectori nequaquam probari. Totus igitur locus ita legatur M. Antonius agnitum etiam ab eo, Senatui affirmauit: sciteque C. Martium & C. Oppium, reliquosque Cæsaris amicos: quorum C. Oppius, quasi plane defensione ac patrocinio res egeret, librum edidit, esse Cæsaris filium quem Cleopatra dicat. Lector attente locum perpendat, & videbit nos non temere in hanc descendisse opinionem.

EX AVGVSTO.

TIT. X. Sed aduersante conatibus suis M. Antonio Consule, quem vel præcipuum adiutorem sperauerat, ac ne publicum quidem & translaticium vlla in re sibi sine pactione grauissimæ mercedis impertiente] Mirum est quam hoc loco frustra luctati sint commentatores nostri, ac omnem mouerint lapidem vt huic loco mederentur. sed hercle absque codicis vetusti auxilio impossibile erat veritatem ipsam eruere. In codice Neruico ita legitur: ac ne publicum quidem ac translaticium ius vlla in re sibi sine pactione grauissimæ mercedis impartiente. Quæ lectio haud dubie vera est: eamque sequendam censeo: vt publicum ius intelligamus omnibus patens, translaticium autem ad tribuniciam potestatem referatur. Sabellicus exponit publicum, vt Consulem: quam expositionem ablatiuus impertiente non admittit. Quis enim ita loquatur, Antonio non impertiente sibi publicum, id est, Consulem? Deinde quæ addit de translaticio, nihil ad hunc locum attinent. Beroaldus autem magis hæret, & magnificus est in allegandis auctoribus, nihil ad rem facientibus: miranda item expositione, vt nihil ad Tranquilli verba. D. Erasmus, vt paullo ante dixi, leui opera hunc percurrerat, & subsecivis duntaxat horis: alioqui ex hoc codice non erat difficile videre, verbum ius omissum in vulgatis codicibus, quod ibi luculenter satis legitur, vt in codice ab homine non admodum docto scripto, vt sunt fere qui hodie supersunt.

XXI. item Rhætiam, & Vindelicos, ac Salassos, gentes Inalpinas] Quod de Erasmo præceptore nostro, iam admonuimus, leui illum opera hunc auctorem percurrisse, vel hoc loco patere potest Codex enim ille vetus, quem mihi reliquit, pro Alpinas legit Inalpinas, adeo manifestis litteris, vt nihil clarius. Vt autem ipse locum notarem, occasionem sumsi ex D. Bruti epistola iiii, lib. x Epistolarum familiarium Ciceronis, vt vocant, vbi ita inquit. Progressus sum ad Inalpinos cum exerc. vbi Petrus Victorius, nostra ætate venerabilis vir, summa modestia, summa eruditione, admonuit quod ego, vt ingenue fatear, primum non attendi: verum postea ita amplexus sum, vt omnino ita legendum existimem.

XXII. Ianum Quirinum semel atque iterum a condita vrbe ante memoriam suam clausum, in multo breuiore temporis spatio, terra marique pace parta ter clausit] Ita omnes, quotquot nos vidimus, habent codices, atque adeo etiam ille vetustus. Quæ caussa fuit Beroaldo vt diceret, Augustum suo tempore ter clausisse Iani templum: cum hoc nemo alius auctorum, (de maioribus loquor) quod equidem sciam, scriptis prodiderit. Certe Plutarchus ac Dionysius Græci, ac Liuius Latinus auctor, non ter, sed tertium Augustum Iani clausisse templum aiunt. Orosium citat auctore, qui me non admodum mouet. Liuius hercle non tacuisset hoc, quando alia ad Augusti laudem adeo diligeter dicere solet. De eare tamen cum nemine contenderim. Addam tamen meam de hac re sententiam, aut magis coniecturam Suspicor sane, breuitatis gratia scriptum fuisse ter. clausit, puncto apposito syllabæ ter. Quod quidem punctum in vetusto codice subscriptum est Quemadmodum Cos. ter. pro Cos. tertio vel tertium scribere sæpiuscule solemus. Ita omnino hic ter. clausit. pro tertium clausit. Ne vero hoc alicui friuolum appareat, videat quæso A. Gellium cap. i, lib. x, quid consilii Cicero de eodem aduerbio Pompeio dederit & facile in nostram concedet sententiam. Porro quod inquit Tranquillus, breuiore temporis spatio, intelligo, vel quam Romulus, vel quam ipsi Romani post eum prima Punico bello. Romulus enim perpetuo bellauit primum autem bellum Punicum durauit annis xxiiii Augustus vero intra xii annos pace terra marique parta, Iani templum non ter, sed tertium clausit.

EX TIBERIO.

TIT. V. M. Æmilio II, & Munacio Planco Coss.] Vetus codex habet Numatio, pro Munatio. Est autem & Numatii celebris viri mentio apud Horatium lib. epistolarum i, epistola tertia, & alterius Numatii Galli apud Martialem lib. x Lector cogitet.

X. exemplo M. Agrippæ, qui M. Marcello ad munera publica admoto] Non recte hunc locum Beroaldus de C. Marcello C. Cæsaris hoste, adducto ex Lucano testimonio, exponit. Erat enim illic iam pridem mortuus Sed neque de eo ad quem sunt Ciceronis epistolæ, intelligi possunt. Itaque lectori considerandum, num de eo Marcello loquatur, qui minoris Octauiæ fuit filius, a Virgilio vi Æneidos descriptus. cuius pater etiam Caius, non Marcus: ne quis de eo Suetonium loqui existimet.

XI. a commeatu castra repetentes] Locus est oride obscurus. Nescias enim vnde castra repetentes erant, ex vrbe ne, an e Rhodo. Sabellicus ab vrbe rediisse in castra, exponit Atqui Tiberius Rhodi erat. Nisi intelligamus, Centuriones innuisse, Tiberium Romam ad amicos scripsisse ambigua, quæ etiam Augustus resciuerit. Sed Sabellicus ait, Ad amicos in castris talia scripsisse Tiberium: manet ergo obscuritas. Quidam vt tollant ambiguitatem, ordinem putant Venit etiam in suspicionem per quosdam beneficii sui Centuriones: vt culpa sit

pœnas

penes Tiberium. At si ad amicos & Centuriones id ad Caium detulerant, videntur ipsi defecisse a Tiberio ad Caium vt mutabiles sunt ad quamlibet auram militũ animi. Nihilo minus locus in obscuro manet.

XV. Caio & Lucio intra triennium defunctis] *Tit. lxv in Augusto Suetonius ait,* Caium & Lucium in duodeuiginti mensium spatio amisit ambos. *Tu vide, vter ex altero locus emendandus sit. hic ne,* intra biennium, *pro* intra triennium: *an illic,* duodetriginta, *pro* duodeuiginti. *Nam codices constanter ita habent. Et mirum, commentatorem ne vno quidem verbo hæc annotasse.*

XX. & congiarium tricenos nummos viritim dedit] trecenos *legendum, quemadmodum in Caligula tit. xvii,* Cõgiarium populo bis dedit trecenos sestertios. *atq; ita etiã vetustus codex duobus his in locis. Facilis lapsus librariorum in tr, & tre. sed in re magnum momentum. In syllabarum etiam ratione discrimẽ* Triceni *enim, primam deriuatione longat, a triginta enim deducitur: at trecenti, primam breuem habet, quia syncopa facta a trecentenis. Horatius lib. ii Carm. ode xiiii.* Non si trecenis, quotquot eunt dies, Amice places illacrymabilem Plutona tauris. *Quo in loco Horatii codices plerique errant, vt in eum quondam editis annotationibus lectores admonuimus.*

XXI. Vale, & ordinem æstiuorum tuorum] *In vetusto codice ita legitur:* Et dux νομιμώτατι vale. ordinem æstiuorum tuorum. *Hæc verba absque coniunctione, & initio huius clausulæ leguntur. vt admiratiue dicta intelligantur, hoc sensu. Quid dicam ordinem æstiuorum tuorum! Atq; hoc modo omnia erũt plana, quæ cõmentatores mire torserũt.*

XXV. vt æquarentur stipendio Prætoriani Germaniciani] *Ex antiquo codice cõtrario modo legendum,* vt æquarentur Prætorianis Germaniciani *idq; ex primo Taciti libro. Prætoriani maius stipendium habebant, sed minus laborum, minusq; periculorum. Ergo exercitus postulabant, Germanicianos stipendio æquari Prætorianis. Mirũ vero, neq; hunc locũ a commẽtatoribus animaduersum.*

XXVIII. Siquidem locutus aliter fuerit] aliter pro aliter, *habet codex vetustus: atq; ita ego etiam legendum existimo.*

XLVII. vtiq; postquam comœdum Accium coactus est manumittere] *Prioribus titulis, cum essent res turpissimæ exponendæ, ibi Beroaldus sane quam copiosus fuit. At hic, vbi in re honesta difficultates incidunt, pulcre omnino transilit. vt, vbi de Accio comœdo dicere debebat, qua de caussa Tiberius coactus esset Accium manumittere, narrat nobis, quomodo comœdi olim serui fuerint. Neque ego sane scio, cur coactus sit Augustus ille Imperator, sed in hoc mihi annotatur, vt alius dem occasionem inquirendi. Porro de Hortalo Herenni filio, multa Tacitus lib. ii, anno Tiberii, narrat.*

XLVIII. proposito millies sestertiûm gratuito in triennii tempus] *Et hunc locũ non minus pulcre transilit Beroaldus, non ausus dicere, Non intelligo. Sabellicus antẽ hæc verba exponens: Mil le sestertia, inquit, sine fenore ciuibus concessis. Hic ille, libras intelligens opinor. Atqui mille sestertii, 1000 sunt mille nummi.* Mille sestertia, *rarum est apud Romanos: sed* decies sestertiûm *vocant 1000000, quod vulgus hodie mille millia. Porro* millies sestertiûm, *centuplo maior summa est, 100000000,* millies *centena millia sestertiûm; vulgus vocat centies mille millia. qui faciunt coronatorum 2500000 Illud* proposito *exponendum erat, quónam referendũ. Sed age, adducamus Taciti verba qua lib. v, anni xix Tiberii initio fere ponit, multũ lucis huic loco adferentia. eamdem enim rem ibi tractat. Ea ita habent Donec tulit opem Cæsar, disposito per mensas millies sestertio, factaq; mutuandi copia sine vsuris per triennium, si debitor populo in duplum prædiis cauisset: sic refecta fides. Hæc ille. Quidam codices* millies sestertiûm, *alii* millies sestertio, *legunt: vt si quó referatur illud* proposito; *vt in Taciti verbis* disposito sestertio. *Quod vero mox sequitur in hoc titulo de dominis insularum,* pretio restituto, *quid sibi certo velint, admodum hæsito. Commentatores more suo tacent. Ceterum & sequenti mox titulo, de censu Cn. Lentuli verba Senecæ adducens Beroaldus, quatuor millies sestertiûm allegat, pro quater millies LLS. luculento errore. nisi codices sint corrupti: quod fieri potest Vt vt sit, certe Beroaldus de hisce rebus nihil intellexit, quantumuis dissimularit.*

LXVII. Di me Deæq; perdant, quem quotidie perire sentio, si scio] *Sensus videtur Di me Deæque perdant, si scio, quod me quotidie perire sentio. Magna ignorantia, qui sentit se perire, & tamen nescit. & imprecatur male sibi, si sciat: quod tamen in se sentit. miserior Terentiano Phædria, qui scientem se ac prudentem perire conquerebatur. Nimis obscurus, immo nimis argutulus Tiberius. Quidã* to si scio, *referunt ad tres primas periodos: non inepte, meo quidẽ iudicio. Codex vetustus longe aliam habet lectionem;* Di me Deæque peius perdant, quã quotidie perire sentio, scio. *Quæ lectio summe placeret, si modo coniunctio,* si, *non omissa esset: vt hoc sensu legeretur; Me Di Deæque, si scio quid scribam, peius perdant quam vtiq; me perire sentio. Senex erat cucullus, & se perire quotidie sentiebat: sed imprecabatur sibi maiorem perditionem, siquidem sciret quid scribere deberet.*

EX CALIGVLA.

TIT. VIII. Plinius Secundus in Treueris vico Ambiatino supra Confluenteis] *Pro Plinio videtur esse Cornelius Tacitus, lib. i, vbi Agrippina cum puero Caio Treueros mittitur. ait enim. Ipsa insigni fecunditate, præclara pudicitia Iam infans in castris genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo* Caligulam *appellabant: quia plerumq; ad cõciliandá vulgi studia eo tegmine pedum induebatur. Quod aũt Sabellicus hoc loco Treueros describẽs, dicit Coloniensis Diœceseos esse falli tur cum Treueri non solum proprium habeant episcopum, sed archiepiscopum, Imperii Romani electorem. Quod vero de lingua subiicit, Treueros non Gallica hodie vti lingua, sed Germanica, e vulgi opinione hoc habet, qui putãt, eam qua hodie Franciæ regnum vtitur, esse Gallicam linguam, cum sit Romana, vt Italica & Hispanica, quamquam magis corrupta. Vetere Gallica, qua & Celtica, vere vtuntur Heluetii, & proximi secundũ Rhenum in Gallia vicini: vt Sequani, Rhenani, Rauraci, Elsatici ac Brisgoenses. Argentinam vsque. Porro sub Argentina inde cum Germanica miscetur. ita etiã apud Treueros. Olim ante Roma-*

norum in Gallia Imperium, Germanica & Gallica linguæ, erant vna lingua, & tamen duæ, vt apud Græcos Ionica & Æolica. quod discrimen ignorabant Romani. Treuerorũ igitur lingua est vetus qua semper vsi sunt, quamquam multũ cum Germanica permista ob vicinitatẽ. Et Galatæ, ad quos scripsit diuus Paulus, eadem vsi sunt lingua; diuo Hieronymo auctore.

XVI. vt Antiocho Comageno IIS millies confiscatum] Id hoc loco admodum duos commentatores miror, non sane quod summam IIS millies non exponunt, quippe quam neuter intelligebat sed ne sensum quidem explicarunt oppido obscurũ. Confiscatum enim participium, quod substãtiuum habet? fructum ne, an regnum? an ipsum factum substantiuum? hoc sensu, quod cõfiscatum erat, hoc est, fisco principis illatum, (ita enim exponunt illi) erat IIS millies. Lector ipse iudicet. Ceterum IIS millies, 100000000, hoc est, millies centena millia sestertiorum, faciunt coronatorum vicies quinquies centena millia, 2500000, facta diuisione per 40. In summa autem proxime sequẽte, codex vetustus habebat octingenta millia quamquam quidam spatio quod versibus interiacet, octoginta desuper posuit. 80000 IIS, efficiunt coronatorum 2000: 800000 vero, 20000. Differentia duplo.

XXIII. Actiacas Siculasque victorias, vt funestas populo R.] Caussas huius infectationis commentatores non referunt. At ego existimo, ideo sceleratum Caligulam hasce duas victorias celebrari noluisse, quia Agrippa in iis maximam nauauerit operam. non itaq; ob Augusti odium, quippe a quo matrem totam prognatam esse voluit, vt ipsius progenies maior videretur sed quia Agrippa, quẽ oderat, in eis gloria celebrabatur: exemplo Alexandri Magni, qui maluit Iouis Arenarii spurius videri, quam Philippi eximii Regis legitimus filius. Meminit & Virgilius lib. viii Æneid. in Actiaca victoriæ descriptione, Agrippæ. Inde & forsitan Caligulæ odium in Virgilium. De Augusti incestu non multum dubito. erat enim insignis Sodomita, & in Ouidium plus quam tyrannus. nisi quod non occidisset, non ausus propter turpitudinem.

XXVI Scenicis ludis inter plebem & equitem caussam discordiarũ serens, decimas maturius dabat] Videtur autem innuere, inquit Beroaldus, datas esse solis equitibus decimas. Hæc ille quibus mox duplicem sensum explicat, sed quorũ neuter auctoris mentem ostendit. Atqui ego puta, si solis equitibus datæ essent decimæ, & præterea citius, vt putat Beroaldus, potuissent vtique equites etiam citius occupasse loca. Vnde potius id credendum est, olim plebeiis seruis cõgiaria dari solitum, vt equites interea loca sua occuparẽt. Caligulam autem nunc maturius dedisse, vt plebs equũ equitũ loca occupare facile possent, qui olim nõ poterant. Quod vero Beroaldus de decima hora comẽtat, omnino displicet. Si enim decima primum hora bistriones dabantur, sero hercle dabantur. Quomodo igitur maturius subnecteret Tranquillus? Hunc certe locum neuter commentatorum, meo quidem iudicio, intellexit.

XXXVII. commẽtus nouum balnearũ vsum] Beroaldus multis verbis ostẽdere conatur illud nouum balnearũ genus: nihil tamen definiti adducit. Ex eo tamen Plinii, quem citat, loco, lib xiii, cap. iii, certi aliquid de hoc portentoso balnearum vsu adferri posse puta. Id ad lectorũ cum oblectamentum, tum vtilitate ita adnotare placuit. Plinius ibidem in vnguẽti libras vt minimum quadragenos supputat denarios Si quis igitur solio aut lauacro ingerat 576 sextarios, quos dupondios recte existimat Budæus, erunt 1152 vnguenti libræ. Tot suffecerint ad vnius solii expletionem, vt quis solio lauet. (nam minuere magis libuit omnia, quam adaugere) ea summa per 40 multiplicata, faciet summam denariorũ 46080. Rursus ea per 10 diuisa, producet summã coronatorum 4608. Tanti vna lotio, vt ita dicam, aut vnius solii repletio ad lauandũ constitit Hæc cõmentatores explicare debebant, vt ad finẽ huius capitis intelligeretur immensa ea summa vicies ac septies millies sestertiûm; quam nõ toto vertente anno cõsumsisse sceleratus hic furcifer prædicatur. Vicies ac septies millies sestertiûm numerus vulgaribus ita scribuntur, 2700000000 IIS. qui integre, non concise, etiam ita, ac non minus Latine, efferuntur, vicies ac septies millies cẽtena millia sestertiûm. Efficiunt aũt coronatorũ 67500000 qui numerus Latine ita effertur, sexcenties septuagies quinquies centena millia: ad Plinii regulam, qui lib. xxxiii, cap x iii Non erat apud antiquos numerus vltra centum millia. Hanc numerandi formam Latinis frequentissimam, Budæus primus, quod equidem sciam, velut resuscitasse videtur quã doctas aliquot nõ aduertisse, admodũ miror, vt doctissimũ virum Leonardũ a Portis, cui hæc de asse tractatio plurimum debet. Is tamen libro secundo, quem hac de re diligenter instituerat, vtcumque maiores summas, raro vero latine exprimit. Ipse Egnatius, cum Venetos aureos in locum coronatorum Francicorum poneret, ita extulit summam, sexagies sexies millies mille aureos, omissis, quingenties mille si codices non errãt sicut pximo capite, IIS nonagies 9000000, hoc est, nonagies centena millia sestertiûm. Veneto numismate est, inquit, ducenti vigintiquinque mille aurei Veneti. Ego dixissem, summam pecuniæ vestræ ducentorum vigintiquinq; millium aureorum Venetorum. Quis enim vmquam dixit Latine, ducenti mille? Vulga numerus ita est, 225000.

LV. vicies sestertiûm contulit. Incitato equo, &c.] Vt in præcedentibus exemplis, magnis illis quidem, & non temere transiliendis, commentatores numeros ne attigere quidẽ ita hoc loco Sabellicus prudẽter silet, at Beroaldus, vt etiam de his aliquid intellexisse videretur, Vicies sestertiûm, inquit, nõ tam xx sestertia, quam xx millia, significat hæc locutio. magnifice satisfactum huic loco opinatus, cum vicies sestertiûm significet vicies centum millia IIS, coronatorũ 50000. Porro de Incitato valde ambigua dictio est. Et Sabellicus ingenitiua legi putat, quãuis omnes codices reclament. Et mihi placeret, si vltimus huius tituli versus non remoraretur. Quomodo enim equum Cos factu rus erat? Ni ad reliquam stultitiam eius ac impudentiam, etiã hoc referamus. Beroaldus exponit, equo, id est, ob equum. Sed sequẽtia nec omnia quadrant pro equo, nec omnia pro incitato. Lector iudicet.

EX CLAVDIO.

TIT. IIII legatoque non amplius quam octingentorum sestertiorum prosecutus] Si de minore sestertio, hoc est nũmo, intelligamus, erit

nimis

nimis parua summa, nempe xx coronatorum. Itaq; de maiore intelligendum: vt 20000 coron. accipiamus. Sequenti mox capite, xl aurei Romani, quando centenis sestertiis nummis æstimabantur, facient c coronatos Francicos. Sed id nos nunc non agimus, vt omnes summas explicare velimus: expositoris enim hoc, non annotatoris est officium.

xv. Excusans quidem testem de prouincia ab eo vocatum] Excuso, duo significat: crimen purgo, vt excusatio peccati apud Ciceronem: item, in excusationem affero, vt qui propter latrones aut tempestates iudicio adesse nõ potuerit. In vtro significatu intelligendum, commentatores nõ explicant. Ceterum hoc magis dubium est, num legendum sit quidam pronomen, quod vetus habet codex, vt de alio loquatur excusante. an quidem aduerbium; vt de Claudio excusante loqui auctorem intelligamus. Et sane multum momẽti fuerit, vtrum legas. Quod autem ad finem huius periodi Beroaldus legit: Mortuus est, inquit, puto licuit: in hoc postremo quod dixit, puto licuit fuisse, stulte dictum asserit. Sabellicus autem in hoc, quod negarit præsto esse posse, intempestiuum & leue pronuntiatum ab eo. Deinde omnino nimis stultum, quod adiecerit, puto licuit. In veteri codice legitur ad marginis pernotatum, Puteolis licuit. Ex qua lectione quidam pro puto licuit, emendarunt Puteolis. Et hercle tã placet. Vt in hoc intelligamus stultũ redargui Claudium, quod diu dissimularit quod dissimulandum, maxime in iudicio, non erat. Debebat enim primum dixisse, mortuum Puteolis: nempe sic facile intellectu fuisse, adesse illum non potuisse.

xix. Constituit pro conditione cuiusq; ciuis vacationem legis Papiæ Pompeiæ] Tot exstant in hunc locum expositiones, tam variæ lectiones, tot annotata etiam doctissimorum virorum, vt singularis impudentiæ videri queat, quidquam his adducere. Primum, quã multa Beroaldus ad hanc rem nihil attinẽtia post Sabellicum adducit? quem tamen aliquando emendare videtur, ipse se quoque reprehendens hac de lege in Annotationibus, quas post Suetonii Commentationes edidit in Tacitum. Beatus Rhenanus, & Æmilius Ferrettus, in eũdem Tacitum commentati, postremo Baptista Egnatius in hunc item auctorem, de eadem hac ipsa lege tam varia prodiderũt, vt cordatus lector vix sciat quid potissimum sequatur. Itaque ego omnino supersedebo hic meas superaddere nugas. Unum hoc tamen lectorem admonuerim, in codice vetusto duobus locis lectione variatum. Nam titulo hoc xix, Pompææ, scriptum erat: at paulo post, tit. xxiii, Poppeæ. Itaque in literam priore loco reiiciendam putamus, & omnino Poppææ legendum, quemadmodum admonuit Egnatius. Porro titulo xxiii, vacationem legis Papiæ Poppææ sexagenarius: hoc vero titulo xix, pro conditione cuiusque ciuis concessam intelligo, atque ita obrogatum legi.

xxvii. Pompeium atque Silanum non recusauit modo, sed & interemit] quia Tacitus lib. xii, non ita longe ab initio, scribit, Silanum sibi conscisse mortem: Suetonius vero in hoc adeo titulo asserit, Octauiam primum Pompeio, deinde Sullæ locatam. Vnde hoc item loco legendum puto, Pompeium atq; Sullam non recusauit modo, sed & interemit: non autem, Pompeium ac Silanum.

xxviii. Nec minus Felicem, quem cohortibus & alis, prouinciæque Iudææ præposuit] Vide de hoc Felice Tacitum lib. xxi, post splendida illa de Iudæis mendacia, & Hierosolyma descriptionem, ac templi Dei a Pompeio profanati captiuitatem: vbi Antonius Felix dicitur, M. Antonii progener, cum claudius nepos esset. Drusilla enim vxor eius, Cleopatra & Antonii neptis erat, ex Helene ac Iuba procreata. Diuus Lucas eam Iudæam appellat, cap. xxiiii in Actis. Illud autem, Trium reginarum, nemo explicat; fortassis quia ignoratur. Mihi porro eadem caussa fuit.

xxix. Ap Silanum consocerum suum, Liuiasq; alterã Drusi, alteram Germanici filiam] Codices quidam, ac nominatim vetustus ille, habẽt Iulias, non Liuias. Ceterum Beroaldus exponit de Liuia quæ fuit vxor Drusi, Tiberii Imperatoris filii, qua postea Seiani meretrix facta: de qua Plin. lib. xxix, cap. i. At contra ego Iulias legendum, vt habet vetustus codex, contendo: ac Suetonium de Drusi, Tiberii filii, filia, non de vxore loqui existimo. Nec obstat varia alibi denominatio. Tacitus enim Drusi filiam vocat Iuliam, lib. iii, ad anni vi Tiberii finem. Idem Tacitus etiam Germanici filiam, Iuliam vocat, initio anni xix Tiberii, lib. vi, Vinicio iunctam. Commentatores decepti videntur, quod mulieres istæ sæpe binomines fuerint.

xxxviii. repente tantum non satisfacientibus veniam dedit] Beroaldus putat vetustum illum dicendi modum per tantum non, pro fere, propemodum, etiam heic expressum. Verum ego nõ video, vt hoc loco quadret. Quare hæc verba ita legerim, repente tanquã satisfacientibus. In vetusto codice duæ lectiones erant, neutra satis sincera. Claudius hoc exemplo ostendet, se quidem ira moueri, sed breui. Plurimum enim Ostiensibus fauebat.

xliii. qua pridie quamdam adulterii ream condemnauerat] Quidam putant, Domitiam Neronis amitam heic innui a Claudio damnatam, ex verbis Taciti lib. xii, ad finẽ, vbi eamdem Claudius querelam prosequitur de suis nuptiis, metuente sibi Agrippina, ac prius de Domitia perdenda cogitante. Atqui Domitiæ post apud eundem multa mentio, lib. xiii, & post Claudii interitum. Quidam putant eamdem esse Domitiam ac Lepidam; cum Cornelius ad libri xii finem, postquam Domitiam nominauit, mox Lepidam subiungat. vbi Lepidam minore Antonia natam asserit, quam ego maiore Antonia natam autumo. Nisi Tacitus copia aut licentia eamdem nunc Domitiam, deinde proximo versu Lepidam dixerit: & mori quidem iussam, sed iussum non expletum. Lector ipse tres aut iii Suetonii locos de Neronis amita, & Cornelii item plureis de eadem, diligenter perpendat: videbit nos non temere heic hæsitasse.

EX NERONE.

Tit. i. L. Domitium, cui rure quondam reuertenti iuuenes gemini] Non est apud me dubium, quin hoc variatum sit in Romana historia. Valerius Maximus lib. i, cap. viii, tot Romanis fuisse auxilio Castorem & Pollucem perhibet. bello Latino ad Regillum lacum, bello Perses, & tertio nescio quo nec ipsum scisse puto, quippe qui nihil ibi narret, quam ad Iuturnæ lacum eos equorum suo-

rum abluisse sudorem. Ceterum Lactantius Firmianus lib. II, cap. VIII, conformiter cum Valerio, non L. Domitium, sed P. Vatinium fuisse, cui gemini fratres apparuerint, idque bello Macedonico, non Latino. Beroaldus contendit, Aenobarborum nomen fuisse ante bellum Macedonicum. Bello igitur Latino hoc factum non bello Persei. XX enim annis ante cœptum Persei bellum, Aenobarbũ Cos. fuisse cũ T. Quinctio. At id nihil ad P. Vatinium. Multa Dionysius, & nos in horum auctorum Annotationibus: ut tædeat plurium verborum. Porro ex gẽte Domitia duas claruisse familias, tempore adhuc ciuilis inter Pompeium ac Cæsarem belli apparuit; quando L. Domitius Aenobarbus pro Pompeio pugnans acie Pharsalica perierit. Cn. vero Domitius Caluinus, pro Cæsare, primum in Macedonia contra Scipionem Metellũ, deinde post victum Pompeium in Asia contra Pharnacem pugnauit.

II. atauus eius Cn. Domitius in Tribunatu, &c.] *Dubiũ est uter ex Cn. Domitiis fuerit atauus Neronis: isne qui Cos. anno* IↃCXXXII, *vicit Allobrogas; an qui proximo ante Crassum Oratorem anno Cos. fuit, qui fuit ab V.C.* IↃCLVIII. *Tranquillus sane videtur duorum Aenobarborum historias vni dare, qui duo fuere, distantibus Consulatibus XXVI plus minus annis.*

VI. Nero natus est post nouẽ menseis quam Tiberius excess.] *Impudens mendum hoc est in annis Neronis: duobus enim annis deficit. Ipse Tacitus lib. XII. At Claudii anno nono, mox ab initio, fatetur Neronem duobus annis maiorẽ natu fuisse Britannico. Atqui Britannicus natus est anno primo Claudii, ipso adeo vigesimo Imperii die: vt Trãquillus tit. XXVII in Claudio scripsit. Cum autem inter Tiberii mortem ac Claudii initium, quatuor Caligulæ intercesserint anni, (tot enim prope annis scelestus ille in imperio fuit) ac iis addas IX menseis, Nero plus quatuor annis senior fuerit Britannico, contra atq. scripserit Tacitus. Hæc cum ita esse nemo inficias ire poterit, siquidem hic locus bene habet, diligentius exemplaria inspicere coactus, in vetusto codice Neruæ, quamquam corrupta est lectio, ita scriptum inueni.* Nero natus est ante post nonum annum. *Vnde ego certo hunc locum ita legendum existimo:* Nero natus est annum post, & IX menseis, quam Tiberius excessit. *quæ lectio Taciti locũ concordem Tranquillo facit, ac omnem tollit ambiguitatem. Mirum vero, cõmentatores nihil tale suspicatos, neq. annotatores alios. Sed sunt quidam qui pusilla hæc putent, nec satis digna Aristarchi munere: quorum opinioni omnino refragãdum existimo, maxime in historia; vbi omnia cæca fuerint, si quidem ratio temporum defuerit. Sed plerosq. labor terret non nulli in aliis ostentare malunt ingenium, quam hac in rẽ vtilissima succurrere studiosis.*

VII. Auspicatus est & iurisdictionem præfecti vrbis sacro: atque Lat.] *Varias huius loci lectiones Beroaldus ostendit, quarum nulla mihi satis placet. Vetustus codex ita habet,* Auspicatus est & iurisdictionem Præfectus vrbis, sacro Latinarum. *Vt sit sensus. Nero Præfectus vrbis auspicatus iurisdictionem sacro die Latinarum: atque ita plane Sabellicus intellexisse videtur.*

XIII. dispositis circa fori templa armatis cohortibus] *Ad hæc Suetonii verba, quæ sunt de apparatu Neronis, quo Tiridatem Romæ exceperit, Sabellicus allegat Taciti verba lib. XV sub finẽ anni noni Neronis: quæ non de Neronis apparatu, sed Corbulonis, quomodo is eumdem Tiridatem in Armenia susceperit, scripta sunt.*

XX. quam inchoatum absolueret nomon] *Hoc e loco Bapt. Egnatius commentatores culpat, quod nõ explicuerint quid sit νόμος: cum ipse multis verbis ex Plutarchi libello de Musicis adductis, multo minus explicet quid sit apud Musicos νόμος. Significant autem, inquit, apud Græcos nomi, cum multa alia, tum vero in musicis certam quamdam legem ac rationem canendi, vt tamen tibicinum & citharœdorum præcipue sint. Hæc ille, ac quædam alia, nihil ad hunc locum attinentia, naso lectorem suspendens, ac interim alios carpens disserit magnifice ex Plutarchi, vt dixi, libello. Ego sane per* nomos *intelligo eos quos Græci etiam* modos ac tropos *nominant; vt testatur Boethi⁹ lib. IIII, cap. XIIII, in Musicis. Nostra ætas nimis familiariter, ne dicam temere,* tonos *vocat: cum* tonus *sit perfecta secunda, in sesquioctaua ratione consistens. Hi sane sunt quibus postea diuersa imposita sunt nomina, vt Plutarchus ait Dorius, Phrygius, Lydius, &c. Sex principes siue authenta, (vt videre licet apud Platonem in tertia de Rep.) sex item postea plagii, quos nos tribus voluminibus ante aliquot annos mundo ostendimus, velut postliminio reductos. quare lectorem eo dimittimus. Nam Neronis hoc studium innuitur, non desiisse eum donec absolueret νόμον, hoc est cantilenam quamdam, ad aliquem musicum modum intonatam. In eodem titulo ad hæc Tranquilli verba,* aliquid se sufferii tinaturum, *&c. multa rursus stomachatur idem Egnatius in interpretem. Ipse vero pro* sufferii, *legendum putat* suffertum, *quod pro plenius ac grandius exponit, hoc sensu: promittebat Nero, simul ac bibisset, fore vt plenius ac grandius tinniret. Hæc ille. In vetusta codice versus hic totus omissus erat. quidam tamen in margine, quæ omissa fuerant, suppleuerat, scripseratque* suffeire. *tũ mox alius desuper litteram* i *posuerat, passiuum infinitiuum* sufferri. *Ita ex eo codice nihil adstruere possumus.*

XXVIII. Super ingenuorum proagogia] *Vetus noster codex habet* pædagogia, *quemadmodum & Beroaldus legit: quamuis Egnatius reprehendat, & hæc confinxisse interpretem dicat. Sensus sane in idem redit, quantumuis clamet Egnatius.*

XXX. In Tiridatẽ, quod vix credibile videatur, LXXX nummûm mil.] *De hoc loco etiam Budæus lib. III de Asse dubitat, diurna hæc millia, an quamdiu Romæ fuerit intelligamus, an ex quo intra fineis R. Imperii esse cœpit. Beroald⁹, per, Sabellicus* in singulos dies *exponunt. Quod aũt mex sequente adeo versu Sabellicus* millies IIS *exponit, decies centena millia nummûm, centenario numero errat. Millies enim sestertiûm, non decies centena, sed centies decies centena, vt ita loquar, hoc est, millies centena millia nummûm intelliguntur,* 100000000 IIS: *quæ summa est coronatorũ Frãcicorum vicies quinquies cẽtena millia, 2500000. Mirũ vero cur hoc loco nõ etiam Sabellicũ in iudicium adducat Egnatius vt solet libenter Beroaldũ.*

XXXI. Quadragenis in punctum sestertiis lusit aleam]

sit aleam] *Vetustus codex* quadringenis *habet, non* quadragenis *atq; ita etiam Budaeus legit dicto iam loco. Ceterum quadringentis millibus* LLS *intelligit. Ego sane lectionem propter codicis veteris fidem sequar; ut cum Budaeo* quingentis *legatur. Sed expositionem de millibus non accipio, sed quingentos nummos intelligo, non quingenta millia. Nec obstat distributiuum nomen, quod heic Latinissime locū habet, propter multiplices iactus. Quadringenis igitur nummis in singulos iactus lusisse intelligimus. hoc est, denis coronatis; non quadringenis millibus, nimis magna summa, quantumuis prodigo lurconi. decem enim millia coronatorum efficerent quadringenta millia nummûm. Ad finem huius tituli rursus in Beroaldum stomachatur Egnatius, de Mazacum nomine, quod ex Sabellici commentario Beroaldus animaduertere debuit. Sed & Egnatius Sabellico gloriam reliquisset, qui id ante eum & docte & copiose explicuerat. Sed illa hominum doctorum gloriola.*

XXXII pro semisse dodrans cogeretur ei qui sine probabili caussa] *Locus est obscurissimus, & fere inexplicabilis. Commentatores strenue luctantur. Sabellicus rem intellexisse videtur. Sed Commentarius eius corruptus ad nos venit. Tres lectiones heic sunt. Codex vetustus ita habet:* pro semisse dextans ei cogeretur, qui sine probabili caussa eo nomine essent. *Parisiensis quidam codex, ante annos xl. excusus, ita habebat.* pro semisse dodrans cogeretur ei qui sine probabili caussa eo nomine esset. *Sabellicus ita legit:* pro semisse dodrās cogeretur ei qui probabili caussa eo nomine esset: *omissa praepositione* sine. *Omnis difficultas esse videtur in pronomine* ei, *quem referat; Neronem ne, an libertum, patronumne & patronum nade familia aliqua contingente Neronem, ut videtur Sabellicus intellexisse, an alium quempiam, qui nomen familiae alicuius cōtingentis Neronem vsurpasset sine probabili caussa? Denique num libertum, qui nomen familiae vsurpasset contingentis Neronem? Quid si dicamus? Nero voluit libertorum bona sibi cogi ab iis gentilibus, qui Domitiorum, Iuliorum, Claudiorum nomina haberent non rationabili caussa. Erant enim libertorum bona gentilium. Lector iudicet.*

XXXIX. Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων, μητροκτόνοι] *Versus est trimeter iambicus. At quae sequuntur, nulla lege constant: vt plane mihi corrupta videantur. Egnatius vbi haec vertit, ait, vel* Neonymphos *vel* Neonymphon *legi posse. Ego in his nihil arguti video: sed omnino tres nominat matricidas, Neronem, Oresten, Alcmaeonem: sed Neronem pessimum, qui neonymphos matrem occiderit, aut neonymphon matrem. Nisi sit quod Beroaldus de Sporo & Pythagora impurissimis cinaedis innuit.*

XL. τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει] *Sabellicus* τέχνιον *legit; sed reprobēditur. Vide prouerbium,* Artē quaeuis alit terra. *vbi aliter legit Erasmus. Ibidē etiam locus ille expositus,* Qualis artifex pereo? *tit.* XLIX. *vbi commentatores egregie hallucinati sunt.*

EX SER. GALBA.

HVIVS *commentationis initio admonendos lectores duxi, maxime non attentos, nō recte, in vulgatis codicibus hunc Imperatorem* Sergium *dici, sed* Seruium Galbam. *Est enim* Seruius *praenomen, & saepe in Sulpicia gente; vt in tota Romana historia videre licet.* Sergius *autē, familiae nomen est, de qua L. Catilina fuit, non de gente Cornelia, vt falso quidam scriptis prodiderunt, motis stolida illa oratione, quae Catilinae falso adscribitur, cum sit semibarbara de priore loquor, non de secunda.*

TIT. III. Non nulli quod praepinguis fuerit visus, quem Galbam Galli vocant] *Haec Suetonii verba plurimos torserunt, maxime qui norunt linguam Gallicam, atq; adeo etiamnum Gallice loquuntur, vt Heluetii ac vicini eorum: mirantique sunt huius vocabuli etymon. Sed hunc nodum egregie dissoluit D. Aegydius Tschudi in Rhaetiae descriptione, ostendens, quod etiam hac adhuc aetate Heluetii pinguem & crassum hominem vitulū vocāt. Vitulum autem Celtica lingua,* Kalb *significat: sed Romanos* Galb, *pro* Kalb, *vt* Gaius *pro* Caius *protulisse. Atq; haec est inter reliquas heic positas haud dubie vera huius nominis etymologia. Tantum interest noscere etiam alias linguas.*

V. haerede Tiberio legatum ad quinquaginta reuocante] *Hic locus mire torsit, nec immerito, commētatores. est enim lubricus & difficilis & ipsi veram imminutionis rationem non perceperunt, quamuis egregie luctati, maxime Beroaldus. Si enim recte legatur* quinquaginta, *vt vulgo habent codices, certe legatum millecuplo fuerit imminutū: quod nemo credet, quantumuis perfidus & auarus Tiberius describatur. Quare omnino* quingenta *legendum, pro* quinquaginta. *Suffragatur nobis vetustus noster Codex. Sic sane legatum centuplo imminutum intelligemus. Quingenties enim sestertiûm, centuplo maior summa est quam quingenta sestertia; at millecuplo maior quam quinquaginta sestertia. Verum quia res opido obscura est, vulgatos numeros adiici placuit.*

50000000 LLS, *Latine quingenties sestertiûm, id est, quingenties centena millia sestertiûm, hac nota,* D̅ 1250000 *coronat.*

500000 LLS, *Latine quingenta sestertia, id est, quingenta millia sestertiûm, hac vt opinor nota,* D 12500. *coron.*

50000 LLS, *Latine quinquaginta sestertia, id est, quinquaginta millia sestertiûm, hac vt puto nota,* L 1250 *coronat.*

Georgius Agricola Germanus, qui hac de re xiiii scripsit magna cura volumina, cōtendit Latine non dici, quinquaginta vel quingēta sestertia, sed sestertiûm, quoties millia intelligimus, sed apud poetas duntaxat ac semper pro nummis, nō libris binis ac semis. Ita enim scribit. Sex, decem, viginti, centum, pluráue sestertia poetae dicunt; nihil aliud intelligētes quam sestertios. Haec ille. At meo iudicio fallitur. nam Horatius epistola vii, lib. i Epistolarū, aperte libras intelligens, non nummos, vbi de Philippo ac Vulteio: Dum septem donat sestertia, mutuaque septem Promittit, persuadet vti mercetur agellum. *Quis autem septem nummis agrum emerit? Porro quinque, quos ex Martiali adducit Georgius, loci, omnes contra eum pro Budaeo pugnāt, ac ostendunt Latine dici sex, decem, viginti, centum sestertia, pro binis libris ac dimidia, non pro nummis. Ceterum ex hoc Tranquilli loco colligitur, quingenties, quingenta, quinquaginta* LLS, *alios atque alios habuisse characteres, siue varias*

notas, hodie certe nobis haud satis cognitas. Similis erat aliquo pacto, quam Beroaldus adducit, D *ad* L *ratio ad nomen quingenta, quinquaginta: ceterum re dumtaxat decupla, cum heic (si quidem* quinquaginta, *vt vulgo perperam habent codices, legatur) sit millecupla. At si* quingenta *legatur, quemadmodum vetus, vt iam diximus, habet codex, imminutionis ratio erit centupla sicut ex numeris paullo ante appositis liquido apparet.*

VIII. vehiculo proximo decies ꟾꟾS. mauro efferret] *Hoc loco rursus ausus est rem pecuniariam attingere Beroaldus: & quasi rem notam explicaret, Decies sestertium inquit, id est, dena millia sestertiorum. sicut in Caligula tit. lv, (quod superius admonuimus) vicies sestertium exponit, xx millia sestertiorum. sed vtroque in loco centuplo maior summa est, quam ipse prodit. Verum hac omnia prosequi non est nostri instituti.*

XVI. Sed maxime fremebat superioris Germaniæ exercitus] *Romani, vt etiam aliquid dominii in Germania habere videri possent, postquam ea amisere quæ inter Rhenum ac Albim fluuios paruulo admodum tempore habuere, in ipsa adeo Gallia, ad Rheni ripas, duas finxere Germanias, superiorem ac inferiorem. cuius descriptio est apud Ptolemaeum.*

EX OTHONE.

TIT. I. Maiores Othonis sunt orti opido Ferentino] *Ferentinum opidum in Etruria, item in Latio siue Volscorum siue Hernicorum, item in Samnio. Hæc omnia in Liuio, libris i, ii, ac x, quidam & in Campania, vbi & Plinius Ferentinates, locant. Sed heic de Ferentino in Etruria loqui videtur, cum subiungat auctor,* ex principibus Etruriæ. *nisi inde migrarint in Latium, vt putat Philippus. Ceterum Plin. lib. iii, cap. v, ponit Ferentinum etiam in Tuscia post Fæsulas.*

IIII. aureos excubanti cohorti viritim diuidebat] *Vel ex hoc loco notare potuisset Beroaldus, aureum Romanum valuisse* C. *sestertios, hoc est, xxv denarios, siue drachmas. qui deinde quaternis valebant sestertiis nummis. Quod enim Tranquillus ac Plutarchus vocant singulos aureos, id Tacitus* C. *nummos. Cum autem aureus Romanus fuerit, didrachmus, id est, duas pendens drachmas,* C. *autem nummi valeant xxv drachmas consequens est, vt proportio auri ad argentum fuerit aliquando etiam apud veteres duodecupla sesquipla, vt xxv ad duo. Porro quod proxime sequenti titulo de decies* ꟾꟾS *ab auctore dicitur, ac per dena* ꟾꟾS *a Sabellico perperam expositum, recte ac luculenter discussit Egnatius cam igitur ob caussam nos omittimus.*

VIII. & placuerat per classiarios arma transferri] *De hac seditione Tacitus meminit sub finem lib xvii cuius hæc sunt verba: Septimamdecimam cohortem colonia Ostiensi in vrbem acciri Otho iusserat, armandæ eius cura Vario Crispino Tribuno e Pretorianis data. Hæc ille. Ex quibus verbis intelligimus, ab Ostia Romam acciri per Tribunum decimam septimam cohortem, non eam ipsam ire cum Tribuno Ostiam, vt quidam ex Plutarcho exposuerunt.* Classiarios *autem Tranquillo esse decimamseptimam cohortem:* Armarium *denique ad vrbem fuisse, vnde arma depromebantur Ostiam ducenda, videlicet quibus armaretur xvii cohors, vt eo venustior Romam accederet atque interea hunc accidisse tumultum, ex mala militum suspicione de Senatu & Othonis inimicis. Vnde ego ita legere hunc locum malim,* Expertus est, quando placuerat ad classiarios arma transferri, remittique nauibus. *Alioqui quid sensus inde elici queat, non video. Sed iudicet lector.*

XI. apud Veliternam (ita præceperat) funeratus est, XXXVIII ætatis] *Vetustus noster codex non habet hæc duo verba,* apud Veliternam. *Vnde recte abiicienda ea esse Beroaldus admonuit. Quod autem sæpius apud hunc auctorem, non hoc dumtaxat loco in numeris, coniunctione* ET *intercedente, minor sequitur, maior præcedit: contra Vallæ præceptum atque adeo contra receptissimam Latinorum consuetudinem. Eum ego errorem hinc sane obrepsisse existimo, quod characteres numerorum, quibus breuitatis gratia summæ non numquam notantur, illum habeant ordinem. Verum quod ordinis vocabula aptius sua exprimerentur litteris quam numerorum figuris; qui ea numeris resoluere voluerunt, xxxviii* trigesimo & octauo *traduxerunt, pro,* octauo & trigesimo: *ita mox, xcv,* nonagesimo & quincto, *pro,* quincto & nonagesimo; *consuetudinis Romanæ ignari: cum etiam Germanorum ac Celtarum linguæ id pertinacissime obseruent,* acht vnd trissig, funf vnd nuntig. *Verum eum errorem vulgata librariorum ac correctorum temeritate introductum esse, mihi non est dubium. Atque hæc ego ea de caussa adduxi, vt cessent garrire Vallæ Zoili, aliquot sic deprauatorum locorum munimento frinolo muniti. Stat enim inconcussa Vallæ præceptio.*

EX VITELLIO.

TIT. I. quosdã ex Vitelliis subsedisse Nuceriæ] *Pusillum fortasse videbitur, quod iam dicemus, sed quod tamen sollicitum facere poterit lectorem non omnino stupidum. Apulorum vrbem* Luceriam, *per L, non per N, in prima adeo syllaba. Vmbrorum autem, Picentinorum ac Campanorum vrbeis, per N,* Nucerias, *scribi in vsu apud Latinos auctores fuisse. In Græcis certe codicibus hæc corrupte leguntur, vt videre est in Ptolemæi codice. quippe λ & ν litterarum vicinitate, quemadmodum n & u apud Latinos, facile corruptionem admittunt. Verum lector heic etiam atque etiam secum perpendat, quando Samnitico bello, cuius heic est mentio, Luceria identidem nominatur apud Liuium. vtrum etiam heic* Luceria *potius, quod equidẽ puto, quam* Nuceria *sit legẽdum.*

II. ad veneranda signa pellexit] *Leuius etiam hoc videri potest, non tamen silentio transeundum, quando Beroaldus ad hæc verba ita scribit: Idem prius factitauerat Corbulo. Hæc ille quasi Corbulo ante Vitellium res in Asia gesserit, cum L. Vitellius primum a Tiberio missus in Asiam, post bis Cos. factus sub Claudio, Corbulonis tempus vix contigerit. Deceptio Philippo facta ab Vitelliorum multa nomina.*

III. Druso Cęsare, Norbano Flacco Coss.] *Leuissimum vero hoc notatu videri potest, non tamen omittendum. Sabellicus hoc exponit de Druso*

Germanici

Germanici filio, quem sceleratus Tiberius fame occidit: cum Tacitus manifeste hoc de Tiberij filio (lib. III, anno Tiberij VII) etiam Druso dicto scribat.

VII. velut dono Deûm oblatum III Coss. filium] Ita in vulgatis codicibus passim legitur. Ceterum ex hac scriptura III Coss. vel tertiúm Consules legendum, vel tres Consules. Atqui neutrum heic procedit. Antiquus codex habet ter Consulis. Id demum verum est. Intelligitur enim manifeste L. Vitellius, qui ter Cos. fuerat, Imperatoris Vitellij pater.

XVIII. cui Tolosæ nato, cognomē in pueritia Becco fuerat id valet gallinacei rostrum] Mirantur plurimi, Beccum rostrum esse Gallorum lingua. Sed ii nesciunt quæ sit vera Gallorum lingua. imaginantur enim, linguam Gallicam esse, quam hodie Franci in Galliam profecti ante mille annos, relicta vetere ipsorum nobilissima lingua, Romanam assumpserunt. Ceterum id haud absonum rationi est, veram Gallicam esse linguam, quā adhuc illi Galli tenent, qui Romanam non acceperunt linguam, vt est bona pars Rheni. Celtica enim vtuntur adhuc Heluetij, Rauraci, Sequani ad Rhenum, (nam alij Romanam acceperunt) Tribochi. Belgica vero, Brabanti, Flandri, Geldri, Hollādi, ac vicini illorum, nempe qui Romana nō vtuntur lingua. Sane Gallica lingua ac Germanorum, dialecto differunt, non thematis, quemadmodum Italica, Hispanica, ac Francica, hodie e Romana sunt linguæ; sed Francica magis quam illa corrupta. Hac latius prosecuti sumus in Annotationib. quas in C. Cæsaris Commentarios olim scripsimus. Hoc vnum heic ad huius loci explanationem addere placuit: in Belgarum lingua etiamnum hodie manere Beck pro rostro: apud Celtas nomen non admodum, sed verbum Becken vel Bicken in frequenti adhuc esse vsu, pro rostro tundere.

EX VESPASIANO.

TIT. I. Ubi in vulgatis codicibus legitur T. Flauius Petronius, in nominandi casu. & mox in hoc adeo titulo, Petronij, in gignendi in codice vetusto, Petro in nominatiuo, ac Petronis in genitiuo legitur. Lector iudicet, vtrum verius lege putet.

II. Tribunatum militum in Thracia meruit] Beroaldus exponit, meruit, id est, militauit. Unde ipse, Tribunus militum, quod quidam habēt codices, pro Tribunatu militum legisse videtur. Porro in verbis sequentibus mira est obscuritas, a Beroaldo acriter tentata ac tractatu sed haud scio an etiam pertractata. Ceterum cum IIII Magistratus ordine Romæ acquirerentur, Quæstura, Ædilitas, Prætura, ac Consulatus. hoc loco a Quæstura incipit, deinde Ædilitatis ac Præturæ est mentio. Ordo verborū confundit lectorem. Et, nisi fallor, vera lectio ita habebit: Ædilitatis, ac mox Præturæ candidatus, Ædilitatem non sine repulsa, sextoque loco vix adeptus est. at prima statim petitione & in primis Prętor. Heic distinguendum puto; vt infensus Senatui, sit causa quare fauerit scelerato Caio. Huic lectioni partim vetus codex, partim Beroaldi expositio suffragatur. Et est verisimilis. Lector, quod volet sequatur.

IIII. & insulam Vectem Britanniæ proximam] Vectis insula Britannica, quæ apud Ptolemæum Vicnesis in Græco codice legitur, inter Galliam & Britanniam, sub magno portu Britanniæ. At Plinius lib. IIII, cap XVI, eam cum Mona inter Britanniam ac Hiberniam numerat. Quid ergo dicemus? Cum Romani Galliam iam & Britanniam ea parte haberent, non videtur verisimile, non & insulam mediam, vt ponit Ptolemæus, habuisse. Unde existimandum est, Vespasianum longius positam insulam subegisse, & vel Monam, quæ antea etiam expugnata rursus defecerat, vel aliam quampiam longius ad Septemtrionē positam insulam expugnasse, Vectem nomine, maxime cum Vectem etiam Plinius ibi collocarit.

V. Nepotem ei Cæsarem genitum] Memorabilis lapsus est hoc loco in Sabellici commentario, qui per nepotem intelligit Vespasiani filium, cum de ipso Vespasiano hæc intelligantur. Deceptio orta ex pronomine, ei, quod Tertullam auiam refert, non Sabinum. Alioqui sibi dixisset Sabinus, non ei. Voluit enim Sabinus auum lætitia aliqua afficere hoc nuntio. Paulo post, in hoc adeo titulo, vbi Iosephi mentio, idem Sabellicus Iosephum hunc alium existimauit, quam historicum illum Iudaicæ antiquitatis. Verum satis refellitur a Beroaldo.

XIX. Alexandrini Cibiotaten eum vocare perseuerarunt] Strabo lib. XVII, vbi de Ptolemæorum genealogia, hunc Cybiosacten nominat, qui maritus per aliquot dies fuit filiæ Ptolemæi Auletæ. Quod vero ad finem huius tituli habetur, vt audiuit sestertiûm centies, exclamauit, centum sibi sestertia darent ac se vel in Tiberim proiicerent: vel hoc loco Sabellicus suæ opinionis, nempe idem esse centies IIS, & centum sestertia, egregium patrocinium habere potuisset; si quidem heic recte legitur, aut Vespasiani verba recte respondent procuratorum verbis. Miror sane hunc locum a nemine notatum, ne ab Egnatio quidem, qui postremus in hunc auctorem scripsit annotationes. Ego sane credo, etiam in Vespasiani verbis legendum centies IIS; & ignorantia librariorum aut alioqui sciolorum temeritate corruptū, qui ex numerorum notis, integros numeros scribere voluerunt, quemadmodum ad finem Annotationum in Galbam superius testati sumus. Nisi quis credat Fauonem minus protulisse: idq; studiose, vt magis exaggeraret Vespasiani auaritiam. Codex vetustus habet; exclamauit cum sibi sestertia darent. Unde lector longe maiorem exaggerationem colligat.

EX TITO.

TIT. VIII. vt fautor cauillatus est] Cauillatus est, id est, cauillatione & derisione prosecutus est inquit Beroaldus. At Sabellicus, Cauillatus est, tempestiuo cauillo studium dissimulauit suum. Hæ expositiones minime concordant. Nam si fautor erat, quomodo derisione prosecutus est? quod Philippus ait, sin dissimulabat, vt Sabellicus inquit, quomodo vt fautor cauillatus est? Unde fortassis ita legendum, Sæpe cum populo & voce & gestu, nō vt fautor, cauillatus est. Atque ita egregie procederet sensus, ac dissimulatio, quam innuit Sabellicus q. d. Tranquillus. Fautor erat Titus Thracum, sed dissimulabat. Ergo vna cum populo, & voce & gestu eos cauillatus est, vt non fautor, maiestate tamen salua, nec minus æquitate. Lector, si melius quid reperiat, id sequatur.

XX. Quamuis interdum vlciscendi caussa non deesset, sed periturum se potius quam puniturum adiurans] *Quomodo ista concordent, lectori iudicandum est. Nam qui adest vlciscendi causa, non is punit? Hic commentatores silent. Ceterum paullo post, quadruplex lectio est, cum inquit;* Oblata sibi ornamenta pugnantium. *alii* arma, *Sabellicus* instrumenta *legisse videtur. vetus codex habet* ferramenta.

EX DOMITIANO.

TIT. IIII. atque in Amphitheatro nauale quoque] *Neque hoc explicant commentatores, quo pacto prœlium nauale in Amphitheatro offendi potuerit. Pudet alias fateri ignorantiam. Sed id est parum ingenui hominis, & diffidentis sibi in aliis Lectorem vbi docere non potuit, saltem admonere non piguit.*

purpureaque amictus toga Germanica] *Et distinctione & varia lectione hic locus legitur.* Germanica *legit Beroaldus, Sabellicus* Græcanica; *vterque distinctione lata ante ablatiuum* capite. *Alii post* toga *distinguunt, & Germanicam auream coronam intelligunt: quod nescio quam probem. Vt vt distinguatur, erunt ab altera parte duo adiectiua ad vnum substantiuum; quod vitiosum esse in lingua Latina censuit Seruius. Vetusto nostro codice deerat Domitianus praeter primum titulum, vt nihil inde auxilii adducere potuerimus.*

V. Item Flauiæ templum gentis, & stadium, & methodium] *Recte Beroaldus* odium *pro* methodium *legit. Græce est* ᾠδεῖον. *Publicum id erat ædificium, in quo musici exercebantur. Musicos puto, vt citharœdes ac tibicines. Quatuor Romæ fuisse* ᾠδεῖα, *a quibusdam proditur: sed de quarta Domitiani dubitant, ipse ne a nouo ædificauerit, an vetustum refecerit. Meminit & Eusebius in Chronicis. Ceterum locus ille Eusebii egregie corruptus legitur, vt pleraque alia in eo opere: quod delendum est. Sabellicus, falso exemplari deceptus,* Hesitium *pro* Isio *legit: Græce* Ἴσεῖον. *Porro est ibidem inter publica Domitiani opera, Forum Traiani, & Therma Traiana, cum Traianus tertius fuerit post Domitianum Imperator. nisi quis prolepsin Eusebii dicat esse, vt est VI Æneidos, auctore Seruio,* portusque require Velinos. *quod mihi non fit verisimile.*

VII. Sportulas publicas sustulit] *Neuter commentatorum, neque heic, nec in superioribus, cum sæpe occasio se obtulisset, vere explicant quantum pecuniæ esset sportula: quod nobis heic explicandum. As Romanus in quaternos diuidebatur quadrantes. In sestertio nummo bini & semis erant asses. ergo deni quadrantes. Sportula autem erat c quadrantum. Hæc ex optimis auctoribus Budæus, qui in coronatum Francicum XI. sestertios nummos conficit. Sportula igitur esset quarta coronati solaris pars.*

XXI. Conditionem principum miserrimam aiebat] *In Aurelio Bassa, qui vixit tempore M. Philosophi, Vulcatius Gallicanus historiographus inter hosce posteriores, eadem hæc refert Hadrianum post Domitianum sic solitum dicere, Miseram Imperatorum conditionem, quibus de affectu tyrannidis, nisi occisis, non possit credi. non tam lucide id refferens, vt est hoc loco apud Suetonium. Volunt enim (siue Domitianus primum, ac post eum Hadrianus hoc dixerit) homines non credere, quemquam in Principes conspirare ausurum, nisi videant casum Principem: tunc enim cogi nitux credere. vt de Caligula, atque adeo de ipso Domitiano exitus ostenait. Ita vulgo de mala muliere iocari solemus. eam ægrotare nos haud credituros, nisi mortuam videamus. tunc enim credimus eam ægrotasse.*

EX EIVSDEM GLAREANI ORATIONE IN Suetonium, habita Friburgi Brisgoiæ anno a IESV CHRISTI *natali* MDLIIII, *quarto Nonas Aprileis.*

1 LIBRO *Sapientiæ cap. secundo, quod omnibus notum, scribitur, Mortem per diaboli inuidiam introisse in orbem terrarū. Atqui si caussam eius inuidiæ quærimus, monstrū horrendum, informe, ingens,* Superbia, *maius quam Inuidia peccatum, sese offert. Superbia, inquam, arrogantia illa bellua, qua non truculentior vlla. Superbia, quæ Luciferū, mundi initio creaturarum pulcerrimam, de cœlo præcipitauit in Tartara vsque. Eadem hæc bellua, per eiusdem diaboli inuidiam, hominem post dirum Angelorum lapsum, e paradiso pepulit, ac in has lacrymas, in hoc omnium ærumnarum ergastulum conclusit. Eadem superbia hominem in hac miseria constitutum, ita sæpe occæcauit alias, atque etiamnum hodie multos occæcat, vt obliti suæ imbecillitatis, ad id dementiæ venerint, vt se Deos crederent, ac adorari paterentur, immo quidam etiam homines, vt se adorarent, coegerunt. O admirandam mentis cæcitatem, immo ingentem stultitiam ac temeritatem, homini miserrimo animalculo, quo non est aliud calamitosius, ad hoc dementiæ deuenisse, vt mortis omni momento subiectus, se Deum crederet, ac adorari permitteret, ab eo qui sæpe melior, sæpe honore dignior fuerit. Nonne hoc monstro simile est? Atqui dicet aliquis, Nondum audimus quo tandem velis. Dicam, dicam inquam, sed incondite, attamen vt intelligar.*

Enarraturus sum eminentissima uarii auctorem C. Suetonium Tranquillum, qui vitam scripsit XII. *quid nominis adiungam? Cæsarum? Si* Cæsar *a cædibus dictus est, vt quidam perhibent grammatici, vere Cæsarum adiunxero. Quid si dicam* XII *Latronum? mentiarne in Nerone, Tiberio, Caligula, ac reliquis? Quid si dicam, vitam* XII *monstrorum? Vt ipse Tranquillus de Caligula dicere ausus est. Quid si plusquam monstra eos appellitet? Quæ enim monstra tantas clades mortalibus attulere, atque vnus Iulius? nocens sane sidus vniuersa mundo. vt ante eum Magnus ille Alexander, Pellæa Philippi propago. Calydonius aper scilicet in Ætolia, aut in Nemea silua Herculis tropæum leo, plura hominibus detrimenta attulere? Non Hercule. Apage sis, heic merita quis clamet. Tu Diuos Cæsares monstra facis? Quis ferat hæc? Non times ipsorum diuinitates, & vltionum flagella? Vt nucis incensæ crepitum timeo. Egon illos monstra facio? Ipsi se, nec quis-*

quisquam alius eos monstra fecit. At Dîui sunt. Quis eos Diuos fecit? Merita illorum. Quæ merita? Atrocitas, auaritia, barbarica tyrannis, cædes, crudelitas, dementia, fastus, furta, rapinæ, gula, ira, inuidia, immanitas, libido, stupra: iam spiritus
3 *me deficit. Hæc sunt præclara horum Cæsarum opera. Rursus dicet aliquis. In hisce nonne aliquid boni fuit? Fortassis. At tam parum in plerisque, vt id ad vitia comparatum, semper minimum fuerit. Ad quod ostendendum, statuamus inquam ante oculos nostros primum illorum* IVLIVM CÆSAREM, *insigne (si Dis placet) magnorum virorum, vt quidam scripsere, exemplum. Age age, vide totum quod de eo scripsit Suetonius volumen. emoriar, si non ad vnum omnes eius tituli habent perniciosam ambitionem, hoc est, desiderium ad id quod nactus est, nempe Imperium per summum nefas quæsitum, per ciuium suorum sanguinem, ac reip. oppressionem, vt regnet solus. Adde aliud in humanum genus meritum. Vndecies centena millia, non connumeratis ciuib. armis cecidit. Quid vobis videtur de hoc in mortale genus merito? Adde iuuenile dedecus, quod a Bithyniæ rege Nicomede stupratus. Adde furta, tria millia auri pondo in Consulatu suo ex ærario clam surrepta, ac tantum inaurati æris repositum. Adde omnia fana ac tēpla in Gallia spoliata, oppida sectionibus vendita, ob nullam culpam, sed ob prædam; vt de eo hic noster scripsit Suetonius. Denique adde immensam illam profusionem in meretrices, ædificia, aream pro foro exstruēdo, & mille alia, quæ de animosissimo hoc corruptore auctores cōmemorarūt. Ac-*
4 *cedat* AVGVSTVS *ille* AVGVSTVS, *omnium Principum maximus, omnium Principum infelicissimus. Qui si nihil vnquam mali fecisset aliud, quam quod in Triumuiratu suo, cum duobus insignib. latronibus iuncto, Ciceroni exitio fuit, inter malos numerari meruit. Sed longe maius peccatum fuit, quando priuignum Tiberium coegit vt prostitutam ipsius filiam Iuliam, abdicata ac reiecta Agrippina vxore, ex qua iam liberos habebat, duceret. Vnde in domum Iuliam omne dedecus, omnis deinceps calamitas irrepsit, ac tragica illa exēpla, plena omnis crudelitatis ac mōstrosæ libidinis, nata sunt.* TIBERIVS *enim in omne prolapsus flagitium, Caligulæ, Claudio, ac Neroni, omnium nequitiarum fons rectissime dicitur. Verum hæc omnia ex Iuliæ prostitutæ nuptiis, & Augusti immodico in suum sanguinem affectu, ortum habent. Sed ita natura comparatū est, vt quanto sumus sordidiores, tanto cupiamus videri honoratiores. Iuuentius ille puer, cuius auus fuerat argentarius, adstipulator pater, & reliqua apud Ciceronem, antiquissimi ac nobilissimi stemmatis videri voluit, & ab ipso auctoritatem capere priuignum. Sed mirifice administrauit Imperium, ac ex lateritia vrbe marmoream fecit: ita enim gloriari solebat. Audio. Deus hoc fecit neque Romanorum, neque ipsius Augusti meritis, sed quia in pace nasci voluit humani generis redemtor* CHRISTVS, *Esaiæ 11. Augustus ne ipse, de cuius miseria* VII *libro Plinius cumulatissime disserit, tantam rerum molem illo imbelli corpore rexisset? Verum de illo, cum multa alia pessima referre possimus, loqui desinam: qui, cum pessimus fuerit, longe tamen peiores post se, culpa tamen ipsius, reliquit, vera homi-*
5 *num monstra. Quid enim de* TIBERIO *dicam? vlceroso in omnem inuidiam animo; quo nihil vnquam fucatius toto terrarum orbe, nihil nocentius; nihil turpius vixit. Sed pudet plura de eo Diuo: dixissem libentius Diabolo. Producatur* Caligula Imperator, *merdosus ille pusio, pudenda Germanici Cæsaris progenies. vt verum sit, quod prouerbio dici solet,* Heroum filii noxæ. *Ex equo ridiculus hic atque Tiberius fuit, crudelis ac prodigus in summo. Itaque nihil satis contumeliose in eum dici potest, superat enim omne conuitium eius improbitas, nequitia, ac stultitia.* CLAVDIVM, *porcum illum stolidum, & boleto, quo periit, leuiorem ac inaniorem, cum sua Messallina, omnis libidinis portento, ac Agrippina, scelerata illa venefica, duabus Charybdibus ac Scyllis, transeo. Arripite mihi quæso Neronem, illum bipedum omnium nequissimum; cuius iniquitas ac scelera etiam pueris & mulierculis nota sunt: vix dignus qui abs quoquam nominetur: ideoque & hic transmittendus, vna cum* GALBA, OTHONE, *ac* VITELLIO, *trib. Plutonis Cerberi capitib. Cui enim monstro potius comparabuntur heluones illi, bibones, comedones, lurconis abdomines, ventres?* VESPASIANVS *ac filius eius* TITVS *eximi poterant, si pater nō auaritiæ infamia, filius non Berenices ac spadonum amore laborasset. Denique si* DOMITIANVS *teterrima bellua, vtriusque famam ac decora non deturpasset: in quo vno Domitiano tantum scelerum fuit, vt cum omnibus ante se flagitiosis Cæsaribus*
certare potuerit. Hi inquam, quomodo digne no- 6
minabuntur? hi inquam humanarum rerum alastores, id est nocentissimæ pestes, quibus modis nacti sint Diuorum titulos, iure super omnia miranda mirum videri potest. Cogitet secum optimus quisque in animo, ac diligenti examine perpendat, quomodo in hanc cæcitatem peruenire vnquam mundus potuerit, vt huiusmodi portenta pro Dis coleret ac adoraret, etiamnum in scabiosa pelle obambulanteis, ac in humanis degēteis. Nā de Hercule, Theseo ac Libero patre, & quibusdam aliis, qui multa in hominum genus bona contulisse dicuntur, minus mirū videri poterat. quando nemo in benemeritos ingratus videri velit. Nimirum magna & occulta aliqua tenebrarum potestas fuit, *quæ ad hoc cæcitatis homines compellere potuit. Eodem sapientiæ libro, cap.* XIIII, *narrantur aliquot caussæ idololatriæ; sed non est dubium commenta Deo ob hominum scelera, potuisse hæc humani generis hostem, diabolum verum Christi aduentu eius potestas concidit. Miratur non vno in loco Cicero qui ante Christum aliquot annis vixit, quare oraculum Delphicum sua ætate obticuerit. Atqui verum est quod Christus dixerat,* Princeps huius mundi eiicietur foras. *Deinde illuxit mortalibus per Apostolos illud sacrosanctum Euangelium, quod hominibus cum corporis, tum*
mentis oculos aperuit. Spero hercule nunc, audi- 7
tores festiuissimi, lucescere vobis, quare initio præfationis nostræ cum sancta matre Ecclesia glorioso illo hymni velydio orsus fuerim [Grates nunc omnes reddamus Domino Deo, qui sua natiuitate nos liberauit a diabolica potestate. Huic oportet vt canamus cum angelis semper GLORIA IN EXCELSIS] *Ve quid enim dignius ordirer post quatuor illos literarum ac omnis eruditionis priu-*

cipes, Angelum Politianum, Philippum Beroaldũ, Antonium Sabellicum, ac D. Erasmum Roterodamum? qui in hunc auctorem adeo copiose ac docte præfati sunt, vt aliis nihil reliqui fecerint. Ideoque mihi aliud inueniendum procemium fuit pro veritate, atq; adeo religionis ergo: quod tres illi primi, in Italia nati fortasse ob inueteratam apud suos de Diuis Cæsaribus opinionem, prodere non ausi, omisere. Erasmus autem præceptor noster, ac immortale Belgarum decus, non tacuit; sed nobis plane pro veritatis amore magis in eos inuehendi occasionem

8 præbuit. Porro Deo opt. maximoq; omnino hoc quoque debemus, quod pro sua in nos clementia, suscitare dignatus est etiam ethnicum, in illorum Cæsarum mores debacchari ausum: nempe hunc SVETONIVM TRANQVILLVM, qui qualisqualis ipse fuerit, non tam refert admodum, quam quod diabolo non omnis res ex animi sententia processerit. Ecquore inquis? Quia malignus ille Satan suos pro vero Deo coli voluisset, vt diu sunt culti. Vnde verissime Hipponensis pontifex, diuus Aurelius Augustinus dixisse fertur, Multorum corpora in terris adorari, quorum animæ apud inferos sint sepultæ. Quod si quis dicat, Cur igitur tu eum auctorem profiteris, qui talia monstra depingit ac describit? Respondeo; Non magis XII hosce Belial apostolos, vt docti Theologi eos appellare consueuerũt, Suetonius describit, quam occulta ratione proscribit. Verum id non quiuis intelligit, ac non paucis verbis explicari potest: propterea nos consulto o-

9 mittimus. At aliud inuidiosius hercle obiectũ, multorum animis, vt existimamus, obrepens, magis visum est necessarium. Quid sit, dicet aliquis cum Glareanus ob turpitudinis ac immunditiæ odium, neq; Iuuenalem, neq; Martialem aut vllum huius farinæ auctorem, vel publice, vel priuatim vmquam intra tot annos, (nempe quinquaginta, quib. perpetuo numquam intermisit prælectiones) professus fuerit nunc Suetonium adsumat se enarraturũ; in quo plures sunt spurcitiæ ac immunditiæ Cæsarum, quam in vllo alio auctore? Heic respondeat, si poterit, Glareanus. Faciet pol, idq; simpliciter ac vere; denique absque vllo fuco. De vitiis dissertio siue disputatio duplex est. Vna, qua ad vitia homines allicimus suasionibus, exhortationib. ac lenociniis: vt qui amare docent, nostra ætate, pro dolor, etiam potare, qui amatoria ludunt, vt iuuenum mentes velut inebrient, quales impudici poetæ ea dissertio vitiosa est, ac detestanda maxime homini Christiano, plus etiam illis qui iuuentuti vt magistri præsunt. Altera est dissertio de vitiis, vt ea detestemur ac exsecremur: immo quoties de eis fit mentio, vt ab iis dehortemur, ab iis abstineamus, ea exsecremur. Hæc dissertio neutiquam reprehendenda est. Multi enim sancti viri ac doctores, quemadmodum de virtutibus scripserunt, ita e regione de vitiis copiose disseruerunt. Oppositorum enim eadem est disciplina, vt inquit Aristoteles. Quæ igitur heic Cæsarum refert vitia Suetonius, in odium illorum monstrorum id facit, vt ea scilicet fugiamus ac euitemus: immo cogitemus in quanta cæcitate fuerint perditi illi nebulones, & multo magis, in quanta stupiditate mundus, qui talia portenta dignatus est vllo honore, cum nihil illis teterius nec magis abominabile fuerit. Rursus itaque dicam: Spero nunc vobis, iucundissimi auditores, satis liquere, quare ab cantu illo, quo summam Dei bonitatem agnoscere iubemur, orsus sim. Nunc paucula de prælectione nostra 10 dicemus. Septem ac triginta sunt anni, quando primum D. Erasmus ad Ioannis Frobenii petitionem in hunc, ac reliquos qui Cæsarum vitam memoriæ prodiderunt, auctores præfatus est, nactus exemplar ab Vuilhelmo Montioio, Anglorum Regulo, e bibliotheca monasterii diui Martini apud Neruios, nunc Tornacensis. Eum codicem paullo ante suam mortem nobis dederat Erasmus. Ex eo ille multa eruerat. quædam tamen omisit, vt in edendorum non numquam operum festinatione fieri solet. Quæ Deo dante nos, & hoc adiuti codice, & adhibita nostra diligentia, haudquaquam negligemus. Conabor autem multa alia loca me plana facturum, quæ profecto a commentatoribus non sunt intellecta. id quod in illorum contumeliam haudquaquam dictum videri velim. Multa illi cum summa laude docuere. Sed, vt sumus homines, non omnia, vt est apud poetam, possumus omnes. Est autem illud maximum, quod post illos auditoribus promittimus, nos omneis pecuniæ, auri, argentiq; summas, omneis mensuras, denique omneis quæ ex assis diuisione proueniunt difficultates, explicaturos, ac ad nostræ ætatis & regionis vsus deducturos. Audacius forsitan aliquibus dicere videar: sed cum ad eos locos deueniemus, per Christi gratiam ita negotium tractabimus, vt cordatus auditor ipse iudicare possit, nos nullum fucum fecisse, sed rem ipsam, vt decuerit, diligenter explicuisse. Multa Vuilh. Budæo, multa Leonardo a Portis debemus: quorum sedula opera effectum est, vt de iis rebus, quæ superioris sæculi, aut etiam paullo ante nostram ætatem, homines etiam doctissimos latuere, certa ac indubitata sit assertio. Sed de prælectione satis. Porro cum in hunc auctorem, post com- 11 mentatores, doctissimi quoque viri, Budæus, Erasmus, ac Leonardus, iã paulo ante nominati, denique Bapt. Egnatius ac alii, plurimos locos explicuere, magna impudentia videatur vel tentare adhuc in eo quidquam, immo satis superq; esse annotationum. Verum enimuero cum ipse ego aliquot locis adhuc hæream, ac proinde ibidem etiam alios hæsuros prorsus suspicer, omnino mecum decreui, vt primum per otium licuerit, aliquot locis magis trutinatis, ac adiectis annotationibus iudicium meum libere ostendere, ac palam omnibus facere. Sic enim fore existimo, aliis me daturum amplius indagandi ansam, quemadmodum mihi data est. Lector, post fidelem nostram examinationem, ipse quoque perpendat, vtilene operæpretium fecerim. Faxit Deus omnipotens, vt mox, quod destinaui, cum ad omnium lectorum vtilitatem, tum ad ipsius Dei gloriam perficere feliciter queam. Bene valete. Dixi.

IN HENRICI GLAREANI ANNOTATIONES AD SVETONIVM INDEX.

IOANNIS BAPTISTÆ EGNATII VENETI, IN C. SVETONIVM TRANquillum, Annotationes.

EGNATIVS LECTORI S.

NON abre futurum existimaui, quando hoc totum industriæ dicatum est a me bonis ac litteratis viris, si quos locos aut in melius emendaui, aut dilucidius explicaui, subnecterem, eosque nullo maiore verborum apparatu, aut copia publicarem, tum quod nec otii satis erat longe maioribus districto, tum quod ab ostentatione semper abfui, quæ cum in omni re odiosa sit, tum in rebus paruis odiosissima esse iure solet. Accedit ad hæc, quod doceri tantum lectores hoc tempore volui, quos eo mihi æquiores futuros arbitrabar, quo maturius illos dimisissem, properantes videlicet, & in hęc, vt ex iusto itinere viatores, otii caussa diuertentes.

EX D. CÆSARE.

26. Forum de manubiis inchoauit; cuius area super LLS. millies constitit] *Tametsi Latini scriptores ad hanc diem corruptissimi magna ex parte sint, quædam etiam adeo obscura, vt nec ab eruditioribus intelligi queant, ea tamen pars quæ ad numeros spectat, & corruptissima ad nos transiit, & nullis adhuc satis cognita aut percepta videri poterat. Attulit autem huic malo opem primus, quod ipse sciam, Leonardus Portius, Vicetinæ nobilitatis præcipuum decus, libello iam abhinc quinquennium huic vni rei destinato; in quo summa breuitate & dilucidítate priscos numeros argenti & auri vsum apud veteres, numismata, & eorum pretium ac nomina attigit. Quæ palma tãto illum illustriorem fecit, quã o rei obscurissima illustrata eius opera, plus negotii habuit. Quotus.n. quisq; ex iis qui humaniores litteras profitentur, fuit, qui rem tam perplexam attingeret? Quis cũ ad hanc partem venisset, aut codicum fidem nõ requireret, aut rem omnem plane non dissimularet? sed nec ipsi auctores satis constantes erant, & notæ, rerumq; vocabula sic vel corrupta, vel perplexa, vt desperata semel re, iam neglectui haberetur, patrocinaret sibi ad inuicem multorum inscitia: quæ tacito præiudicio summam caussæ difficultatem prætendens, Areopagitarum more in centum annos rem anquirendam pronuntiaret, vt huiusmodi cunctatione, nec ipsa se proderet, & differendo inexplicabile negotium relinqueret. Nos igitur, vt ingenue fateamur, Portium secuti* mille LLS, *non* millies, *legendum existimamus, quoniam ea summa fidem omnem excedat. nam si* millies LLS *legas, erit tanta pecuniæ vis profusa, vt intra ratio vix possit. Sed & a Plinio dissentiet, qui de hac Cæsaris magnificentia loquens, ita scripsit:* Pyramides tegum miramur opera, cum solum tantum foro exstruendo LLS mille ducentis Cæsar dictator emerit, *hoc est*, XXX M. *aureorum nostratium. Qua de ratione alias inferius.*

30. Conuentibusque peractis Rauennæ substitit] *Citantur a commentariis in ostentationem veterum auctoritates; nec tamen satis eruditi adhuc, quod sciam quid sit* petagere conuentus *explicant. Nos ne nõ omnia cõmuni demus vtilitati, peragere conuentus nihil aliud esse contendimus, quam iurisdictionem legitimam absoluere per oppida ad id destinata, quæ quando in ea statis temporibus conueniretur a prouincialibus caussa iuris sui persequendi,* conuentus *dicerentur. Repræsentant autem hunc morem anno vertente religiosi fratres,* capitula *appellantes. repræsentant etiam maxime omniũ Galli,* parlamentis *iam quatuor institutis, quorum præcipuum vrbis amplitudine & auctoritate, Parisiense habeatur. Iam & veterum fuere vxoriæ stipulationes, quæ* conuenire in manum *per coemtionem diceretur, de quibus alias.*

37. *Idem Tranquillus sic de triumpho Cæsaris scribit:* Ascenditque Capitolium ad lumina, XL elephãtis dextra atq; sinistra lychnos gestãtib.] *Nos pro* lychnis lychnuchos *substituimus, & veterum codicum fidem secuti, & vim verbi. Primũ enim vsitatum hoc Græcis est verbum, Athenæi auctoritate, quæ lucernam significet, vel Alexidis comici poetæ testimonio Midone.* Ὁ πρῶτος εὑρὼν μετὰ λυχνούχου περιπατεῖν τῆς νυκτὸς ἦν τις κηδεμὼν τῶν δακτύλων. *hoc est*, Qui nocte lychnuchum ambulans gessit manu, Profecto digitis plurimum is cauit suis. *Nec Lucretius aliud innuit pulcerrimis illis versibus;* Si non aurea sunt iuuenum simulacra per ædes Lampades igniferas manib. retinentia dextris, Lumina nocturnis epulis, vt suppeditentur; Nec domus argento fulgens auroque renidet, Nec citharis reboant laqueata aurataque templa. *Hæc vero nominum forma vsitata Græcis: vnde* cerûchon, sceptûchon, ophiûchon. *Iam & C. Plinius* lychnuchos pensiles *dixit quod & Hermolaus noster agnoscit, vetere etiam lapide suffragante hoc titulo;* Panthei cum suis parergeis, & Cupidines duo cũ suis lychnucheis. *Quod monumentum cum primus obseruasset Politianus vir eruditione multa, Tranquilli locum primus, vt opinor, emendauit. quare Crinitus docti & probi viri officio functus, veteri possessori fundum vindicauit, non multorum more.*

38. Veteranis legionibus; *quæq; sequuntur. Hic locus mutilatus videri potest vel Appiani lectione. ille namque de Cæsare dictatore loquens, Statim inquit post triumphum, quæcumq; exercitui pollicitus fuerat, ampliore adhuc pecunia exsoluit, militi drachmarum Atticarum quina millia, turmæ ductori bis totidem, Tribunis militum equitibusque duplo maius: ad hæc singulis ex populo minam vnam Atticam. Hæc Appiani verba dissentire a Tranquillo maxime videntur; nõ quod in populi congiario non conueniant:* mina *enim* Attica

Attica, id est argento libra Romana, quadringentos nummos LLS valet, id est, denarios centum. Reliqua adeo discrepant, ut quod Appianus quina millia drachmarum militi data a Cæsare dicit, equiti duplo maius, Tranquillus de pedite reticeat, de equite non conueniat. nam ex Appiani sententia, dena millia drachmarum data equiti necesse est, quæ Tranquillus ad sena millia reducit. Nec mirum videri debeat quod de magnitudine militaris donatiui referimus, cum, Plutarcho auctore, Antonius triumvir quina millia drachmarum singulis militibus post aciem Philippensem dederit.

50. Quid illud quod postea sequitur? Sed ante alias dilexit Marci Bruti matrem: cui & proximo suo consulatu sexagies LLS margaritam mercatus est] Quæ summa centum quinquaginta millia nostrorum aureorum facit, quando ille Cleopatra vnio centies LLS æstimatus sit, id est, ducentis quinquaginta millibus aureorum nostratium.

52. Sequitur non longe ab hinc locus ut maioris corruptionis, sic etiam industriæ, cum hactenus ita sit lectum, Sed maxime dilexit Cleopatram, cum qua & conuiuia in primam lucem protraxit, & eadem naue thalamoque pæne Æthiopia tenus Ægyptum penetrauit vbi pro thalamoque, thalamego legendum esse, nulli dubium esse possit. Est autem thalamegus nauis a Philopatore Ægyptio rege primum fabricata, qua Nilum & Ægypti fossas nauigaret, eo vsu, ut intra thalamum in regia sibi esse videretur, magnitudine semistadii, latitudine cubitorum XXX, & amplius; nec longis nauibus nec rotundis omnino similis, prora puppique duplici fundo lato planoque; qualis forma fluuiatiles sunt fere omnes. Strabonis interpres thalamiferas naues hasce appellauit, quibus Ægyptii frequenter uterentur solatii causa. Visitur & Venetiis in patria nauis huic Ægyptiæ persimilis, cui Bucentauro est nomen, qua Princeps & Senatus vrbis solent occursare principib. viris, augustissima specie. Plinius septimo, vittatæ nauis meminit quam Græci & Sophocles in primis, vti opinor, ταινιώτιν dixere, quia & ipsa maiore ornatu spectaretur, qua ferunt a Dionysio Platonem exceptum honoris gratia.

54 Illud est quod commentarii aut non obseruauerunt, aut minus intellexerunt, vbi de auro promercali Tranquillus agit, occupati altero ex his in vi verbi explicanda, nec sensum satis attendente. Quid igitur est, quod Tranquillus dicat, tanta auri copia abundasse Cæsarem, ut ternis millibus nummûm aurum promercale per Italiam prouinciasque, demonderet? an quaternis millib. legendum est: ut argenti proportio ad aurum decupla fuerit? quaterna enim millia nummûm argenteorum, centum aureos nostrates valent, non tamen solidos, id est, dempto lagio, ut verbum hoc vsurpem vulgare an ternis omnino millibus tueare? ut hac ratione tria nummûm millia septem libras & selibram conficiant, id est, 75. Venetos aureos, ut tantam auri vim ex Gallicis spoliis Romæ inuectam putes, ut auri pretium imminueretur, argenti cresceret. Nostra autem ætate, auri mirum in modum creuit pretium, ut prope Plinianam analogiam æquet, qui eam proportionem argenti ad aurum facit, quæ est quindecim ad vnum, cum iusta videatur ea quæ est 12 ad vnum.

62 Nec illud omittendum est, in quod fœdissime lapsi sunt interpretes vnius litteræ additione. vbi enim aquilifer legendum erat, aquilifero legerunt, sensu nullo pariter & inepto. Tu itaque, ita leges; ut aquilifer moranti Cæsari cuspide sit minatus; eo sensu; ut quum Cæsar inclinatam aciem restituere omnino vellet, tanta constantia fugientib. obstiterit, ut aquilifer detinenti eum Cæsari, cuspide sit minatus, & alter in manu detinentis signum reliquerit.

84. Inoleuit & ille iam pridem error Tranquilli codicib. nec satis a commentariis animaduersus, ut vbi Attilii Electra citatur, Accii legeretur. Fuit autem vetus comœdiarum scriptor hoc nomine satis celebris; quem tamen ut duriusculum Cicero in epistolis ad Atticum incessit. Sed & Licinius scriptorem ferreum appellare solitus est; quod dum tragœdias ex Sophocle in Latinum verteret, duriorem se præstaret. Scripsit autem hic Electram ex Sophocle, vnde carmina illa in interfectores cantata Tranquillus scribit. Volcatius Sedigitus Attilium poetam comicum maxime laudat, qui nescio an hic fuerit.

EX AVGVSTO.

41. Senatorum censum ampliauit, ac pro octingentorum millium summa duodecies LLS taxauit] Ingenui, inquit ille, est hominis, fateri per quem dedoceris: & mehercle hunc locum perobscurum, nec vlli, quod legerim, cognitum, Budæus ex Gallia vir a secretis Regis primarius, feliciter attigit: cuius eo libentius mentionem facio, quod Annotationibus suis in Pandectas antea satis celebris, & tralationibus quibusdam Plutarchi nobilis, nuper editis quinque de asse & partibus eius libris, adeo clarus euasit, ut non possit non summopere ab omnibus commendari, qui duodecies LLS, & centies & millies, differre plurimum a duodecim, centum & mille, docuerit. cuius sententiam eo libentius sequor, quod non minus doctrinæ præ se fert, quam candoris. Erit hic igitur sensus: ut Augustus princeps ab octingentis LLS, quæ summa antea census erat Senatorii, ad mille ducenta reduxerit.

45. Stephanionem togatarium] Vide ne multo melius togatarum legas, & intelligas actorem vsitata loquendi figura, & Latina.

55. Etiam sparsos de se in Curia famosos libellos nec expauit] Famosi libelli qui quales ue sint, quaue afficiendi pœna qui eos factitant, iurisconsulti libro digestorum XLVI. illud ex eorum lectione non prætermiserim. Verba Vlpiani sunt ex eodem libro; Hæc autem sunt fere, quæ ad infamiam alicuius fiunt; vtputa si quis ad inuidiam alicuius veste lugubri vtatur, aut squalida, aut si barbam demittat, vel capillum submittat; aut si carmen conscribat, vel proponat, vel cantet aliquid, quod pudorem alicuius lędat. Sed & Pauli verba ad hanc rem spectantia, quia digna memoratu sunt, subnectam. Eum qui nocentem infamauit, non est bonum & æquum infamari: peccata enim nocentium nota esse, & oportere, & expedire. Primus autem Augustus cognitionem hanc sub specie legis eius quæ de læsa maiestate quærit, exercuit.

65. Tiberium in foro lege Curiata adoptauit] Parco libenter viuentium nominibus, libentius autem mortuorum. Citantur namque a commentariis passim auctores, qui curiatæ legis meminerint; nec tamen quid illa sit, tamdem explica-

tur. Tu ex selectis nostris in Ciceronis epistolas quæ premis ipse, quod sciam, ediderim, peto. nec enim iniucunda fuerint.

100. Verum adhibito honoribus modo, bifariam laudatus est, pro æde D. Iulii a Tiberio, & pro rostris veteribus.] *Sic habent omnes. ita castigabis*, & pro rostris sub veteribus, *quis locus erat in foro, quemadmodum &* sub nouis. *Vtriusq; autem loci meminerunt veteres auctores. Plinius lib.* XXXV, Hinc & ille locus Marci Crassi agétis sub veteribus. *& inferius*; Mæniana, *inquit*, operiebat Serapionis fabula sub veteribus. *Plautus*; Sub veteribus ibi sunt qui dant, quique accipiunt fenore. *De loco autem qui* sub nouis *dicebatur, Marcus Varro*, Sub nouis, *inquit* dicta pars in foro ædificiorum: quod vocabulum eius peruetustum, vt Nouæ viæ, quæ via iamdudum vetus est. *Liuius quoque*; Filiam Virginius seducit ad nutricem prope Cloacinam, ad tabernas quibus nunc Nouis est nomen.

101. Legauit populo R. CCCCM, Tribubus XXXV LLS, Prætorianis militibus singula millia nummorum] *Hic locus qui Augusti principis legata continebat, admonere quemuis, vel oscitantem poterat, maximam esse summam pecuniæ, quæ populo queue plebi Romanæ legaretur. nam populo, id est, patribus, equitibus, & honestioribus plebeiis, (hoc enim nomine hosce contineri, vel illa vsitata loquendi forma*, Senatum populumque R. *ostendere potest) legatum est ab Augusto* CCCCM. LLS. *id est, decies centena millia aureorum nostrorum, quod nos millionē dicimus: plebi aūt, id est, infimis plane hominib. & mendicioribus*, XXXV, *id est, octoginta septem & amplius aureorum nostratium: quod & Taciti verba in primo historiarum plane significant, cum scribit*, Legata non vltra ciuilem modum, nisi quod populo & plebi CCCCM. XXXV; prætorianarum cohortium militibus singula nummûm millia; legionariis autem cohortibus ciuium Romanorum trecenos nummos viritim dedit.

Quinetiam illud quod sequitur; Professus non plus peruenturum ad hæredes suos, quam millies & quingenties: *si ad summam nostram deducas, facient tricies octies & quinquagies millia aureorum nostrorum.* quamuis XX proximis annis ex amicorum testamentis percepisset trecenties millies, *id est, triginta & amplius milliona. Prius quam ab Augusto principe salubri magis quam ambitioso, discedat oratio, facturum me operæpretiū existimaui, si cursim legionum numerum, & prouinciarum præsidia, Reges, socios, Imperii amplitudinem, ex Taciti Historiarum lib. 4. hisce adnecterem; vt diligentioribus etiam satis fiat. Ille igitur in hunc sensum: Italiam bina classes infero supero q; mari vtraq; præsidebant, Misenensis & Rauennas: sed & rostrata naues ad Actium ... pte, eam partem Italiæ tuebātur quæ in Galliam Narbonensem vergens, Alpes maritimas, & Forojul ensem coloniam spectat: legiones autem iuxta Rhenum, quæ Gallos Germanosq; coercerent, octo, robur fere Imperii, cum Hispaniæ tres tantum haberent & Africa quoq;, nisi quæ Iuba rex Mauris dono acceptos regebat, duas habuit; Ægyptus totidem: quidquid vero terrarum tractus mari nostro, & Euphrate amne cingebatur, vastoque terrarum sinu ambiebatur, quatuor legionibus parebat, regibus Hibero & Albano sociis. Hinc rursus Europa, qua Thracia & Illyricum magna ex parte protendebatur ad Danubii ripam, sex legionib. attinebatur hoc ordine, vt Pannoniæ duas, duas Mœsi, totidem Dalmatæ haberent, cum in vrbe proprius miles, Latio Etruriaque fere delectus, duodecim cohortes, tres vrbanæ, nouem prætoriæ, suis castris attinerentur, vt interim per prouincias idoneas sociæ alæ, & cohortium auxilia non deessent, variante earum numero ex rerum vsu. Erat igitur triplex classis parata, legiones autem numero septem & viginti, præter auxilia fere sociarum gentium, ac Regum totidem.*

EX TIBERIO.

25 Nam & seruus Agrippę Clemēs nomine] *De hoc Clemente sic fere Tacitus secundo, Audacia seruitu prope ciuilia arma resumta, cum Agrippæ Postumi seruus Clemens nomine, in Planasiam vectus, Agrippam inde abducere, atq; ad Germanicos exercitus comitari statuisset: sed onerariæ nauis mora præuentus, interfecto statim Agrippa cineres eius furatur, seseq; intra Etruria secreta abdens, Agrippam esse simulat: cui nec forma, nec ætate absimilis erat. Qui rumor per Italiam vulgatus cum ancipitem anxiumque Tiberium maxime haberet, tamdem per Sallustii Crispi clientes duos vinctus ad Tiberium ducitur: a quo interrogatus quomodo Agrippa factus esset; Et tu, inquit, quomodo Cæsar? quem Tiberius clam necari iussit: nec de auctoribus amplius quæsitum.*

Et duplex seditio, in Illyrico, & Germania] *Seditionem in Illyrico (auctore Tacito) Percennius quidam theatralium operarum dux, mouerat acerrimam, cum milites in singulos dies singulos denarios peterent, cum antea denos asses accipere consueßent: peterent etiam vt sextus decimus annus stipendiorum finem faceret, nec vltra sub vexillis haberentur, neue in alia castra tralato militi, præmium pecuniæ solueretur, quando prætoriam, qui binos denarios acciperent, post sextum decimum annum militia defungantur, nec tamen tantum periculorum aut laboris adirent. Et paulo post Tiberium latitantem, & ad singula pauitantem, nuncii frequentes perpulere, vt Drusum filium cum primoribus ciuitatis, & cohortibus prætoriis dimitteret. qui profectus, & varie iactatus, vix tandem militum animos, Percennio & Vibuleno auctoribus cæsis, leniuit: relictis enim castris in hiberna concessere. Et mox idem auctor addit: Eadem causa Germanicos exercitus eodem fere tēpore turbauit. petebant & ibi missionem & præmia. Nec prius sedari animi eorū potuere, quā vicena stipendia meritis missio sit data, qui senadena, exauctorati. Quinetiam miles in seipsum sæuiit, neq; nō in ipsum Germanicum, donec ablegata Treuiros Agrippina vxor animos eorum mutauit, sic inferioris exercitus Germaniæ placatus: superioris miles maiore mole, quo grauiora in centuriones, in legatos p puli Romani ausi fuerant nā Munatium Plancū aggressi qui legatus a Tiberio venerat nō prius dimisere, quā ille aquilam complexus, religione se tueretur: ac ub*

Calpur-

Calpurnius centurio subsidio affuisset, raro etiam inter hostes exemplo legatus populi Romani in castris, Deorum aras suo sanguine maculasset. Eos tandem Germanicus contractoe exercitu, cum pararet inuadere contumaces, literis prius ad Cæcinam missis admonet, sibi consulant, & resipiscant quod ni si faciant, & auctores seditionis tollant, venturum se cum exercitu, & vsurum promiscua cæde. quæ literæ occulte signiferis & aquiliferis lectæ, perpulere legatum vt statueret tempus cædis seuiuntq, passim quosi cuius libello, insontes, & ignaros, nec satis noscentes, quod cædis initium, aut qua caussa, quis ve finis foret donec castra ingressus Germanicus, oratione habita, cum satis expiatum diceret, eos in hostes duxit, vnde piaculum furoris sumerent, & hostes R. populi cædendo, & vulnera impius pector. b. accipiendo. Hac pluribus ex eo auctore addenda curauimus, quo tota hæc pars clarior illustriorq, fieret.

25. Libonem, ne quid in nouitate acerbius fieret] Is Libo e familia Scribonorum fuit, vnde & Scribonius cognomine dictus qui per Firmium Catum Senatorem amicitia simulata deceptus, cum magos super Imperio consuleret, & Chaldæorum promissa, somniorumq, interpretes scrutaretur, dum proauum Pompeium, amitam Scriboniam Augusti vxorem iactat, per eumdem Catum post plures testes repertos, qui conscii forent, ad principem defertur, maxime Iunii cuiusdam indicio, qui tentatus fuerat vt vmbras infernas carminibus eliceret. Ipse igitur Libo, cum Tiberius eum blande interim appellaret, non vultu, non verbis commoueretur, quin etiam conuiuio adhiberet, & prætura ornaret, tandem Senatus iudicio condemnatus, se ipsum, cum omnia prius tentasset apud Tiberium, necauit factumq, S.C vt Mathematici Italia pellerentur. Idem Tacitus secundo.

29. Q. Haterio] Is consularis vir, in Senatu decreti faciundi auctor fuit, ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent, ne vestis serica viros fœdaret: qui familia Senatoria ante excessum Tiberii decessit, eloquentia quoad vixit, celebrata, cum tamen exigua scripserit quippe qui impetu magis quam cura valeret nam vt in aliis studium ac meditatio plurimum valet, sic Haterii, profluens illud ac canorum cum ipso obiit.

36 Religiosas vestes cum instrumento omni comburere] Quas vestas leg. admonet, nimis anxie, ne dicam superstitiose, rem satis apertam in disquisitionem vocant.

37. Aboleuit & ius morémq, asylorum, quæ vsquam erant] Commentarius ex iis quæ videre legereq, potuerunt, non pauca. nos ex eodem Tacito omnia pleniora faciamus Ille igitur tertio in hunc fere sensum Cum cresceret Græcas per vrbes licentia asyla constituendi, quæ seditiones indies alerent, placitum est vt singulæ ciuitates iura ac legatos mitterent & cum multi venissent qui summo studio certarent, fesso Senatu eorum multitudine, res ad coss. relatas, factumq, S. C. quo modus præscriptus singulis est insiq, ipsis in templis aras facere, neu religionis prætextu turbulentissima natio seditionibus fomenta præberet.

Maraboduum & Rhascupolim] De Rhascupoli Thrace ex eodem Tacito copiosius haurses. Is autem Maraboduus, diu apud Sueuos rerum potitus, magna apud suos gloria, mox Catualda iuuenis inter Gothones nobilis vi pulsus, ad Cæsaris misericordiam fugit, transmissoq, Danubio, magnifica de se in Senatu oratione habita, qua se Pyrrho & Antiocho regibus æquiparet, Rauennæ inglorius consenuit, nimia viuendi cupiditate imminuta vetere gloria.

42. Atellio Sabino ⅠⅠS ducenta] Hæc summa quinq, millia aureorum nostratium valet.

44. Atalanti tabulam, in qua Meleagro illa ore morigeratur, legatam, vt si offenderetur, pro ea decies ⅠⅠS acciperet] Decies ⅠⅠS, non dena ⅠⅠS, significant, sed decies centena

48. Publicæ munificentiæ bis omnino exhibuit, proposito millies ⅠⅠS] Hæc summa quinq, & viginti centena millia facit nostratia, id est duo milliona, & dimidium.

49. Satis constat Cn. Lentulum augurem] Is est Lentulus qui consularis vir, triumphalia ornamenta de Getis retulit primo pauper, dein adeo opulentus opibus innocenter comparatis, & modeste habitis, vt quater millies ⅠⅠS possederit.

Condemnatam & generosissimam feminam Lepidam, in gratiam Quirini consularis prædiuitis & orbi] Tacitus tertio At Romæ Lepida Æmilia familia nobilissima, L. Sullæ & Cn. Pompeii pronoptis, defertur ad principem supposuisse partum Quirino coniugi quin etiam ob ficta adulteria & venena, consultisq, Chaldæis de Cæsare. Tandem damnata illa magna Quirini nuid a pragrauata e Tiberio sed dissimulante, aquaq, & igni interdictum, bona cum publicari deberent, ne publicarentur, Scauri gratia factum, qui filiam ex Lepida genuerat. Et paulo post; Celebratum est Sulpicii Quirini funus exsequiis publicis tametsi nihil ille ad Sulpiciam familiam pertineret: qui Lanuuii ortus modicis parentib. & opib. militia clarus, & vehemens ingenio, consulatum sub Augusto meruerat mox Cilicum castellis expugnatis, triumphi insignia meritus, C. Cæsaris in Armenia comes, & Tiberii cultor, dum Rhodi ageret, hinc principe carus præpotente senecta, sed apud populum accusatione Lepidæ & sordibus inuidiosa.

52 Etiam caussa mortis fuisse ei per Cn. Pisonem legatum Syriæ creditur] Is Piso Germanico datus est a Tiberio comes & legatus, qui cum Plancina vxore adeo aperte simultates cum Germanico exercuit, vt repertæ sint reliquiæ solo ac parietibus eruta humanorum corporum, tabulæ etiam plumbeæ, quæ deuotiones ac carmina in Germanicum continerent donec accusantib. Trione & Veranio, acerrime autem omnium Vitellio, iudicio Senat. damnatus est, magis assentiente Tiberio quam approbante. Piso post damnationem domi inuentus perfosso iugulo, iacente humi gladio, concessa Plancinæ vxoris incolumitate ob preces Augustæ, & filio in 10 annos relegato Diuersus ab hoc fuit L. Piso, qui curator vrbis sub Tiberio principe fuit, biduo duabusq, noctib. per potationem consumtis clarus cuius, nisi fallor, constantiam & auctoritatem in Senatu maxime Tacitus commendat.

58. Statuæ quidam Augusti caput depræsserat] Tum emendato demiserat Idem Tranquill. in Caligula. Diuinam maiest. asserere sibi cœpit, datoq, negotio, vt simulacra numinum religione & arte præclara, inter quæ Olympii Iouis, apportarentur e Græcia, quib. capite dempto suum imponeret.

65. Seianum res nouas molientem] Is (eodem Tacito) genitus Vulsiniis est, patre Seio Strabone equite Romano, & a prima iuuenta C. Cæsaris Augusti nepoti percarus. Aduersa fama, quasi Apicio stuprum corporis vendidisset mox defuncto Ca

Cæsare, Tiberio miris artibus insinuatus, adeo principem sibi obnoxium fecerat, vt callidissimum & obscurissimum aliis, sibi vni incautum redderet. laboris patiens, audaciæ nimiæ, simulator iuxta & dissimulator pro pudore quem palam ostentaret: immensa opum libido: nec minus criminando, quã adulando princeps, & largitione, ac industria interdum acceptus. His artibus sene circumuento, primo Drusum Tiberii veneno tollit dato per Lygdum spadonem, vxore etiam Liuia auxiliante, qua illi per stuprum cognita fuerat. inde in Agrippinam & eius liberos conuersus, tacitis eam criminationibus inuoluit, vt tandem relegatam Tiberius interfici iusserit cum Nerone filio, donec ille iisdem petitus artibus, cum filiis enectus sit, quorum corpora in Gemonias sint abiecta.

72. Nam Charidem] *Tu* Chariclem *emendato de quo sic Tacitus: Erat medicus arte insignis, nomine Charicles, magis ad consilium, quam ad vsum medicinæ, quam princeps omnino negligeret, familiaris, & velut negotium suum curaturus, dum cõmeatum petit, venas pertentat nec fefellit Tiberiũ: qui offensus, ac eo magis iram dissimulans, instaurari epulas iubet, eásq; protraxit, quasi honori proficiscentis amici daret.*

75. Pars Terram matrem] *Perbelle faciunt verba Plinii, ex secũdo ad hunc Tranquilli locum, quæ & subnectenda censui: Sequitur* Terra *cui tantum nomen præcipuæ venerationis ind dimus,* matrem *appellantes: cuius numen vltimum iam nemini imprecamur, tam graue nimis ac noxiũ, ac si nesciamus irasci nunquam solere, quæ sola natos homines excipiat, exceptos alat, & editos sustineat. Nouissime cum cetera nos omnia deseruerunt, vna adhuc complexa visceribus suis, tamqnam a reliqua natura neglectos, retinet, numquam efficacius pietatem maternam ostentans, quam cum sacros nos morte etiam faciat.*

EX C. CALIGVLA.

1. Legiones vniuersas excessu Augusti nuntiato] *Satis constat eodem Tacito, cum Imperiũ Germanico omnes assererent concionanti, illum, quasi scelere suo contaminatum, præcipitem Tribunali desiluisse, ferrumque in pectus adegisse, ni proximi sublatam in vulnus dextram retinuissent. tametsi non defuerint qui hortarentur vt ferret: quin etiam Clausidius quidam miles strictum gladium obtulit, addens, vteretur eo qui acutius penetraret. Verum composita seditione, in Germaniam ducto exercitu, bis acie Germanos vincit, Varianos milites sepulturæ mandat; Arminium præcipue apud Germanos fama, propter cæsum Quinctilium cum legionibus adeo fatigat, vt liberator ille Germaniæ pulsus profugusque, tandem propinquorum insidiis petitus occubuerit.*

3. Omnes Germanico corporis animiq; virtutes] *Nihil dici verius potuit. nam præter summam eruditionem, ingeniumque ad poeticen etiam factum, summa in eo comitas erga socios fuit; in hostes mansuetudo; quos vicisse, & ad pœnitentiam versos, satis habuit. His accedebat forma corporis egregia, visu auditúq; iuxta venerabilis, dum fortunæ imperatoriæ maiestatem retineret, inuidiam tamen & arrogantiam euitaret. Quare non Romanorum solum ingens luctu, sed prouinciæ & circumiacentium populorum & hostium decessit. Tacitus.*

16. Cordi Cremutii] *Tacitus, Cornelio Cosso, & Asinio Agrippa* coss. *Cremutius Cordus postulatur, nouo ac tũc primum audito crimine, quod annalibus, quos ediderat, dum Brutum Cassiumque laudat, Romanorum vltimos eos appellasset. Accusatores autem erãt Satrius Secundus, & Pinarius, ex intimis Seiani: quare exitiabilis reo erat. Cremutius igitur, cum se coram Senatu defendisset, inde egressus, vitam abstinentia finiit. censuere patres, libros per Ædiles cremandos. Sic dum ingenium Cordi puniunt, maiorem illi gloriam adstruxere.*

18. Cum lege Luciana apparatum Circi] *Emendauimus ex codice manuscripto,* cum elegantiam apparatus Circi prospicere pauci ex proximis Mænianis possent; *magna commentatorum socordia, qui rem non aduerterint.*

22. Datoque negotio, vt simulacra Numinũ, religione & arte, inter quę Olympici Iouis apportarentur egregia] *Par error cum superiore. Quis enim non videre potuit, nõ* egregia, *sed e* Græcia *legendum?*

33. Quin & subinde iactabat exquisiturum semel fidiculis de Cæsonia] *Et hæc videre debuerant, se vel, nõ* semel *legendum, vel* semet; *id quod codices manu scripti habeant.*

37. Vicies ac septies millies LLS Tiberii Cæsaris] *Hanc summam ingentem ac supra fidem esse, nemo dubitare potest, qui Tiberii principis tenacitatem, & opes imperii Romani per tot ann. ab eo cõgestas, & prodigum Caligulæ ingenium æstimare non velit. Vicies igitur septies millies* LLS, *si ad numisma nostrum rediges, sexagies septies millies mille aureos nostrates facit. Græci sex millia, septingentas & quinquaginta myriadas aureorum dicerent.*

38 Nec dicendi finem factum, quoad tredecim gladiatores LLS nonagies ignorantis addicerentur] *Hunc locum, dum imprimendum curarẽ, non satis aduerterã: nũc* licendi finẽ factum *scribendum admoneo. Quid sit autem* liceri, *& quo sensu hæc accipi possit, nemo non vt opinor, statim aduerterit.* nonagies *aũt* LLS, *est summa pecuniæ nostratis ducenti viginti quinq; mille aurei Veneti.*

56. Cassius Chærea] *Hic ille est qui centurio Germanici exercitus, seditione, quam mouerant excessu Augusti nuntiato, cum eum peterent ad mortem milites, vti reliquos centuriones, audacia singulari per medios ferro sibi viam patefecit. vnde & salutem adeptus est, magna centurionum aliorum parte cæsa.*

EX CLAVDIO.

4. Legatoq; non amplius quã octingentorũ LLS prosecutus] *Multi vel apud hũc vnum auctorẽ erant loci, vnde admoneri poterãt differentiam numeris, nisi plane cõniuerent. nã hæc octingenta sestertia, modicum legatũ Augusti principis apparet, plus aũt vicies* LLS, *quod infra a Tiberio legatũ dicat multo autẽ plus octogies sestertiũ, quod institutionis sacerdotis coactus est impendere, ex quo ad tantã rei familiaris angustiam decidit, vt in vacuum lege prædiatoria venalis diu penderet.*

18. In

18. In delibatorio] Adeo iam notum esse poterat quid diribitorium sit, aut unde dictum, ut qui delibatorio legant, parum certe vidisse dici iure possint. nam & Dion in historiis, Latinum nomen hac appellatione dixit. Iam vero & diribitores pro divisoribus pecuniarum, Ciceronis notius est quam ut explicari latius debeat. Est autem diribitorium publica aedes, in quibus exercitus recenserentur, & stipendia militibus diriberentur, id est distribuerentur, in quibusdam Italiae locis etiam usitatae.

19. Constituit pro conditione cuiusque ciuis vacationem legis Papiae Poppaeae] Quae lex esset Papia Poppea, undeve dicta, mox planius. Illud interim admonere lectures hac volui, corruptam hactenus Tranquilli lectionem uno alterove loco similibus; nec legem Pompeiam legendum, sed Papiam-Poppaeam iunctim. in quo non possum non mirari negligentiam multorum, qui sine testibus in caussa dubia & incerta in forum descendant. Fuit igitur Poppaeus Sabinus consularis ac triumphalis vir insignis memoriae, auus maternus Sabinae Poppeae unde illa etiam dicta Poppea. nam patrem Ollium honorib. non dum functũ, amicitia Seiani sub Tiberio peruerterat. Hic igitur sub Augusto principe legem seuerissimam de maritandis ordinibus tulerat, qua sexagenarii tantum non tenerentur: cui capitis postea a Claudio obrogatum infra Tranquillus asserat. Haec autem iunctim Papia Poppea dicta videtur, quod cum Papius legem contra adulteros tulisset, ac de matrimoniis etiam sanxisset, cuius & Ausonius praeter alios meminerit Sabinus Poppaeus eãdem retractaris, grauioribusq; poenis additis, sanxerit frequentanda matrimonia. Unde & lex postea a primo auctore Papia dicta, postea de Sabino Poppaeo Papia Poppaea iunctim appellata est: quam senior Augustus post Iulias rogationes, incitandis caelibum poenis, & augendo aerario sanxerat. Hanc vero legem Tacitus freqũter citat, maxime in tertio. Admonere etiam poterant, saltem infra legem hanc nõ de ciuitate, aut aliquo iure alio, quam de maritandis ordinibus agere, cum Tranquillus dicat capitis legis obrogatum a Tiberio, quasi sexagenarii generare non possent. Caeterum institutis nostri non est acrius aliorum errata castigare, & eorum maxime qui in Tranquillum scripsere cõmentaria: quorum alter adeo breuis est, ut etiam intra commentarii leges constiterit, alter adeo redundans, ut fabulari sepè videri possit: ita fit, ut aliud agendo, male interdum agat. verum ipsi viderint.

23 Capiti Papiae Pompeiae legis] Idem error, atq; ideo ad superiorem normam redigendus.

24. Aulo Plantio etiam ouationem decreuit] Hic est ille Aulus Plantius, qui consularium primus Britanniae praepositus est, bello egregius, redacta paullatim in prouinciae formam proxima insulae parte, Ostorio Scapulae imperium decedens reliquit cuius & Tacitus meminit, sed & Tranquillus in Vespasiano, duas validissimas gentes, superque viginti opida, & insulam Vectem Britanniae proximam, in dicionem redegit, partim Auli Plantii consularis legati, partim Claudii ipsius ductu.

EX NERONE.

20. Nec ante cantare destitit, quam inchoatum absoluetet nomon] Heic desiderari interpretis diligẽtia potest. nam quid nomos esset tã nescit, quam facile dissimulauit significant autem apud Graecos nomi cum multa alia, tum verò in musicis certam quãdam legem ac rationem canendi, ut tamen tibicinum & citharoedorum praecipue sint unde & αὐλῳδικοὶ & κιθαρῳδικοὶ dicti. Primus autem Terpander (auctore Plutarcho) citharoedicos nomos instituit suis atq; Homeri versibus mele adiungens. Clonas autem post hunc aulodicos inuenit, id est tibiales, & ea quae Graeci προσῳδία appellant quẽ postea Polymnestus Colophonius imitatus sit: nomisq; postea diuersa imposita sunt nomina, quae ex Plutarchi libello, ubi Musicen persequitur, quaeras. Illud etiam scitu dignum ex Graecorum commentariis inuenias, primos ab Apolline citharoedicos nomos inuentos quibus ille & uitã hominibus produceret, & in multis canendi suauitate feritatem tolleret. unde factum (ut Aristoteles est auctor) ut modi, ac canendi rationes quaedam, quibus canẽtes vtimur, nomi iam usitato Graecis verbo dicantur. Verum de his alias.

Si paulũ subbibisset, aliquid se suffertim tinnitutum] Nec scire fas est omnia, & Lynces etiam caecutiunt. ubi tamen offucias facit, meo reprehendi dignus. Quis enim non stomachetur, quod hoc in loco gannit interpres? Verum ipse viderit. Ego suffertim lego, aduerbiumq; eadem forma statuo, qua Latinis frequens viritim, singillatim. significare autem hoc aduerbium puto, quod plenum & grandius sit; huiusmodi sensu promittebat Nero simul ac subbibisset fore ut plenius & grandius tinniret. Suffertum autem, ac Differtum, plenum significare, Seneca verba & Horatii probant, ut alios omittã. ille enim Sole nubem suffertam dicendo, hic cauponibus & nautis differtum Appii forum, ostendunt plenitudinem hoc nomine intelligi. sed & Tacitus frequens Differtum usurpat pro maxime pleno.

28. Super ingenuorũ proagogia] Non paedagogia, aut paederastiam, quod confinxit interpres, sed proagogia legendum, quivis vel mediocriter Graecas literas edoctus agnoscat. Sunt autẽ proagogiae Graecis, quae Latinis perductiones. & quod illi προαγωγεῖν, nos perducere diximus, id est lenocinari, & lenocinium facere adeo autem & Latini & Graecis scatent hoc verbo, ut consulto exemplis abstineã. & alioqui admonere tantũ lectorẽ volumus.

30. In Tiridatẽ, quod vel vix credibile videatur, octingenta nũmûm milia diurna erogauit] id est, vicena milia aureorum nostrorum: quemadmodũ, quod aleam luderet quadragenis in punctũ sestertiis, id est, denis millib. in singula puncta significat. Quod autẽ addit, abeunti contulisse millies LLS, innuit XXV centena milia donata, ut nõ sit mirandum quod Tacitus de eo prodiderit, quatuordecim annis, quib. in Imperio fuit, bis & vicies millies LLS. donationibus effudisse.

Armillata & phalerata Mazacũ turba] Si ex his non nulli qui nostra tẽpestate aliquid scripsere, modestiam atq; ingenuitatem retinere voluissent, profecto melius Latinae res consuluissent, nec multa inuertissent; qualis est hic loc⁹, in quo codices omnes Mazacũ habent. q. cũ illi non intelligerẽt, amaxicorum, & mille alia huiusmodi mõstra substituerunt:

Ego Mazacum lego, & ex Cappadocia seruos, vnde ingens Romæ copia, interpretor, qui & Cappadoces appellātur ab Horatio eo versu, eget æris Cappadocum Rex. *Dicti autem Mazacę, vt arbitror, ab vrbe eorum regia* Mazaca: *quæ in medio totius Cappadociæ posita, cum multis aliis indigeret, tamē propter situs commoditatem, & lignorum ac lapidū & herbæ copiam, delecta ab his fuerat, in qua Reges habitarent: vnde & mater vrbium ab his dicta; quæ tamen postea sub Argæum montem posita,* Cę*sarea sit appellata: cui magnus Basilius postea præfuit antistes. Erit igitur Tranquilli sensus, quod Nero frequenti Cappadocum seruorum copia stipatus incederet, quos Mazacas ab vrbe eorum primaria etiam appellaret.*

56. Siquidem icunculam puellarem] *Perridiculum est quod de acu seu acuncula commentarii gānniāt. Tu* icunculam *legas* ἀπὸ τῆς εἰκόνος, *forma diminutiua, pro parua imagũcula. Iam & Plinius* iconicos *agnoscit* duces. *quid sit autem* εἰκὼν *apud rhetores, nō est præsentis loci, & res alioqui satis celebris.*

EX GALBA.

8. Vt secum vehiculo proximo decies sestertium in auro efferret] *id est, viginti quinque millia aureorum.*

EX OTHONE.

5. Ante paucos dies seruo Cæsaris pro impetrata dispensatione decies LLS expresserat] *Nullus* (vt opinor) *locus expressius differentiam inter* dena LLS, & decies LLS, *aperit nam si idem significarent, quo pacto quindecim speculatorib. denare præsentare poterant? decies igitur* LLS *cum quinq; & viginti millium aureorum reddant summam, dena singulis numerata sunt, id est, ducenti quinquaginta aurei, sicq; expensa ex ea summa quinq; fere millia sunt.*

7. Nec quidquam prius pro potestate subscripsit, quam quingēties sestertium ad peragendā auream domum] *Id autem facit duodecies centena & quinq; millia aureorum nostrorum. quæ summa si cui incredibilis videatur, ad absolutionē domus, æstimet ille secum id magis mirum, quod de M. Scauro Plinius scriptum reliquit, bis millies* LLS, *villæ incendio Scauro periisse.*

EX VITELLIO.

13. A Carpathio vsque freto] *Quis non videat nequaquā probari id posse, quod plerisq; a* Parthia *arrideat, cum* freto Carpathio *bene sane legatur.*

EX VESPASIANO.

19. Et tamen ne sic quidem pristinæ cupiditatis infamia caruit. Alexandrini Cybiotaten eum vocare perseuerarunt, cognomine vnius e regibus suis turpissimarum sordium] *Erat certe officium boni interpretis, vt quinam hic tādem fuisset, aut vnde illi cognomen tam sordidum adstrictum esset, explicaret. Nos* cybium *Plinio & Martiali concisam pelamydem appellari scimus: vnde frequens Plinio nominis vsurpatio inter præcipua salsamenta, corrupta etiam apud Varronem lectione. Credidit Festus dicta a cuborum similitudine, quis cum æque in omnes partes pateant (quadrata enim ad lusum apta sunt) ita etiam piscantes hoc genus piscis aleam veluti ludant. Hic autem quem* Cybiotaten *appellatum dicit Tranquillus propter eius illiberalitatem, non vnus fuit ex Ptolemæis regibus, sed e Syria ducens originem: qui a filia maxima natu Ptolemæi Auletæ expulsi a suis, in virum accersitus, non multo post ab ipsa expellitur, cum eius ignobilitatem atq; illiberalitatem pati nō posset. Strabo. vnde illi ab ordinādis cybiis, quæ forte ipsemet familiæ dispensaret, merito sordidissimum cognomentum adhæsit, quo & Vespasianum princip. vt sunt Alexandrini dicaces, propter eius auaritiam adsperserunt, quemadmodum & Syriæ regi* Physcon *cognomentum fuit a crassiore intestino, quod multa caperet. Illud etiam ex Athenæo addes, salsamenta Græcis duûm esse generum,* horæa & thunnia, *id est, e thynno salsa caro thunnia vulgo dicta.* Horæum *vero, quasi tempestiuum esse dictum, cuius macra pinguibus præferantur, cum in thunnis, macris pinguia præponantur, quæ* cybia *nuncupentur. Horæa autem, ex pelamyde, id est lutaria minore, fiunt; thunnia, ex maioribus. Sit autem idem* vræum, *de quo Plinius, cum* horæo, *mox alias.*

EX TITO.

8. Cum ex instituto Tiberii] *Aurelius Victor in hanc sententiam. Dehinc, cum donata concessave a prioribus principibus firmare insequentes solerent, simul vt imperium cepit, talia possidentib. edicto sponte cauit, vel concessit.*

EX DOMITIANO,

4 Nam venatores gladiatoresque, & noctib. ad lychnos] *Par error cum eo qui in Cæsare dictatore inoleuerat. restituenda igitur lectio, &* lychnuchos *legendum, vt admonui.*

7. Edixit ne quis in Italia nouellaret, vtque in prouinciis vineta succiderentur] *Aliam Philostratus asserit edicti caussam, præcipue in Asia, quod homines vino nimium indulgentes, seditiones excitarent. quare & Domitianus id etiam in tota Asia vetuerat. Verum Scopeliano sophista celeberrimo, legationem communi Asiæ nomine suscipiente, & restituta vites, & donatus est ille amplissimis a Domitiano muneribus, admirante in primis viri copiam & vbertatem dicendi. Illud etiam scitu dignum, prouinciis quibusdam a Probo imperatore concessum vt vineas alerent.*

9. Subsiciua quæ diuisis per veteranos agris carptim superfuerant] *Quid* subseciuū *seu* subcisiuum *sit, notissimū grammaticis est.* subseciuus *autem ager, de quo heic agitur, Boethio is est, qui secundum proprias determinationes adscriptus in finibus suis, tabulario Cæsaris infertur, & qui beneficio concessus aut assignatus coloniæ fuerit, siue proximus, siue longius positus, quem colonia in tabulario Cæsaris manu conditoris subscriptum habere debet. Item ager similis* subcisiuus *est, qui non assignatus reip. populoque, aut coloniæ, cum fine circūdatur, remanet in eius potestate qui assignare potuerit, hoc est, principis. vnde inter* XIII *controuersiarum genera, illa vel præcipua est quæ de subcisiuis agris oritur.*

IN IOANNIS BAPTISTÆ EGNATII ANNOTATIONES, INDEX.

IOANNIS BAPTISTÆ EGNATII VENETI, IN ÆLIVM SPARTIANVM, LAMPRIDIVM ET CETEROS ANNOTATIONES.

EGNATIVS LECTORI S.

DABITVR & hoc ipsum publicæ a nobis utilitati, ut meæ opera & hi castigatissimi pariter exeant, & quæ apud hosce auctores obscuriora erant, percipi facilius per me queant. Erimus autem eo breuiores quo ratio hæc mihi visa commodior: & alioqui tantis & studiorum difficultatibus & temporis angustiis premimur, vt copiæ simul & rerum inquisitioni vacare mihi non liceret. Accipiant igitur nostrates homines æquiore animo isthæc omnia; quando & viatoribus siti laborantibus fontem ostendisse non ingratum sit. Nec acerbius exigi debent quæ sponte offeruntur. alioqui gratiæ & officii nomen exuant. Quinetiam & illud vsus ex instituta breuitate fuerit, vt bona ingenia excitentur, habeantque & illa vnde non omnia nobis, verum industriæ quoque suæ aliquid debeant. [Notandum porro, lector, cum in ceteris editionibus, temporum serie obseruata, Augustis Cæsares ac Tyranni suo quique loco subiungantur, Egnatium cum in textu historico, tum in his Annotationibus, secutum esse ordinem diuersum, ac primum Augustos continua serie præmisisse, deinde Cæsares ac Tyrannos seorsum ex ordine subiecisse. Quod cum certo consilio fecisse videretur, nos eius ordinem non mutandum, sed tantum tibi hac commonitiuncula indicandum existimauimus.]

EX ADRIANO.

116 POSTERIOR ab Hispaniensibus] *Par differentia huius nominis* Hispani & Hispaniensis, *quæ* Romani & Romaniensis. *Dicuntur enim* Hispanienses, *Romani qui in Hispaniam coloni transcripti, diutius in ea prouincia fuere.* [*Mox vero, vbi* apud Italiam *Adriani maiores resedisse vulgo scribitur, pro Italia reponendam esse* Italicam, *docet idem Egnatius in fine Annotationum, in Prætermissis. vbi etiam* Italici *qui dicti fuerint, declarat.*]

Patruo magno Ælio Adriano] Maiorem patruum *veteres appellarunt auis & auiæ patruum.*

Germaniam superiorem] *Frequens multarum prouinciarum appellatio huiusmodi, quod & hodie in ipsa Germania retineamus, & de Mœsia non multo post.*

Virgilianas sortes] *id est quæ ex Virgilianis carminibus fierent: quarum vsus ex sacris præcipue litteris hodie frequentissimus est multis: non improbata ab heroibus olim nostris. nisi tu diuersum quid in illis sentias, quod & mihi verisimilius multo.*

Nicephorii Iouis] Nicephorium *urbs Mesopotamia, ex vico in vrbis formam ab Alexandro Macedone condita, ex argumento victoriæ insignis ibi partæ, Plinio, Straboni. cuius tamen codices* Niceronium *corrupte habeant. Hæc postea a Constante Constantini Cæsare,* Constantia *est appellata Stephano & Suida. vnde templum Nicephorii Iouis arbitror a Spartiano dictum.*

Denique statim suffragante Sura] Licinius *hic* Sura, *est Traiani principis amicitia ac familiaritate insignis: cui vsqueadeo fidem habuit, vt post delationem domum eius venerit, pransusque cum illo, eius medico oculos tentandos exhibuerit, tonsorique operam dederit mox ad amicos conuersus,* Ecquid accusare amplius Suram potestis? *Huic mortuo sepulcrum fieri & statuam poni iussit*

sit. Huic tanta opes fuere vt gymnasium suis impensis publicarit.

Ad perpetuam tribunitiam potestatē omen sibi factum asserit, quod pænulam amiserit] Pęnulam *vestem ad arcendam pluuiam esse, qua numquam Imperatores vterentur, Tranquillus in Caligula auctor est, qui de illo veluti probrosum, id retulit, quod picta gemmataque panulas indueret. Pluuia eius gratia gestari solitas, iocus ille apud Quintilianum (ne alium citem) probat, quum Galba negasset amico roganti pænulam,* Nō pluit, *inquiens,* non opus est tibi: si pluet, ipse vtar. *Sensus igitur talis; accepisse se omen futuri imperij, quādo tribunitiam penulam amisisset, quasi numquam vsurus ea veste quam numquā Imperatores induerent. De penula vero in Alexandro copiosius.*

127. Sub Surano] *Tu* Sura *leges.*

Quum I I siterum X X ad ludos edendos accepit] *Obseruatum id ex historiarum monimentis, eos qui ædilitatem ac præturam acciperent, ludos P R magnificentissime exhibere solitos, in quibus plerique magnas opes profunderent. quare principum liberalitate sæpe sustentabantur; ii præsertim qui affines aut amici his essent.*

Procuratores latius vagantes coercuit] *Hoc genus hominum summam potestatem sibi vindicat in prouinciis, quando principū nomine his ita præessent, vt suprema quadam potestas eorum esset. Omnia enim quæ ad Cæsarē pertinerent, administrabant; predia insuper Cæsaris procurabant; vnde & nomen. Erant autem ferme eius liberti, qui hoc vel præcipuum ius haberent, vt hereditates opulentiorum sæpe adirēt, qui Cæsarem heredem reliquissent. Qui igitur eorum licentia occurrere auderent, inuidia principum sese obiiciebant, non sine postea periculo. Vlpianus digestorum primo.*

Et defuncto Sura, Traiani et familiaris creuit] *Tu* familiaritas *emendabis.*

Neratium Priscum] *Hic iurisconsultus ætatis suæ longe princeps cuius membranarum maximo libri septem aduocantur, Traiano principi adeo carus, vt illum sibi successorem destinasse credatur, quum illi remp. commēdasset ex amicorum sententia, siquid sibi fatale contingeret, illum autem Traianus in consilio semper haberet.*

Psamatosyrim] *Dion* Partenaspatem *appellat, quem Parthi, quando indignum regno iudicabant, eiecerant.*

Frugi Crassum] *Cognomentum hoc Pisonum vel peculiare fuit. Qui vero* frugi *dicantur homines ex Cicerone id peto.*

Catilio Seuero] *Cæcilius in epistolis* Serenum *corrupte, vt opinor. Hic sitne ille Catilius cuius forti opera Adrianus ad comprimendos Iudæos vsus sit, ambiguum esse potest.*

128. Aurum coronarium] *Hoc autem erat quod ciuitates & opida nouis Imperatoribus offerebant sub coronarium specie, sæpe ab optimo quoque principum Italiæ ac prouinciis condonatum.*

Statim cursum fiscalem instituit] *Quid si* inhibuit *legas, reclamante etiam codicum fide? sensu tali, prohibuisse Adrianum, ad conciliandam sibi famā boni principis, ne fiscus acerbius pecunias exigeret: quod a bonis Imperatoribus cautū sæpe legas.*

In fiscum priuatum] *erat enim & publicus.*

Dimensum, *siue* Demensum, *Donato dicitur id quod seruis in singulos menses ad victum dabatur: ἐπιμέτριον a Græcis dictum, magno errore interpretis qui Lucæ Euangelium transtulit. Vnde hoc loco, quod senatoribus ad certum numerum & tempus dabatur,* dimensum *appellarit.*

Senatu legitimo] *Erat enim & indictus. Nam Augustus princeps, ad leuanda senatorum onera, statuerat ne plus quam bis in mense senatus legitimus ageretur, calendis & idibus, néue Septembri Octobriue mēse vlli alii adessent necessario, nisi forte ducti, per quorum numerū decreta cōficipossent.*

Ne esset secundæ sententiæ] *Quinam rogandarum sententiarum mos esset, queue primo sententiæ aut secundæ dicerentur, id ex Gellianis noctibus pete.*

Simili alteri præfecto] *Dion de Simili ac Turbone in Adriano ad hanc sententiam: Duo per ea tempora fuere illustres viri, Similis & Turbo: & Turbo a paruis initiis ad summam dignitatem euectus, militaris disciplinæ scientissimus fuit, prætorianorum etiam præfectus, & Adriano principe adeo familiaris, vt sæpe cum illo noctes continuaret. Hic nec quum morbo laborauit, domi vmquā fuit, præpositos rerum stantes oportere mori dicens. Similis vero, ætate & honore illum antecedebat: qui olim in consilium centurio vocatus,* Turpe, *inquit,* est præfectos excludi, & centurionem aduocari. *Tandem impetrata vacatione secedens in Campaniam, in summo otio vixit annos septem; hoc elogio sepulcro addito:* SIMILIS HIC IACET: CVIVS ÆTAS MVLTORVM QVIDEM ANNORVM FVIT, SEPTEM TAMEN VIXIT.

129. Post hæc profectus in Gallias, omnes causarius liberalitatibus subleuauit] *Quid si* causarios *legas, & melius? quasi dicat, omnes qui iustas causas allegarent inopiæ, liberalitate Adriani sustentatos. Qui vero in militia* causarii *dicantur, notarei est.*

Lardo, caseo, & posca] Posca, *acetum aqua admixta dicitur: quo potionis genere etiam nunc nostri remiges vtantur.*

Triclinia de castris] Triduntræ *priores codices habuere. Nos* triclinia *ex coniectura emendauimus. nisi quis* Thericlia *legat. Quæ sint autem* Thericlia vasa, *Cæsarem & alios Græcos auctores adeat.* Topia *autem, funiculis a nostris dicta. vnde* topiarium opus *ex buxo in hortis frequens iam & ex lauro inuentum deliciarum est, arboribus etiam aliis compositis in hunc vsum.*

Capulo vix eburneo spatam clauderet] *Verbum hoc barbarum plane est, nec nisi ab his recentioribus vsurpatum.* Spatha *autem Græcis diuersum quid est.*

Locum castris caperet; nulli vitam nisi robusto] *Emendato* vitem, *magno librariorum errore. vitis enim insigne erat centurionis; sub qua milites erant ut plecterentur. Illud pro instituta breuitate ex Tacito non omiserim, Lucilio centurioni in castris Germanicis cognomentum* Cedo alteram *inditum esse, quod verberans militem, vite perfracta alteram poposcisset.*

Condicta militaria] *id est, Pacta & conuentiones singulorum.*

Cōdicta militaria] *Forte breuiaria ac syllatia*

hic

hic intelligi voluit, quibus numerus militum ac nomina ascripta continerentur.

Italicis vehementissime] id est, Romanis & Italis, qui per Hispanias in colonias transcripti, ibi agerent: quibus delectum detrectantibus, iure vehementissime Adrianus consuluisse dicitur, vtpote Romanis vel Latinis ciuibus. [Vise & Praetermissa, in fine Annotationum.]

Frumentarios] qui scilicet domum familiarius ingredientes, omnia cognoscere possent.

Seditione Alexandrina turbatus] Quae mota est propter Herodotum.

Nemausum] Galliae oppidum, Nimes hodie nuncupatū, in quo vestigia etiam theatri visantur.

130. Eleusinia sacra] ab Eleusi Atticae oppido, postea a Graecis dicta, quae Initia nos dicimus: quibus initiari etiam principes voluere, qui bonitatis opinionem affectarent.

Agonotheta] Id est, ludorum praeside, Graeca dictione.

A Cappadocibus seruitia suscepit] Haec prouincia iampridem seruos multos habuit, & praecipue apud Comana: vnde etiam Romam Cappadoces mittebantur, qui iam pro mancipiis accipiuntur: vt ex hac prouincia seruorum initium effluxisse reat, qui in Aegyptum accersiti a Sultano, imperium totius Syriae ad se traxerint.

Tetrarchas] Hi sunt qui quartam regni partem retinent.

Antiochenses] Haec ciuitas Syriae totius olim metropolis habita, ad Orontem fluuium posita, & Cassio monti incubans: genus hominum leue ac seditiosum, voluptatibusque praecipue diffluens; graues saepe ac molesti principibus. Vnde quum in Iuliani principis odium incidissent, orationē in eos, quae exstat, postea reliquit; quae a barba argumēto, μισοπώγων est dicta. Hanc Christiani principes quadringētesimū abhinc annū post magnas difficultates expugnatam diu possederunt; donec a Saracenis iterum capta, desolata pene ad hanc diem relicta. Tredecim etiam vrbes hoc nomine celebres olim fuere.

Titulo Aegyptiacae praefecturae] Haec etenim, quamuis equitis demum dabatur a Caesare, tamen propter prouinciae magnitudinē & gentis leuitatem, praecipuum sibi locum vindicabat. Iurisconsultis.

Seruiano sororis viro] Hic ille est Seruianus quem postea, ne superesset sibi, mori coegit.

Iouis Olympii aedem] Pausanias auctor primo Iouis Olympii templum ab Adriano dicatum, operis maxime mirabilis: vbi statuae eius duae Thasii lapidis, totidem Aegyptii; praecipua vero claritatis columnae centum Phrygii lapidis. Quin etiam Iunonis templum & Panhellenii Iouis, omnibus commune Graecis delubrum. Olympii autem templum Iouis, primum a Deucalione fabricatum, & tumulum eius prope positum in argumentum adducunt. Dion.

Cassio] Hic Aegypti mons iuxta Pelusium, & oppidum fuit delubro Iouis Cassii cognomento, Magni etiam Pompeii sepulcro nobile: vel a Casso vna ex Cycladibus, vt putat Stephanus, vel a Cassio Cleomachi dictus. Hic autem de eo qui Antiochiae incubat, intelligit: cuius altitudo tanta est, vt quarta vigilia orientem quis per tenebras solem aspiciat, breui circumactu suo diem noctemque ascendentibus ostentans. Ambitus ad verticem summum vndeuiginti mil. pass. per directum quatuor.

Pharasmanii] Hic Massagetarum siue Alanorum rex erat.

Antinoum suum] Hic elegantissima forma fuit ex Bithynia Claudiopoli: adamatus ad insaniam ab Adriano fertur: vt illi mortuo & ciuitatem construxerit, & statuas vbique erexerit. Dion auctor.

Seruianum sororis virum] Graeci codices Seuerianum habent; qui quum Adriani iussu moreretur, ignem petiit, & accenso thure, Vos, inquit, dii testes estote, nihil a me morte dignum esse commissum: tantum hoc precor, ne quum velit, mori possit.

Et quidē Phauorinus] Is est Phauorinus Gelliani Noctibus cantatissimus, ex Arelate Galliae oppido, & hermaphroditus: qui tria sibi memorabilia contigisse dicebat; quod Gallus Graecas litteras didicerat, quod eunuchus adulterii causam dixerat; quod Adriano principi aduersaretur, & viueret. aemulus maxime Plutarchi, cuius scriptarum copiam aequo animo ferre non poterat.

Phlegontis libri] Hic Trallianus cum alia, tum Olympiadas scripsit, quibus libris quae vmquam gesta essent, per tempora complectebatur.

Catacrianos libros obscurissimos, Antimachum imitatus] Quod Antimachum poetam, ignotum pene per ea tempora vatem, Homero praeponeret, notum est. Qui sint autem Catacriani libri, quaerendum adhuc mihi est.

131. Ego nolo Caesar esse] Sunt hi trochaici numeri: in quibus per culices rotundos Adrianus Florum pathicum fuisse innuit.

Epictetum & Heliodorum] Ille, Hierapolitanus ex Phrygia & Epaphroditi Neronis liberti seruus, claudusque, Nicopoli Epiri cōsenuit, magnum in philosophia nomen adeptus. Heliodorus, inter sophistas non ignobilis a Philostrato recensitus.

Saturnalia & sigillaritia] De Saturnalibus nihil est quod hic addam: Sigillaritia autē dies erant festis Saturnalibus additi: quibus, vt in Saturnalibus cereos, sic in his sigilla, id est parua signa, amici missitarent. Vnde autem origo haec effluxerit, ex Macrobio copiosius. Ipsi autem dies & Sigillaria dicebātur, vt Saturnalia, & locus vbi sigilla haec vēderentur. Scaeuola etiam libro de legatis tertio sic meminit: Paterfamiliās ita legauit lances duas leues, quas de sigillaribus emit.

Hiberum] Hiberes Ponti accolae; de quibus certatim geographi & poetae, hodie Georgiani dicti, vt non plane Christiani, sic a fide nostra non abhorrentes, ingenti olim miraculo persuasi, vt fidem CHRISTI publice susciperent. sed & veteres auctores Georgiam de terrae cultu hanc terrarum partem (nisi fallor) appellarunt.

Iulium Celsum, Saluium Iulianum, Neratium Priscum] Iureconsulti omnes per ea tempora celebres. Iulius enim Celsus is est qui Adriano in consilio fuit, & Digestorum libros vndequadraginta composuit. Nam Saluius Iulianus, auunculus Didii Iuliani principis fuit, ab Adriano & ipse in consilium adhibitus, auctoritatis plurimae. Neratio vero Prisco, qui praeter alia septem membranarum libros reliquit, adeo tribuit, vt hunc sibi de amicorum consensu successorem destinaret. sic vt ei quandoque dixerit, Commēdamus tibi impro-

rium, si quid fatale nobis contigerit. *Pomponius. & nos hoc ipsum superius attigimus.*

Decoctores bonorum suorum, si suæ auctoritatis essent, catamidiari in amphitheatro, & dimitti iussit] *Qui essent* suæ auctoritatis homines, *quæue* alienæ, *ex iureconsultis accipies. Illud est obscurius quid significet* catamidiari, *verbum (quod sciam) non ab aliis vsurpatum. Significat autem deridere atq; exsibilare; de Græcis fontibus. Hac pœna Venetiis periuri & multi nubi affici solent; vt publice futuri ludibria, mitratis exponantur, sæpe etiam collo in columbari pendente.*

Si dominus in domo interemptus] *Seruilem improbitatem & audaciam veteres grauissimis pœnis comprimendam censuere: vt scilicet omnes qui sub eodem tecto agerent, interfecto domino, supplicium extremum luerēt. Tacitus. Id quod Adrianus leniendum censuit, pœna his tantum statuta qui per vicinitatem sentire potuissent.*

Per Latina opida dictator] *Id ex Cicerone & Asconio discas*, Dictatores *per opida Latii dici solitos*

Apud Neapolim demarchus] *Id est, populi princeps.*

Athenis archon] *Principem, quem Athenienses singulis annis deligebant, id verbum significat: a quibus Attici scriptores rerum gestarum ordinem ducunt. Verbi frequentissima mentio Græcis scriptoribus.*

132. Militares pyrrichas] *id est, armatas saltationes. Strabo & ceteri, certatim a Pyrrho inuentore dictas existimantes.*

Romæ instaurauit pantheum & septa] Pantheum, *templum diis omnibus dicatum* · Septa *autem dicebantur loca in campo Martio inclusa tabulatis, in quibus populus Rom. suffragia ferret: Ouilia etiam a Lucano poeta dicta. De hoc loco nostri multa.*

Apud Alexandriam in museo] *Museum, & Serapeum, & Iseum, publica Alexandriæ auditoria & ædes, a Musis & Serapi & Iside dicta.*

Adrianotheras] *Id est, Adriani venatica in Mysia condidit.*

Tetrapharmacum] *Id est, ex quatuor cibis compositum: de quo mox insequentibus.*

133. Sederi in equis] *Hoc enim plerique principes probrosorum & effœminatorū esse hominum credidere. quare & sæpe prohibitum legas. Hunc morem fœminæ nostrates retinent.*

ILS IIII millies] *Tu ad eam normam hanc summam redige quam in Tranquilli annotationibus ostendimus. Illud obiter in Tranquillo admoneo, in Cæsare Dictatore* Notatos *pro* Nudatos *legas; in Augusto* Prælucente *pro* Præducente.

Votorum causa] *Calendæ enim Ianuariæ, votiuæ solennesque erant, omnis tristitiæ ac luctus exsortes; nuncupabantque eo die vota* COSS. *in totum annum pro reip. salute.*

Speciatim Attilius Seuerus] *Tu vide ne* Caius.

134. Animula vagula blandula] *Iambici dimetri recti, non tamen vsquequaq; ad legem facti.*

Sambucas] *Instrumentum musicum triquetrum, quo sambucæ canebant · vnde quidam* sambucam *appellant. Est & instrumentum vrbis oppugnandæ. Frequens huius nominis vsurpatio in sacris litteris. Vnde &* sambucistriç, *quas Spartianus* sambucas *appellasse videri possit.*

Lycium, Academiam, Prytanium, Canopū, Pœcilen, Tempe] *Gymnasia hæc Athenis fuere. Nam &* Canopum *agnoscit Philostratus in Herodis Attici vita.* Pœcile *vero*, Porticus varia *a Latinis appellatur, nobilitata etiam, præter picturam Marathonicæ pugnæ, Zenonis stoici conuentu; vnde a portico* Stoici *dicti. Versus Ciceronis*, Inq; Academia vmbrifera, nitidoque Lycéo, Fuderunt claras fœcundi pectoris artes. Tempe *vero nota sunt; quæ triplicia traduntur. vnde & nomen ab amœnitate.*

EX ANTONINO PIO.

137. Fœnus trientarium] Vsuræ semisses, *quæ &* Ciuiles *dictæ sunt, iureconsultorum libris frequentes: sed* trientariæ *minores certe erant, quum quatuor tantum in centum reciperent. a triente dictæ.*

Vtrum arrogari vellet] *Differre adoptionem ab arrogatione, etiam iurisconsulti docent: nam qui sui iuris sunt*, arrogari: *qui alieni*, adoptari *dicuntur.*

138. Factusq; est patri, & imperio proconsulari & tribunitia potestate, collega] *Proconsularem dignitatem extra vrbem supremam fuisse & tribunitiam in vrbe, cum hic tum alibi facile constat.*

Postquam ad imperium transiuimus] *Ita enim omnia arrogatoriis erant facta legibus, id sancientibus, vt arrogatus in patris potestatem transeat.*

Quadruplatores exstincti sunt] *Hi erāt vel qui quartam bonorū partē reciperent ex accusatione, vel eorum accusatores qui condemnati quadrupli tenebantur. Vnde Plauto* Quadruplari *verbum.*

Species imperatorias superfluas] *Etsi hoc generale sit ad multa nomen, Marcianus tamen iureconsultus videtur (id quod iam vulgo etiam receptum est, Indicas & Arabicas intellexisse, vt cinnamomum, piper, & id genus alia. Hic vero pro elegantiore omni supellectile, nescio quam probe, intellexisse videtur.*

139. Puellas alimentarias] *Bonorum principum hæc præcipua cura, vt pueros, puellasq; etiam, publice alerent; parentes etiam ad sobolem tollendam præmiis & priuilegiis inuitarent.*

Græcostasium, *siue* Græcostasis: *Varroni locus ante curiam Hostiliam, in quo legati exterarum gentium ac regum sederent: a parte dictus.*

Phari restitutio ad Ostiæ portum] *Turris ad similitudinem Alexandrinæ erecta nauigantium commodo & securitati.*

Templa Lanuuiana] *Codices alii* Laurniana, *quod non displicet.*

Primus constituit ne pœnæ causa legatum relictum maneret] *Mutilata lectio; sensus autem ex Dionis historiis huiusmodi · Quum Cæsar dictator per senatum censuisset vt qui testamentum facerent, partem quamdam reip. ac fisco legarēt, irrito aliās testamento, primus Antoninus decretum illud antiquauit. [Vide & prætermissa in fine Annotationum Egn.]*

Perara-

Per ærarii sui damna] Ærarium pro fisco principali hic vsurpat; & alioqui fiscum etiam publicum pro ærario dictum legas.

Et Narbonensis ciuitas, & Antiochense opidum] Vix adduci possum vt de Antiochia hic opulentissima Asiæ ciuitate intelligat. Tu vide ne Agathense opidum legendum: alioqui in prouincia Narbonensi Agatha opidum geographis collocatur.

Pacorum regem Dadiis dedit] Lazis melius omnino, Procopio & Marcellino statuentibus Lazos in ea Asiæ parte.

Olbiopolitis contra Tauroscythas] Accolæ Ponti geographis celebres. Olbiopolis Græcis Beata ciuitas dicta.

Crocutas] Ex Plinio id accipies.

140. Fortunamque auream] Hanc Imperatores in cubiculo semper habebant, morituríque ad successorem deferendam curabant.

Tiliaceis tabulis] id est, ex philyra: tenuissima enim confici solent: & caliditate sua plurimum senibus conferunt. Sed & libelli veteribus ex hac materia frequentes, & coronarum lemnisci.

EX M. ANTONINO PHILOSOPHO.

Lupiæ] Salentinorum opidum haud procul a Brundusio geographis.

141. Ædes Laterani] Adeo insignis Lateranorum familia Romæ fuit, vt magnæ vrbis parti nomen dederit. Certe Rom. Pontifex, Lateranensis quandoque dictus episcopus.

Apro & Pollione, & Eutychio Proculo Siccensi] Grammatici per ea tempora celebres. nam & Apri Seruius sæpe meminit. Eutychius autem Siccensis a patria, quam in Numidia Romana colonia.

Oratoribus Herode Attico, Latino Frontone Cornelio] Inuersa nomina, sic tamen emendanda. Hic autem Herodes, Atticus cognomento, diuitiis & litteratura celebris; qui Athenas præcipue patriam præclaris operibus exornarit; Gellianis noctibus frequens. Is quum ingenio & eloquentia nulli secundus haberetur, filium habuit adeo hebetem vt ne elementa quidem litterarum perciperet. Philostratus. Cornelius autem Fronto, insignis eloquentia fuit, cui siccum dicendi genus a Macrobio tribuitur: bimestri consulatu ab Antonino insignitus. cuius illud fortasse sit opusculum quod a viro bene docto Iano Parrhasio primum in lucem venerit, De nominum verborumque differentiis. M. Aufidium Frontonem pronepotem & ipse habuit, cuius adhuc exstat ad Fortunæ fanum elogium, M. AVFIDIO FRONTONI PRONEPOTI M. CORNELII FRONTONIS ORATORIS CONSVLIS MAGISTRI IMPERATORVM * L. ANTONINI, NEPOTI AVFIDII VICTORINI PRÆFECTI VRBIS II. COS. FRONTO CONSVL FILIO DVLCISSIMO.

Audiuit & Sextum Chæronensem] Hic Plutarcho ex sorore nepos Pyrrhoniam sectam amplexus est: de qua & decem libros scripsit adeo principi acceptus, vt senex etiam Imperator scholam eius frequentaret. Notum illud est dictum Lucii sapientis, qui semel occurrens Antonino, quum illum interrogasset quonam iret, & ille Ad Sextum respondisset, a quo disceret quæ numquam audisset; neque enim pudori esse, si senex discat: Euge, inquit, ó Imperator, si senex tabulam manu gestans ad præceptorem adeas: meus autem Alexander duos & xxx annos natus obiit.

Imagines eorum aureas in larario] De larario in Alexandro mox.

L. Volusium Metianum] Clarus inter iureconsultos Metianus: qui fidei commissionum sedecim, publicorum quatuordecim libros scripserit. Corrupte sæpe in Pandectis Marcianus pro Metiano legitur.

Aufidium Victorinum] Hic forsan ille sit qui præfectus vrbis & bis COS. sub eo fuerit, vt monumento superiore constat.

Publicis exeniis] Corrupta lectio, & Xeniis legendum: namque Græci ξένια, nos lautia, & simpliciter hospitalia munera accipimus: id quod apud Iureconsult. de officio proconsulis leges. Quid autem si publicis encænus legas? hoc sensu, detulisse Adrianū M. Antonino eum honorē qualis publicis encæniis habebatur diis. Sunt autem encænia festi dies, quum scilicet nouum aliquod sacrum diis immortalibus paratur.

Inaugurauit & exaugurauit] quod nos in sacris nostris sacrare & exsecrare diceremus.

Nemine præeunte] Præire auguralis disciplinæ verbum: eiusdem nota & verbum quod sequitur, Carmen.

Præfectus feriarum Latinarum] Dicimus & simpliciter Latinas, quum in monte Albano COS. vel præfectus carnem Latinis solenni sacro diuideret. De præfecto autem Latinarum & Gellius.

Diuisionem] Non ingratum erit (opinor) quid iureconsulti de rerum diuisione sentiant, hic inserere. Rerum summa diuisio, (inquit Paulus) aut diuini iuris est, aut humani. Quod diuini iuris est, id in nullius bonis est: quod humani, plerumque in alicuius bonis est.

142. Gratia ætatis facta] hoc est, lege annali solutus: quando non erat illi quæstoria adhuc ætas.

Auo busta impleuit] hoc est, omnia quæ ad busta persoluenda principis necessaria essent, comparauit. Quæ autem sepeliendi principis Romani ratio foret, ex Herodiano accipies.

Quasi priuatus quæstor] id est, qui princeps non esset.

Et seuirum turmis eq.] vise prætermissa in fine harum Annotationum.

Tuncque primum Romanum imperium duos Augustos habere cœpit lictum] Lictum hic cassa & nihili vox. & propterea diligentius æstimandum.

Ob hanc coniunctionem pueros & puellas nouorum hominum frumentariæ perceptioni ascribi præceperunt] Perceptioni autem legendum, hoc sensu; Quum ciuibus antea Romanis & honestis frumentum daretur, placuit ob lætitiam ad tesseras frumentarias recipiendas nouorum etiam hominum liberos ascribi.

Vicena millia nummûm] id est, quingentos aureos nostrates.

Reliqui pro rata] Veteres melius quidam pro rata parte. in his enim frequenter linguæ puritatem desidero. Sensus autem huiusmodi est, Reliquis legionibus quæ usquam essent, datum & donatiuum: minus tamen datum iis, quando scilicet prætoriana cohortes alii præstarent.

143. Catti] Cattorum disciplina tanta fuisse a Tacito dicitur, vt cæteri quidem barbari ad prælium, Catti ad bellum exire dicantur, quorum initium ad Hercyniæ saltum esse refert.

Officiorum] Hoc verbi significatum & iurisconsulti probant, nec Latini quidem auctores respuunt.

Apud Antiochiam & Daphnen] Amœnissimum extra Antiochiam vrbem locum fuisse Daphnen, historicorum monumentis omnium notissimum est.

Artaxatis captis] Metropolis hæc Armeniæ totius, ab Annibale loco cætera egregio, sed squalido & aquis indigo, condita: nomen a rege Artaxa, ad quem deuicto Antiocho confugerat, sortita.

Liberales causas] Liberales causæ iureconsultis hæ sunt, vbi de libertate alicuius dubia quæstio fit: vt si quis dolo malo, vel in seruitute, vel maior xx annis, passus se venumdari sit, pretiumque acceperit. His enim proclamatio ad libertatem non dabatur, vt latius digestorum xl continetur.

Apud præfectum ærarii Saturni] Ærarium in æde Saturni fuisse, nemo nescit. Vnde & qui præerat, inde dictus communi eorum nomine qui alicui rei præficerentur.

Tabulariorum publicorum vsum instituit] Qui publicas tabulas & documenta conficiunt, tabularii eleganter appellati: vulgus notarios dicit. Hanc legem Veneti his annis proximis ad nobilitatis assertionem s.c. sanxere: vt quicunque patricius liberos genuerit, ad publicos aduocatores, qui præsens est, intra octo dies, qui absens, ad sex menses profiteatur: vnde postea & ætatis & natalium per assertio queat, irrita eorum nobilitate quorum nomina improfessa aut edita in album non essent: ex quo annalis legis fraus nulla amplius fiat.

Comitiis vsque ad noctem frequenter interfuit] Hinc & nostri Veneti bene cauerunt ne comitia vltra quartam & vigesimam horam prorogentur.

Nihil vos moramur patres conscripti] Vox consulis dimittentis senatum.

Fastis dies iudicarios addidit] Quinam fasti dicantur dies, ex Macrobii Saturnalibus petito præter alios.

Prætorem tutelarem primus fecit] Tutela (vt inquit Seruius) vis ac potestas in capite libero constituta, ad tuendum eum qui propter ætatem sua sponte se defendere nequit, iure ciuili data ac permissa: vnde tutores quasi tuitores atque defensores dicti. His tutelis dandis prætor, qui primum a principe Antonino creatus est, merito tutelaris dictus, qui contra tutores ius diceret, si quid illi fraudis in tutela administranda commisissent.

De curatoribus vero] Curatores, quamuis iureconsultis a tutoribus non multum differunt, in eo tamen distant, quod tutores vel testamento, vel a prætore aut præside, personæ dantur, id est pupillis, ad annum xiiii, vt pauci excusare tutelas possint: curatores vero, (de quibus hic agitur) bonis, faciliore excusatione, ab ea ætate vsque ad xxv annum: vt tamen & furiosis & prodigis curatores a magistratibus præficiantur. Verba Hermogeniani de administratione tutelæ hæc sunt: Inter bonorum & ventris curatorem, & inter curatorem furiosi, itemque prodigi pupillive, magna est differentia: quippe quum illis plenaria rerum administratio, duobus autem superioribus, sola custodia, & rerum quæ futura deteriores sunt, venditio, committitur. Tutorum autem & curatorum imaginem, Veneta resp. supremo a principe magistratu iampridem procuratoribus creatis præfert, quorum curæ pupilli, & defunctorum bona publice commissa sunt. Curatores vero & eos operum dicimus, qui perficiundis absoluendisque præsunt.

144. De alimentis publicis] id est, quæ populo Rom. publice præstantur. Illud annotatu dignum ex iureconsultorum lectione, alimentis legatis aquam intelligi, in ea præsertim regione vbi venundari aqua soleat. Venetiis certe aqua & Romæ venalis.

Datis iuridicis] A dicundo iure præfectos Italiæ ab Adriano principe institutos intelligit.

Allectione Italica] qua Italos allegeret contra Traiani institutum. Quid sit autem allegere in senatum, ex Tranquillo & Liuio in primis constat.

Vicesima hæreditatum] Unde aurum apud Liuium (vt opinor) vicesimarium.

Scæuola præcipue] Hic Scæuola Serbidius prænomine, & principem Seuerum Aphrum docuit, & Papinianum, qui Digestorum xl libros scripsit, & præter alia de quæstione familiæ vnum.

Post mortem Lucium] Tu Lucii emenda.

Lectisternia per septem dies] Ritus supplicandi diis immortalibus Romæ frequentissimus; quum videlicet stratis in templo lectis, numina sibi propitia rebus gerendis exposcerent, vel auerruncandæ pestilentiæ opem quærerent.

Sarracis] maximum plaustri genus.

145. Et Lucius quidem, quod admissus esset Furius Victorinus] Lectio hæc cum proximo versu non satis integra & propterea æstimandum. Interim amissus lege.

Apoplexi] Hæc, totum corpus, paralysis, partem afficit, frequentissimo iam ac peruulgato ob immoderatum vini venerisque vsum morbo per hosce annos quibus ista commentabamur.

Quo quidem tempore] Luxata hæc lectio, & propterea sic fortasse restituenda, quo quidẽ tempore sane Imperatoris filius ad triumphalem currum in circo pedes cucurrit.

146. Nullus arenarius] Arenarios eos appellant qui in arena, id est amphitheatro, contra bestias pugnarent; qui infames habebantur satyris & iureconsultis.

Conditiones nauticas & gladiatorias elegisse] Tametsi conditionem filiæ quærere dicatur honeste, cõditiones tamen quærere, bonis auctoribus significat bene mentulatos sectari.

Sub Marco Antonino hæc gesta] Subdubitauimus interdum ne in hac vita quædam inuersa sint,

sint, id quod & codex unus ex publica bibliotheca præseferre videbatur. Verum adeo confusa erant omnia, ut nihil immutare sim ausus, exemplaribus non satis exploratis.

147. Burolici milites] Prædones Ægyptii, sic appellati a Bucolia regione, latronũ receptaculo, ut auctor est Heliodorus Æthiopicôn primo libro.

Exsecto tubere] tumor quacumq; corporis innoscens parte dicitur: nos buniones appellamus. Hinc & in arboribus quibusdam callus ille ad nodi similitudinem vocatur tuber, multis etiam commendatum & gulæ quæsitum. Nam de tuberibus Veronensibus alias.

Volonum] Qui milites Volones dicti sint, ex Liuii xxii accipies.

Forum Vlpium] quod scilicet & Traiani forum, seu Transitorium est dictum.

Et iuuenum nobilium sacra Serapidis a vulgaritate Pelusiæ] Ægyptiorum interdicta sacra, quæ iuuenes quidam nobiles frequentarent, dubio procul innuit. Quid sibi autem velint verba hæc Pelusiæ vulgaritas, quærendum censeo.

148. Fulmen de cælo] Quænam, quæso, tanta hæc veterum scriptorũ inuidia in Christianum nomen, ut ne a grauissimo quidem periculo nominis huius beneficio erepti, meminisse gratia velint? homines ingratos, ne impios dicam. Atqui constat vel Antonini epistola, Christiana legionis ope, quæ inde κεραυνοβόλος est dicta, id est fulminatrix, & fulmina in hostes elicita, & pluuiam exercitui siti confecto impetratam, victoriamque inde egregiam subsequutam.

Et Eleusiniæ Cereris templum adiit, ut se innocẽtem probaret] Vetus hoc & iampridem persuasum erat, impios nocentesq; homines exturbari ex adytis: quod & Nero princeps veritus post interfectam matrem & uxorem, ingressu abstinuit.

Pyrrhi præsentis] Sic codices omnes: at tu vide ne Præfecti commodius emendetur.

EX ÆLIO VERO.

150. Scaurum grammaticum] cuius de grammatica fragmenta quædam lege non mala.

Harpocrationem] Tres ex Suda collectaneis hoc fuere nomine: tertii adhuc exstant de vocabulis rhetorum obscurioribus.

Cucullione vulgari viatorio] quod vitium malis principibus & nobilium iuuentuti peculiare, iam in nostra etiam exiit tempora.

Tricoribus] vetus est verbum, contentiosos & litium peramantes significans. Festus.

Septem, conuiuium, nonẽ vero, conuitium] De conuiuarum numero Gellius. Et hic Duodecimus lege; vel Duodecim dicuntur, emendato. Græcum etiam carmen in hunc sensum exstat.

151. Murrhinos & crystallinos] Pretiosissima vero fuisse hæc inter vasa potoria certatim præter Plinium historicio Venetiis in sanctario augustiore, & opere & materia pretiosissima hæc spectantur (ut opinor) murrhina.

Lemniscis] Hos tiliaceos fieri ad coronarum usum, & annotatũ a me superius in Pio, & alibi leges.

Alabastrorum] Quid sit Alabastrites & quo modo vasa ea laudatissima ad vnguenta seruanda fierent, non ignotum puto.

Sexagies centenis millibus HS] Ridendus profecto auctor, nec (si ita legas) satis numerorum veterum peritus. Tu sexagies tantum leges, quæ summa non modica fuerit.

A venetianis] Hi veneti a colore, a bonis auctoribus dicti.

Parsinnorum] Tu Prasinorum emenda.

Quoad eum visendum] Tu diiunctim, quo ad eum emenda.

Ex arcula aurita] Nota pestilentia sæuissimæ originem.

Quadratus] Hunc diuersum ab eo quẽ D. Hieronymus Apostolorũ discipulũ appellarat, existimo: cuius libri Parthicorũ titulo sæpe citãtur a Græcis.

152. Quem Apolaustum] ac si tu gaudentem voluptuariumque interpretere.

Auriroramenta] Id est guttas & stillas quãdã: quod ludis solennibus, pueris in speciem angelorum compositis, Venetiis repræsentari sæpe videas.

EX COMMODO.

157. Ore quoq; pollutus] id est fellator quod & illudere capiti a bonis auctoribus dictum est.

Centumcellas] Adrianus princeps, auctore Cecilio, centum iudicibus, qui se præsente causas audirent quum sederet, centum cellas exstruxit: quæ postea in urbis iustæ formam quum creuissent, Saraceni, Bernardi regis tempore, (fuit autem hic Magni Caroli nepos, qui Italiam Langobardis pulsis obtinebat) diruêre. hic D. Augustinus diuinos De Trinitate libros composuisse dicitur.

Quando a pædagogo veruecina pellis] hoc sensu, ut experiretur an balneator absumptis igne foret, pellem veruecis postea iniecit, quæ vim ignis ardore suo proderet.

Principes iuuentutis] Hoc enim auspiciũ erat futuris Imperatoribus, quod hodieque retinent regum nostratium primogeniti, ut principes appellentur ab Hispanis illi qui regnum adepturi mortuo parente sunt.

In Palatinis diebus] vide prætermissa in harum Annotationum fine.

Lex annaria] qua cauebatur neque honores assequeretur, nisi suis annis. Unde & solutos legibus eos dicimus qui ante tẽpus magistratus assequũtur.

Propolas circumforaneos] Propolas hominum genus esse nequissimum, lucri luxusque auidissimum, Cicero in Pisonem facile ostendit: & sunt ii qui res minimo redimunt ut maiore pretio distrahant, vendirigoli hodie a nobis appellati.

Vt lenonum minister] Aquarioli & Ancillarioli a veteribus appellati.

Teruptim Paterni] Fortasse melius Tarrutii Paterni: qui nescio an ille sit qui inter iureconsultos citatus quatuor Militarium libros reliquit.

158. Claudio Põpeiano] Herodianus Quintianum hunc appellat.

Per lati claui honorem] id est senatoriam dignitatem.

Rudibus] unde Rudiarii gladiatores: & donatum se rude ab hac tralatione dixit Horatius.

Atque ore pollutus] Diximus iam superius fellatorem fuisse.

Hic tamen Perennius] Herodianus aliam necis causam refert.

159. Dalmaticatus] Dalmaticam genus vestis a Dalmatis visitatum, facile adducor ut credam,

vel frequenti adhuc gentis gestatu. vnde & nos Dalmaticam in sacris adhibemus. Vtebantur autem aurigæ hoc fere vestitu.

Iliacos] *id est Isidis sacerdotes. Hic de fanaticis hominibus intelligit.*

Sacra mithriaca homicidio vero polluit] Mithram *Persæ solem & Apollinem appellant: Strabo & Herodotus. Unde &* mithriaca sacra *dicta, quæ in antro sacro, quo sacerdotes conuenirent, fiebant mox bouem post solennes mithræ precationes immolabant. Sudas, & Procopius, & alii.*

160. Suppuratum reddebat] *id est famosum & vlcerosum, a pure, quod Græce πύον. ὄνον, id est asinum. vnde* onobeli *infra.*

Orygis] Oryx *Plinio Ægyptia fera, quæ in exortu solis contra stet vt veluti adorare videatur, cum sternutamento. Hoc animal bisulcum & vnicorne, vt Indicus asinus.*

In sinum vertisse] *id est, in suum commodum.*

161. Paulus primus sequutorum] *id est gladiatorum.* Sequutores *enim gladiatores dici, notissimum est, vt* retiarii *&* myrmillones.

Bellum desertorum] *quod Maternus quidam facinorosis omnibus asciti gessit: quo bello Italia & Gallia & Hispania concussæ sunt.*

Incendiariæ aues] *Inauspicatas has esse constat; non tamen quæ essent, traditum: vt tamen his visis, vrbs semper lustraretur. Plinius.*

Minutia] *Locus in vrbe.*

Libitinensis porta] *a Libitina, per quam pertam cadauera efferrentur.* Libitinam *autem & pro dea ipsa, & libitinariorum opera accipimus.*

Insubido vultu] *veteri verbo, pro insuaui & plenieré.*

EX PERTINACE.

163. Sulpicio Apollinari] *Hic Gellianis Noctibus celebris, cuius etiam Periochæ in Terentianas fabulas laudantur.*

Inde ad ducentûm ꟾꟾ S stipendium translatus est in Daciam] *id est, ad quinque millia aureorum nostrorum.*

Quasi adiutor eius futuras] Futur⁹ *emẽdabis.*

Præfectus prætorii] *Hinc annotatu dignum, præfectum prætorio senatorem esse non posse: quod & alibi legas.*

Tabernam coactiliariam] *Iureconsultis* Coactilia *numero multitudinis dici videntur pelles seu lora, quibus inuoluuntur alligantur ue vestimenta: quæ omnia instrumentis viatorii sint. Horum autem Vlpianus de auro & argento legato in hæc verba meminit: Argumento etiam sunt nationes quædam, veluti Sarmatarum, quæ pellibus teguntur. Aristo etiam* coactilia *vesti cedere ait, & tegumenta subselliorum huic legato cedere: quæ tegumenta Florentinus de legata supellectile,* cathedraria *videtur appellasse. Sed & ipse Florentinus eadem parte coactiliorum videtur meminisse, quum hæc addat verba, Sed dicendum est potius, instrumẽti viatorii ea esse. sicut pelles quibus inuoluuntur vestimenta, loraque quibus hæ pelles constringi solent. A cogendo autem, id est astringendo coactandoq́,* coactilia *dixere. vnde* taberna coactiliaria. *quod scitu non indignum existimari debeat. Sunt etiam codices qui habeant coctiliariam.*

In Britanniam] *Lege* Britannia.

164. Et quum ad eum Claudius Pompeianus Germanici venisset] *Verba mutilata. Tu igitur ex manuscriptis codicibus restitue,* Germanici dux exercitus.

Necnon ius quartæ relationis: quod ominis loco fuit Pertinaci] *Tribunitiam potestatẽ, Proconsulare imperium, Põtificatum maximũ, tribus Imperatoribus submissa principatus leges, & apud hosce Ius etiam quintæ relationis, quũ tamen Pertinaci dicat quartæ ius relationis adstructũ. Hoc aũt nihil aliud fuisse crediderim, quam vti quinquies Imperatores de re iudicata & perfecta referre ad senatum possent, atque ac nihil iudicatum adhuc foret. Quid autem sit quod dicat ominis loco fuisse Pertinaci ius quartæ relationis, haud sane aliud consectare possum, quam breuem illi & imperfectum fore principatum, cui non integrum ius concessum foret.*

165. Præter X ꟾꟾ S *hoc est, vicies quinquies centena millia nostratium.*

Perferentes] *Melius* præferentes.

Chiridotas Dalmatarum] *id est, manicatas Dalmaticas: nam earum vsum sine manicis fuisse monstrauimus.*

Et cirratas militares] citratas *lego; & eas intellige quas Festus* citrosas *ideo appellari dixit, quod in modum citri formata essent, hoc est (vt opinor) virgata.*

Cuculli bardiaci] *Gallica genus vestis, quæ aut* cucullus bardiacus, *vt in hoc loco, aut* bardocucullus *dicatur. Militarem autem fuisse vestem, & Satyrus innuit,* Bardiacum iudicem *dandum asserens, id est bardocucullo indutum. Martialis,* Gallia Santonico vestit te bardocucullo. *Sunt qui distinguant: vt* bardiacũ *intelligant sine cucullo, id est capitis ligamento,* bardocucullum, *vero, cum operimẽto. Fraterculi certe nostrates agnoscunt hoc nomen religioni frequens, &* cucullam *appellantes, cui ex disciplinæ præceptis indormiant, nec vmquam exuant. Unde &* cucullati *&* lignipedes *a cuculla & gallicis appellati iure sint.*

Machæras Herculaneas] *id est, vt opinor, magnas: vel Commodianos enses, quando Hercules appellari gaudebat Commodus.*

Eluto auro] *id est puro & perpurgato.*

Atque etiam phando vitroboli, & materia eadem] *Melior lectio,* atq; etiam Phallouitroboli ex materia eadem, *id est Priapi, quos composito nomine* Phallouitrobolos *dixit, qui quum tantum ex vitro prius, excogitatũ postea est vt ex auro & ebore magis placerent.* Phallos *autem significat pudenda Græcis. vnde* phallica *&* Ithyphallica *dicantur metra.*

Et vasa Samnitica] *Quæ sint* Samnitica vasa, *non satis constat: sed tu vide ne* Samia *legas, id est fictilia. vnde &* Samium lutum *ab Ausonio dictũ. quibus picem ac resinam excoquerent, & inde psilothra efficerent ad vellendos iuuenes, quo glabriores ac volsi magis redderentur: quare &* læuigandis *emendauimus. Resinam autem picemque ac pumicem adhibita in hos vsus, nemo non nouit.*

Necnon vehicula] *Hæc omnia Græci inter automata numerarent, qualia etiam multa hac tempestate videntur, maxime vero horologia.*

Sumptus

Sumptus omnes Commodi reddidit] *Quis non videat,* recidit *esse legendum? id est, imminuit & amputauit.*

Vada sabatia] *Plinius portum fecit: ab his Alpium initium Stabe reddidit. Paludes autē quum ea parte sint, unde vada dicta; ii Sabatiis fortasse populis. Existimant autem non male plerique Sabaudiæ duces hinc dici, & regionem* Sabaudiam *quasi Sabatiam.*

Grauius Mergus] *quem Lucilius a rapacitate* Mergum *forsitan appellauit.*

166. Athenæum] *id est, Mineruium. Auditorii autem publici nomen.*

Omasi] *Pinguius hoc ac crassius bouis intestinum. unde Horatius,* -pingui lentus omaso. *Et Plinius; Bouem iussit occidi ingratiam concubinæ negantis se omasum edisse, quare & damnatus sit.*

Chrestologum] *Græcum verbum; ac si intelligas pollicentem liberaliter omnia, præstantem nihil.*

Nam quum et Didius Iulianus fratris filium obtulisse] *Tu lege* Obtulisset.

EX DIDIO IVLIANO.

167. Saluius Iulianus] *Iurisconsultus, cuius exstabant libri Digestorum nonagintaduo: ab Adriano principe inter consiliarios ascitus.*

168. Tricena dedit] *Hæc summa nostrates aureos septingentos quinquagenos reddit.*

Quod creditum fuerat] *Tu aduerte ne hic verba aliquot desint, sensu alioqui manifesto.*

169. Incantamenta, quæ ad speculum dicunt fieri] *Hi* specularii *dicti sunt a quibusdam; frequenti etiam nostris temporibus eorum vsu.*

EX SEVERO.

170. Togam præsidiariam] *id est, qua præsides vterentur.*

Omnibus fortibus in actu militari] *Alii codices,* natu militari: *vt non satis constet quomodo restituenda sit lectio alioqui corrupta.*

Sub elogio] *id est, titulo.*

Positaque hora] *vnde horoscopus.*

Non in candida, sed in competitorum grege] *Sensus talis, non vt candidatum principis in campum produxisse, vt vnum ex competitoribus, gratia tamen Marci ceteris esse prælatum. Fuisse vero qui* principis candidati *dicerētur, cum alii tum Tranquillus doceat.*

171. Qui etiam II S, quod nemo vnquam antea] *Hic sestertiorum numerus deest.*

172. Cum subarmalibus] Subarmalia *hic intelligit saga ac chlamydes, quibus arma superinduerent.*

Supinis non erectis] *Hunc morem hodie quoque obseruari scimus: quinetiam defunctis Imperatoribus supina ferri ac inuersa solitum.*

Et Nigrum etiam victu iuuerant] *Tu lege* victum.

Neapolitanis & Palęstinensibus] *Altera Syriæ ciuitas, altera regio: nisi eos qui Samariam incolerent, quæ* Sebaste *postea sit dicta,* Palæstinenses *appellarit.*

Adiabenis] *Adiabene, quæ olim Assyria Marcellino, in qua præcipua ciuitas Ninus, dicta ἀπὸ τοῦ διαβαίνειν, eo quod adiri propter Oissam & Tigridem nauigeros fluuios, nisi pontibus non possit: quod tamen ille derideat, existimans ab Adiaua flumine, vt multas alias, Adiabenen esse dictam.*

173. Timurtium] *Herodianus ad Lugdunum pugnatum esse auctor est.*

174. Vehicularium munus a priuatis] *Est autem hoc (vt iureconsulti docent) personale munus; quum videlicet vehicularis cursus ad tabellarios publicos transmittendos per ciuitates institutus esset, non sine incommodo & dispendio priuatorum, quibus id obtigisset: quo in numero erant & camelasia, a camelis etiam præbendis (vt arbitror) appellata. Hinc &* cursus publicus *in Adriano dicitur; quod & Ammianus doceat libro XXI.*

Ius beleutarum] *Tu* Buleutarum *emenda, quasi dixeris senatorum, quum ad eam diem nullum publicum consilium habuissent. nam a consulendo dicti.*

175. Nam & mensam] *Hæc omnia memoranda erant in Ægypto. dicta autem mensa ἡλίου τράπεζα, & Memnonis statua sonans ad solis radios. Plinius, Strabo, Philostratus.* mensa *vero* solis *numquam deficiens, Æthiopiæ attribuitur.*

Persarum regem Abagarum] *Nullus (quod sciam) Persarum rex hoc nomine fuit. nam Abagari Edessæ & Mesopotamiæ præfuere. quare vide ne* Artabanum *legas, aut imperite* Persas *pro Mesopotamiis acceperit.*

Aut mori] *Quid si negationem addas? melius enim respondebit illi parti,* & nimis vtilis reipublicæ videretur.

Septizonium] *opus Seueri maxime memorabile; a septeno fortasse columnarum ordine. Sunt qui* septodium *malint: quod non satis probem: a septem videlicet viis.*

Leguminis patrii auidissimus] *Hoc ex Columella* cicer secundum Punicum *appellatum interpretor.*

176. Papinianum iuris asylum] *Hic ille est inter iureconsultos longe celeberrimus, vnde & iuris auditores* Papinianistæ *quandoque dicti, Seruidii Scæuolæ discipulus, & Seuero Imperatori non propter affinitatem tantum, sed ob virtutem imprimis carus, cui etiam filios vni commendarit moriens. Huius vrna argentea Romæ cum hac inscriptione inuenta est;* ÆMILIO PAVLO PAPINIANO PRÆFECTO PRÆTORIO IVRISCONSVLTO, QVI VIXIT ANNOS XXXVI, DIES X, MENSES III, PAPINIANVS HOSTILIVS, EVGENIA GRACILII, TVRBATO ORDINE IN SENIO HEV PARENTES FECERVNT FILIO OPTIMO.

Qui quidem] *Locus magna ex parte corruptus, atque ita fortasse restituendus;* qui quidem Salustii orationem, qua Micipsa filios ad pacem hortatur, diutino ingrauatus morbo misisse filio dicatur maiori.

177. Quum septizonium] *Lectio fortasse sic restituenda;* Quum septizonium faceret, nihil aliud cogitauit quam vt ex Africa venientibus suum opus occurreret. & nisi se absente per præfectum vrbis medium simulacrum eius fuisset locatum, additum palatinis ędibus, is regium arcum ab ea parte facere voluisse perhibetur. *Septizonium igitur & hic legas; quod (vt diximus)*

a septeno columnarum ordine dictum existimem; quasi septem Zonis, id est columnarum fasciis, opus absolueretur. Lampridius tamen in Geta septodium legit, nisi sit vitiatus codex, & ibi etiam septizonium reponendum.

EX ANTONINO CARACALLA.

185. Gratia sigillariorum] Quæ Sigillaria aut Sigillaritia essent, dictum antea est, in Adriano.

186. Et quum idem Chilo sublata veste senatori] Tu Senatoria restitue.

187. Luni dei gratia] De Luno deo, quem Heliogabalum Phœnicum lingua dicerent, ex Herodiani sexto. Sed & mox hic auctor.

Cellam solearem] id est, in qua solia balneatoria asseruarentur.

Cupro] Cuprum æris species, nomen recentioribus frequens. nam & Palladium cuprinos clauos recenset. Dictum fortasse per contractionem quasi Cyprium. æs enim in ea insula ad Temesen olim laudatissimum fuit.

188. Et vt Anubin portaret, & pausa sederet] Quid sibi velit hoc in loco, quod sederet pausa, non constat. in Commodo certe sic legitur; vt & Anubin portaret, & caput raderet. Pausa aūt Græcis idem est quod quies: quod verbum in Cœlianis epistolis ad Ciceronem leges, corrupto tamen codice, vbi Pausania legitur.

Diasyrticum] id est, Mordax.

EX MACRINO.

191. Mythistoriis] id est, fabulosis historiis.

192. Quod si vnius numeri consensus accederet] Numeros militares sæpe legas, inde (vt opinor) dictos, quod ad numerum omnia præstarent, vel quod eorum certus quidam numerus esset: quod hodie Turcæ Gallique & Ægyptii reges obseruant, certum quemdam militum numerum alentes pacis etiam temporibus.

Recipi] Tu substitue recepi.

193. Decimare & centesimare, militaria verba. Milites enim, vbi quid grauius admisissent, sæpe decimus quisque, interdum centesimus, extremo supplicio afficiebantur.

EX HELIOGABALO.

198. Vitam Heliogabali] Non ignorandum & illud, vetera multa nomismata exstare quæ Alegabalum semper præ se ferant.

Eadem serpentes & ciconias] Propter pietatem ciconiarum hoc dictum est, quæ senescentes matres alant. Vnde Græcis ἀντιπελαργεῖν est dictum, & pietatis cultrix ciconia a Petronio appellata.

Studens & Matris typum] Si typum legas, quid id sibi velit, scire facile est. erit autem simulacrum Pessinuntiæ Matris. Sunt qui scyphum & situlam illam Isidis ridicule agnoscant & probent: ego igitur Matris typum haud improbem. Sunt etiam qui Martis typum malint, id est imaginem.

199. Senaculum] Ex Festo.

Quæue earum pellicia] Lectio maxime deprauata, siue igitur carpenta pellicia, a pellium integumento dicas, siue publicé pro pellicia substituas, haud inepte senties.

Bene nasatos] Sic legendum. vt ridiculi sint qui de vasis vasatos legendum admoneant. Emissarios autem intellige & exploratores verendorum magnitudine celebres.

Vt eorum conditionibus frui posset] Verbo conditionis Lampridius signanter vsus est. Nam conditiones quærere adulteræ infamesque fœminæ sibi dicebantur, quæ homines bene mentulatos sibi asciscerent, magnis etiam inuitatos præmiis.

Seriam] id est, amphoram, quam Capitolio asseruaretur.

Matris etiam deûm sacra] id est, Cybeleia & magnos ludos.

Salambonem etiam omni planctu] Salambonem Babylonii Venerem appellabant. Deplorabant autem in his sacris Adonidis interitum. quare & hoc in loco dicat Lampridius omen Heliogabalo factum imminentis exitus. De hac & Macrobius præter Græcos.

Lapides, qui diui dicuntur, ex proprio templo Dianæ, Laodiceæ] Laodiceam Syriæ intelligit vino abundantem, & a Seleuco Nicanore in matris Laodices gratiam conditam. De Orestis etiam furore & errore, diuersa multum memoriæ prodita sunt. Procopius, qui Iustiniani tempore floruit, & bella ab eo gesta cõtexuit, in Ponto Comanam vrbem cõdidisse tradit, a coma ibi deposita, præcipiente oraculo. Sed eo non conualescente, alteram ab eo in Cappadocia ad Taurum simili nomine constructam, deque argumento excisæ comæ Comana appellata. Alii, post interfectam matrem errabundum quæsisse fluuium, cui septem flumina miscerentur: qui fluuius auctore Varrone ad Rhegium labebatur, apud quem deposito simulacro Fascelitidis Dianæ & ense, tamdem furore liberatus sit. Reliqui, Orestam vrbem ab eo in Macedonia conditam, vbi Orestes purgatus a furore sit; (quod & auctor hic innuit) quam Adrianus princeps Adrianopolim appellarit.

200. Pseudophilippum] alludens videlicet ad Andriscum, qui se Philippum appellans, regnum Macedoniæ deuicto Perse sibi vendicabat.

Omnia Heliogabali dicta] Omina emendādū.

Concide magire] id est, coque. μάγειρος enim Latinis coquus.

Digitis impudicitiam ostentaret] Ad eam enim formam componi solent, vt sæpe obscœna præferantur nam & Caligula Cassio Chæreæ (Tranquillo auctore) manum osculandam porrigebat, quam in obscœnum modum antea formasset. Æmulatur & hoc ipsum præsens ætas.

Diceretur] pro dicerentur.

201. Asseretur] pro afferretur.

202. Sabinum] Erant enim Vlpiani ad Sabinum libri vnus & 1: qui vir consularis & insignis, Fabium Sabinũ alium reliquit, Alexandro principi percarum, qui & Cato sui temporis est dictus.

Catum] pro cautum.

Aureis toralibus] velis quatoriis inducerentur.

Centenaria] quæ centum pondo essent.

Et masticatum & polentatum] Alterum forte a mastice, alterum a polenta.

Leiostreis] Corrupte antea lithostreis. Hermolaus Barbarus id ante etiam viderat. Sunt autem leiostreæ, leues ostrea, dicta a læuore, quum alia tracheæ, id est asperæ dicantur.

203. Accubitis facile] id est, toralib' & culcitis.

Barbas

Barbas sane mulorum] vnde & hodie barbones fortasse dicti.

Exarmaros] id est cicures : & mansuetarios magistros appellat qui feritatem eos exuerent.

Vuas Apamenas] ab Apamea Syriæ (vt puto) dictas, quæ celebres Græcis auctoribus sint. Athenæus.

Lentem cum ceraunus] Ceraunia Plinio inter albas commendatur quæ stellam concipiant.

Fabam cum electris] Electri triplex ratio. Primum, ex arboribus fluens, succinum dictum: alterum, metallicum, in quo naturale in pretio habitum, & Homero cantatissimam in Menelai aulæ tectum, factitium, tribus argenti, vna auri portione. Naturali ea vis, vt in conuiuiis præcipue eluceat, & venena prodat.

Condito piscinas & solia temperauit] id est vnguento diu asseruato. Nec mirum id in Heliogabalo; quum Plinius prodat quemdam ex priuatis balnearum parietes vnguento illiuisse.

Eunuchos primo aphroditis] Melior lectio, Prohermaphroditis.

Basternas] genus rhedæ barbaricæ, a populis Basternis siue Bastarnis dictæ.

Pallia deo Ænanthio] Corrupta lectio & famosa, quam ita restituas; pallia vino œnanthio fudisse, id est, Maroneo vino, ex Philostrato; ab Oenanthe Maronis patre.

Euripis vino plenis] id est canalibus.

204. Conditura veneta] Nos gialum hodie nuncupamus.

Rosato] Rhodinum vnguentum intellige.

Caldaria] id est, calidam admixta nardo.

Idem numquam minus centum L L S cœnauit] hoc est, argenti libris XXX: aut hic nesciit quid L L S essent, aut corruptus est locus, nisi pro argenti, auri substituas. minor enim lapsus. Centum autem L L S, duo millia & quingentos aureos nostrates reddunt.

Sigma in terra sternere] Sigma veteres sellam in formam S litteræ constantem dixere spiris inuolutam, ab elemento S : cuius Martialis & Sidonius meminere. Sensus autem talis est: fuisse & illam reflatilem, vt serui a pedibus ad principis nutum folles substratos depellerent, vnde conuiuæ pronis in terram ruerent.

Holoserica veste] id est, tota e serico. nam illa tantam in vsu fuerat quæ lanæ intertextam purpuram haberet. De serico pulchra quædam & non vulgata alias prodam.

Et apud eas concionem habuit] Nos orationem istam quæ hactenus latuerat, primi in lucem edidimus. Neque vero id mihi quisquam vitio verterit, homini præsertim sacris initiato. facilius enim perditissimi principis libido ac luxus dignoscetur. Neque quempiam tam stultum fore puto, qui se ad imitationem scelestissimi hominis componat. Illud autem non possum non interim addubitare, sitne ea quæ ab Heliogabalo habita est. nam nec eorũ temporum stylum agnoscas. alioqui nihil illic etiam de schematibus, & ornatior mihi visa quam vt a Leonardo Aretino conscriptam putem, viro alioquin & diserto & bene docto.

Papilla eiecta] Tu exerta emenda : & Exoletorum, pro Exoletos.

Per cellarios] Cellarii dicti qui penui asseruando præessent: religiosi corrupto verbo hos cellerarios appellant.

Dulciarios & lactarios] vnde lactarium opus, quod imperiti lacticinia appellant.

205. Canon fructuarius] id est, alimenta ad septem annos parata.

Struthiones & camelos in cœnis aliquoties, dicens præceptum Iudæis vt ederent] Hæc enim Moses Iudæis haudquaquam interdixit, vt libris instrumenti veteris constat.

Croco sigma strauerit] Crocum ad theatralem vsum adhiberi & substerni in deliciis solitum, & hic & alibi scriptum leges.

Traiecit & dierum actus noctibus] Non animaduertit hoc Paulus II pontifex maximus vitio dari flagitiosissimo principi, qui & ipse noctu munia pontificia perageret, interdiu autem dormiret.

Quum capi non possent vno sigmate] nam septem conuiuarum capax tantum erat.

Hydrogarum] hoc est garum ex aqua nam & garum & elæogarum, & halec, & muria, veteribus salsamenta celebrata sunt.

Ita vt ad sericam vestem] Tu & sericam emendabis.

Orexin] vehementiorem appetitum.

Seplasiarium & cupediarium] Alterum a Campana Seplasia, alterum a cupediis dictum.

Sybariticum missum] Sybaritas deliciis ac luxu nobiles vel eorum internecio fecit. Vnde ferculum Sybariticum dicatur, cuius Athenæus, quale fuerit, meminit.

Zetis] Dicta vel ἀπὸ τοῦ ζέειν, id est a feruendo, vel ἀπὸ τοῦ ζῆν, quod in illa præcipue viueretur. quid si a Z littera vt Sigma dicatur?

Psilothro curaret] id medicamentum ad pilos euellendos est.

206. Aurosa arena] qua passim vtimur ad obducendas cito litteras.

Ante Philippum] Imperatorem Romanum, Gordiani successorem, intellige, qui edicto id prohibuit.

Pandurizauit] Pandura instrumentum musicum Aristophani Thesmophoriazusis, vnde panduros qui eam pulset. vnde verbum deflexerit; nescio quam bene.

Spintrias] Ex Tranquillo in Tiberio id disces. credo ἀπὸ τοῦ σπινθῆρος, id est a scintilla, huiuscemodi portenta nuncupata, quasi libidinis incentores.

Blatta] id est purpura ex Indico conchylio facta. Vnde & bladum rusticis forte color; & bladum pro frugibus. Eutropius certe blatteis funibus piscatum Neronem tradidit, quos Orosius & Tranquillus purpureos dixêre.

Biothanatum] hoc est, violenta morte, nec sua periturum : quorum animas in beatorum sedes non recipi, etiam antiquis erat persuasum.

Deinde illud quod clementia tua solet dicere, credidisse reficiendum] Corrupta (nisi fallor) lectio. Quid igitur si ita legas? Solet dicere creberrime, repetendum fortunæ, &c.

Illud ad cumulum portentuosissimi principis addendum, conquisitos ab eo medicos, & immensa his proposita præmia, qui se in muliebrem naturam exsecarent, vulua exsectione facta.

EX ALEXANDRO MAMMÆÆ.

207. Ius quintæ relationis] *hoc est, vt quinto posset de re etiam iudicata statuere, ac ad senatum referre.*

208. Communis confessus] *Tu* consessus.

Admissionalibus] *id est ministris qui ad principem introducerent.*

210. Quam nemo nisi Accolius ferebat adiutã] *Sic enim & primus Hermolaus noster emendandum admonuerat. Accolius enim illi a memoria fuerat.*

Per stellaturas] Stellionatus crimen *late in re militari patet. vbicumque enim criminis titulus deest, illic stellionatus accusare possumus. nam qua in priuatis iudiciis de dolo malo actio est, hoc in criminibus stellionatus persequutio est. Habet igitur locum, quum tribuni vel milites callida dissimulatione alienam rem distraxerint aut permutauerint, vel in solutum dederint. Quin & mortis supposita impostura facta, vel collusio in necem alterius, hoc titulo continetur a stellione inuidentissimo animali deducta nuncupatione. Horum autem criminum legitima nulla est pœna, sed extraordinario puniri solent. Iureconsultis.*

211. Choleram] *Vulgato verbo vsus pro bile.*

Sine indulgentiæ proposito] *Et hic non satis Latine indulgentia verbo vsus.*

Sed securiorem] *Hoc idem a Theopompo Spartanorũ rege responsum vxori, grauiter ephororum potestatem ferenti regibus additam: quod & Veneti nostri agnouere iam inde pene ab vrbis incunabulis, quum duos princip. addidere consiliarios; qui postea a sex regionibus sex creati.*

212. Fœnus trientarium] *Minima ciuiles vsura, & infra semisses vsuras.*

Pyctatia] *id est breuiaria.*

Quum edulitatem] *Nouo verbo ab edendo* edulitatem *appellauit annonam: vt degenerasse Romanã eloquentiam iampridem possis agnoscere.*

Curionem] *id est præconem.*

Damalionem] *id est vitulum tenellum, de Græco verbo: δάμαλις enim vitulam tenellam signat: vnde* damalio.

Bracchariorum, linteonum] *A bracchis conficiundis & linteis vẽdundis nomina deducta. Iam &* pelliones *a concinnandis pellibus dictos notum esse potest.*

213. Oceani solium] *A magnitudine & capacitate. vnde & in sacris litteris capacissimũ illud in templo vas a Salomone regẽ dicatum,* mare *dictum est.*

Præfecit] *Tu lege* Perfecit.

Carmen] *Tu* Carnem.

Paulum & Vlpianum] *Vterque iureconsultorum clarissimus; qui Græco verbo κορυφαῖοι dicantur, id est principes assessores Papiniani in præfectura. Vlpianus vero Tyrius fuit, vt ipse de coloniis agens prodidit.*

In lat.] *Sic ex veterum instituto imprimendum curauimus. Tu vero sic interpretator; In latum pedes centum, in longitudinem passus mille.*

Isim & Serapium] *Tu* Iseum & Serapeum *lege, & pro locis publicis accipe, altero ab Iside, altero ab Serapi dicto.*

Deliacis] *A Delo insula, vbi laudatissima fiebant. Antiquissima enim æris gloria Deli fuit, auctore Plinio,* Mystica *autem, quæ occultas significationes haberent, peculiari Ægyptiorum vsu.*

Ita vt in palatio faceret dietas] Dietæ *cœnacula erant vbi hieme ad solem, æstate ad vmbram cœnitarẽt, Varroni dicta quod interdiu in his edatur. Vnde* dietarii *iureconsultis, quod tamen diuersum quid sit.*

Ὀρνισκόπος] *Auspicii peritus.*

Primo nundino] *Nam & trinundinum erat.*

Notarium *hic pro tabellario videtur accepisse, non satis Latine.*

214. Archiereum & archisynagogum] *Sacerdotum & synagogæ principem.*

Larario] *Lararium a laribus. vbi igitur lares dii & reliqua numina sanctius colerẽtur, lararium locus ille dictus, vt in Adriano annotauimus. Apollonium autem Tyaneum intelligit, magia clariorem studio quam philosophia, vt ipse etiam Philostratus vel inuitus prodit.*

CHRISTVM] *Hinc datur intelligi, non nisi malis principibus pietatem nostram improbatam, & ab optimo quoque cognitam, numquam interim damnatam.*

Tædiauit] *Malemeritum de lingua Latina scriptorem, qui verbum hoc confinxerit.*

Sphæristerio] *id est, pilæ lusus.*

Aurum coronarium & negotiatorium] *De coronario dictum. A negotiatoribus autem, quod illi principibus penderẽt,* negotiatorium *est dictũ.*

215. Corpora] *id est collegia, bono verbo dixit iureconsultis.*

Milites ostensionales] *Hi fortasse dicti, qui ad ostentationem tantũ instructi haberentur in vrbe.*

Tunicas asemas] *id est vnicolores &* macrocheras, *id est manicatas, seu longis manicis.*

Acroamata] *A veteribus hi dicti qui auditu vocis oblectarent.*

Athenæum] *Auditorium id Romæ publicum; ac si* Palladium *interpretère vel Mineruium.*

Sæpius cocco clauata] *id est coccineis clauis distincta.*

216. Non secundam mensam Alexandrũ habere, sed secundũ] *Hoc sensu, tãtum pomis indulsisse, vt alterum prandium id videri potuerit. Versus hendecasyllabi qui sequuntur, non satis ad normam sunt facti.*

Semisses aureorum] *id est qui dimidium aurei valerent. Aureus autem argenteos denarios xxx ferme valebat: ad quam formam tremisses & quartarii illi redigendi sunt.*

Formas binarias] *Hoc (nisi fallimur) intelligit, id est duplicatos aureos seu triplicatos quod & nos hac tempestate a quibusdam principibus obseruatum videmus* dupliones *indi dictos. Nos certe quum Mediolani ageremus, donati sumus a quæstore regio Ioanne Grolierio numismate aureo xxx aureorum, cui postea nostras in Tranquillum lucubrationes dicauimus, mox alia quædam maiora & grauiora nuncupaturi, quando ratam viri excellentis liberalitatem nõ satis æquo munere prosequuti videamur. Id autem numisma chirothecis elegantioribus incluserat. quod & in Aldo compatre Græca Latinaque linguæ instauratore, sequutus est olim donando, dum viri de litteris optime meriti*

virtutem

virtutem admiraretur. accedit autē ad tantam liberalitatem, quod vir est moribus & doctrina non vulgaris, ac de excellenti beneficentia perpetuo celebrandus. Vtinam principes nostrates priuati hominis liberalitatem imitari discerent. Quod autē fotinas appellarit, ipse viderit quā Latine id vsurparit.

Holosericam] id est totam ex serico sed de serico plane omnia copiosius differemus.

217. Aurelius Probus Baphus] Emēdanda lectio, & Baphus reponendū significat autem hac dictio baphiū, tabernam tinctoriam, de Graeco fonte.

Baccas] Braccas lege

Baccarum monile] Vergiliana forma.

Cyclade] Genus vestis ex auro fere rotunde & in sacris literis, vbi de Caecilia virgine agitur, aurea cyclade ornatam a Christo leges. Dicta quod rotunda esset. Nam & matronae hodie vestes quasdam suas rotundas appellant, quae in orbem absolutum desinant, matronis iam grandioribus frequentes.

Pullicinis acpipionibus] Noua vtrumq; forma, non tamen inepta.

Dicens ingenuum currere] Erat enim in quibusdam sacris cursus institutus.

Et argēto & necessariis instruebat] Haec omnia a Cicerone in Pisonē vasariū nomine intellecta arbitror. Obseruatum autem hoc Venetiis diu scimus, vt copiariis legatis profecturis haec omnia suppeditarent. Nunc annuum illis salarium ex aerario datur, quando publico omnia peribant.

Nundina vetera] quod mercatus hodie dicim⁹.

218. CHRISTO templum facere voluit] Inuidentissimos homines, ac aeternis stigmatib. impietatis inurendos, qui timerent id quod maxime fuerat optandum. Iam vero Tiberius princeps id quidem decretum tulerat, nisi patres, quod auctores facti non essent, id retecissent.

Dicebatque graue esse] Vmbram quidem huius rei nos hodie retinemus: vt interim tamē praesules nostri optimis maiorū nostrorum institutis videantur illudere. Sed illi se primū, tum etiā reliquos decipiūt: nam Christiana pietas etiam illis nolentibus inoffensa stabit. Luent tamen illi, luent meritas negligentiae vel impietatis verius poenas suae.

Legem sacrare quid sit, ex Festo accipe.

Assessoribus solaribus] Tu salaria.

219. Traiani putare] Tu putauit.

Pontificatus codicillares] id est ascriptitios & extraordinarios: quasi dignitatis vmbra gauderent collegiis adscripti, atq; in codicillos relati.

Ephippus] Verbum nouum, quando & vsus eorum apud veteres non erat.

Argyraspides & chrysaspides] A scutis argentatis & auratis Alexandrini quidam numeri sic (dicti.

Papilionibus] Militaribus tentoriis.

220. Quod tibi non vis, alteri non feceris] Vtinam omnes hoc memoria infigeremus, iampridem sacris literis praeceptum siquidem satis hoc esse ad vitae rationem possit.

Ἀναιμακτί] Sic restituimus, & incruentum interpretator.

Artaxerxem] Hic humili loco apud Persas natus, imperiū a Parthis ad Persas transtulit, victoq; Artabano triplici proelio, eoq; cum tota familia caeso, adeo victoria elatus est, vt Romani imperii terminos non solum attentaret, verum etiam cedere Romanos omni Asia iuberet: quem victum ab Alexandro Lampridi⁹ dicit; quū tamen Herodianus diuersa prodat Eoasq; auū imperium oriētis apud Persas fuit, quousq; ad Arabas, id est Saracenos, magno Christiana pietatis incōmodo transiit quibus per Christianos duces magna ex parte afflictis, & Hierosolymis receptis, Turcae ex vna parte Asiae, & Serui ex altera Aegypti imperiū inuasere. Vidit tamen patrū nostrorū aetas, aut certe recentē memoriā Tamberlanu accepit, qui gregari⁹ miles ad Persas sterū imperiū transtulit Paizete Turcarū rege capta. Verum filiis eius dissidentibus, restantaindole quaesita non multo post pessum abiit. Psophis certe, siue ille propheta (vt videri volebant iniquorum interera) siue dux Persarum, hoc tempore id agit vt auitum decus genti asserat.

221. Persarū accepim⁹] Tu cepimus emendabis.

Interamnanas] id est, quae Tigrim inter & Euphratem prouinciae quinq; numero erant, grauium saepe bellorum causa Romanis ac Persis, nec vmquam satis feliciter aut a nobis retenta, aut ab illis recepta.

Tabellae laureatae] Victoria enim nuntia laurus erat.

Limitaneos] Qui limites imperii tuerentur.

222. Retrogradae Gallicanae mentes] Inepte nimis verbo etiam parum Latino vsus, significare autem voluit duras & pertinaces.

223. Huc accidit] Pro Huc accedit.

EX MAXIMINO PATRE.

225. Capitolinam amphoram] Asseruabatur enim in Capitolio amphora mira magnitudinis, vnde vt copiam vini epoti a Maximino ostenderet, Capitolinam appellauit.

Dextrocheria] Dextrarum ornamenta dicimus noua satis forma.

Hamaxas] id est currus. verbo Graeco: vnde illis ἐκ τῶν ἁμαξῶν καλεῖν.

Tophicios] Ex topho lapide satis friabili.

226 Athenio] Fugitiuorum in Sicilia crudelissimus; qui vix longo ac difficili bello victus sit.

Osroenis sagittariis] Pars Assyriae trans Euphratem hoc nomine dicta est, ab Osroe viro nobili, si Procopio credas. Ex ea vero sagittarios multos in Germaniam adduxerat Alexander, vtilissimum militis genus aduersus Germanorum corpora nuda & procera.

227. Quasi aulae quoddam proelium] Ita si legas (quod omnes praeferunt codices) hoc sensu interpretere, id est facile qualia videlicet in aula imperatoris pugnae simulacra cieri solent, ludicra scilicet & lenia. sed aestimandum.

Animo habere & concupiens lege.

Deinde sine delicto] Quid si Sine delectu legas?

228. Sabinus praefectus vrbis] Hic forsitan illū Sabinus qui inter iureconsultos maxime celebris est, Catoq; sui temporis dictus: nisi hic forte eius filius: nam pater ab Heliogabalo iussus occidi, perierat.

229. Deum Fellenum] Hic Aquileiensium tutelaris ac praeses deus.

Cuppae] sunt maiora vasa ex ligno ad vinum condiendum. Frequens veteribus agricolis verbū.

230. Affectus in Albano] Affectus prop gnoribus & rebus carioribus accepit; qui in Albanō

monte in castris videlicet prætorianis, asseruarentur.

Hecatomben] *Sacrum omnium maximum hoc verbo intelligimus.*

Vt quarto die] *Nota quanto celerius hodie cursus conficiatur: satis enim constat, non paucos nuntios ab Vrbe Venetias venisse* XXXII *horarum spatio, sæpe* XL, *aut aliquid amplius.*

EX MAXIMINO IVNIORE.

231. Vt ad staturam paternam perueniret, *legendum.*

Tatiano oratore] *Duo fuere Tatiani, pater & filius, Galli (nisi fallor) genere. Tatiani autẽ, patris an filii incertum, Sidonius & Ausonius meminerint, vt eloquentis hominis, & qui apud Visontion municipalem scholam exercerit. An vero Tatianus ille cuius D. Hieronymus libro De viris illustribus meminit, pater fuerit, æstimandum alias.*

Monolium de albis nouem] *Loquendi figura sane noua, nec satis omnino Latina: significant autem hæc verba monile nouem ceraunus & aliis gemmis candicantibus, & reticulum capitis ex viridantibus; dextri autem brachii ornatum ex hyacinthis contextum.*

In mundo] *scilicet muliebri suo.*

Campagum *formam pedis barbaro verbo appellauit. a grammaticis nostris* calopodia *etiam dicta forma non inepta, vt de Græcis videlicet hausta fontibus.*

EX GORDIANIS.

233 Feras Libycas] *Pantheras, quæ & Variæ seu Africanæ dicuntur.*

Oues feræ] Camelopardales, *quas* gyraphas *appellant hodie. vnam autem donatam Laurentio Medici a Sultano Ægyptio, Italia longo post vidit tempore.*

Alces] *Hercyniæ syluæ ac Germaniæ peculiare animal.*

Tauri Cybiratici] *a Cybira.*

Struthiones Mauri miniati trecenti] *Quid sibi velit* miniati *hoc loco, dubium. quid si* miniati *legas, id est rubentes?*

Iuuenalia] *quorum Tranquillus meminerit: quia a iuuenibus nobilioribus celebrarentur.*

236. Censualium] *Nouo nomine apparitores senatus ac ministros dixit, vt arbitror.*

EX GORDIANO IVNIORE.

238. Parentela] *Quam malo Latina lingua vtatur aduerte.*

239 Mundanum malum] *Quod orbi immineret.*

Aperto Iano gemino] *Signum belli.*

Ab Antiochensium crucibus] *Tu* ceruicibus *emenda.*

240. Fossato] *Ineptum scriptorem.*

Quarum 1. Christeæ] *Quid si* Carysthę *legas? a Carysto scilicet Eubœæ oppido.*

241. Syenitides, *a Syene Ægyptiæ intelligũtur, quemadmodũ* Numidicę *ex marmore Numidico.*

Basilicæ centenariæ] *A centum videlicet passibus dictæ. vel, quod melius a centum columnis dicta enim* hecatonstylos *inde est.*

A tutelis] *Ne paruũ hoc munus existimes, paucissimis hoc dabatur. Iureconsulti de tutelis auctores.*

Nymphæa] *idest lauacra.*

Lithostrotum] *Pauimentũ ex tessellatis lapillis.*

Archoleontes] *Tu* subatos *intellige: sed & a*croleontes *plerique probant*

Apud Circeiam] *Tu* Circusium *lege; quod oppidum receptum a Diocletiano mœnibus ac turribus ampliatum est*

EX MAXIMO ET BALBINO AVGG.

241. *Preponenda eorum vita Gordianis fuit, vt series instituta a nobis texatur.*

EX VALERIANO.

247. *Hic Philipporum & Deciorũ vitæ desunt.*

EX GALLIENIS.

250. Astacum, quæ Nicomedia] *sic repone. inde enim Astacenus sinus Eusebius & alii.*

Aphronitris] *Spuma hæc nitri Asiæ ac Ægypti peculiare, in speluncis colligi solita quas colycas appellabant. picatis vero hæc vasis ab Ægypto Romam deferebatur. Martial. Rusticus es, nescis quid Græco nomine dicar: Spuma vocor nitri, dicor & aphronitron.*

Principem] *Tu* principe *repone: nam a Claudio Constantinorum genus ducebatur.*

Facto fœdere] *Tu* fracto *repone.*

251. Cyclopea luserunt oẽs apenarii] Apenarios *de Græco verbo* ἀπήνη vehicularios *appellatos opinor.* Cyclopeam *vero eam saltationem intellige, quum in formã Cyclopis proceri ac deformis quispiã saltaret. Horatius, & Trebellius in Carino. Libet autem Lucilianos versus ad rem videlicet facientes addere. Multa hominum portenta in Homero versificata Monstra parant, quorum in primis Polyphemus ducentos Cyclops longus pedes. Sed quod de Apenariis diximus, æstimandum. Quid si* Arenarios *legas, & intelligas eos qui in arena operam præstarent? id quod magis probo.*

Dracones] *id est vexilla longiora; vnde* draconarii.

Hecatombis] *Quod sacrũ id esset, aut quomodo celebraretur, ex hoc auctore copiose accipies.*

252 Heracleam peruenerunt] *Ponticam intelligit, olim claram.*

Facta carragine] *Nouo verbo & satis barbaro coactas in vnum eorum copias intelligit, & impedimenta cum lixis ac carris, quos innumeros ea gens trahere secum solet.*

253. Et quidem Cecropii Dalmatarum ducis manu] *Deerat enim hoc verbum, quod & repones.*

Tetrastiche, pentastiche] *id est, quaternum ordinum & quinum. vnde & disticha & tetrasticha. nisi* tetrastylen & pentastylen *malis.*

Διὰ τεσσάρων] *id est, singulis ordinibus quaternarii essent.*

EX SALONINO, SIVE GALLIENO IVNIORE.

254. Ad exemplum protreptici] *Exhortatoris & instruentis* ἀπὸ τοῦ προτρέπειν.

Constellatos] *Bullatos intellige, & insignitos veluti stellis.*

EX CLAVDIO.

267. Ancillarii, *seu* Ancillarioli, *ministri lenonum & impudicarum.*

Mune-

Munerarius] *Qui gladiatores edebat. nam* munera *nemo nescit gladiatorios intelligi ludos.*

268. Tu qui hunc patrias gubernas oras] *Versus melior alsime reddenda.*

269. Antialo] *Quid si* Anchialen *legas, Illyricum opidum Plin. & aliis?*

270. Cumacum] *Quid si* cucumam *legas* Cypriam, *id est aream?*

Brachialem] *id est brachiis ornatum.*

Chrysographata] *id est auro sculpta.*

Aclidas] *Verg. -teretes sunt aclides illis.*

Succubitana purpura] *A* Succubi *Africæ opido Augusta colonia.*

Subarmale vnum cum purpura Maura] *De* subarmali *diximus, nouo & ipso verbo, quod sub armis gereretur.*

Accubitalium] *p. culcitarum & stragula vestis.*

In Thermophas] *Emenda* Thermopylas.

271. Corymbiatum] *id est corymbis vndiq; circumdatum.*

Pateram argenteam ederatam] *Ad ederæ formam sculptam.*

Bolitera halieuticum] *id est sacculũ piscatoriũ.*

Calices Ægyptios] *id est vitreos.*

Chlamydes veti luminis limbatas] *id est splendidissimas limbis adhibitis.*

Singilliones] *Genus est vestis, verbumq; cum ipsa veste barbarum.*

Cucutia] *Nouum & hoc verbum ac militare, nisi tu* capitia *quod minime probo.*

Oraria Sarabadena] *id est, vela subtilissima ex oriente nam &* Sarabara *genus est Persica vestis. vnde & Aug. ac Hieronymo* Sarabaitæ *hæretici.*

EX AVRELIANO.

Hilaribus] Hilaria *dies festus* VIII *calend. Apriles, in quibus lætitiæ exordium erat, quo primum tempore sol longiorem diem faceret, Pani deo dicatus omnium auctori.*

In odem] *Tu* Eodem.

272. Et postea multa omnia] Omina *restitue.*

Balistea] *id est, quæ iacularentur in illum iocantes: Xai tũ βάλλειν.*

273. Fettamenta famiara] *id est mucronata & exacuta. Nonius.*

Mulum centuriatum] *qui singulis centuriis ad onera ferenda assignatus erat.*

Porcina] *Tu* Porcinæ: *&* carnis *intellige.*

Pabuli extra ordinem decernes] *Vide ne* Pabulius *scribendum sit.*

274. Nicopolis] *Triplex hæc vrbs Stephano. Epiroticam vero hanc existimo, ab Augusto ob victoriam Actiacam conditam.*

Ityræos] *id est Arabas. Verg.-Ityræos taxi torquentur in arcus.*

Multitias] *quarum & Iuuenalis, quasi* mollitias. *alioquin & pelles delicatiores tractatu nos* multitium redolere *dicimus.*

Deputet scipionem] *id est eburneum bacillum, principatus insigne.*

275. Tunicæ lineæ paragaudæ] *dicetur mox.*

Hæmi montem] *Dimisim legas.*

Nam belli illius virtutibus tuis credo] *Quis non videat,* summam *aut quid simile deesse?*

Equites sane omnes an imperium] *Tu repone,* Equites sane omnes ante imperium. *Paruus lapsus, sed qui meratr aliud agentes possit.*

276. Patrimis matrimisque] *Quid* patrimi matrimique pueri, *ex Festo.*

Ambarualia] *Sacra ab vrbe ambienda.*

Quasi in Christianorum ecclesia] *Nota summam hominum impudentiam, qui, velint nolint, etiam per iniurias laudare nos coguntur.*

Pontus Polemoniacus & Alpes Cottiæ] *Vtraque prouincia a suis regibus dicta, altera a Polemone, altera a Cotto rege, quas Nero princeps in prouinciæ formam redegit. sunt autem* Cottiæ Alpes, *in quibus Genua continetur* Polemoniacus *autem, pars Ponti.*

Transactis igitur quæ ad sectiones] *Quid* sector *sectio ve sit, mediocriter eruditis etiã cognitũ.*

Contra Palmyrenos] Palmyra *omnium orientalium vrbium in Syria olim maxime insignis, vel bellis contra Traianum & Adrianum gestis, vel Odenati principis nomine, olim a Salomone rege condita, dierum duorum itinere a superiore Syria distans, ab Euphrate vnius, a maxima Babylone sex: dicta quandoq;* Adrianopolis *a Græcis autem* Palmyra, *a palmis, vt puto, eo in loco abundantib. puteis & fontibus frequentibus, quum circum ea loca nusquam aqua alibi inueniatur,* Thadamus *Syrorum lingua nuncupata.*

277. Tyana] *Ciuitas hæc Tauro ad portas Amanicas apposita, Cappadociæ ac Ciliciæ media, Apollonio philosopho ciue insignis.*

Quid enim illo viro diuinius] *Adeone Christiano nomini infesti fuistis, vt magum hominem, certe a cultu veræ religionis alienum, pro numine coleretis. Christũ, ac eos Christianos dictos, nullorũ facinorũ reos, quin potius virtutis ac veræ pietatis assertores, tam infesto animo insequeremini?*

278. Dromedas vocant] *Sacra litera* dromedarios *a cursu velocissimos camelos appellant.*

Decollari] *Restitue* declarari.

Sandix Indica] *Ex cerusa hæc fit, aqua portiona rubrica admixta. Color est purpureus: magno multorum errore, qui scandicem a sandice non discernant. sed aliàs.*

279. Cornicinibus atq; laticinibus] *Tu* Liticinibus, *a lituo. vnde & Statius; Lituceq; notus Hectoris armis.*

Tunica galbina] *vnde etiam nos hodie* Gabanos *crassiorem vestitum dicimus.* (*substitue,*

280. Quę nunc faligìnei] *Tu a siligine* siliginei

Fuit & sub Aureliano monetariorũ bellum] Monetarios *Imperatoris edicta videntur innuere, viles homines, texendis sc. vestib. idoneos, quiq; lanã ducãt, & textricium faciant. vt imperite pro iis qui monetã cudant, hic multi intelligant. nam gynaciarios & monetarios & baphiarios iũctim appellat.*

281. Amnestia] *i. obliuio, res ab Atheniẽs primũ vsurpata Thrasyb. autore, inde sæpe ab aliis tẽtata.*

Maximumq;] *Tu* Maximinum *vel* Maximianum *lege*

282 Atq; ambolicas species] *Sunt qui* Antolicas, *id est orientales.*

Batteo] *Tu* Blatteo, *id est purpureo, repone.*

Filiorum] *Emenda* foliorum.

Paragaudas] *Genus est vestis, vt plurimũ virilis, lineæ, quod sub alia veste gereretur. cuius apud Imperatorem mentio & iureconsultos.*

Rectis purpureis] *Quæ purpura recta texta est sunt.*

Monolores] *Id est vnicolores & bicolores. Quid si a loro vno & duobus & tribus dictas esse censeas, verbo Graco & Latino?*

283 Alpes maritimas] *Eas intelligit qua Liguria Narbonensiq; Gallia incubant.*

Facta erat ratio doge cupparum] *Quid essent* cuppæ *ostendimus. Corrupta autem hac lectio quomodo restituatur adnitendum.*

Orariaad fauotem] *qui mos emunctoriis euentilandis hodieq; retinetur. Nam* oraria, *lintea tenuiora significant.*

Miliarensem porticum] Milliariam *melius, a mille passuum longitudine.*

Calceos mulleos] *Regum Albanorum, mox patriciorum fuere gestamen amulando, id est fuëdo (si Festo credimus) dictos. vnde &* mullũ *piscem dictum esse putant.* Hederacios *autem ac* cereos *vtrosq; a colore dixit.*

Pro senatoriis professionibus] *id est censibus; vti videlicet quisq; in censum professus esset.*

Annulum sigillaritium] *ad signandum.*

Phagone] *vnde & nomen illi.* φαγεῖν *enim Gracis, Latinis* Vorare *est.*

Infundibulo apposito] *Instrumentum ad liquores infundendos, Catoni ab infundendo (vt arbitror) dictum.* Orca *autem, capacissimi vasis genus Hispania, quo salsamenta, vinum & oleum, & folgama conderentur; ab orca marina similitudine. Persius, angusta collo non fallier orca. Varro, Probus, Festus.*

EX TACITO.

286. Natalib. suis & parilibus] Parilia *dies natalis vrbis Roma: nam & calenda Ianuaria citra omnium supplicium ac pœnam exigebantur.*

In ciuicos archis] *Corrupta lectio, sed qua forte ita restitui possit,* in publicis archiuis. *Appellauere autem* archiua *loca in quibus publica tabula asseruabantur.*

Sarus rectis Capitolii] *Vt sartum tectum (id est integrum) Capitolium tuerentur.*

Auro clauatis vestibus] *id est Qua clauos aureos (nos* flores *appellamus) haberent.*

Hecatombe *monstratum est superius quid esset.* Hecarombœum *certe Gracis dicitur quidquid duabus minis astimatur. Sunt & Homero* Glauci hecarombœa arma, *quorum & Iustinianus in prafatione Pandectarum meminerit.*

EX PROBO.

Omnia imperii] *Restitue* Omina.

290. Specillaram] *Specillis ornatam.*

Hastis puris] *sine ferro: vt* vexilla pura, *id est candida, infra dixit.*

291. Eandemq; a rebellionibus vni dicauit] *Restitue* vindicauit.

Inuitus & redactus] *Quid si* reluctarus?

Quod impetaret Probus milires] *Verbum* milites *superfluit.*

292. Prædam deinde omnem illi præter diuinas] *Quid si* Druidas? *Vt tamen deesse versiculus videatur.*

293. Limitaneis] *Qui limites tuerentur.*

Supplices statimq; iacuerũt] *Tu* strati *ascribes.*

Cæterasq; gentes ita confudit] *Quis non videt* contudit *esse legendum?*

Blemyas] *Hi populi inter Æthiopes capita dicuntur abesse, ore & oculis pectore affixis: vnde & pro miraculo spectabantur.*

249. Contis ficiis] *Dubia lectio, nec quo pacto restituenda satis constat nisi a fien* ficios *deduxerit. Quid si ita legas,* Contis & sibynis? *Est autem* Sibyna *Festo, Illyrici genus teli.*

Quid ille cõpererat animo] *Melius* cõceperat.

295. Huius familiæ posteris] posteros *ascribe.*

EX CARO.

300. Sedatos] *Tu* auitum *emenda.*

EX NVMERIANO.

302. Eumq; ante signa & principia protraxere] *Principia erat statio vbi principes legionum consisterent.*

EX CARINO.

Carianus] *Lege* Carinus.

303. Neurobaren] *id est per neruos incedentẽ: vt* schœnobaten, *id est funerepũ.* Toichobaten *autem Graci appellant, quẽ iureconsulti* directarium *a dirigendo seu aliena cœnacula appellant.*

Salpinctas] *Sic enim leges, & tubicines intelliges,* ἀπὸ τῆς σάλπιγγος.

Camptaulas] *id est centum qui tibiarum sonũ aliquantulum inflecterent quod nos emẽdauimus, mendosissima alioqui lectione.* Pithaulas *autem, quasi tibiis persuadentes tibicines dicas.*

Cyclopem adornatum] *Cyclopeam saltationem, de qua superius, innuit.*

Pallio ianthino] *vnde &* ianthina vestis *Persio.*

Plumandi] *id est texendi. Graci* polymita, *a liciorum varietate vnde* plumarii & opus plumatile *Nonio clauatum interpretatur, aut ex plumis factum.*

Birri ab Atrebaticis petiti] Birri *vestis Gallica genus sunt autem* Atrebatæ *hodie qui* Arres *Gallica lingua dicuntur, aulais texendis percelebres. vnde aulaa hodie laudatissima.*

304. Balhonibus] *id est lenonibus, a Ballione Plautino lenone.*

EX ÆLIO VERO CÆSARE.

135. LLS III millies] *infinita hac pecunia vis, vt ipse auctor paulo post dicit, atq; ad normam mihi prascriptam in Tranquilli annotationes dirigenda.*

Quia vota interueniebãt] *quorum interuentu luctus omnis tollebatur.*

136. Quatuor anacliteriis] *id est accubitoriis.*

EX AVIDIO CASSIO.

153. Fatuũ motionem] *id est mimum ineptũ.*

154. Et inciso ipso] *Tu* inscio ipso *repone.*

Campestri solo tectus] *Succinctorio, quo in gymnasiis & palestris vterentur.* subligar *etiam a nostris appellatum. vnde* campestrati.

Bucellatum] *a bucea siue bucella. Marcellinus,* Quod in sedibus erat frumentum, ad vsus diuturnitatem excoctum, bucellatum vocabãt. *Vnde nos fortasse bucellatum etiam panem appellamus in orbem factum gestatu commodiorem, vt quem pertica immissum sine graniore impedimento secum haberent.*

Aut impeditur] *Tu* impenditur.

Programma] *id est edictum, Graco verbo.*

Bucolici milires] *Latronũ Ægyptiorum genꝰ.*

155. Cõsensum] *male. Quare* consensu *redde.*

Ærusca-

Æruscatores] *diuinaculos: qui videlicet æra vndique eruscarent ac corraderent. Festus & Gellius.*

Rebelliones] *pro rebellibus. qua forma* perduelliones *dicebant antiqui.*

156. Multis elogiis] *Testificationib. tam in laudem quam in infamiam; tametsi Cicero pro simplici quadam sententiæ significatione acceperit.*

Bonis partibus] *Tu vide ne melius* partibus.

EX PESCENNIO NIGRO.

177. Inter lapidationes] *quibus Iulianus princeps a populo Rom petitus est.*

Ex interdicto] *Formula iureconsultis vsitata, quoties quis iniuria in alienam possessionẽ irrumpit. Cic. etiam pro Cæcinna sæpe huius ritũ & verbi meminit.*

178. Stellaturas accepisse] *id est munera per calumniam aliquam iniectam militi, vel quid aliud tale; vt satis copiose superius monstratum est.*

179. Musiuo] *nos hodie* musaicum *appellamus. Vtitur & hoc verbo D. Augustinus libris De ciuitate Dei, & Plinius aliqua tamen differentia verbi. Vnde* musearii, *qui male* muscarii *etiam a doctis apud iureconsultos leguntur.*

180. Cauum argentum] *id est catinum, noua verbo. nam* Cauus *foramen est intra parietes, quib. mures latitant.*

In zonis] *Magnam enim stipendii partem in his habebant milites. Vnde illud Horatii; Ibit eo quo vis qui zonam perdidit.*

Et inepta] *Melius fortasse,* Nec inepta atq; ridicula.

Trichoro] *A triplici ordine structura sic fortasse dictus nisi si citra aspirationem legas, & a curio, qui* cursus *vulgo in parietibus construendis dicatur,* tricorium *deducas.*

EX ALBINO CÆSARE.

181. Quum eũ successorem] *Tu expunges* eũ.

183. Ficus passarias, quas Græci callistrutias.

184. Milesias] *Fabellas lasciuas intellige quales Aristides alim* libros Milesiacos *conscripsisse dicitur. sed iam cantatissima omnia inter Milesias Punicas Apuleii. vt hinc literatores desinãt quærere vnde ille apud Apuleium Milesius sit sermo.*

EX GETA.

189. Hostiam popa nomine Antoninus] Popam *veteres victimarium dixere. vt in Caligula illud* Poparum habitu *sit omnino legendum.*

190. Farrata] *Edulium a farre fortasse dictum. Quid si* Ferta *legas? Est autem* Fertum *lib. genus in sacris adhiberi solitum. Festus auctor.*

Lorica sub lato clauo] *id est senatoria ac principali veste. vnde* laticlauii *senatores.*

EX VICTORINO.

256. A quodam actuario] *Qui videlicet acta eius exscriberet.*

EX MARIO.

257. Digito salutari] *Hic proxim⁹ pollici est. quo quũ minus commode Augustus princeps vteretur, corneum circulũ substituisse a Tranquillo dicitur.*

EX AVREOLO.

258 Apud eum pontem qui Aureolus est dictus] *Hunc in Mediolanensi agro adhuc plerię ostendunt, &* Pontiról um *corrupto verbo quasi* pontem Aureolum, *appellare contendunt.*

EX HERODE.

260. Sigillata tentoria] *Variis signis distincta arte plumandi.*

EX BALISTA.

261. Dispositionem me Balistæ prosequere] *Expunge illud* me: *& statim lege,* In forma.

EX VALENTE.

Auunculus magnus] *Aui & auiæ auũculus.*

EX PISONE.

Cui se Cicero nobilitandi gratia sociauerat] *data videlicet Tulliola in vxorem Pisoni cognomento Crassipedi: quo mortuo, Dolabellæ iuncta est. Pisonum autem familiæ cognomen Frugi astructũ, notum est, a parcimonia viuendi, & optimis eorum moribus in omni vita.*

EX ÆMILIANO.

262. *In huius vita annotabis illud quod de Ægypto traditur.*

EX ZENOBIA.

264. Media etiam cochlide] *Compositionem & ornatum capillorum hoc nomine videtur appellasse, ad cochlidis scalæ similitudinem, quæ paulatim per gradus occultos in cochleæ formam constructa, nomen inde sibi (vt opinor) peperit.*

265. Epitomasse] *breuiarium confecisse verba malo.*

EX TITO.

In Maximino Tycũ *legas, quẽ hic* Titum *appellat.*

266. Argolicam, sed amatam] *Tu lege* armatã.

EX FIRMO.

296. Κυνηγέτην] *id est, Imperatorem.*

Donum iudicum] *Tu* Indicum *repone.*

Canon] *Sic annua frumentatio appellabatur, quam Ægyptus & Africa & Sicilia statam populo Rom. penderet. Vnde ille* septem annorum canon *a Seuero populo relictus.*

EX SATVRNINO.

297. Omnes certe lymphiones cuiuscumque artis & videntur] *Erade copulam* ET.

Omnes certe lymphiones] *Nouo verba fatagenies quosdam ac curiosos (vt opinor) innuit. nisi si quis diuinaculos hoc verbo malit interpretari, quos Græci νυμφολήπτους autumant.*

298. Pergulas magistrales] *Iam & Plinius* pergulas pictorum *agnoscit, & L. Fuluium argentarium spectasse e pergula coronatum rosis. Et Iuuenalis, =cui cedere debeat omnis Pergula. Erat autem locus apertus ac soli expositus, saltem ex magna parte, vbi docerent grammatici aut pingerent pictores. quæ amœnitatis etiam causa parata erant, Terracus Venetis ferme assimilia.*

EX PROCVLO.

Albinganni] *Liguriæ oppidum,* Albenga *vulgo dictum.*

EX BONOSO.

Dux Rhetici militis] *Sic codices omnes Quid si* limitis *legas? nã & in Aureliano meminit Amulis Saturnini Scythici limitis & Iulii Tryphonis orientalis limitis, & Crinitti Illyriciani limitis & Thraci, & Fului Boii Rhætici limitis ducũ. vt venire in dubium non possit,* limitis *nõ* militis *esse legendum. Sed & Imperator* Rhęticũ limitem *agnoscit. vnde & Limitanei milites, qui limites tuerẽtur imperii. Ceterũ & ripauenses hac forma, seu* ripatioli *dicti videri possint, qui fluuiorum ripas obseruarent: quo verbo recentiores scriptores scatent.*

EGNATIVS LECTORI S.

POST absolutas obseruationes, quum quædam amici admonuissent minus diligenter a me animaduersa, quædam mihi iterum legendum occurrissent, vti fit, accuratiore studio cognita, subnectere illa visum est operæpretium fore vt, quam animi propensionem literas iuuandi ab primis annis citra omnem ambitionem semper hausi, eam perpetuo tenore ingrauescente etiam ætate retineam. Nec sane aut nunc me pudeat, aut in posterum vnquam pudebit, dum prodesse multis possim, etiam culpam prodere meam quã nec aliis occupationibus, nec festinationi etiam librariorum imputem. Homo, inquit ille, sum, nec humanitatis aleam reformido. & alioqui cur mea me delectent mala fallantue potius quam ipse per me sapiam? aut cur alienam condemnationem exspectem, quam ipse exceptione tenere habeam? nisi si quis iniquo etiam iudici causam approbaturum se suam speret. verum hoc vix vnus Scipio inter tot secula sperauit. Ipse igitur ego & quædam simul amplio, nec quid sequar, satis exploratum adhuc habeo quum præsertim scriptores hi multa innouata retineant, quæ fortunæ magis quam diligentiæ sit inuenisse. Quare quum in bonum culpa hæc cesserit, ignoscant quæso mihi, qui sciant in homine multo minus mirum esse nesciisse quædam, quam vni constare omnia. Consulant se singuli, & suo se (quod aiunt) modulo metiatur quisque haud sane tam acerbe alienam negligentiam incessat, qui suæ sibi conscius esse velit. Vale.

EX ADRIANO.

126 IN fronte, vbi apud Italiam Scipionum temporibus resedisse Adriani maiores scriptum est, tu Italicam repone: vnde paulo post Italici dicti, quibus delectum detrectantibus vehementissime iratum Adrianum dica. quum de Italis interim intelligendum scripserim qui Hispaniæ ciuitates incolerent. Ab hac vrbe Sillius etiam (ex ea enim oriundus erat) Italici cognomentum retulit.

EX PIO.

139. Legatum pœnæ causa] Alciatus meus, iurisconsultus celebris, alium huius sanctionis sensum existimat. Credit enim de legato intelligi, cui pœnam testator ascripserit, nisi hæres id præstitisset.

EX ANTONINO PHILOSOPHO.

142. Et Seuerum turmis equitum Romanorum iam cos. designatum creauit] Tu VI VIRVM, id est seuirum, restitue Vnde & seuirales ludi paulo post dicantur. VI virorum autem in monimentis marmoribusq; veteribus mentio sit, ea præsertim tabula, quæ Mediolani in Ambrosii fano spectatur. Hoc nos Alciatus Mediolanensis primæ nobilitatis admonuit. quem propter morũ suauitatem & singularem eruditionem plurimũ colo.

EX COMMODO.

157. Ganeas semper in palatiis diebus fecit] Tu eodem auctore ædibus pro diebus lege. Quod si etiam Pactumeium pro Pactuleio legas, Horatio in Epodis & iureconsultis auctoribus?

ERASMVS ROTERODAMVS CANDIDO LECTORI S. D.

QVVM hanc editionem iam adornassem, commodum allatus est Suetonius Aldinis typis excusus, sed emendatus opera Baptistæ Egnatii, viri cum primis rarum integritatem eruditi. nam vtrumque iuxta requirendum arbitror in eo qui veterum lucubrationes emendandas aut explicandas suscepit. Equidem Aldi mei mortem hoc fero moderatius, quod in hanc restituendi bonos autores prouinciam is successerit, qui demortui per se clari gloriam obscuret: si tamen hoc est obscurare, virtute virtutem vincere. Atque vtinam vt Suetonium, Aurelium Victorem & Eutropium dedit, itidem & Ælium Spartianum cæterosque huic adiunctos nobis dedisset: in quibus nos permulta restituimus. Nam omnia qui poteram, nisi codicum antiquorum auxilio adiutus? Tametsi & in Tranquillo nonnulla restituimus quæ Egnatium licet oculatissimum suffugerant. velut in Cæsare dictatore cap. XVIII, Eodem modo Nonium quæstorem, quod compellari apud se maiorem potestatem passus esset. Modo expunximus, ex fide vetustissimi codicis siquidem Eodem hic aduerbium est. vt subaudias Consecit. Sunt hoc genus & alia nonnulla, sed minutiora quam vt operæpretium sit sigillatim recensere. Cæterum quod in Othone Egnatius legendum putat, Τί γάρ [illegible] ab illo dissentio, quod hæc fere verba Beroaldus, ab erudito quodam admonitus, ex Dione huc transtulerit. Neque variant hic quæ viderim exemplaria. Tantum in nonnullis pro αὐλοῖς vitiatum erat [illegible]. Legendum igitur haud dubie, Τί γάρ [illegible], id est, Quid mihi cum longis tibiis? qua de re copiosius nobis dictum est in Adagiorum chiliadibus. In Caligula pro Nec dicendi finem factum, restitueramus ex exemplari peruetusto Nec licendi finem factum etiamsi post comperi locum hunc a Budæo nostro correctum in Asse. quod admonere visum est, quo plus ponderis habeat Budæana castigatio, quam quã ea nullius vetusti codicis præfertur autoritatem. Porro quod in Augusto legitur [illegible] id est, Date plausum, & omnes vos cum gaudio quidpiã facite, in quo & Egnatius hallucinatus est ego, ni fallor, & vnus & primus restitui, idq; ex qualibuscunq; vestigiis antiquissimi codicis. Legendũ igitur ad hunc modũ, [illegible] (siue ἡμῖν) [illegible] id est, Date plausum, & cũctos vos (siue omnes nobis) cum gaudio plaudite est in versu Trochaicus In vetusto codice scriptũ videbatur [illegible] vt sit trochaicus brachycatalectus. certum est esse clausulam Græcæ comœdiæ. Præcesserat autem in exemplari nostro & alter huic similis Trochaicus, aut certe hemistichion sed figuris elementorum adeo deprauatis, vt quid scriptum esset, non quiuerimus conuicere. Iam quod est in Vespasiano, [illegible] siquid suffragarentur exemplaria, libens legerim ad hunc modum, [illegible] O Laches Laches, At vbi mortuus fueris, rursus eris Cerylus. ὦ Λάχης Λάχης sit clausula prioris carminis, cui succedit integer iambicus trimeter: tametsi hac de re nolim contendere. Cæterum de nummorum analogia, siquid a Budæo dissentit Egnatius, Portium sui sequutus, quod nobis nec otium suppetebat, nec ad hunc laborem proprie pertinebat, non fuit studium excutere. Addidimus autem Indicem, quo potissimum annotauimus, siquid noue præterq; superiorum autorum consuetudinem, aut siquid etiam Græcanice dictum est, ne nihil sit lucri, quod lectorem ad emendum inuitet. Nec hoc tamen solum accedet quin & quicquid adiecit Egnatius, hic habes, & præterea nonnulla quæ nos soli etiam restituimus. Bene vale, candide lector, & hisce nostris laboribus feliciter fruere.

IN C. SVETONIVM TRANQVILLVM ANNOTATA PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

Aburen-

Exse-

Obolere

ANNOTATA IN ÆLIVM SPARTIANVM, ÆLIVM LAMPRID. ET CETEROS, PER EVNDEM ERASMVM.

GRÆCORVM INTERPRETATIO, EORVM VIDELICET QVÆ ABSQVE INTERPRETATIONE SVNT INSERTA.

16,43, καὶ σὺ τέκνον, & tu fili. cf. vnus ex perfectorib. meis est 23 35, Σπεῦδε βραδέως, festina lente. Ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης tutus enim est melior quam audax ductor exercitus.

32,48, Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι, vtinā debuissem & sine cōnubio esse, & sine prole interire. 34,48, δωδεκάθεος, duodecim deos habens, duodecim deûm.

34,17, γεροντικῶς, seniliter 36, φυτόν, artis seminariū, artis hortum. τέχνη ars est & φύω ortum producere, gignere.

37,10, μυροβρεχής, vnguento delibutus, vnguentarios μύρον namq vnguentum sonat βρέχω, imbuere, madefacere. 38,29, δυσφημίαν infamiam, obscenitatem. 48, θεολογουμένων, dissertationum diuinarum, disputationum de deo ac rebus diuinis.

40,44, ἀπραγμοσύνη, otiosorum ciuitatem nam πόλις vrbs est. ἀπράγμων otiosus, non habens quod agat ex α priuatio, & πρᾶγμα actio, negotium 46, κέντρον, cōd torem 48, κλέος δὲ τυμβὸν ... condi ori isque tumulo conspicui ignibus flammantem. Ὀρθὸς φανεῖν Μαρ... honoratus, ... luminib. Masgaba honoratur qua de re vide Am. Marcell 361, 49, 364,49 41,7, δότε κρότον Καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε date plausum, Omnesq vos cū gaudio strepitate 15, ... facultatem motus, mortem scilicet.

47,27, λαοῖς καὶ ταῖς μούσαις ἡγεμόνιον, & musis ductas copias 28 ... legitimissime germanissime 29, ... secordiam (seu ignauiam) militum. 31, Τοῦτον δ' ... Hoc autem committe, etiam exigui ardente Ambō regemus incolumes quorum admodum mente prospicere,

54,16, πηλὸν αἵματι πεφυραμένον, luto sanguine subactum.

57, 22, ἐμβάλλειν, insertamentum. ἐμβάλλειν est inicere, inserere.

63,14 εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς vnus dominus esto vnus rex. 30, Εἰς ... in terram Danaum transportatum te vendam.

65,28, ἀδιαστροφίαν, immobilitatem, stabilitatem, rigidam cōstantiam: qua scilicet peruerti quis nequit. nam διαστρέφειν est peruertere, dimouere.

67 23, δεκήρεις decemremes, quæ decemplici remorū ordine impellerentur. 69,18, ἄξιον θριαμβεῦσαι, dignum qui triumphatetur

72,32, Τοῖς ἀτυχοῦσι καὶ τριμήνοις ... infortunatis etiam trimenstes liberi. infortunatis etiam tertio mense nascuntur liberi.

73 31, ὁλόκληρος, absolutus cōsummatus: κληρονόμος, heres ex asse, seu omnes perfectionis numeros sortitus, integer, perfectus. nam ὅλος totus est, & κλῆρος 33, ἠλαττῶσθαι, mancum esse, destitutum ac mancum esse καὶ βιβλιοθήκας καὶ εἰς τὴν τοῦ σώματος, καὶ εἰς τὴν τῆς ψυχῆς ἀρτιότητα, mutilatumque seu obiectum esse cum quod ad corporis, tū quod ad animi integritatem ac perfectionē attinet. 34, τὰ τοιαῦτα σκώπτειν καὶ μυκτηρίζειν εἰωθότων, talia ludificari naloque suspenso deridere consuetis. 36, μὴ πρου... ἡμῖν, nisi prius apud nos constitutum sit. 46, μετεώρως, volatice, inconstanter 47, ... insortunatus est admodum in seriis plus satis in rebus seriis omnis parum fortunatus et facet. 48, ἡ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ εὐγένεια, animi eius generositas. 50, ἀζαφῶς, obscure. σαφῶς, perspicue.

76,26, καὶ σὺ γέρων εἶ καὶ μωρὸς, & tu senex es ac fatuus.

81,26, αὐτοκινήτως, sponte motu concitarū, quod per se mouetur ac fertur.

82,17, ... furiorum resurrectionem. 20 ... volaticam nihilq, videntem animi constitutionem, volaticum nihilq, videns ingenium. 40, λογιώτατος, literatissimus, doctissimus.

83, 11, ἀνὴρ ἀπεπέμψατο, ὅτι τις ... virum propulsare, si prior quis molestiā facessat. Καρχηδονιακῶν seq v. significat Carthaginensium, Punicorum, seu, Rerum Carthaginensium & Punicarū. 22, ὁ ἔρως δ' ... amor tamē instigauit, seu, velut instigantibus quibusdam stimulis properat. Turnebus aliter legit, vt docent Pulmani adnotationes.

93,39, ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί, me mortuo terra misceatur igni. ἐμοῦ ζῶντος, me viuente. 50, ... captiuitatem seu excidium

94,8, Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων, μητροκτόνοι. Nero, Orestes, Alcmæon, matricidæ. Νεόνυμφον Νέρων ἰδίαν μητέρ' ἀπέκτεινεν, recenti suffragio copulatam sibi matrem suam Nero interemit. Legitur etiam νεόνυμφος, nuperam sponsam, recens nuptam. & νεονυμφος, nuper admodū sponsus, modo sponsus. 10, ἑκηβελέτης, longeiaculās 15, ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ vale pater, vale mater. 23, τὸ τεχνίον πᾶσα γαῖα τρέφει, articulam omnis tellus alit i nulla iam vilis est ars, quin ea victum vbicumque terrarum parare queas.

96,5, Θανεῖν με σύνευνος σύζυγος, μήτηρ, πατήρ. mori me iubet coniux, mater, pater.

97,2, ὁ πρίγκ Νέρωνα ... Non decet Neronem, non decet sobriū esse (i. sapere) oportet in talib. agedum, excita teipsum. 4, ... equorum citipedum sonitus circumquaq, mihi aures percellit

99,9, καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ, & tu fili de imperio nostro degustabis.

103,6, ... etiam meum mihi robur firmum est, seu animus firmus, firmæ animi vires

105, 11, ... εἶναι μικρῷ καὶ μακρῷ αὐλοῖς: quid enim mihi & longis tibiis, s. commercii est?

109,27, αἰγὶς δ' ἣ πολιάρχου, ægidem vrbium tutatricis Minervæ est autem αἰγὶς proprie munimentum corporis e caprina pelle, siue thorax siue clypeus, & πολιοῦχος, vrbi tuens, vrbium sustentatrix ac conseruatrix.

111,17, καλῶς πολιτεύσαντος, telonio probe defuncto, seu, ob telonium probe gestum.

116,9, μακρὰ βιβάς, κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος, longis passibus gradiens, vibrans longam ex se vmbram iaculantem hastam. 11, ὦ Λάχης Λάχης, ὅπου ἀπέθανεν, αὖθις ἐξ ὠοῦ ... Κήρυλος Laches Laches, vbi mortuus fueris, rursum de ouo dicēris Cerylus. Erasmus aliam lectionem mauult, vt declarant eius Adnotationes.

122,29, μὴ καὶ σὺ γημάσθαι θέλεις, cum & tu nuptias affectas deo, nē & tu ducere vxorem cupis? fratres scilicet exemplo, qui vxorem a me abduxit.

123,22, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη non bonum est multorum dominium. 49, Κἄν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω, Ὅσσον ἐπισπεῖσαι, Καῖσαρ, σοὶ θυομένῳ etiamsi me roseris vsque ad radicem, tamen tantum adhuc fructus feram, quantum libaminis loco infundi sufficiat Cæsari, cum mactabitur. Est autem hæc parodia ex epigrammate quodam Græco, quo vitis caprum arrodentem sic alloquitur Κἄν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω, Ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοί, τράγε, θυομένῳ mutato tantum vocatiuo, σοί τράγε, tibi caper: & persona verbi, cum mactaberis

125,9, οὐχ ὁρᾷς οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε oo one vides qualis ego quoq, pulcherque magnusque? i. an nō vides quam ego quoq & pulcher sim & magnus? 50, ἔσται πάντα καλῶς, erunt omnia bene. i. bene cedent omnia.

211,32, ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς, ἐκφεύξεται, qui multa furatus est, pauca si dederit, euadet. i magni fures exigua erogatione pœnas effugiunt

213,41, οἰωνοσκόπος, auspex, ex auium inspectione de futuris coniiciens.

220,10, ἀναίμακτον, expers sanguinis, incruentum

253, 52, διὰ τεσσάρων Vilhelmus Philander apud Vitruuium interuallū esse dicit proportionē sesquitertię Vitruuius ipse li.5 sic explic. t. Cū vox constiterit in vna sono & flexione, abeaque se flectens mutauerit, & peruenerit in quartam terminationem, appellatur διατεσσάρων in quintam, διαπέντε in octauam, διαπασῶν. E quibus Vitruuii verbis de columnarum dispositione facile coniectura fieri potest. Sonat autem διὰ τεσσάρων per quatuor, seu per quaterna

301,46, ἁλιευτικῆς, piscatoria κυνηγετικῆς, venatoria, (propter e de ea venatione quæ canibus ducitandis atque immittendis solet fieri) ναυτικῆς, nautica.

326,35, ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή, corripuit letum purpureum, & fati sors robusta.

346, 3, ἀρχῆς ἀπὸ νότου, & quæ sequuntur. Locus iste & per se obscurus est, & male a librariis quoque tractatus, ideoque interpretatu difficilior. Sententia verborum est talis. Initio ab australi plaga facto, primi (hieroglyphicorũ) textus hæc est interpretatio. Hæc sunt quę Ramesti regi donauimus, quem amat Sol qui vniuersum orbem habitabilem cum gaudio regit, & Apollo potens, veri amans Heronis filius, diis genitus, conditor orbis habitabilis, quem Sol elegit. fortis Martis (filius) Ramestes rex, cui tota subiecta est terra cum forti robore atque fiducia Ramestes rex filius Solis æternum viuens. Textus alter: Apollo potẽs, insistens Veritati, dominus diadematis, qui Ægyptum pecuniam suam gloriose illustrauit, qui splendidam fecit Heliopolim, (i. vrbem Solis) reliquamque habitabilem orbem condidit, deosque Heliupoli erectos multiplici honore ornauit, quem Sol amat. Tertius textus: Apollo potens, Solis filius totus luminosus, quem Sol elegit, & Mars fortis donauit cuius bona in omni permanebunt tempore. quẽ Ammon amat, repleta æde phœnicis (seu palmæ) bonis cui dii (longum) vitæ tempus donarunt Apollo potens, filius Heronis, rex orbis habitabilis Ramestes, qui victoriis suis Ægyptum a cæ[t]era (hominum) gente custodiuit: quem Sol amat cui multum vitæ tempus dii donarunt. dominus orbis habitabilis Ramestes æternum viuens. Alius textus, secundus Sol deus magnus, dominus cæli donaui tibi vitam satietatis tædiiq, experiem. Apollo potens, dominus diadematis inconiectabilis, cui statuas posuit in hoc regno dominus Ægypti, ornauitq, Heliupolim pariter & ipsum Solem dominum cæli consummauit opus bonum Solis filius, rex æternum viuens. Tertius textus Deus Sol, dominus cæli, Ramesti regi donaui imperium, & in omnes potestatem, quem veri amans Apollo temporum dominus, & deorum pater Vulcanus elegit propter Martem: rex omnis lætitiæ plenus, Solis filius, & Soli dilectus. Subsolanus, (i. ab orientali parte) primus textus: Heliopolitanus deus magnus cælestis, Apollo potens Heronis filius, quem Sol amauit, quem dii honorarunt, terræ vniuersæ rex, quẽ Sol elegit, fortis propter Martem rex, quem Ammon diligit, totusq; luminosus ille comparauit regem æternum Hæc hieroglyphicæ istius inscriptionis, quantum assequi potui, sententia est: obscuræ quidem & imperfectæ, vt apparet memorabilis tamen, ad cognoscendam gentis superstitionem de qua etsi prolixe Herodotus, Ramestis tamen huius nulla exstat apud eum mentio nisi forte sit Rhampinitus Herodot. lib. 2, pag. 84.

375, 2, ἐκλείψεις σκιοειδεῖς ... concismeta defectiua (vt ipse auctor interpretatur) ἀναβιβάζοντα, ascendentia: καταβιβάζοντα, descendentia. 19, μήνη σύνοδος, luna cum ea, cum sole scilicet. 22 μηνοειδής, lunæ speciem gerens. 24 διχόμηνος, dimidiatum lunæ orbem ostenians 26, ἀμφίκυρτος, vtrimq gibbis curua. 29, πανσέληνος, totum seu plenum lunæ orbẽ exhibens.

386, 11, Ζεὺς ὁπόταν ... [illegible] ... cum Iupiter ad latos tocyti aquarii fines peruenerit, Saturno vigesimam quintam Virginis partem peragrante, Asiæ rex Constantius cara vite tristem & cum dolore coniunctum vitæ finem habebit cuius oraculi meminit etiam Pomponius Lætus 543, 20.

394, 39, Ἅπαντι δαίμων ... [illegible] ... omni homini nascenti genius totius vitę mysticus dux est. omni homini in hanc lucem prodeunti genius a deo additur, qui eum per totum vitæ curriculum mystice deducat. Est etiam sincerior huius loci scriptura de qua in Notarum libello.

401, 30 μυχανθέιον penetrale Ponti.

404, 15, ἀπὸ τοῦ πεσεῖν a cadendo.

421, 23, Γλακτοφάγων Ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων, Galactophagorum Abiorumq, iustissimorum hominum. Sunt autem *Galactophagi*, populi lactis esu victitantes. *Abii*, apud quos nulla vis regnat, vel nulla victus cura.

422, 18, Γυναικῶν λιμένα, mulierum portus.

438, 21 Οἱ λευκοὶ βόες Μάρκῳ τῷ Καίσαρι ... ἡμεῖς ἀπολώλαμεν: Boues albi Marco Cæsari, (salutem dicũt) Si tu viceris, nos perimus quo epistolio significatur, Marcum Imp. in immolandis post victorias bobus albis adeo liberalem fuisse, vt id boum genus pene totum exhauserit.

451, 49 αἰωνισμός saculum.

481, 24, Οὐ μὴν ... Non tamen inultus ruus erit sanguis Tisiphoneq, grauiter succensens, malum aduersus eos armabit exitium, mox in campis Mimantis ardentibus caput. vbi in mari videtur oraculum, capita eorum in campos Mimantis incendio peritura.

484, 26, σὺ δὲ ... tu vero cogita, & corona cultam

495, 30, κακοτεχνίαν, malum artificium.

503, 1, Ἀλλ' ὁπόταν νύμφαι ... Ai cum rosidæ Nymphæ, quæ choreis per vrbem oblectantur, per pulchre coronatos vicos versabantur, murusque multo cum gemitu ad senactum muniendum adhibebitur tunc Vniæ gentes (seu Hũnicæ nationes) late disseminatæ erumpent. Istri flenflut alueum cum cuspide itatecturæ Scythicamq, ac Mysiam terram perdent, Pęonemque equis aptum cum furentibus Celtis idem & vitæ finis & certamen occupabit.

516, 34, ἐν πεδίοισι Μίμαντος ... in campis Mimantis ardentibus caput quorum verborum sensus paulo ante est expositus.

563, 31, Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν luant Danai meas lacrymas tuis iaculis.

565, 24, Ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί ... : O senex, vtique iuuenes te atterunt pugnatores: Tuæque vires solutæ sunt, ac difficilis te senectus subit. 43, ἀναίμονες, sanguinis expers, inervenio vt supra 220 10.

579, 26, μεγαλομάχος, magnum oppugnator θεομάχος, Dei oppugnator, qui cum Deo pugnat.

INDEX

INDEX RERVM AC VERBORVM QVÆ IN AVGVSTÆ HISTORIÆ SCRIPTORIBVS VISA SVNT NOTATV DIGNIORA.

IN hoc Indice obseruata est eadem ferme ratio quæ in superiore. Quia tamen cum imperii mutatione mutata est etiam nominum ratio, ad gentilicia nomina non perinde omnia reuocari potuerunt. Itaque cum auctorib. hac in parte variantibus, nobis quoque variandum fuit. Vnde fit vt vnus & idem nunc ex gentilicio nomine, nunc ex cognomine hic indicetur. Sic Heliogabalus, Varius Heliogabalus, Antoninus Heliogabalus, M. Aurelius Antoninus Heliogabalus, *vnius eiusdemque Imperatoris sunt nomina. cuiusmodi variatio in aliis quoque multis est admissa. Nec tantum in personarum vocabulis ita variatum est, sed etiam in locorum aliarumque rerum appellationibus,* vt Besantio, Vesontio, & Bisontii, *eiusdem ciuitatis sunt nomina. quarum diuersitatum magna pars passim a nobis hic est indicata. Græca, non seorsum sunt posita, sed suis quaeque locis, ad Latinæ pronuntiationis normam, inserta. Iisdem plerumque sua est adiecta interpretatio; iis nempe quæ in superiore interpretatione non sunt exposita. Græcismi quoque multi passim hic adnotati sunt, & alia loquendi genera notabilia, partim in simplicibus, partim in coniunctis verbis posita. Quæ res tametsi etiam a magno illo Erasmo Roterodamo in suis Indicib. est tractata, sunt tamen a nobis non pauca nec pœnitenda insuper adiecta, præsertim ex Ammiano Marcellino, quem ille non attigerat. Ex recentiorib. scriptoribus, Pomponio Læto, & Baptista Egnatio, nihil in hoc consortium adsciuimus, præter Imperatores Romanos & Constantinopolitanos. Soli enim vetustati laborem hunc dicare visum est. In quo id potissime spectauimus, vt adnotationes istæ non tantum huic Romanæ historiæ tomo, sed etiam ceteris Græcæ pariter ac Latinæ historiæ scriptoribus lucem afferrent, immo non tantum historiæ, sed etiam iurisprudentiæ, atque adeo omnibus diuinæ simul & humanæ philosophiæ partibus conducerent.*

ooo

Adulabili

B

Bitlia-

C

Ciui-

Comme-

Crudescens

D.

Demetrius

Doctrina

F

H

Iulianus

Lorem

M.

Mumma

Paugeta

Perin-

ttt iij

Sub

Prolixe

S.

Sapor,

Suspendia

V

Venena;

Virtanni

X.

Z.

CORRIGENDA.

Pagi 1 & 2, in margine omissa sunt capitum notæ numerales, 1, 2, 3, & cætera usque ad 12. itidemque pag. 5, 6, 7, 8: ac rursum II & 12. P. 6, v. 23, scr. Æmilium & 50, ... coniunctè. 12, 9, bibliothecas delegauerat. 16, 10, sepulcra: & 45, letale. 18, 26, Cnæus, & deinc. 19, 1, OCTAVIANVS AVGVSTVS, absque distinctione itemque in seq. 23, 30, in Sicilia. 24, 47, pronuntiarant. 28, 46, spectaculo 32, 52, reperientur. 33, 12, suprema iudicia. 40, 27, omnia. 54, 29, lupanari. 55, 20, abiecti [tractique] int. 66, 12, prostratum 76, 2, moderatus & 29, graphium 77, 2, tentatam vll. 78, 38, obrogauit. 80, 17, præcipuè. 82, 16, oratiunculis: & 50, cœptique. 83, 14, Carchedoniacæ. Ibidem 26, post delatores distingue, non post criminum. 92, 33, lanuginem. 97, 4, ... & 40, Apollinem 99, 42, matureque. 100, 17, variè. 102, 24, quærentis, absque diphthongo 111, 22, ad sextum mil. 114, 2, Commagenen, gemino m itemque 312, 53 358, 29. 117, 33, sagittarum. 125, 51, crimine. 134, 1, cæcus. & 18, mirè. 136, 49, Principes, p maiusculo itidemque 285, 19 142, 8, transisset. 145, 39, Pio, P maiusculo itidemque 151, 17, Voluero, v grandiusculo 154, 33, impenditur. 155, 15, si ille vicisset. Ibid. 32, distingue post ordinis. 156, 13, metuentur, deinde 157, 9, rectius gemino appellatione & 17, Atterius. 159, 29, distingue post interemit. 166, 44, quem, masc. gen. 167, 50, proconsulare. 169, 18, Quintillus. 173, 42, displicuisse dixit. 179, 40, æquor. 182, 33, pallii 184, 28, Milesias. 185, 34, Byzantiis. 189, 44, adeousque. 190, 1, IVLII CAPITOLINI 193, 44, esse cupit. 194, 37, Pius, p maiusculo: & contra 196, 10, diademate, d minusculo 205, 34, mensæ, diphthongo æ & 36, lenonem. 206, 13, exhibuit. 208, 34, Concordiæ, c maiusculo 212, 52, vectigal. 214, 46, nec magistris quidem. 217, 17, vncus. 220, 1, ÆLII LAMPRIDII: & 14, exercitum. Ibidem 30, distingue post commilitones. 222, 54, iratus. 223, 22, Homullo, H maiusculo. 225, distingue 33 post decurrere, & 50, post præfecit. 228, 28, Maximinus. 231, 10, Vergilii. & mox, perfusus & 16, accepit Toxotius, sine distinctione. 232, 47, vidisse. 233, 28, Vxorium, v maiusculo. & 34, Quæsturam magnificentissime gessit: Ædilitatis suæ tempore, XII populo Ro. munera, id est per singulos menses singula, de suo exhib. 241, 43, tuæ cognitioni. 242, a principio pone initialem parenthesis notam 245, 44, non a Maximo & 45, præterirent 247, 20, confusum est characterum discrimen. ista enim, atque eum qui erat princeps, & quæ sequuntur, auctoris sunt verba, ideoque cursorio ceteris charactere fuerant exaranda & contra, senatus verba hæc, Valeriani vita censura est, pendulo & minusculo typorum genere debuerant exprimi, ut sequentia 250, 50, omni populo 258, 36, Illyricianos exercitus regens, in contemptum Gall. 260, 26, magna ex parte. Ibidem 41, distingue post Herodes. 263, 44, distingue post imperio 266, 3, rectius distingues post fuit & 15, distinctionem tolles post prætorius. Ibid 27, q. l. malenolis & mox, caussaberis. 268, 47, opulentiæ 273, 50, similitudo. 274, 15, iaciantur. 275, 9, Crinito. 279, 14, octingenta pondo de Palmyrenorum bonis habes gemm. & 47, galbina 282, 36, in Ostiensi & 55, vinciæ. 286, 26, centum Numidicas 27, Ostiensibus 28, Mauritania. 288, 3, Probo, P maiusculo itidemque 18, Dand. & 28, Nunc 295, 27, Probi, p maiusculo. 299, 22, verba ista, Breuis numerus fuit, auctoris sunt ideoque diverso typorum genere non erant exaranda. 301, 29, numinum 308, 1, fouisse: & 36, fusurio tenus 311, 5, expunge verbum est. 314, 23, in margine appone annum urbis MCVI. 317, 53, Rufini 319, 2, per orientis tractus & 25, percolendi. 320, 1, palæstritæ: 22, biennio: 41, primigenio: & mox irrideri. Ibidem 45 & 46, pro parenthesis signis rectius pones hypodiastolas commaticas itidemque 352, 6. 321, 1, LIB. XV. Ibidem expungendum commaticum istud, & Gallus. 322, 30 & 38, distingue post Siluanus. 324, 1, exitium 326, 21, vobis: & 38, proficiscendi. 327, 1, Constantius & Iulianus. 333, 46, locupleti. 334, 11, præfecturæ. 336, 35, præfecto. 337, 1, Constantius. 339, 30, ex æquo 340, 47, expunge prius inquit. 351, 22, Valeriam, f pronuncia 7 & 26, possent. 355, 7, vocib. festis. & 36, patrimonia. 356, 44, interficere. 357, 22, primordiis. 362, 10, Barzala, sine i. 363, 23, Amidæ & 30, Superuentores, maiuscula initiali 365, 1, Grumbates: & 43, neutrobi. 377, 11, comperto. 382, 33, cuius, cura prope venisset, mœnia fauill. 389, 10, meteret: & 33, norat 390, 5, malleolus & 50, recrearetur. 391, 7, hebetasset 392, 51, adsulta. 396, 46, Iouianus. 398, 2, abiit. 403, 10, Europæi sunt Alani. 406, 4, mulctandi. & 47, omnium. 419, 27, Brachmanorum. 420, 34, Hyrcani. 421, 23, Γλωσσοτρόφιον ... 423, 9, victam. 427, 31, & si quæ fœm. 433, 38, lumbis. Ibidem 55, post noster, adde ista, hoc ocius intellecto, per par vall. 434, 5, ipse, s legiones & 15, Maranga, initiali grandiuscula. 435, 1, Iulianus 437, 19, Bacchylidis 438, 26, absolutè & 28, ut 441, 38, extracti itidemque 483, 39. 442, 53, adfuturam, seu affuturam. 445, 4, portendi & 55, zodiacum 452, 17, stipatumque de more, consent. 454, 43, Hæmimontum. 457, 1, Valentinianus & Valens. (itidemque 465, 1) & 31, fruebatur. & 52, adiementa siue allenimenta. 461, 4, maximi defensores & mox adcrescentem, coniunctè. 468, 35, librata, s. ponderata. 469, 1, XXVIII. 470, 54, statui. 472, 24, Valentinus. 477, 1, XXVIII: & 40, increpans 478, 37, Merobandis. 479, 9, quidam. & 46, distenti. 480, 17, aperientium, &, si qua humanitatis fuisset mentio rara, hanc appell. & 23, supersedens. 484, 3, fœdè. 486, 13, opportunè: & 34, Firmo, F maiusculo. 488, 45, Abannisque, tertia scilicet consonante geminata, non secunda. 490, 50, nefariè. 491, 24, adfuturam, coniunctè Ibid. 46, tolle distinctionem post tempus. 493, 19, Barzimeres, sine t: & 36, Sapras 37, exsilire: 38, dolone 494, 54, formidari. 496, 1, distingue post simultatum 501, 18, rectæ potestatis. 20, suggillandum: 39, leuia. 502, 47, successionem 503, 5, ... 506, 19, subigendos 512, 49, Rhodopæis 513, 39, eundum 515, 33, feruentem. 516, 11, abundent. Commissa sunt & alia minoris momenti ut oportunus, solers, cominus, in quibus geminanda erat consonans & contra litus pro littus. sic prælium per a sæpe scriptum, cum accuratiores scribant prœlium, & contra cæcus, cælum, per e malint quam per æ. Item nuncius, precium, spacium, conuicium, aliquoties per c scripta, cum eruditiores in his malint t. Rursum sylua, tyro, nonnunquam per y, cum doctiores hæc Latinæ originis esse malint, ideoque per i scribenda censeant. In distinctionibus quoque haud raro est erratum, utroque scilicet vel additione vel omissione, vel commutatione aut transpositione. Sed talia tamen eiusgeneris pleraque sunt errata, ut ab oculato lectore facile possint animaduerti. Quorum etsi non pauca exemplarium vitio huc sunt retenta, plura tamen eorum culpa irrepserunt, quibus ob festinationem operis mea vices in corrigendo erant delegatæ.

In Indice suo loco inserenda hæc: Succentor fabularum crudelium 373, 20. Successores officiorum 319, 6. successorem ante quam quenquam mitti vetat Niger 279, 13. successore non exspectato decedere de prouincia 354.



151

12